Brandeis University
Library

This Book
Has Been Presented By
Maurice and Badona Spertus

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Boston Library Consortium Member Libraries

http://www.archive.org/details/medullaiustinian00beck

MEDVLLA IVSTINIANEA,

SIVE DILVCIDA TOTIVS IVRIS CIVILIS, IVXTA DIGESTORVM METHODVM EXPLICATIO,

Vbi quàm breuiſſimè fieri potuit, accuratiſſimæ definitiones, pleniſſimæ diviſiones, adæquatæ cuilibet materiæ cauſæ, ſolidiſſima totius Iuris Civilis principia, cùm ex ipſo juris fonte, tùm ex optimis hujus ſeculi Authoribus ſummâ cum lucubratione collecta: actiones tam reales, quàm perſonales, cui, adverſus quem, & ad quid competant, jus vetus, novum, & noviſſimum, addito jure Canonico, Feudali, & receſſibus Imperij, quoties à jure noſtro Romano recedunt; nobiliſſimæ & vtiliſſimæ in omni jure occurrentes quæſtiones (ſi non explicitè ſemper, implicitè tamen h. e. vt ex dictis erui & reſolvi queant) omiſſis reliquis haud ita neceſſariis, ne in immenſum excreſcat opus, perſpicuè proponuntur & reſolvuntur.

Authore NICOLAO BECKMANNO, *I. V. Doctore.*

PARISIIS,
Apud Viduam ALLIOT, & ÆGIDIVM ALLIOT, Bibliopolam Iuratum, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Sancti Nortberti, propè Eccleſiam Sancti Yuonis.

M. DC. LXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

SYMBOLVM.

Pie & prudenter,
Sincere & conſtanter.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO D.

CAROLO SVECORVM,

GOTHORVM, VANDALORVMQ;

REGI AC PRINCIPI HEREDITARIO,

MAGNO PRINCIPI FINLANDIÆ,

DVCI SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ,

CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI-

POMERANORVM, CASSVBIÆ VANDALIÆQVE,

PRINCIPI RVGIÆ, DOMINO INGRIÆ

ET VISMARIÆ,

Nec non Comiti Palatino ad Rhenum, Bavariæ,

Iuliaci, Cliuiæ & Montium Duci, &c.

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

SI Iuris, vti par eſſet, ratio ſemper haberetur, (REX POTENTISSIME) *nihil eſſet, quòd præſidium ab Regij nominis Majeſtate quæreretur huic operi meo, quod juris vnius tuendi explanandique causâ ſuſceptum eſt; tutum nimirùm vel ipſo, quem præfert titulo, verſaretur apud gentes etiam barbaras, imò, ſecurum communi quodam gentium jure conſiſteret. Verùm etſi nocere nemini, imò prodeſſe etiam omnibus poſſit, eſt tamen quòd eo ip-*

41058

ſo nomine potiſſimum verear, cum nihil ſit quod alienæ magis injuriæ pateat, quàm Ius ipſum, quod dum ſibi quiſque vindicat, violari interdum grauiſſimè ſolet. Et quidem vt à Regia VESTRA MAJESTATE *potiſſimum patrocinium depoſcerem, non pauca ſunt, quæ me impulêre, atque illud imprimis, quod jus infirmum ſit, quod potentiâ non fulciatur, nihil autem potentius occurrebat quàm Regij nominis authoritas, quam ideò leges ſacram voluerunt eſſe, vt legibus viciſſim præſidio foret, & quod huic finitimum videtur, legum peritis, nec ijs minùs, qui juri docendo, quàm qui dicundo præſunt. Videbam deinde id eſſe è re tuâ, cujus in ditionis parte non minima Ducatibus vtique Pomeraniæ ac Bremenſi, non ex alio, quàm ex civili jure, (quod hîc inſtitui contexere) dirimi lites ac judicia conſuevêre. Accedit quòd nil pridem mihi magis fuerit in votis, quàm vt mei fructum tibi laboris aliquem deferrem ad devotiſſimi animi pignus & authoramentum, à quo nullum non obſequij genus repoſcere pro tuo viciſſim jure poſſis, ut pote à ſubdito fideliſſimo, qui vitam ipſam (ſi res poſceret) libens volenſque rependerem. Nec porrò quam tenue ſit illud, quod offero, nec quàm abſit à tantæ Majeſtatis apice, ſed quam ab ingenti prolixoque animo profectum ſit, conſiderabis. Mouebant me denique tot animi tui, corporiſque dotes, quæ dignum imperio reddidiſſent, niſi jam natura beneficium occupaſſet, hæc Regiæ formæ dignitas, regiæ indoli non impar præcelſæque mentis ſimulachrum, quæ omnium ſibi ſtudia demeretur. Hoc ſapientiæ ſpecimen in ætate tàm tenerâ: cum enim in univerſum omnes tantum in undecim annorum juvene elucere lumen ingenij ſuſpiciunt, continuò venit in mentem quanto futura ſit olim illuſtrior hæc animi tui ſolertia, cum ad regni curas & publica negotia traducetur. Et cum in te ſumma ſint omnia, quæ non optare magis in Principe, quàm mirari liceat; quid aliud exiſtimem, quàm editum in te ſpecimen à naturâ, quid cum illuſtri ſanguine virtus*

*illuſtris conjuncta poſſit. Hinc naſci Regem voluit, vt ex illo dignitatis faſtigio facilius in omnium oculos tot ornamenta virtutum incurrerent, & eâ potiſſimùm ætate Regnum capeſcere, ut diutius communi bono frueremur. Ea ſunt (*REX POTENTISSIME*) tùm publica Regni totius vota, tùm privatim mea, qui iam in ſummi beneficij parte duco, quòd palàm qui meus in te devotus cultus ſit & obſeruantia, hoc qualicumque demùm, cum majoribus non liceat, officio patebit.*

VESTRÆ REGIÆ MAIESTATIS,

Humillimus fideliſſimuſque ſervus,
NICOLAVS BECKMAN,
I. V. Doctor.

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM ET OFFICIA.

CONSILIVM hîc te magis inſtituti operis (Lector candide) quàm conſilij mei rationes edoctum velim. Cum multò abhinc tempore eam in rem incubuerim, & nunc demùm in itinere comprehenſus Pariſijs perfecerim, vt viam ad Ius Civile ſtudioſæ Iuventuti munirem, quoad liceret, hoc multarum vigiliarum opus publicam tandem in lucem dedi, quod cum partim hauſtum ſit ex ipſius Iuris fontibus, partìm ex præſtantiſſimis huius ætatis Authoribus, puta Weſenbecio, Hahnio, Struvio, Gravio Frantzkio, Wiſſenbachio, Perezio, Bachovio, Vulteio, Carpzovio, Cujacio, Ludvvello, Gailio, Mynſingero, &c. collectum, non mediocri (niſi me ſpes fallit) adiumento futurum exiſtimavi: non quod nouum hîc quidpiam, aut inauditum hactenus reperiat, ſed quod aliorum doctrina, vel in tot ſparſa riuulos vix unquam inveſtigetur tota, vel tot voluminum mole, velut conſepulta, erui vix poſſit ſine labore maximo, quæ res quàm omnium ſtudia, ardoremque diſcendi retardare ſoleat, norunt illi omnium maximè, qui huic ſtudio vacant. Quod autem Authorum ſupra allegatorum, ex quibus optima collegi, verbis ipſis uti non verear, mirum non videbitur, ſi cogites, rem novam verbis non ſubeſſe, nihilque hac præſertim in re dici à nobis poſſe, quod aliorum dictis, ac

laboribus non ſit pridem occupatum, ſed quod Authorum nomina & locos, unde deſumpta ſint, reticuerim, conſultò factum intelliges, ne quod in alijs reprehendo, in id ipſe vitium prolixitatis incurram, vel ne cupidæ legum Iuventuti his allegationibus detur anſa, omnes hos Authores evolvendi, ſeque immenſo, & quaſi deſperato mari, antequam fideliter poſuit fundamenta, incautè committendi. Id demùm præſtare de me poſſum, nihil hîc prætermiſſum, quo Iuris Tyronibus opus hoc noſtrum uſui foret, certoque polliceri, ſi quis cum aliquâ Iuris Inſtitutionum notitiâ, Medullam hanc Iuſtinianeam penitus imbiberit, dignum utique omnibus viſum iri, qui ad Doctoralem lauream promoveatur. Errata, quorum initio præprimis ob Typographi incuriam, magna ſeges, ipſe, benevole Lector, corrigas, meque infinitis alijs gravioribus impeditum potiùs excuſes, quàm incuſes, quòd ea non correxerim. Vale, tuoque ad omnia officia & obſequia prompto fave.

AD VIRVM CLARISSIMVM

D. BECKMANNVM,

I. V. Doctorem in eius Commentarium ad Pandectas.

VT Iovis è cerebro Themis orta eſt, ſic quoque partu
Ingenij BEKMAN *Themis altera naſcitur orbi.*

IACOBVS DE LA LANDE, in Aurelianenſi Vniverſitate Anteceſſor, & pro tempore Rector Magnificus.

CLARISSIMO VIRO

NICOLAO BECKMANNO,

Iuris vtriuſque Doctori.

CVi ſic Romani Iuris fluit ore medulla,
Olli Romanis viribus oſſa vigent.

E. RIVIERE, Anteceſſor Vniverſitatis Aurelianenſis.

A MONSIEVR

AVSPICE DEO TEROPTIMO MAXIMO.

MEDVLLA IVSTINIANEA,

SIVE

DILVCIDA TOTIVS IVRIS Ciuilis, iuxta Digeſtorum methodum explicatio.

PROOEMIVM.

THESIS I. AVSPICATVRIS ſolidam Iuris Civilis ſcientiam, quæ ex latiſſimis Pandectarum (a) voluminibus præprimis hauriri debet, cupidæ legum juventuti pro poſſe exponere, nonnulla ad faciliorem Iuris Rom. intellectum nobis præmittenda videntur.

(a) *Pandectæ* dicuntur, à πᾶν & δέχομαι, quaſi omnia in ſe comprehendant, l. 2. §. 1. C. de veter. jur. enucl. ita etiam Cicero libros ſuos de variis quæſtionibus compoſitos πανδέκτας inſcripſit, tanquàm omne rerum atque doctrinarum genus continentes, Gellius lib. 13. Noct. Attic. c. 9. obſervandum, Græcos olim π cum circumflexo ſcripſiſſe, qua littera abbreviandi cauſa ſæpe indicabantur Pandectæ. Librarij verò Græcæ linguæ ignari putarunt eſſe ff. hinc iſte error, quòd Pandectæ ejuſmodi ff. notentur.

TH. 2. Pandectæ hæ, Latino nomine vocantur Digeſta, (a) quæ ſunt ſyſtema ſ. comprehenſio methodica juris Civilis, circa perſonas, res & actiones, ex omni veteri jure, juſſu Iuſtiniani per Tribonianum, Dorotheum, Theophilum, & alios prudentiſſimos viros collecta, in 50. libros diſtributa, & authoritate legali Imperatoris Iuſtiniani confirmata.

(a) Ita dicuntur, quia ex multis veterum Ictorum libris hoc opus eſt congeſtum. Vel (2) quia legum diſputationes, diviſiones & deciſiones habent l. 2. § 1. C. de jure veter. enucl. ſeu conſtitutione Tanta de confirm. digeſt.

TH. 3. Digeſta aliter dividuntur ab Imperatore Iuſtiniano, (a) aliter ab Interpretibus. (b)

(a) *Imperator* diviſit (1) in 7. partes majores, l. 2. § in fin. & ſeqq. l. 3. §. 1. C. de jur. vet. enucl. vel (2) in 50. libros.

(b) *Ab Interpretibus* dividuntur vel vulgariter, vel artificialiter. *Vulgariter* in tres partes (1) in digeſtum vetus (2) in digeſtum inforciatum, & (3) in digeſtum novum. Vetus digeſtum eſt à principio vſque ad tit. 3 lib. 24. qui eſt de ſoluto matrimonio. (2) *inforciatum* (quaſi infarcitum, id eſt, interpoſitũ inter vetus & novum) dicitur illa pars, à tit. 3. lib. 24. vſque ad tit. 1. lib. 39. qui eſt de novi operis nunciatione, denique (3) *digeſtum novum*, à d. tit. 1. lib. 39. vſque ad finem lib. 50. Porrò *artificialiter* dividitur in partem generalem ſ. communem, & propriam ſ. ſpecialem. Illa agit de Iuriſprudentia in genere, ejuſque principiis lib. 1. tit. 1. 2. 3. 4. *Hæc* agit (1) de jure perſonarum tit. 5. 6. 7. lib. 1. (2) de rebus, tit. 8. & (3) de actionibus, tit. 9. & ſeqq. lib. vſque ad finem ff.

TH. 4. Iuſtinianus Pandectas in ſeptem partes diſpeſcuit d. Conſtit. §. 1.

TH 5. 1. *Pars* continet τὰ πρῶτα, id eſt, prima juris & judiciorum primordia, rudimenta & principia, quæ jura ipſa &

judicia præcedunt; hoc fit in 4. prioribus libris.

TH. 6. 2. *Pars* agit de judicijs ipſis, & in ſpecie, quæ de cauſis privatorum ſunt, ciuilibus realibus, & abſolvitur 7. libris à 5. uſque ad 12. excluſivè. d. conſtit tanta §. 2. & 3.

TH. 7. 3. *Pars* tractat de judicijs perſonalibus rerum creditarum, & conſtat 8. libris, à 12. uſque ad 20. librum. d. conſtit. §. 4.

TH. 8. 4. *Pars* agit de acceſſorijs contractuum, pignore, damno emptoris ex ædilitio edicto, evictione, uſuris, probationibus, nuptijs item & tutelis, & comprehenditur 8. libris à 20. uſque ad 28. librum. d. conſtit. §. 5.

TH. 9. 5. *Pars* eſt de ultimis voluntatibus ſ. ſucceſſione teſtamentaria, conſtans 9. libris à 28. uſque ad 37. d. conſtit. 6.

TH. 10. 6. *Pars* tractat de judicijs Prætorijs, bonorum poſſeſſionibus, & legitimis ſucceſſionibus, novi operis nunciatione, damno infecto, donationibus, item manumiſſionibus, dominio, poſſeſſione, uſucapione, interdictis, exceptionibus, obligationibus & actionibus, comprehendens 8. libros, à 37. uſque ad 45. librum. d. conſtit. §. 7.

TH. 11. 7. *Pars* agit de ſtipulationibus ſ. verborum obligationibus, fidejuſſionibus, novationibus, ſolutionibus, judicijs criminalibus, appellationum, & de cauſis publicis, quibus in fine libri 50. eſt annexum totius juris Romani breviarium, tituli ſcil. duo de verborum ſignificatione & de regulis juris.

TH. 12. Hiſtoria juris humani accuratè in hoc titulo & ſequenti eſt obſervanda: & ut ſciatur quo tempore Inſtitutiones, Digeſta & Codex ab Imperatore Iuſtiniano ex tot innumerabilibus voluminibus deſumpta, confirmata, & autoritate roborata; hîc ad duo præprimis oculorum aciem vertamus (1) ad *Ordinem Conſulum*, qui Cōſules interea, dum

Iuſtinianus in jure emendando fuit occupatus, Magiſtratu illo functi ſunt. (2) ad annos inter quos prædicta emendatio ad finem fuit perducta. Conſules quod attinet; (Primò) Iuſtinianus Imperator II. Conſul fuit, anno Chriſti 528. (Secundò) anno ſequenti poſt N. C. 529. Conſul fuit Decius ſolùm (3) anno poſt C.N. 530. Lampadius & Oreſtes (4) quia anno 531. nemo Conſul fuit, annum illum vulgò appellant poſt Conſulatum Lampadij & Oreſtis primùm, ut paſſim in ſubſcriptione legum Codicis videre eſt. l. 11. & ſeq. C. de hæretic. l. fin. C. de collat. l. fin. C. de his, quæ ut indign. Sicut & (5) anno poſt C. N. 532. quò itidem Conſulatus vacavit, dicitur poſt Conſulatum illorum ſecundus. (6) anno poſt C. N. 533. Iuſtinianus Imperator fuit tertium, ſicut & (7) anno ſequenti poſt C. N. 534. quartum Conſul.

TH. 13. Integrum ſeptennium in juris emendatione conſumpſit Imp. Iuſtinianus. *Primò n. anno*, qui eſt Chriſti 528. Conſulatu ſuo ſecundo, Triboniano & ſocijs, compoſitionem Codicis prioris ex tribus alij Codicibus putà Gregoriano, Hermogeniano & Theodoſiano, qui tùm in manibus hominum verſabantur, injunxit. Conſtit. hæc qua de nov. Cod. faciend. §. 1. & §. fin. *Secundò anno*, qui poſt N. C. eſt 529. Conſule Decio Codicem prædictum edidit, ſeu publicavit. conſtit. ſumma §. fin. de Iuſtin. Cod. confir. *Tertiò anno*, qui Chriſti eſt 530. Oreſte & Lampadio Conſſ. Triboniano & Collegis Pandectarum compilationem demandavit. Conſtit. Deo auctore §. fin. de concept. digeſtor. ad Tribonian. *Quartò anno*, qui eſt poſt C. N. 531. & poſt Lampadij Conſulatum primus Tribonianus cum ſocijs ſibi adjunctis, demandato operi incumbit. *Quintò anno*, qui eſt poſt Lampadij Conſulatum ſecundus, poſt N.C. 532. in cœpto labore perſeveravit. *Sextò anno*, Iuſtinianus ter-

tium Conſul ſine collega, qui eſt poſt C.N. 533. in lucem emiſit Inſtitutiones Iuris 11. Kalend. Decembr. id eſt, 21. Novembr. Deinde eodem anno, menſe ſequenti nempe 17.Kal.Ianuar. h.e. ſecundùm noſtram computationem 16. Decembr. publicavit Pandectas Procem.Inſt.§.fin. conſtit. Tanta cum ſeq. de conſummat. digeſtor. licet Inſtitutiones priùs Pandectis fuerint editæ integrum menſem, inde non ſequitur Pandectas nondum fuiſſe compoſitas, quia (1) in Inſtitutionibus Imperator ſe aliquoties ad latiora Pandectarum volumina refert, & (2) eodem tempore ambo tam Digeſta, quàm Inſtitutiones vim legum obtinuerunt. d. conſtit. tanta §. 23, de confirm. digeſtor. *Septimò anno*, qui eſt poſt N. C. 534. Iuſtinianus quartum cum Theodoro Paulino Conſul 16. Kal. Decemb. id eſt, 16. Novembr. edidit quoque Codicem repetitæ prælectionis quo hodie utimur Conſt. cord. nob. §. fin. C. de emend. Cod. Cauſam hujus repetitæ prælectionis dederunt, tam 50. deciſiones, quàm aliæ nonnullæ conſtitutiones, quas interea, dum Pandectæ conficiebantur, Iuſtinianus promulgavit, & per has jus vetus, quod erat certum, emendavit; per illas v. certum fecit, quod erat controverſum. Illæ ſunt omnes leges, quæ poſt Conſulatus Lampadij annum 1. & 2. publicatæ ſunt, & facilè ex ſubſcriptionibus dignoſcuntur, & diſertè teſtatur ipſe Iuſtinianus in d. Conſt. cord. nob. §. 1. dum dicit, quòd interea dum Compilatores in veteri jure enucleando occupati fuerint, editæ ſint, quòd tempus ex antedictis manifeſtè incidit in primum & ſecundum annum poſt Lampadij & Oreſtis Conſulatum.

TH. 14. Ex antecedentibus liquet (1) leges Codicis non derogare Pandectis, non quæ erant in Codice priori, ille n. quatuor annis ante Pandectas eſt editus; nec quinquaginta illæ deciſiones & conſtitutiones, quæ in Codicem repe-

titæ prælectionis ſunt inſertæ; quia illæ iam, dum Pandectæ conciperentur & publicarentur, erant latæ. Abſurdum (a) autem & omninò contra Iuſtiniani intentionem, quod leges priores derogent poſterioribus, & quod contrarias leges, ſeque mutuò collidentes, Iuſtinianus perpetuæ cuidam harmoniæ iuris ſtudens, voluerit ſimul & ſemel publicare. Imò ſi preſſius loqui velimus, 50. illæ deciſiones propter Pandectas tanto melius concinnandas à Iuſtiniano ſunt latæ, quod perſpicuè probatur primò ex d. conſtitut. cord. nobis §. 2. in fin. Secundò ex §. 3. ibid. ubi ſupervacua & contraria ex priori Codice tolli ſe mandaſſe dicit, ut Inſtitutionum & Digeſtorum via, quæ ſcilicet poſt latas illas deciſiones compoſita & publicata erant, dilucida & aperta pateat. Tertiò ex §. 4. in pr. ibid. ubi dicit Imperator ad mandatum ſuum, non Pandectas, ſed Codicem priorem hac ſecunda prælectione fuiſſe repurgatum, eidemque aliqua addita & detracta. Idem habetur in d. conſt. Tanta §. 11. verſ. admonuimus. (2) patet leges Codicis, alijs legibus Codicis non derogare. d. conſt. cordi §. 3. de emend. Codic. illud tamen negari non poteſt, occurrere tam in Digeſtis, ex prudentum reſponſis, quàm in Codice ex conſtitutionibus anteriorum Impp. aliquas reliquias & veſtigia juris veteris (3) nec inſtitutiones Digeſtis aut Codici, nec hæc illis derogare. arg. §. 2. & 3. Inſt. in procem. contra Novellas, derogare Pandectis, Codici & Inſtitutionibus nullum eſt dubium, modo de correctione ex verbis expreſſis vel neceſſaria illatione conſtet. Imò aliquando altera Novella poſterior, antecedentem ſ. priorem abrogat.

TH. 15. Editio Pandectarum eſt duplex (1) *vulgaris* & (2) *Malfitana* (b).

(a) Ad vulgarem omnes in univerſum editiones (exceptâ Florentinâ) referuntur, his etiam annumeratur Holoandrina à Greg. Holoandro de anno 1553. edita.

(b) Sive *Piſana*, ſive *Florentina*. Primitus n. digeſta, tempore Lotharij Saxonis in expeditione ſecunda contra Rogerium Siculum incepta, & Malphi inuenta ſunt, anno poſt C. N. 1238. inde acceperunt Piſani digeſta, navatæ operæ monumentum; quod Innocentium II. & Lotharium Cæſarem claſſe adverſus Rogerium iuviſſent. Abhinc Florentinis, ſive Piſis anno Chriſti 1406 in poteſtatem redactis, penes quos ex illo tempore liber iſte præ cæteris egregius & venerandus, ſumma cum cura & religione tanquam de cœlo delapſus cuſtoditur.

TH. 16. Summa itaque Florentinæ editionis præ altera (vulgari) autoritas ſtrenuè vindicanda eſt, propter ſcripturæ, quàm ex tot ſæculis retinuit, integritatem.

TH. 17. Sicut Iudæi ſacrarum literarum veterem lectionem mutarunt, ita iſtud mutandæ lectionis cacoëthes poſt Iuſtiniani ætatem invaſit etiam libros juris; nonnulli n. ſub autoritate juris ſcientiæ, aut verba ex alio loco in alium trajecerunt, aut alia expunxerunt, alia addiderunt; quidam negationem quandoque addunt, quandoque tollunt, quòd Græcis non ſolùm familiare, ſed & primis Gloſſographis Latinis, mentem Ictorum non ſat aſſecutis, uſurpatum. Ad hanc lectionis immutationem Ictorum nemini deſcendere eſt permiſſum, quidvis n. potius tentet, quàm ut hanc iniquam ſibi tribuat mutandi juris licentiam.

LIBER PRIMUS.

TITULUS PRIMUS.

De Juſtitia & jure.

TH. 1. Titulus (a) eſt pars, ſive ſectio libri, certam aliquam legum ſeriem continens.

(a) Vocis hujus ambiguitas eſt reſolvenda; tituli (1) vocantur Magiſtratuum gradus & nomina, quibus eorum dignitates & imperia deſignantur. Sicque eſt *nota honoris & dignitatis.* (2) Tituli in prædijs dicebantur tabulæ, in quibus dominorum nomina erant ſcripta, ut exinde cujus prædia eſſent, cognoſceretur, t. C. ut nemo prin. tit. præd. t. C. de his qui poten. nom. tit. præd. ad ſig. Nov. 17. c. 15. l. 3. C. de bon. vacant. l. 2. C. de aqu. duct. quandoque (3) cauſam poſſidendi denotat, per quam dominio acquirendo occaſio præbetur. §. 41. I. de R. d. l. 24. C. de rei vind. l. 4. C. de long. temp. præſcrip. l. 1. pro ſolut. e. g. pro emptore, pro donato, l. 1. ff. pro dote. l. 3. §. 21. ff. de acqu. poſſ. (4) frequentius ſignificat inſcriptionem, indicinam ſc. rubricam (quæ cocco & minio rubet; unde oritur rubrum & nigrum in jure, & argumentatio à nigro ad rubrum) l. 1. ff. de reb. cred.

TH. 2. Licet communia liciti & illiciti principia hominibus naturâ ſint indita, ad turpia tamen atque injuſta perverſi mortalium animi magis inclinant, & rectè rationis dictamen haud ſequuntur. Præterea rerum quoque mortalium atque diverſiſſimorum caſuum, in vita civili occurrentium conditio ulteriorem & planiorem eius, quòd juſtum vel injuſtum deductionem ac determinationem deſiderat. Cùm rectæ rationis normâ quid æquum, quid iniquum non ſtatim cuilibet eſt obvium & clarum; præprimis in concluſionibus ex primis principijs formandis quàm facillimè committi poteſt error. Sicut n. in ſpeculativa ratione ex principijs indemonſtrabilibus naturaliter cognitis producuntur concluſiones diverſarum ſcientiarum, quarum cognitio non eſt nobis naturaliter inſita, ſed per induſtriam rationis inventa; ita etiam ex præceptis legis naturalis quaſi ex quibuſdam principijs communibus,

munibus, & indemonſtrabilibus, neceſſe eſt, ut ratio humana procedat ad aliqua particulariter magis diſponenda; ſi aliàs Reſpublica probè gubernari, actioneſque hominum in Rep. exiſtentium ſecundùm virtutes formari ac dirigi debeant.

TH. 3. Ad hanc particularem in regenda Rep. diſpoſitionem ſingularis in adminiſtrante Remp. requiritur Prudentia. Quæ ex multa & indefatigata juris lectione, & ſagaci rerum & negotiorum experientia Legiſlatori, Iudici, vel Iuriſc. acquiritur; quo pacto n. eſt poſſibile, ut quis abſque ſolida juris cognitione, facta legibus ita applicare poſſit, ob infinitas rerum circumſtantias, ne bonos offendat, malorumque effrænem audaciam adjuvet unde inordinata totius Reip. confuſio, eiuſque tandem interitus emergere ſolet.

TH. 4. Hinc haud ineptè ſequentia proferuntur. Quamvis omnes in univerſum artes & diſciplinæ etiam mechanicæ à ratione humana originem & perfectionem capiant, nulla tamen diſciplina, ut ut trivialis & viliſſima, quæ ſolâ naturâ contenta eſt, quæque non tyrocinio, magiſterio, uſu & exercitatione artificiali indiget. Nam ad loqui, arte opus eſt, ut rectè loquatur, eloquatur, quam Grammaticam & Rhetoricam appellamus. Et arte opus eſt, ut rectè ratiocinetur, quæ Dialectica ſive Logica dicitur; multo magis arte opus eſt, ut rectè operetur, quæ dicta eſt Iuriſprudentia. Duplicem n. in genere prudentiam eſſe, affirmamus, aliam merè naturalem, qualis ſingularium eſſe poteſt, aliam præſcriptis legum & juris arte inſtructam, informatamque quam Iuriſprudentiam appellamus; *illam* diverſiformem, vagam, nutantem, & erroneam. l. 31. ff. depoſ. *hanc* unam & eandem, certam & conſtantem, à qua prudentes, ſapientes & ſophi meritò dicuntur. l. 2. §. 18. & 19. ff. de O. I. Neque ſi quis naturali prudentia etiam polleat, ideo prudentiam juris, cujus artem non didicerit, poſſe continuò ſine ſumma ſua & publica fraude ſibi arrogare; quamvis n. jus ratione conſtet humana, non tamen ſimpliciter, ſed artificioſè extricandum, expoliendum & abſolvendum eſt; atque in unum & integrum æquitatis corpus, quòd ſuis omnibus partibus perficiatur, componendum. l. 1. §. 3. & l. 2. §. 1. C. de veter. jur. enucl.

TH. 5. *Iuriſprudentia* (a) eſt divinarum atque humanarum rerum (b) notitia, juſti atque injuſti (c) ſcientia, (d) ſive eſt habitus practicus, (e) quo jus ad actiones civiles convenienter accommodatur. (f)

(a) Prudentia vel priuata, vel communis eſt, *illa* præſcribit ſingulis, ut privatæ quædam perſonæ ſunt, *hæc* ſc. communis ſ. relata reſpicit ad alios; & vel ad familiam, vel ad civitatem, quia vel familiæ vel civitatis curam

gerit, earumque commoditates utilitateſque conſectatur; *illa* ad corporis ſuſtentationem, & domeſtica negotia ſpectans dicitur *Oeconomica*, *hæc* ad mores, & vitam rectè inſtituendam *Prudentia civilis*, ſeu Politica in genere, & conſiderat præſcribitque ſingulis ea, quæ in bonum commune dirigi debent ut optimè ſe habeat totum, cujus ſunt partes: ab hac civili differt *Prudentia moralis*, quæ unius tantum hominis emolumenta conſectatur, ita ut hæc civis, illa civilis hominis ſit prudentia; quia civis quoque quilibet in civitate degens, quæ commoda ſibi, quæque incommoda facilè proſpicit, inque id ſumma ope incumbit, ut ſibi ſoli virtutes civiles exerceat. Hæc *civilis Prudentia* in genere conſiderata iterum eſt duplex, (1) Nomothetica, ſive Legiſlatoria (Architectonica) quæ leges condit, totamque Remp. ad civilem beatitudinem ordinat, in Majeſtate reſidens, (2) *Politica & Civilis in ſpecie* ſic dicta, quæ eſt in ſubditis, & Remp. adminiſtrat, quæ iterum duplex (1) deliberativa & judicialis. *Deliberativa* (dicitur etiam Conſultatoria & Senatoria) eſt qua, an aliquid ſit Reip. hoc vel illo tempore utile, nec ne conſultatur. *Judicialis* ſ. judiciaria duas illarum habet partes, nam verſatur vel (1) in jure reddendo & exequendo, vel (2) in jure ſcripto dextrè interpretando atque ad ſingula facta obvenientia cautim applicando. l. 2. §. 5. & 13. ff. de Orig. Iur. l. 13. de leg. l. 6. ff. & C. de ſent. & execut. rei jud. Ex antedictis jam haud difficulter concludi poteſt; quod illa diſciplina, quàm nos jus ſive *Juriſprudentiam* appellamus, ad ſolam judiciariam ſive judicialis prudentiæ ſpeciem ſit referenda. Juriſprudentia itaque noſtra eſt prudentia judicialis, quia pleraque & quæ juris privati, ad judicia referri ſolent, tranſactionibus ſententiiſque finienda.

(b) Id eſt, publicæ & privatæ ad Deum vel homines ſpectantes; ita dicuntur quòd *illæ* ad Deum ejuſque cultum, Sacerdotes, &c. ſurſum referuntur; *hæ* ad humum deorſum vergunt, ut res privatæ, quæ ad hominum vitam, & convictum tuendum, ac conſervandum pertinet, & vel ad perſonas vel res (ut illis opponuntur) partim ad utrumque referuntur & judicia.

(c) Quoad materiam & formam juriſprudentia definitur. l. 10 §. 1. ff. hoc tit. res enim divinæ & humanæ pro *materia* ſunt, juſtum & injuſtum pro forma.

(d) *Notitiam* vocat, quod ex principiis & notitiis naturalibus magna parte conſtat. Per ſcientiam autem intelligitur ἐν πλάτει diſciplina, doctrina juris, ſ. ars boni & æqui. l 1. §. 1. hoc tit. quæ implere vult id, quòd deeſt naturæ, quia non ſolo communi ſenſu & naturali mentis ratiocinatione percipitur.

(e) Habitus mentis ſunt triplices (1) eſt *Theoreticus*, ſ. ſpeculativus, (2) *Practicus* & (3) *Effectivus*. *Theoretici habitus* finis eſt proximus, ad quem immediatè, per ſe & ſuâ naturâ ordinantur, nuda veritatis, & nullius operationis directiva, cognitio atque contemplatio, (2) *Practicus mentis habitus* finem proximum præter cognitionem habet actus practicos,

ſive directionem alicujus actionis. *Effectivus mentis habitus* finem habet proximum, ſc. effectionem alicujus operis. Ariſt. 6. Eth. 4.

TH. 6. Hinc cùm Iuriſprudentia noſtra non ſubſiſtat in nuda cognitione ut habitus ſpeculativus, ſed accommodationem juris ad actiones civiles intendat, ideo Iuriſprudentiam optimo jure habitum eſſe practicum definimus. Sicut enim non quid ſit virtus, quærimus, ut tantum ſciamus, verùm ut boni & virtuoſi efficiamur, ita quoque in civili ſapientia (uti vocatur l. 1. §. 5. ff. de extraord. cogn.) non quid juſtum quid injuſtum ſit, quid dominium, quidve contractus ſit, quæ actio ex civili, quæ ex criminali negotio competat, &c. cognoſcimus, ut nudè ſolummodo ſciamus, ſed ut ex iſtis benè cognitis de obvenientibus caſibus iudicemus, & homines juſtos atque bonos efficiamus. d. l. 1. §. 1. hoc tit. Vnde Iuriſprudentes Iuriſprudentiam veram (id eſt, perfectam, realem, ex qua, ceu fonte leges fluunt, nihil niſi bonum & æquum ſpirantes) non ſimulatam (apparentem, fucatam, nominalem, & imperfectam) Philoſophiam affectare ſ. colere dicuntur. d. l. 1. §. 1. hoc tit. vera Philoſophia eſt, id eſt, legum & juris Philoſophia, quâ quis novit dare rationes legum & juris.

TH. 7. Iuriſc. Vlpianus in d. l. 1. §. 1. verbis ſimulatam Philoſophiam indicare voluit eos, qui falſo ſe pro Philoſophis gerebant ac nomine, barba & pallio tantum erant, non reipſa Philoſophi, & qui inutilibus ſpeculationibus & argutijs intenti, ea quæ ad virtutem colendam facerent negligebant; hi enim eum in finem addiſcunt, quid virtus, quid vitium ſit; quid verum, quid falſum, juſtum & injuſtum, vt argutè de ijs rebus diſcurrere queant, non verò ut ipſam virtutem exerceant; unde nec virtuoſi dici poſſunt; quia illi tantùm virtuoſi, qui non modò virtutes cognoſcunt, ſed ſecundùm eas operantur.

TH. 8. *Objectum* Iuriſprudentiæ, in quo Iuriſc. operari vult, & finem ſuum introducere, ſunt actiones hominum in Republ. quæ certas leges pręſcriptas habent: per actiones autem hominum non intelligimus hîc eas, quæ ſunt medium petendi, ſeu jus perſequendi in judicio, quòd ſibi debetur pr. Inſt. de act. quia in eo ſignificatu non ſunt objectum Iuriſprudentiæ, ſed ipſum medium; ut in alijs diſciplinis ita & hic. *Objectum* eſt duplex, materiale & formale. *Materiale* ſunt actiones (vt dixi) civiles ſ. negotia civilia de rebus diuinis & humanis. *Formale* verò ſunt eædem actiones civiles, quatenus ad præſcriptum juſſumque legum Reip. ſunt juſtæ vel injuſtæ.

TH. 9. *Subjectum* ſunt homines in Rep. ſicut corpus Medicinæ eſt ſubjectum, ita homo, quantum ad animum attinet, & reſpublica legum prudentiæ eſt ſubjecta ad iuſtitiam in ea inducendam.

TH. 10. *Finis* Iuriſprudentiæ eſt vel remotus vel proximus, *remotus* eſt ſalus publica, ſ. beatitudo civilis ac Reip. felicitas §. ult. inſt. in procem. *Proximus* eſt vel internus vel externus. *Ille* eſt leges prudenter interpretari, ſive eſt ipſa applicatio juris ad factum & actiones civiles ſingulares l. 1. §. hoc tit. l. 2. §. 5. 6. ff. de O. I. in qua applicatione conſiſtit Iuriſconſulti munus proprium quod exercet. (1.) ſententiam ferendo, ſive illam ferat ut conſtitutus Magiſtratus & judex, quando ſc. junctam habet juſdicendi & exſequendi poteſtatē, ſive illa poteſtate deſtitutus ad conſultationem alterius de jure reſpondeat §. 8. Inſt. de I. N. G. & C. l. 2. §. 35. & 47. ff. de O. I. (2) partium litigantium cauſas ſecundùm jura prudenter agendo, quod in ſpecie Advocatorum eſt. l. 14. §. 1. C. de judic. l. 5. §. 11. ff. de reb. eor. qui ſub tut. conſt. *Hic* (ſc. externus finis) eſt iuſtitia.

TH. 11. Iuſtitia (a) eſt conſtans & perpetua voluntas (b) jus ſuum (c) cuique tribuendi (d)

(a) Vocis huius æquivocatio in ſua æquivocata reſolvi debet. Iuſtitia imprimis refertur vel ad *actum* vel ad *habitum*. Ad actum relata denotat iuſtum actum, ſ. actionem rectam, ita dicitur in Pſal. 4. 6. Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & Ezech. 18. 22. Si autem impius egerit pœnitentiam ab iniuſtitia ſua, quam operatus eſt vivet, item Matth. 8. 15. ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Adde illud Matth. 5. Niſi abundaverit juſtitia veſtra, & rurſus, beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam; Et ſic intelligendum, quòd à Tutoribus & Curatoribus bona fide erogatur, potiùs juſtitia, quam aliena autoritate firmatur. Sic etiam in l. 13. §. 2. ff. de excuſat. tutor. per naturalem juſtitiam indigitatur ipſum æquum naturale. Iuſtitia verò ad habitum relata dupliciter iterum accipitur (1) pro habitu qualicunque bono, ut cum Proverb. 8 10. generatim ſapientia dicit, in vijs juſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij (2) ut eſt quædam particularis virtus ex 4. virtutibus Cardinalibus; quarum fit mentio Sapient. 8. 5. illis verbis, ſobrietatem id eſt temperantiam, & ſapientiam id eſt prudentiam decet, & juſtitiam & virtutem id eſt fortitudinem, quibus utilius nihil eſt in vita hominis, *quo ſignificatu* iterum denotat vel virtutem, quæ de rebus externis ſunt cuique tribuit, quæ eſt particularis, vel (2) qua quis omnibus legibus congruenter vivit, quæ vocatur juſtitia univerſalis, uti hîc, eſtque omnium virtutum particularium complexus, hoc ſenſu Ariſtides dicitur juſtus. Contra in particulari mercator dicitur juſtus, qui non defraudat emptores in contrahendo.

(b) Id eſt, habitus moralis, (non verò potentia animæ rationalis) qui nihil

aliud eſt quam voluntas ita inſtructa & confirmata, ut conſtanter ac perpetuò quid agere velit. In omnibus autem actionibus requiritur, ut quis ſcienter operetur, eligens propter finem, ſeu cum electione & ut perpetuò ut conſtanter. Ariſtot. 2. Eth. 4. (2) conſtans hic dicitur iuſtitia non in abſtracto, quia nulla eſt extra ſubiectum juſtitia cùm ſit qualitas. Sed definitur hic iuſtitia in concreto conſiderata, quatenus in hominem cadere poteſt, ſicque dicitur conſtans iuxta conditionem humanam, id eſt quatenus hoc eſt poſſibile, civiliter ſc. & in ſenſu morali. Vnde patet diſtinctionem juſtitiæ in abſtracto & concreto conſideratæ non eſſe bonam.

(c) Denotat, quod cuique de rebus externis in civili ſocietate debetur. *Ius* hìc eſt facultas aliquid faciendi, ſive obtinendi, aut in eo inſiſtendi, vel aliquo modo ſe habendi, cui ſi ſine legitima cauſa contraveniatur, injuria fit eam habenti.

(d) Id non denotat ſolummodo actum, verumetiam voluntatem; quia juſtitiam colens non ſemper actu ipſo ſuum alicui tribuit, ſic quis dicitur Geometra, licet non ſemper metiatur. Obſervandum, jus ſuum cuique tribuere in hac definitione ſumi latè, & idem eſſe, ac ſecundùm virtutem vivere, quia Iuſtinianus in Nov. 69. pr. ait, iuſtitiam (ad quam omnes leges humanæ adeoque & hæ Romanæ pertinent) eſſe unam omnium virtutum perfectiſſimam, ſingulis virtutibus aſſiſtere, eaſque ad debitum finem perducere, quod ſanè non de particulari, ſed uniuerſali dicendum.

TH. 12. Qr. an Iuſtitia à Icto ita conſideretur, uti ab Ethico Reſp. negando, quia Ethicus exactiſſimam omnium virtutum requirit conſonantiam, quæ in his terris non reperitur, ſed Philoſophis tantum fingitur. Ictus contra requirit talem, qualis in humana eſſe poteſt imbecillitate. Hanc enim ob cauſam Leges à Ictis Imperatoris authoritate ſunt latæ, ut bonos (non omnibus numeris & abſolutè tales, ſed quatenus bonitas in hiſce terris in homines cadit) faciat cives, dirigendo, obligando & coërcendo. Hac legum coactione, maxima hominum pars, quibus illicitus naturâ malorum perpetrandorum ineſt pruritus, à virtutis ſemita recedere veretur; reliqui naturali inclinatione boni, præmiorum ſpe ſecundum legum præſcripta vivunt.

TH. 13. *Cauſa effic.* iuſtitiæ (1) principalis eſt Deus, author omnis boni ordinis Rom. 13. nam ut oculus videat, auris audiat, Dominus facit utrumque Prouerb. 20. (2) mens humana, de legum authoritate & cultu ex juſtitia naturali vere judicans, & voluntas liberè & conſtanter obediens honeſtis legibus, & imperans externis membris, ut cum hac legum norma congruant. Obſervandum hìc, ad virtutis perfectionem tria requiri, (1) requiritur recta ratio ſ. judicium, ut ex certa ſcientia quid fiat, (2) libera voluntatis electio ſeu προαίρεσις

(3.) conſtantia in honeſto propoſito & perſeuerantia in bene agendo, & ſic definitur juſtitia pr. Inſt. de juſt. & jur. l. 10. hoc tit.

TH. 14. *Materia in qua* eſt voluntas humana, &c.

TH. 15. *Materia circa quam* ſunt omnium virtutum objecta.

TH. 16. *Forma* eſt ipſa obedientia, ſeu actionum omnium cum legibus ac ratione convenientia.

TH. 17. *Finis*, ut Deo mos geratur, ut civilis hominum ſocietas ſervetur & ſit tranquilla, ut evitari pœnæ præſtitutæ contumacibus, exſpectari præmia præſentia & æterna poſſint, & tandem ut tranquillitas & lætitia bonæ conſcientiæ, quæ eſt dulcis nutricula ſenectutis in omni vita conſervetur.

TH. 18. *Contraria ſunt* (1) *in gubernatoribus*, præcipuè tyrannis, injuſtitia, peccata commiſſionis & omiſſionis, ac ignorantiæ affectatæ, cujuſmodi fiunt & committuntur in gubernatione Reip. defenſione bonorum, & pœnis ſceleratorum (2) ſunt & contraria in ſubjectis, ut contumacia, & contemptus Magiſtratuum ac legum, ſeditio, inſidiæ, injuriæ, malitioſa juris interpretatio, & cæteræ Rerump. peſtes.

TH. 19. Dupliciter appellari quis poteſt juſtus, vno modo *communiter* qui juri & legibus congruenter vivit, altero *peculiariter*, qui de bonis externis unicuique ſuum tribuit, ex quo fluit, aliam dari juſtitiam *univerſalem*, aliam *particularem*, ad *illam* primum juris præceptum, ut generale, duo reliqua comprehendens, refertur ad *hanc* ſecundum & tertium juris præceptum. l. 10. §. 1. ff. hoc tit.

TH. 20. Iuſtitiam univerſalem hîc ita definimus, quòd ſit virtus quâ ſecundùm leges, actiones hominum morales inſtituuntur, eum in finem, ut in ſocietate civili, benè ac feliciter cum alijs vivatur, & Reſp. ſit beata: Cum itaque de omnibus virtutibus ferantur leges; patet quod hæc juſtitia non ſit ſpecies aliqua virtutis à reliquis diſtincta, ſed omnium virtutum particularium complexus, adeoque non niſi ratione, ſ. modo conſiderandi differat à virtutibus alijs: virtutes nimirum morales conſiderantur, ratione ejus, qui habitu illarum eſt præditus, & non reſpectu alterius. Iuſtitia contrà univerſalis refertur ad alterum, ut nimirum quis virtute ſua alteri, & toti Reip. proſit. Horn. lib. 3. Eth. 11. Ariſtot. 5. Eth. 3. obſervandum hîc, [1] quod proprium juſtitiæ ſit munus & officium extra ſe agere, & ſuum cuique, id eſt, debitum alteri tribuere, [2] quòd cæteræ virtutes utentis ſint propriæ, juſtitia verò communis & publica.

TH. 21. Iuſtitia particularis eſt duplex, diſtributiva & commutativa. *Diſtributiva* eſt, qua civibus in ſocietate civili communia (a) ipſis ſe-

cundùm cujùſque qualitatem & conditionem deferuntur, ita, ut ſecundùm proportionem Geometricam æqualitas inter eos obſervetur.

(a) Vt ſunt (1) honores & præmia, quæ civibus pro meritis in Remp. & iuxta alias eorum qualitates debentur. (2) vel munera atque onera pro Reip. ſalute ferenda, quæ cum tam operâ, quàm bonis ſuis teneantur cives Remp. adjuvare ſecundùm conditionem perſonarum & rerum (ut pecuniæ, agri, vineæ, ædium) diſtribuenda. l. 14. §. 3. ff. de muner. l. 14. C. de ſuſceptor. l. 1. C. de quib. mun. vel præſt.

TH. 22. In diſtributiva juſtitia tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa perſona majorem habet principalitatem. Hæc principalitas in *Ariſtocratica* civitate attenditur ſecundùm virtutem, in *Olichargica* ſecundùm divitias, in *Democratica* ſecundùm libertatem.

TH. 23. *Cauſa efficiens præcipua* eſt Deus, qui ſicuti ordinem diverſorum orbium atque motuum, & corpora ſtellarum varia, variæ formæ, actionis, effectionis ſurſum in cœlo poſuit atque ordinavit, ſic in hoc terreſtri orbe deorſum ordinationem & gradus functioneſque perſonarum varias & conſtituit & conſervat Rom. 13. 1. Corinth. 12. *Cauſa in homine* ſunt notitiæ mentis & principia practica. C. 1. diſt. 1. vt paria paribus congruunt & debentur; item patriæ magiſtratibus parendum. l. 2. ff. de I. & I. ſuus cuique locus relinquendus, cui tributum debetur, tributum eſt dandum, cui honor, honor eſt impertiendus. d. Rom. 13. 7.

TH. 24. *Materia in qua* eſt voluntas, *circa quam* omnia officia, munera civilis vitæ, & præmia. l. vlt. C. de ſtat. & imag.

TH. 25. *Cauſa formalis* eſt convenientia ſ. ipſa æqualitas Geometrica, quæ ſingulis convenientem honorem & munus idoneum tribuit, ac bene de Repub. meritos pro meritis remuneratur. d. l. vlt. C. de ſtat. & imag. C. omnis diſtinct. 3.

TH. 26. *Finis & effectus primùm, ut hac virtute Deus agnoſcatur* & colatur, qui Autor eſt huius ordinis, & ſua ſapientia genus humanum ſic conſociavit, ut ſicuti diverſos vultus, diuerſaque ingenia, & naturæ multiplices varietates, variaque dona ſingulis attribuit, ita velit ex varietate ſimili compoſitum eſſe totum Reip. corpus, ſervarique diverſos gradus officiorum, & functiones pro diſparitate donorum, cuique congruentium diſpartiri, præmiorum quoque diſtributione commonefieri genus humanum de eſſentia, & voluntate & de lege ſua, deque futuro iudicio. Omnes enim virtutes propter Deum Autorem

(3.) conſtantia in honeſto propoſito & perſeuerantia in bene agendo, & ſic definitur juſtitia pr. Inſt. de juſt. & jur. l. 10. hoc tit.

TH. 14. *Materia in qua* eſt voluntas humana, &c.

TH. 15. *Materia circa quam* ſunt omnium virtutum objecta.

TH. 16. *Forma* eſt ipſa obedientia, ſeu actionum omnium cum legibus ac ratione convenientia.

TH. 17. *Finis*, ut Deo mos geratur, ut civilis hominum ſocietas ſervetur & ſit tranquilla, ut evitari pœnæ præſtitutæ contumacibus, exſpectari præmia præſentia & æterna poſſint, & tandem ut tranquillitas & lætitia bonæ conſcientiæ, quæ eſt dulcis nutricula ſenectutis in omni vita conſervetur.

TH. 18. *Contraria ſunt* (1) *in gubernatoribus*, præcipuè tyrannis, injuſtitia, peccata commiſſionis & omiſſionis, ac ignorantiæ affectatæ, cujuſmodi fiunt & committuntur in gubernatione Reip. defenſione bonorum, & pœnis ſceleratorum (2) ſunt & contraria in ſubjectis, ut contumacia, & contemptus Magiſtratuum ac legum, ſeditio, inſidiæ, injuriæ, malitioſa juris interpretatio, & cæteræ Rerump. peſtes.

TH. 19. Dupliciter appellari quis poteſt juſtus, vno modo *communiter* qui juri & legibus congruenter vivit, altero *peculiariter*, qui de bonis externis unicuique ſuum tribuit, ex quo fluit, aliam dari juſtitiam *univerſalem*, aliam *particularem*, ad *illam* primum juris præceptum, ut generale, duo reliqua comprehendens, refertur ad *hanc* ſecundum & tertium juris præceptum. l. 10. §. 1. ff. hoc tit.

TH. 20. Iuſtitiam univerſalem hîc ita definimus, quòd ſit virtus quâ ſecundùm leges, actiones hominum morales inſtituuntur, eum in finem, ut in ſocietate civili, benè ac feliciter cum alijs vivatur, & Reſp. ſit beata: Cum itaque de omnibus virtutibus ferantur leges; patet quod hæc juſtitia non ſit ſpecies aliqua virtutis à reliquis diſtincta, ſed omnium virtutum particularium complexus, adeoque non niſi ratione, ſ. modo conſiderandi differat à virtutibus alijs: virtutes nimirum morales conſiderantur, ratione ejus, qui habitu illarum eſt præditus, & non reſpectu alterius. Iuſtitia contrà univerſalis refertur ad alterum, ut nimirum quis virtute ſua alteri, & toti Reip. proſit. Horn. lib. 3. Eth. 11. Ariſtot. 5. Eth. 3. obſervandum hîc, [1] quod proprium juſtitiæ ſit munus & officium extra ſe agere, & ſuum cuique, id eſt, debitum alteri tribuere, [2] quòd cæteræ virtutes utentis ſint propriæ, juſtitia verò communis & publica.

TH. 21. Iuſtitia particularis eſt duplex, diſtributiva & commutativa. *Diſtributiva* eſt, qua civibus in ſocietate civili communia (a) ipſis ſe-

cundùm cujuſque qualitatem & conditionem deferuntur, ita, ut ſecundùm proportionem Geometricam æqualitas inter eos obſervetur.

(a) Vt ſunt (1) honores & præmia, quæ civibus pro meritis in Remp. & iuxta alias eorum qualitates debentur. (2) vel munera atque onera pro Reip. ſalute ferenda, quæ cum tam operâ, quàm bonis ſuis teneantur cives Remp. adjuvare ſecundùm conditionem perſonarum & rerum (ut pecuniæ, agri, vineæ, ædium) diſtribuenda. l. 14. §. 3. ff. de muner. l. 14. C. de ſuſceptor. l. 1. C. de quib. mun. vel præſt.

TH. 22. In diſtributiva juſtitia tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa perſona majorem habet principalitatem. Hæc principalitas in *AriStocratica* civitate attenditur ſecundùm virtutem, in *Olichargica* ſecundùm divitias, in *Democratica* ſecundùm libertatem.

TH. 23. *Cauſa efficiens præcipua* eſt Deus, qui ſicuti ordinem diverſorum orbium atque motuum, & corpora ſtellarum varia, variæ formæ, actionis, effectionis ſurſum in cœlo poſuit atque ordinavit, ſic in hoc terreſtri orbe deorſum ordinationem & gradus functioneſque perſonarum varias & conſtituit & conſervat Rom. 13. 1. Corinth. 12. *Cauſæ in homine* ſunt notitiæ mentis & principia practica. C. 1. diſt. 1. vt paria paribus congruunt & debentur; item patriæ magiſtratibus parendum. l. 2. ff. de I. & I. ſuus cuique locus relinquendus, cui tributum debetur, tributum eſt dandum, cui honor, honor eſt impertiendus. d. Rom. 13. 7.

TH. 24. *Materia in qua* eſt voluntas, *circa quam* omnia officia, munera civilis vitæ, & præmia. l. vlt. C. de ſtat. & imag.

TH. 25. *Cauſa formalis* eſt convenientia ſ. ipſa æqualitas Geometrica, quæ ſingulis convenientem honorem & munus idoneum tribuit, ac benè, de Repub. meritos pro meritis remuneratur. d. l. vlt. C. de ſtat. & imag. C. omnis diſtinct. 3.

TH. 26. *Finis & effectus primùm, ut hac virtute Deus agnoſcatur* & colatur, qui Autor eſt huius ordinis, & ſua ſapientia genus humanum ſic conſociavit, ut ſicuti diverſos vultus, diuerſaque ingenia, & naturæ multiplices varietates, variaque dona ſingulis attribuit, ita velit ex varietate ſimili compoſitum eſſe totum Reip. corpus, ſervarique diverſos gradus officiorum, & functiones pro diſparitate donorum, cuique congruentium diſpartiri, præmiorum quoque diſtributione commonefieri genus humanum de eſſentia, & voluntate & de lege ſua, deque futuro iudicio. Omnes enim virtutes propter Deum Autorem

næ autem propterea ſuos autores, id eſt delinquentes ſequuntur, quia ad pœnam ex merito ſunt obligati; meritum autem quid perſonale eſt. (5) Huc etiam collimant textus juris perſpicui; quod pœna debeat eſſe levis vel gravior, prout delictum leve, vel graue eſt. l. 11. l. 41. ff. de pœn. l. 22. C. eod. Auth. omnes C. comm. de ſucceſ. l. 1. §. 10. ff. de offic. Præfect. urbi l. 31. ad L. Corn. de falſ. c. 5. Extr. de pœn. in 6. quod perſonæ dignitas in delictis non attendatur l. 1. C. ubi ſenat. vel clar. l. 1. §. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. Preſbyteri C. de Epiſc. & Cler. Verum hic nobis *obijcitur*, (1) quod lex perpendat & examinet, quid congruat perſonæ, tam eius, qui deliquit, quàm eius, in quem commiſſum eſt l. 16. §. 5. l. 9. §. 11. & ſeq. ff. de pœn. l. 6. ff. ad L. Iul. pecul. qui reſpectus & conſideratio proportionem Geom. innuere videtur. Reſp. diſting. *perſonæ qualitas* in juſtitia dupliciter conſideratur, (1) *per ſe & ſimpliciter*, ut ſc. per argumentum perſonæ augetur proportio ad alium; vel (2) *per accidens*, quatenus illa perſonæ qualitas aggravat, vel elevat delictum, ſive quâ augetur vel minuitur damni quantitas. *In juſtitia diſtributiva* perſonæ qualitas per ſe & ſimpliciter conſideratur, *in juſtitia verò commutativa* conſideratur perſonæ qualitas poſteriori caſu, ſc. per accidens. Quod enim perſonæ delinquentis aut damnum paſſæ qualitas ſpectetur, id per conſequentiam duntaxat evenit, non quod hoc primò & per ſe æſtimatur, quia primo & per ſe ſpectatur culpa, ac æqualitas inter culpam (meritum, factum, delictum) & pœnam Grot. lib. 2. c. 20. Hinc Ariſtot. 5. Eth. 4. nihil refert, inquit, probuſne vir malum, an malus probum ſuo privarit, an probus, vel improbus adulterium commiſerit, ſed ſolum nocumenti differentiam lex ſpectat, perindeque perſonis utitur, ac ſi æquales ſint, ſi ille injuria afficiat, hic afficiatur, hic lædat, ille lædatur; quod etiam legibus, (ut ſuperius diximus) præcipitur, non eſſe habendum in judicijs perſonarum reſpectum C. in judicijs de R. I. in 6. ac pœnas imponi debere ſine perſonarum delectu arg. c. ea §. 1. de ſtat. monach. Tandem nec *jus Cæſarium* aliter conſiderat perſonæ qualitates, niſi quatenus majus vel minus faciunt delictum, ſeu quatenus ſunt qualitates delicti ſubſtantiam ingredientes, & ut exinde delictum diſtinguẽdum eſt, deque pœna judicandum arg. l. 16. §. 1. & ſeqq. ff. de pœn. ſic enim Preſbyteri falſum teſtimonium dicentes magis peccant, quam Clerici hoc committentes l. 8. C. de Epiſcop. & Cler. quod illis plus honoris, quam his ſit delatum d. l. 8. C. hoc eſt propter perſonæ quam ſuſtinent dignitatem. Ita judex negligens in cauſa, ſi quidem ſit de majoribus, durius punitur ſi de mi-

noribus minus, quia hac ratione magis vel minus peccavit l. 11. §. 5. C. de judic. c. homo Chriſtianus diſtin. 40. *Objicitur* (2) quod dignitates, ſtatus, conſilia, dicta atque facta ſint inæqualia, unde natum illud, duo cum faciunt idem, non eſt idem; eademque ratione in eodem delicti genere grauius puniatur is, qui ſæpè conſulto peccavit, quàm qui ignoranter & rarò per laſciviam aut ebrietatem, qui Magiſtratum, aut patrem violat, quàm qui extraneum. Reſp. quod circumſtantiæ illæ, quo ingenio, ſtatu, conſilio, an ex proæreſi, utrum ignorantes, vel per ebrietatem &c. fecerint, conſiderandæ quidem omnino ſint in delictis, ſed non aliter, quàm *quatenus* ſunt *qualitates delicti*, illud aggrauantes vel elevantes, *non quatenus perſonæ ſunt qualitates per ſe, & principaliter* ratione dignitatis, ſed reſpectu ſolius delicti d. l. 16. §. 1. & ſeq. l. 5. §. ult. l. 11. §. pen. ff. de pœn. ubi perſona egregia vel nobilis graviùs peccat, quàm plebeia &c.

TH. 35. Qr. an jus & juriſprudentia invicem diſtinguantur, an verò ſynonima ſint. Reſp. affirm. poſterius, has ob rationes, (1) ex argumento à rubro ad nigrum, (2) quia quæ juriſprudentia dicitur in rubr. ff. & Inſt. h. t. illa iterum jus vocatur in §. 3. & l. 10. §. 1. ff. tit. eiuſque præcepta aſſignantur (3) quia Icti promiſcuè utuntur voce ſcientiæ & artis §. 4. proœm. Inſt. l. 2. §. 35. ff. de O. I. l. 91. §. 3. ff. de V. O. pro habitu quolibet, notitia vel cognitione, & Ictus iuriſprudentiam dicit notitiam, juſti & injuſti ſcientiam. Icti enim notitiam boni & æqui (quæ modo jus, modò iuriſprudentia vocatur) profitentur.

TH. 36. *Vocaculum juris* varias habet ſignificationes, (1) accipitur *materialiter* pro objecto juſtitiæ, æquitate æquali, ſeu ęquo illo & bono, quod juſtitia in rebus conſtituit arg. l. 32. ff. de reb. cred. l. 31. ff. depoſit. l. 15. de ędil. edict. l. 2. §. fin. ff. de O. & A. [2] pro ſolo iure naturali l. 11 hoc tit. [3] *pro ſola lege ciuili* l. 8. ff. de leg. [4] pro iure Romanorum §. 2. Inſt. h. t. [5] pro eo iure civili, quòd prætorio opponitur l. 1. §. ult. ff. de ſuperf. [6] pro iure reddito & applicato, id eſt, ſententia iudicis, ſive ea ſit iuſta, ſive iniuſta l. 2. §. 13. ff. de O. I. d. l. 11. [7] Pro *poteſtate*, ut cum perſonę quędam dicuntur ſui iuris, quędam alieni l. 2. §. 4. de orig. iur. & l. 2. pr. ff. de his, qui ſunt ſui vel al. [8.] pro *neceſſitudine* l. 12. ff. hoc. tit. id eſt, cognatione & affinitate, [9] *pro arte æqui & boni* l. 1. pr. h. t. quâ cognoſcitur iuſtum, id eſt, pro habitu iuriſprudentię, & ita denotat artem ſ. habitum iuriſprudentię ſicque cum iuriſprudentia eſt ſynonymum, [10] *Pro loco*, in quo ius redditur d. l. 11. [11] pro iure ſtricto, l. 1. C. de leg.

[12] pro communi regula agendorum hominibus omnibus, vel populo cuidam propria, & ita hic accipitur, [13] pro re incorporali tit. Inſt. de reb. incorp. & corp. [14] *Pro titulo*, quo quid acquiſitum l. 10. ff. ſi ſervis. vind. e. g. ſi quis diuturno uſu, & longa q. ſ. poſſeſſione ius aquę ducendę nactus ſit, non eſt ei neceſſe docere de iure, quo aqua eſt conſtituta, velut ex legato vel alio modo, ſed utilem habet actionem, modò oſtendat, per annos forte tot ſe uſum, nec vi, nec clam, nec precario poſſediſſe, atque ſic cum omnibus agere poteſt, quicunque ipſum aquam ducere impediunt d. l. 10.

TH. 37. Ius eſt commune [a] pręceptum [b] ſufficienter notificatum, [c] obligans [d] ad agendum, aut ommittendum.

(a) Quia omne jus intendit bonum commune.
(b) Quia oſtendit quid faciendum, quid omittendum l. 2. ff. de leg. unde tria juris ſunt præcepta, de quibus infra.
(c) Quia jus ei, cui conſtitutum eſt, notum eſſe oportet.
(d) Omne enim jus vim cogentem habere debet, ut à conſilio, cohortatione, & dehortatione differat.
(e) Ius namque actionem præcipit, (ſc. bonam) aut vetat (malam) quod autem jus permittit impropriè tantum ſic dicitur.

TH. 38. Tria iſta iuris pręcepta [1] honeſtè vivere, [2] neminem lędere & (3) ſuum cuique tribuere. l. 10. §. 1. §. 3. Inſt. hoc tit. ita appellantur, quod ſint regulę quędam & normæ, ad quas omne illud, quid ius quid iniuria ſit, æſtimandum, quod uniuerſum ius ex iis tanquam fonte promanet, adque illa quoque reduci debeat. Per illa potiſſimum tres exitiales hominum affectus v. c. *libido, ira & cupiditas* coërcentur. Fugatur *libido*, ſi honeſtè vivatur, extinguuntur *irarum* flammæ, ſi nemo lædatur, refrænatur *cupiditas*, ſi ſuum cuique tribuatur.

TH. 39. Quamvis primum iuris præceptum ambitu verborum & ſequentia duo complectatur, quia honeſtè vivere, nihil aliud eſt quàm iuſtè vivere, id eſt, ſecundùm iuſtitiam uniuerſalem, cuius partes duæ ſunt integrantes, ut *facere bonum & declinare à malo;* ubi *bonum* idem eſt atque ius, hoc eſt debitum cuique ſuum tribuere; & *malum* idem quod noxium, incommodum ſeu ſe vel alterum lædere; attamen quia duo poſteriora alium reſpiciunt, & magis civilia ſunt neceſſitateque parendi communita, docendi cauſa tria præcepta diſtingui poſſunt.

TH. 40. Præcepta hæc ſunt vel abſoluta vel reſpectiua. *Abſolutum eſt primum* iuris præceptum, privatam hominis vitam, eiuſque

moderationem ſecundùm virtutes omnes, & ita iuſtitiam uniuerſalem exactè reſpiciens; abſolutum vocatur, quod quaſi per ſe ſtet, & iure civili in totum non fuerit approbatum, vel neceſſitate coactiva communiri nequiverit; *reſpectiva* ſunt duo præcepta poſteriora, quæ vel in omittendo conſiſtunt, vel in committendo. *In omittendo* conſiſtit *ſecundùm præceptum*; neminem lædere, *læſio hîc moraliter* intelligitur, [1] quæ fit cum iniuria. l.13. §. 3. ff. de iurejur. Vnde ſuiipſius defenſio, licet per illam alius lædatur, non prohibetur. l. 3. hoc tit. l. 4. 5. §. 4. ff. ad l. Aquil. Sic nec pœnarum inflictio, quæ fit per Magiſtratum, [2] non ſaltem, quæ fit vitæ & corpori alterius, ſed & quæ famæ & fortunis infertur, quarum *illa* (fama) bonis viris vitæ inſtar æſtimatur, *hæ* verò ſunt nervi rei familiaris, & qſ. alter ſanguis arg. l. 4. de agnoſc. vel al. lib. negativum hoc eſt præceptum, & prodeſſe alteri, omittitur, tanquam iuris perfectioris & abſolutioris; iure enim civili nemo cogi poteſt, ut viciſſim proſit, ſed ne noceat, aut interpellet facientem, quod iure facere poteſt. l. 2. §. 5. ff. de aqua pluv. arc. *In committendo* conſiſtit *tertium præceptum*, ſuum cuique tribuere, quæ verba in definitione iuſtitiæ latius patent, ut & comprehendant non facienda, arg. l. 185. ff. de V. S. (revera enim hoc præceptum tertium in latitudine ſua includit ſecundum, ſi non per ſe, ſaltem per conſequentiam. arg. Nov. 96. pr.) hîc verò quatenus alium reſpiciunt, & in committendo conſiſtunt: ſuntque non tam naturaliter, quàm potius civiliter intelligenda cum delectu rerum & perſonarum neceſſario. l. 31. ff. depoſit.

TH. 41. Ius à Icto. tripliciter dividitur [1] *à cauſa efficiente* in jus naturale, gentium & civile t.t. Inſt. de I. N. G. & C. [2] *ab objecto* & fine in publicum & privatum §. fin. Inſt. hoc tit. l. 1. §.2. ff. hoc tit. [3] *ab accidenti* communi in ſcriptum & non ſcriptum. §. 4. Inſt. hoc titulo.

TH. 42. Ius diſpeſcitur in publicum & privatum.

TH. 43. Ius publicum [a] eſt, quod ad ſtatum [b] rei [c] Romanæ [d] ſpectat.

(a) Ita dicitur (1) *ratione cauſæ efficientis*, quod videlicet ab authoritate publica eſt, & hoc ſenſu omne jus etiam priuatum eſt publicum, quia omne jus authoritate publ. conſtat. l. 1. ff. de leg. l. 38. de pact. (2) *ratione materiæ*, quod circa perſonas vel Reſpubl. verſatur (3) *reſpectu formæ*, quod ab authoritate publ. ita dependet, ut non ſit in privatorum poteſtate. l. 3. ff. qui teſtam. facere poſſ. l. 55. ff. de leg. 1. ſic teſtamentum eſt publicum quia non eſt in privatorum poteſtate, fa-

cere teſtamentum, non obſervatis ſolennitatibus & requiſitis, ſed hæc obſervanda ſunt, alias non valet, ut 7. teſtes adhibere rogatos, & non paucio-res. (4) *intuitu finis*, quod primò publicam reſpiciat utilitatem, idque ita uſurpatur latè, ſtrictè & ſtrictiſſimè. *In lato ſignificatu* continet & ſacrum jus. l.1. ff. hoc tit. *In ſtricto* v. eidem opponitur. l. ult. C. de SS. Eccleſ. ſtrictiſſime uſurpatum totius Reip. Rom. utilitatem reſpicit: Hinc *jus publicum propriè* dicitur *ab objecto & fine*; *Ab objecto*, quia eſt de rebus publicis, qualia ſunt inſtrumenta pacis. *A fine*, quia publica in illis principaliter attenditur utilitas, *ratione* ſubjecti, jus publicum intelligitur id, quód omnes obligat.

(b) Hic ſignificat id, quo res ſtat, nec ſine eo conſiſtit Ad ſtatum igitur ſpectare hic dicitur, ſine quó Reſp. Rom. nec conſtitui, nec conſtituta ſeruari poteſt.

(c) Reipubl.

(d) Additur ad differentiam iuris publ. quód alij populi habent.

TH. 44. Ius publicum in ſacris, Sacerdotibus [a] & Magiſtratibus [b] conſiſtit, id eſt, in cura Religionis & functionum, negotiorumque publicorum. Vnde jus publicum, aliud eſt divinum, aliud eſt humanum. l. 23. C. de SS. Eccleſ.

(a) Nomine rerum ſacrarum & Sacerdotum veniunt Eccleſiæ ſedes & domicilium, item vaſa & miniſtri, eorumque immunitates, & quæ alia Eccleſiaſticum ſtatum concernunt.

(b) Per Magiſtratum intelligimus Principem, leges, judicia, res civitatis & dignitates.

TH. 45. Ius privatum [a] eſt, quod ad ſingulorum [b] utilitatem [c] pertinet.

(a) *Ius priuatum* conſideratur ab Imperatore in §. fin. Inſt. de I. & I. & tit. ſeq. vel *in genere*, uti eſſe poteſt in qualibet civitate, vel *in ſpecie* uti in Romana; priori modo deſcribitur in l. 1. §. 2. in fin. hoc tit. quod ſit collectum ex jure naturæ, gentium & civilibus placitis.

(b) Per ſingulos hic indicantur omnes in Rep. exiſtentes ſingulatim, quó differt à priuilegio.

(c) Vtilitas ſingulorum hic immediatè per ſe & principaliter attenditur, non veró obliquè & per conſequentiam. d. l. 1. §. 2.

TH. 46. Ius dividitur in naturale, gentium & civile. d. l. 1. §. 2. 3. 4. l. 5. 6. & 7. ff. hoc tit.

TH. 47. *Ius naturale* [a] eſt, quòd natura omnia animalia docuit. [b]

(a) Hoc multifariam hîc accipitur, & denotat [1] Ius Dei ſecundùm quod ille ſeipſum in ordine creaturarum, vel etiam ſui ipſius directionem qſ. obli-

gare videtur, idque eſt vel *naturale vel poſitivum*, [2] *ius hominum*, quod eos obligat ex dictamine animæ ſenſitivæ, & jus naturale in ſpecie vocatur. [3] ſumitur *pro lege uniuerſali*, qua omnia, quæ in tota Mundi machina continentur animata, rationalia & irrationalia, reguntur; cuilibet enim rei creatæ Deus officium dixit, poſuitque ſuum terminum, quæ poſitio eſt jus naturale, quatenus id, cui eſt poſitum, natum eſt ad illud operandum, ſic abyſſo & mari lex, quam non transgrediatur, poſita dicitur, [4] ſignificat *legem per lumen naturale à Deo nobis impreſſam*, & obligantem ad ea facienda, quæ ſine reſpectu alicujus certæ Reip. ſunt bona; hoc jus in ſimplici notitia, id eſt, naturali juſti & injuſti intelligentia, & immoto honeſtorum ac turpium diſcrimine conſiſtit, quód nobiſcum naſcitur & nullo docente in ſingulorum mentibus eſt. Quo ſpectat Religio erga Deum, ut patriæ & parentibus pareamus. l. 2. hoc tit. honeſtè in hac ſocietate civili vivamus, ne lædamus alterum, tribuamus cuique ſuum, ut delicta puniantur. l. 1. infrà ff. de furt. nemo cum alieno damno locupletetur. l. 14. ff. de cond. indeb. inceſtarum nuptiarum prohibitio. l. ult. ff. de rit. nupt. quo ſenſu jus naturale juri civili opponitur. §. 1. 2. & pen. Inſt. de I. N. G. & C.

(b) Id eſt Deus, tanquam ſupremus Gubernator & Conſervator omnes res à ſe creatas regit & gubernat; ſicut enim aliàs lex humana ſuo modo extra Legiſlatorem in ſubditis eſſe dicitur, in quantum ſcilicet illam cognitam fini ſuo applicant; id eſt, mores illi conformant, ita etiam idem eſſe dicitur in omnibus creaturis, in quantum ex efficacia & directione legis æternæ in proprios actus & fines inclinationes habent, & tanquam ſubditi eidem obediunt; quod tamen propriè de hominibus ratione & judicio prædītis eſt intelligendum, quia illi tantum libere agunt, de reliquis verò creaturis, ratione, judicio & libero arbitrio deſtitutis per quandam conſequentiam & analogiam, quatenus per naturalem ſuam inclinationem in finem ſuum feruntur, atque homines per rationem, & dehinc deſcendentem cognitionem. Quare etiam dicitur, quod aliter dirigantur (cum legis officia ſint dirigere & obligare) res naturales, (id eſt, irrationales) aliter rationales; *illæ* videlicet per ſolam naturalem inclinationem, *iſtæ* per cognitionem & judicium. Porrò fit vt *illæ* obligentur *impropriè*, vbi enim cognitio & libertas non eſt, ibi quoque obligatio propria & ſub peccato eſſe nequit; *iſtæ* verò propriè, atque ita, ut niſi obtemperent, peccato ſe obſtringant.

TH. 48. Quæritur an jus quoque in bruta cadat? Reſp. quòd non, bruta enim id, quòd naturæ ipſorum conueniens, quod utile atque jucundum per ſenſus cognoſcunt, naturali ſua inclinatione appetunt, & ſecundùm hunc ſenſitivum appetitum agunt, & licet homines cum brutis ſequentes actus communes habeant, ad jus tamen non pertinent, ut ſunt maris & fœminæ conjunctio, liberorum educatio, vis illatæ repulſio, &c. hoc enim tantum ex naturali inſtinctu, (ut ſuperius iam aliquoties diximus) non verò ratione faciunt. Contra, quod na-

turæ eorum non conveniens,quod inutile & injucundum ſenſibus percipiunt, hoc reſpuunt, & ab eo abſtinent. Homines autem non utilitatem modò & iucunditatem percipiunt, ſed etiam ſecundùm rationem honeſtum à turpi,licitum ab illicito,iſtis in actibus diſcernunt, ac poſſunt benè vel malè agere. Vnde decidimus, actus brutis cum hominibus eſſe communes, conſiderando eos *Phyſicè* & naturaliter, aſt *moraliter*, quatenus de malitia & bonitate, iuſtitia & iniuſtitia eorum quæritur, in ſolo homine conſiderantur, qui liberum agendi habet arbitrium, & ratione regitur.

TH. 49. Quæritur an ius naturale ſit immutabile? Reſp. affirm. per §. 11. Inſt. de I. N. G. & C. quia divinâ quadam providentia eſt conſtitutum, Rom. 2. verſ. 15. cum non aliud ius naturale eſt Romæ, aliud Athenis, aliud hîc Pariſijs. Diſtinguitur tamen [1] inter *jus naturale poſitivum.* (quod ponitur præcipiendo vel prohibendo) & *negativum*, quod non prohibet ius naturale, neque tamen poſitivè præcipit, ſed permittit hominum diſpoſitioni. [2] diſting. inter mutationem (in theſi, & in hypotheſi) veram & apparenter talem. Hinc ea quæ poſitivè iubentur, vel prohibentur, in ſe quidem & revera mutare nequeunt, ſed firma ſemper & immutabilia permanent, tanquam decreta quædam Dei & naturæ. d. §. 11. apparenter tamen & in hypotheſi, ratione ſcilicet circunſtantiarum variari non nihil atque mutari poteſt arg. l. 6. ff. de I. & I. e. g. [1] depoſitum reddere eſt iuris naturalis, aſt furioſo depoſitum reddere gladium nemo tenetur, [2] hominem occidere in theſi eſt prohibitum, in hypotheſi verò & ratione circunſtantiarum, caſu neceſſitatis aggreſſorem occidere licet. l. 3. ff. hoc tit. [3] alienum in theſi, invito domino retinere non eſt permiſſum, verum in hypotheſi licet. e. g. in uſucapione ob Reip. utilitatem, quamvis alter cum veri domini damno locupletetur. Ius verò naturale negativum mutari poteſt, ita ut ius gentium vel civile diſponat, ut in piſcationibus & venationibus.

TH. 50. Quæritur *an iure gentium* demum, non verò iure naturali proprietates rerum & dominia ſint diſtincta? Reſp. dominia quidem iure gentium fuerunt diſtincta, ſed hoc non ita eſt intelligendum, qſ. initio omninò & ſimpliciter nihil proprij fuerit. Deus enim humano generi generaliter contulit ius in res inferioris naturæ, ijſdem utendi ſtatim à mundo condito, quòd dominium originale in genere vocari ſolet; quia homines primævi quibuſdam rebus uti non potuerunt, ut utendo propria non facerent. Hinc *diſtinctione* [1] *inter res proprias* ratione dominij, & ratione uſus, [2] *inter res*, quibus utebantur homines

mines primævi ad victum & amictum, aliaſque corporis neceſſitates, & inter res mobiles & immobiles, [3] inter tempus quo homines adhuc nulla libidine & ſcelere vitam degebant,& quo in vitia,libidinem, audaciam & populoſitatem inclinarunt. Initio ratione dominij quidem nihil proprij fuit,neque enim homines rebus utentes affectionem dominij habuerunt; (utpotè in ſimplicitate,& innocentia,mutuaque caritate perſiſtentes) ſed uſus rerum, quibus quiſque indigebat, univerſalis inſtar proprietatis erat.Hinc ſi quis cibo, potu, alijſque rebus fungibilibus utebatur,eas ytendo quidem conſumebat, & non poterat non proprias facere, ſed hoc fiebat propter naturam illarum rerum, quod ipſarum,niſi abutendo non eſſet uſus. Ita & qui agros, aut res alias ad conſervationem ſui,vel familiæ ſuæ neceſſarias occuparat, interim per occupationem proprias faciebat utendo,& ratione uſus. Attamen quando non amplius utebatur, alius eas poterat apprehendere ſine vitio, quia tanta erat in exiguo hominum numero latitudo terrarum, ut facilè ad multorum uſus ſufficeret. Ex quo verò ſtatum hominis ſecundo (malo & injuſto illo,quo homines invaſit libido & malitia) nec non ſtatu hominis & Reip. *tertio poſt peccatum*, (mixto ex bono & malo, iuſto & injuſto) atque aucto genere humano, terræ in gentes atque familias dividi cœperunt, uſu & neceſſitate humana ſuadente, inſimul communi gentium voluntate & conſenſu (eo ipſo, dum communio diſplicuit, & quod quiſque occuparat, proprium retinuit) rerum diſtinctiones & dominia ſunt introducta; poſito iſto ſtatu naturæ lapſæ,& mixto,ratio homini ſuggeſſit iuſtas cauſas inducendæ rerum appropriationis, quod iſti ſtatui & Reip. conditioni rerum communio officeret propter multa damna & incommoda inde metuenda. Tunc enim vitæ neceſſarijs ad victum & amictum homines indigebant, utque iuſtè & tranquillè in ſocietate civili viveretur, opus fuit;qui tres ſunt Reip.in illo ſtatu fines; utque ergo hi obtinerentur ſummè tum appropriatio rerum erat neceſſaria, quia illis maximopere contraria eſt rerum communio: Terræ namque manſiſſent incultæ & reductæ in ſolitudinem, quòd officit ſtudio indigentiæ ſupplendæ ex de mandata homini propter lapſum,culturâ agrorum. Via fuiſſet aperta fraudibus & malitijs,quod iuſtitiæ repugnat; nunquam enim in pace vixiſſent homines, quod contrarium requiſitæ tranquillitati.Vnde deinceps commercijs rerum accedentibus cætera iura in rem profluxere. Equidem diſtinctio illa ſolo humano jure haud niti videtur,ſed etiam naturali & divino; [1] quia Deus homini jus dedit in res terreſtres, [2] ratio naturalis induxit diviſionem propter

D

incommoda, attamen nulla lex naturæ vel divina diviſionem initio directè vel immediatè præcepit.

TH. 51. Ius naturale eſt fons omnium legum, unde tria uniuerſaliſſima deducuntur principia. [1] quod ſit Deus, qui ſupra eſt, & ſuper omnia amandus, [2] quod nos ipſi, & reliqui mortales humanæ ſocietati ſint ſervandi, [3] quod terreſtribus, quæ infra ſunt, moderatè ſit imperandum. Ex primo dependet iuris publici conſtitutio. Ex ſecundo & tertio ius privatum, quoad iura perſonarum, & rerum, adeoque omnis in uniuerſum legum prudentia.

TH. 52. Ius gentium (a) eſt, quo gentes humanæ (b) utuntur. l. 2. §. fin. hoc tit.

(a) Quòd uſurpatur *propriè* vel *impropriè*. *Priori caſu* iterum eſt duplex, & accipitur [1] vel *generaliter* pro omni communi gentium iure, ſive ex rationis dictatu, ſive per ratiocinationem ita conſtituto, hoc ſenſu opponitur juri Civili, & includit latitudine tam primarium, quàm ſecundarium ius gentium. l. 1. §. fin. & l. 9. ff. hoc tit. l. 1. ff. de A. R. D. §. 10. Inſt. eod. l. 8. de rit. nupt. [2] *ſpecialiter* pro omni iure, quod communi gentium conſenſu eſt conſtitutum, quod in ſpecie vocatur ius gentium ſcilicet ſecundarium. §. 2. Inſt. de I. N. G. & C. §. 42. Inſt. de R. D. *Poſteriori caſu* (impropriè) accipitur pro eo iure, quòd ſingulæ gentes vel populi inter ſuas Reſp. obſervant.

(b) Ius hoc per gentes conſtitutum eſſe dicitur, non quod omnes gentes actualiter convenerint, & jus hoc ita conſtituerint, aut etiam quòd omnes & ſingulæ illo æqualiter uſi fuerint; illud enim propter immenſitatem orbis, nationum, linguarumque diverſitatem, & corruptos hominum mores impoſſibile eſt. Verùm quod ſucceſſiuè placere omnibus viſum eſt, id totius qſ. orbis decretum fuiſſe æſtimetur: quapropter haud inconvenienter deſcribi poteſt, quòd ſit ius, non inſtinctu ſolius naturæ, ſed ſucceſſiuo uſu gentium, ob communes circunſtannias, putà uſus & neceſſitatis conſtitutum; intellige hic ius gentium ſecundarium.

TH. 53. Ius gentium dividitur in Primarium & Secundarium.

TH. 54. *Ius Gentium primarium*, (id eſt, ipſum ius naturale) quòd naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, & apud illos peræque cuſtoditur; ſive quòd nulla neceſſitate humana urgente cum ipſo genere humano, rerum natura prodidit. arg. §. 2. & §. 11. Inſt. de R. D.

TH. 55. *Ius Gentium ſecundarium* eſt, quòd gentes humanæ uſu exigente, & humanis neceſſitatibus ſibi conſtituerunt.

TH. 56. Ius naturale dicitur ius gentium primarium, aſt non formaliter, & ratione cauſæ efficientis, quaſi id gentes introduxerint, ſed *materialiter, ratione* ſc. *uſus*, quia omnes gentes eodem utuntur, & apud omnes gentes peræque obſervatur. Hoc ius naturale primis tempori-

bus, videl. Adami, Caïni & Abelis ius gentium non eſt vocatum, nec ita appellari potuit, quia tunc temporis gentes nondum extiterunt; aſt poſtquam gentes eſſe cœperunt, ius gentium ob illius uſum rectè vocari potuit.

TH. 57. Quòd hæc diſtinctio inter ius Gentium primarium & ſecundarium ſubſiſtat, ex his rationibus demonſtratur. [1] Quia diverſæ primarij & ſecundarij iuris gentium, in jure inveniuntur definitiones, ut in §.1. Inſt. de I. N. G. & C. deſcribitur jus gent. primarium ſ. primævum; contra in §.2. Inſt. eod. definitur I. G. ſecundarium. [2] quia datur ius gentium antiquius. l. 1. ff. de acqu. rer. dom. comparativus enim ſemper præſupponit poſitivum, denique (3) propter uſum ita appellari poteſt.

TH. 58. Fundamentum & cauſa juris gentium ſecundarij eſt communis hominum in ſocietate civili viuentium [1] *neceſſitas*, & [2] *utilitas*, *hæc* (utilitas) reſpicit communem victum & amictum acquirenrendum, unde altera gens alteri concedit libera commercia, liberumque tranſitum per terras: *illa* (neceſſitas) reſpicit victum & amictum acquiſitum adverſus malitiam improborum defendendum, utraque ad ſocietatem conſervandam pertinet.

TH. 59. *Ex utilitate* & ſingulari commoditate res iure naturæ communes, & qſ. in medio poſitæ, non ſaltem occupatæ, ſed etiam, quia communio non adeo profutura videbatur, illarum dominia diſtincta, ſunt, & certi modi acquirendi inventi & introducti ſunt; & hunc in fine agris termini ſunt poſiti, ædificiaque juxta collocata, unde familiæ cœperunt, & porrò pagi, vici, oppida, & urbes tandem extructæ, his multiplicatis, populi diſcreti, id eſt, nationes in varias Prouincias diſperſi, & regna integra condita ſunt; unde creatio Regum & Principum, jura Magiſtratuum & juriſdictiones. l. 4. & 5. ff. hoc tit. Et cum diſtinctis ita dominijs, diſcretiſque familijs atque gentibus plerumque eveniret, ut quod alteri ſupereſſet, alter indigeret, inde commercia & omnes ferè contractus, tanquam humanæ illius indigentiæ remedia introducti & inſtituti fuerunt. l. 1. ff. de contr. emp. l. 5. ff. hoc tit.

TH. 60. *Ex neceſſitate*, promanarunt bella, captivitates, ſervitutes, poſtliminia. Cùm enim homines præcepta juris naturalis ſuſque deque haberent, aliorumque vitæ & fortunis inhiare non erubeſcerent, neceſſitas uſum defenſionis adverſus hujuſmodi violatores ſuaſit, non tantum inter privatos. l. 3. ff. hoc tit. l. 4. & 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. Sed etiam inter ſocietates ipſas, & gentes ad mala, vel nondum illata avertenda, vel jam illata emendanda & reſarcienda. Hinc inter pares bel-

la juſta eſſe cœperunt, ex bellis ſecutæ captivitates, ex captivitatibus ſervitutes, exque ſeruitutibus denique manumiſſiones.

TH. 61. *Ius civile* (a) eſt, quod quiſque populus (b) ipſe ſibi conſtituit. (c)

(a) Ita dicitur *latiſſimè* ratione uſus, pro omni eo jure, quo in univerſum civitas, Reſpub. vel populus utitur, ſive illud civibus ſuis præſcripſerit, ſive alias receperit, atque hoc ſenſu & jus naturale & Gentium comprehendit, quatenus illa jura in civitatem ſunt recepta, ijſque utitur populus l. 9. ff. hoc. tit (2. *Propriè*, pro eo, quòd quilibet populus ſibi conſtituit, ſeu civibus ſuis præſcripſit, atque ſic ex introductione illis eſt proprium. l. 6. ff. hoc tit. (3.) *per excellentiam*, pro eo, quòd conſtituit ſibi populus Romanus § 2. Inſt. de I. N. G. & C. hoc in ſignificatu tripliciter iterum diſpeſcitur; (1) *ratione vſus* accipitur *in genere* pro quovis jure, in civitate Romana recepto, quomodo jus naturæ, & gentium, atque Prætorium complectitur, arg. §. 3. pr. & §. 7. Inſt. de I. N. G. & C. (2) *à cauſa efficiente*, *ſtrictius* pro illo jure Romano ſumitur, quod ex partibus juris civilis inductum, ſc. legibus, plebiſcitis, Sctis, Decretis Principum l. 7. ff. hoc t. & tunc juri Prætorio opponitur l. 7. §. 1. hoc tit. l. 1. §. fin. l. 3. §. 1. ff. de conſtit pecun. & hiſce duobus modis ſæpiſſimè contingit, aliquid dici juris civilis diverſo hoc reſpectu, *illo modo* (priori) quoad receptionem, approbationem & informationem, & hoc ſenſu nuptiæ, teſtamenta, patria poteſtas, tutela, actiones juris ſunt civilis alias ratione, originis ſunt juris naturæ. *Poſteriori verò modo* quoad introductionem ſtipulatio, actio chirographaria &c. juris ſunt civilis (3) *ſtrictiſſime* jus Civile denotat aliquando l. 12. Tabb. l. 7. C. de bon. damn. quandoque interpretationes ICtorum l. 2. §. 5. & 8. de O. I.

(b) Vniverſus populus, vel eius pars.

(c) Conſtitutio illa conſtitutioni juris gentium eſt ſimilis, ſeu in eo jus ciuile & gentium conveniunt, quod utrumque ſit ex inſtituto hominum, & iuri naturæ aliquid ſuperaddat, vel interdum quid detrahat. In ſequentibus contra differunt, (1) quod ius gentium conſtitutio ſit communior, reſpiciens omnes homines, id eſt, ius gentium propter *communem* hominum in ſocietate civili viventium *utilitatem & neceßitatem* eſt conſtitutum; *ius verò civile* ſpecialior, reſpiciens ſaltem populum unum, id eſt, ius civile propter *peculiarem* hominum, in aliqua Republ. viventium *utilitatem & neceſſitatem* eſt conſtitutum, (2) quod illud ſit ſine ſcripto, moribus & uſu tantum; *hoc* verò maxima ex parte ſcripto conſtat. (3) quod ius gentium ex principijs iuris naturæ per modum cuiuſdam illationis, tanquam concluſio ex præmiſſis; Ius verò civile per modum determinationis, & arbitramenti humani conſtituatur; in iure namque gentium præcepta magis ſunt generalia, qnia in eo conſideratur utilitas totius naturæ, & conformitas, ad prima & univerſalia naturæ principia.

TH. 62. Ius civile neque in totum à naturali vel gentium recedit (a) [aliàs eſſet jus iniquum] neque per omnia ei ſervit, ſed ei nunc addit, nunc detrahit. (b)

(a) Quia non ex ſolo iure poſitivo, ſed etiam ex naturalibus præceptis tanquam fonte, & iure gentium eſt collectum.

(b) Hinc etſi iure naturali pacta ſervare æquum ſit, ius tamen civile ex ſingularibus cauſis ex pactis nudis non dat actionem, & ita iuri naturæ non inſervit. l. 10. ff. de O. & A. l. 16. §. 4. ff. de fidei. & tamẽ, dum ex huiuſmodi pacto, ultrò factam ſolutionem, ſoluti repetitionem denegando tuetur, ab eodem in totum non recedit, (2) iure naturali & gentium ad teſtamentum faciendum videntur duo ſufficere, teſtes, quia in duorum ore omne conſiſtit verum; ius a. civile ob rationes civiles & varias circumſtantias, ſummo Reip. commodo ſuadente ſuperaddit, id eſt, vult 7. adhibeantur teſtes, niſi illud velint irritum teſtatores. Contra *detrahit* iuri naturæ ius civile, quoties publico bono efflagitante, privatorum iuri aut menſuram quaſi ponit, ut ſi pupillis minoribus 25. annis, mentecaptis, furioſis, & qui his in effectu quoad bonorum adminiſtrationem ſimiles ſunt, prodigis, rerum ſuarum adminiſtrationem aufert, & ipſis etiam invitis, Tutoribus Curatoribuſque defert, omneſque actus & contractus eorundem invalidat. l. 59. ff. de O. & A. l. 41. ff. de condict. indeb. & paſſim, aut etiam prorſus derogat, & pro conſervatione ſtatus præſentis interdum aliqua, quæ in ſe iniqua ſunt, permittit. Aſt non detrahit iuri naturæ aliquid jubendo, quòd in ſe & ſuâ naturâ eſt illicitum, vel prohibendo licitum, ſed ex ratione politica, non aſſiſtendo iuri naturæ, ita ſc. ut ex iuſta ratione quadam vim & effectum deneget alicui actui, qui aliàs ſecluſo eiuſmodi iure poſitiuo haberet effectum e. g. filiusfam. poteſt uti exceptione Sčti Macedoniani, Mulier beneficio Sčti Vellejani, & quod ex pacto nudo non detur actio civilis.

TH. 63. Ius civile eſt Romanorum, vel alterius populi. Hinc dicimus ius civile generale nomen eſt, ſed ab unaquaque civitate cognomen ſumit, & ſpecialiter appellatur, hocque in reſpectu varium & multiplex eſt, pro varietate & multitudine Rerumpubl. ex quarum legibus ita nominatur. Vnde leges à Solone & Dracone Athenis latæ vocantur ius civile Athenienſium, leges Moyſis forenſes, ius civile Hebræorum, leges populi Romani, ius civile Romanorum ſive Quiritum. Romani namque Quirites dicuntur vel à Quirino, id eſt Romulo, qui autor eſt, atque ita poſt exceſſum ſuum tanquam inter Deos relatus vocari voluit.

TITULUS SECUNDUS.

De origine juris Ciuilis, & omnium Magiſtratuum & ſucceſſione prudentum. Iung. lib. 1. tit. 17. C.

TH. 1. POſtquam ius moraliter, & maxima ex parte Philoſophicè perpendimus, ſubnectenda eſt eiuſdem conſideratio Iuridica, quæ potiſſimũ conſiſtit [1] in iuris Romani, & [2] Magiſtratuum apud Romanos origine progreſſu, nec non [3] ſucceſſione Prudentum.

TH. 2. Hæc origo & iuris progreſſus iuxta triplicem Reip. Romanæ ſtatum, ſ. tres ætates eſt declarandus.

TH. 3. *Primus Reip. Rom ſtatus*, (ſ. *prima ætas*) fuit Monarchicus & *Regius* l. 2. §. 1. ff. hoc tit. cuius & civitatis Romanæ initium referunt ad annum Mundi 3200. & ante C. N. 750. hicque duravit per ſeptem Reges, continua ſerie, ad annum 244. In hoc ſtatu, quo omnia manu, ſive poteſtate à Regibus gubernabantur, id eſt, ſummum imperium erat apud Reges, tunc temporis nulla fuit lex ſcripta, ſed cuncta arbitrio Regis, iuſto tamen & probabili, non pro libitu indiſcreto ſunt gubernata, l. 2. §. 1. ff. hoc tit. Ipſe enim Romulus purpurâ ornatus, ac in excelſa ſede conſpicuus ſedendo dedit iura populo, iudiciaque exercuit. Poſtea auctâ ad aliquem modum civitate, & populo in triginta partes, quæ curiæ ſunt appellatæ, diſtributo, à Romulo & ſeqq. Regibus leges ſunt latæ atque curiatæ dictæ, quod curiatim, vel populo per 30. ſuas curias convocato, rogatæ fuerint, quas poſtea temporibus Tarquinij Sextus Tarquinius collegit, unde liber iſte ius Civile Papirianum eſt dictus d. l. 1. §. 1.

TH. 4. *Secundus Rom. Reip. ſtatus* ſ. ſecunda ætas poſt exactos Reges (quod accidit A. V. C. 245. & ante C. N. circiter 500. anno) fuit ex parte *popularis*; licet poſt regifugium ad Conſules & Senatum aliquod imperium fuerit delatum l. 2. §. 16. hoc tit. ut ſic ſtatus aliquo modo viſus ſit *Ariſtocraticus*, merè tamen non fuit talis, quia penes Conſules & Senatum ſumma & abſoluta poteſtas perfectè & conſtanter non fuit. *Tres* iterum in hoc ſecundo Reip. R ſtatu, quoad ius noſtrum conſtituuntur *Epochæ*, ſive *tria monumenta*. *Prima Epocha* eſt iuris incerti. Exactis enim Regibus, populus iterum cœpit incerto magis iure & conſuetudine, quàm per latam legem agere l. 2.

§. 3. hoc tit. videturque tum Senatus pro arbitrio ius condidiſſe & dixiſſe. Odio enim regiæ dominationis Regum eiectorum, & illorum leges pariter bonæ cum malis diſplicuerunt & exoleverunt. Aliquas tamen leges in uſu manſiſſe inde liquet, quia Pomponius comparativè loquitur, populum magis incerto iure, quàm per legem latam propè 60. annis vixiſſe. Cæterum cum ex incertitudinè hac confuſio oriretur, quàm invaleſcente Reip. ſtatu populari grauiſſimę contentiones, quibus plebs cum patritijs per multos annos, præſertim conſtituto ſibi peculiari Magiſtratu Tribunitio, cui à L. Valeria Publicola intercedendi facultas erat data, collidebatur, augerent, autore T. Romilio viro conſulari SCtum factum eſt, plebiſcito confirmatum, ut leges extraneæ adferrentur. Hinc exoritur ***Secunda Epocha*** A.V.C. 300. publica autoritate decem nominati viri per quos peterentur leges à Græcis civitatibus Athenis & Lacedęmone, (quæ duæ civitates tum temporis præ cæteris maximè celebres erant) ut civitas legibus fundaretur. Ex his decem, tres tantum (cæteris interim in aliarum gentium ſcita, leges regias iam antiquatas, patrioſque mores inquirentibus) miſſi ſunt Athenas & Lacedæmona, ut Græcorum iura cognoſcerent. Legatis his poſt biennium revertentibus, ac inſuper anno in aliquali formâ operi dandâ conſumpto; datum eſt iſtis decemviris in civitate ſummum imperium, ut leges, quas conceperunt, populo proponerent, & ſi opus eſſet corrigerent ac interpretarentur. d. l. 2. §. 4. hoc tit. Propoſuerunt autem centuriatis comitijs, ante roſtra, in decem eboreis tabulis d. §. 4. Cum autem non ſatis correctæ atque emendatæ eſſent, ſequenti anno alijs decemviris, (excepto App. Claudio, qui ſeipſum nominaverat) in priorum locum ſubrogatis, duæ aliæ tabb. prioribus adjectæ, continentes tam leges proprias Romanorũ quam aliarum adhuc gentium ut opus eo eſſet perfectius A.V.C. 304. habitis denuò cẽturiatis comitijs in æs perpetuitatis cauſa ſunt inciſæ, ſicque ex accidenti L. 12. Tabb. factæ & publicè A.V.C. 305. ante C.N. 440. (& ſic 60. circiter annos poſt regifugium) ſunt propoſitæ. Livius lib. 3. Hiſtor. ***Tertia Epocha*** poſt fundatam ſic legibus Rem. Romanam (d. § 4. Nov. 22. c. 2.) validum juris incrementum & augmentum acceſſit, ***cuiuſque cauſas***,ronteſque ***ſeptem*** recenſet Pomponius. ***Prima cauſa*** eſt ***Interpretatio Prudentum*** & diſputatio fori. Cum enim L. 12. Tabb. conciſis verbis ac breviter conceptæ, caſus plurimos vel planè non, vel ſaltem non expreſsè comprehenderent; inſuper cum plura ſint negotia, quam quæ legibus comprehendi poſſint, hinc ob miram iſtam in tabulis iſtis & pu-

blicum & privatum jus continentibus brevitatem accidit, vt aliàs naturaliter evenire ſolet, quòd unuſquiſque ſuo abundet ſenſu, legumque verba in ſuam trahat cauſam, quare opus fuit aliqua interpretatione, & quidem non cuiuſque, ſed eorum, quibus experientia & longus rerum uſus prudentiam, prudentia autoritatem comparaſſet, quam vel mentem legis inquirerent, & ad propoſitos caſus accommodarent, vel ſi de mente diſceptatio eſſet, diſputationem fori, quod plerumque per congreſſum aliquot Ictorum amicabilem factum videtur, inſtituerent; & ex ſententiarum inter ſe factâ collatione, veriorem, benignioremque eligerent, arg. l. 19. ff. de lib. & poſt. l. ult. ff. pro legat. l. 32. de O. & A. l. 55. §. 1. ff. de leg. 2. Interpretatio illa per ſe authoritatem iuris non habuit, ſed propter uſum & trituram fori, dum tacito populi conſenſu approbata in mores abivit. Vnde & ius quod ſine ſcripto venit & quidem *Civile* à Pomponio eſt dictum. d. l. 2. §. 5. hoc tit. Icti enim tunc temporis nondum habebant facultatem talem de iure reſpondendi, ut poſtea ſub Imperatoribus. *Secunda cauſa* fuerunt legis actiones. Fruſtra ſunt in civitate leges, niſi ſint & Magiſtratus, qui iura reddunt, illi autem reddere non ſolent, niſi petantur, quod fit inſtitutis actionibus. l. 2. §. 13. hoc tit. quapropter ex l. 12. Tabb. eodem ferè tempore à Ictis actiones compoſitæ ſunt, & quidem certæ, ſolenneſque, ne alioquin populus ut vellet affectu ſuo, ſine ullo verborũ ordine, ſeriem negotiorum proponat, ut neque iudex, neque pars adverſaria intentionem aſſequi poſſit, quæ in ſpecie *legis actiones* ſunt appellatæ, quamvis poſtea legis actiones ad actus voluntariæ iuriſdictionis ferè fuerint reſtrictæ; ab his legis actionibus, ſive certis verborum ſolennium formulis non licebat recedere in petitionibus, perſecutionibus, conventionibus, adoptionibus & executionibus. *Tertium incrementum* ſunt leges ſingulares novæ, ab univerſo populo pro Reip. neceſſitate latæ, & quidem in populari ſtatu pacato, quæ ſunt leges propriè dictæ. Qiurites enim ſeu populus univerſus à Conſule, vel etiam à Dictatore, nomine totius Senatus rogabantur, velitis iubeatis Quirites, quid fieri debeat. Qui ſi ſciviſſent, ſancita lex erat, unde paſſim illud Senatus decrevit, vel author fuit, populus iuſſit. *Quartum incrementum ſunt Plebiſcita.* Cùm plebs propter diſcordiam à Patribus ſeceſſionem fecit, plebiſcitorum uſus invaluit, hæc tamen plebiſcita ex L. Hortenſia poſt tertiam plebis ſeditionem, & ſeceſſionem ſunt promulgata, & pro legibus ab omnibus ſunt obſervata. l. 2. §. 8. hoc tit. legumque etiam nomen acceperunt. l. 1. ff. ad L. Aquil. Quamvis iam antea condita à plebe

fuerint plebiſcita, aſt illa plebem tantum-modo, non verò populum aſtringebant. *Seceſſio plebis* à populo fuit *triplex*, *prima facta* eſt anno poſt regifugium 17. ab Vrbe condita 260. trans Anienem in montem ſacrum, propter crudelitatem creditorum, qui corpora libera pro ſervis ob conflatum æs alienum detinebant, ubi plebs Tribunos plebis creavit, qui ſibi eſſent Magiſtratus, non ut ius dicerent, ſed ut auxilium adverſus Conſules & Patritios ferrent, qui tamen tractu temporis tributis comitijs autores fuerunt, ut plebs ſibi proprias leges ſciſceret, quæ plebiſcita dicta ſunt, & ab initio Patritios non obligarunt, quippe qui vel Comitijs illis, quorum alioquin, ut in certis tribubus conſtituti, pars erant, non interfuerunt, vel ſi interfuerunt, numero ſuffragiorum ſunt victi, in his enim Comitijs plebs plus, quàm Patritij, ſicuti ex adverſo in centuriatis Patritij plus, quàm plebeij valuerunt. Occaſione verò *Secundæ ſucceſſionis* à Patritijs in montem Aventinum (ob vindicias ab Appio Claudio Virginij filiæ contra libertatem ſcelerato & libidinoſo animo datas) anno poſt exactos Reges 57. ab V. C. 304. factæ, per L. Horatiam eſt conſtitutum, ut quod plebs iuſſiſſet, populum teneret, Livius lib. 3. Plebiſcita hæc iterum poſt *ultimam* & *tertiam* in Ianiculum montem *ſeceſſionem* L. Hortenſia, quam Hortenſius Dictator plebem revocans tulerat, confirmata, atque conſtans plebiſcitis legis autoritas eſt tributa, quo caſu Patriciorum potentia mirum in modum eſt debilitata §. 4. Inſt. de I. N. G. & C. *Quintum incrementum* conſtituunt *SCta* l. 2. §. 9. hoc tit. Licet & ante plebiſcita, imò & ante L. 12. Tabb. SCta fuerint, puta ſub Regibus, & poſt eorum regifugium magnam habuerint poteſtatem; imò & degenerante Reip. ſtatu in Democratiam SCti autoritas aliquatenus eminuerit. Verùm poſtea urgente neceſſitate maiorem SCta nacta ſunt autoritatẽ, quam prioribus temporibus habuerint; frequentiora quoque, quam aut leges aut plebiſcita eſſent, fieri cœperunt. Cum igitur tantâ hominum turbâ difficile plebs plebiſciti ordinandi gratia, & multo difficilius populus legis ſanciendæ cauſa convenire poſſet, ipſa neceſſitas [(1) ob populi multitudinem, & (2) exortam inde ſuffragiorum diverſitatem & diſſenſionem] magis magiſque curam Reip. ad Senatum deduxit, atque huic, libera poteſtas de omnibus rebus, exceptis grauioribus, ſine populi iuſſu eſt permiſſa, quales ſunt de creandis Magiſtratibus, ſanciendis legibus, inferendo, deponendoque bello, aut ineundis fœderibus. *Sextum iuri acceſſit incrementum per edita Magiſtratuum* & maximè Prætorum. Tempore enim Senatus etiam Magiſtratus iura reddidit, & ut ſcirent cives, quod ius, & de

qua re dicturus eſſet, ſeque præmunirent, edicta propoſuit, quæ ius honorarium ſunt appellata, l. 2. §. 10. hoc tit. hic per Magiſtratum Ictus intelligit Prætorem. *Edicere* eſt prædicere aliquid in genere abſque complexu rerum & perſonarum, unde, & quia Prætores publicè in gypſatâ & dealbatâ tabellâ, [quàm ideo album Prætoris vocavit antiquitas l. 7. ff. de iuriſd.] proponere ſolebant; quòd de quaque re ius dicturi eſſent, denunciatio illa edictum eſt appellata. Prætorum autoritas ab initio magna fuit, cum in locum Conſulum, quoad iuris dicendi poteſtatem fuerint ſurrogati, puta evocatis belli cauſa Conſulibus l. 7. §. 1. l. 8. ff. de iuſt. & iur. l. 2. §. 10. & 27. hoc tit. Hi (ſc. Prætores) pro arbitrio ius dixerunt, & ſæpe ambitione aut quæſtu propoſita edicta mutarunt, quod lege Cornelia à Tribuno plebis C. Cornelio rogata immutatum, ita ut ex edictis ſemel à ſe propoſitis perpetuò ius dicerent, nec illa amplius mutare poſſent. Vnde poſt hanc legem edicta, vel iuriſdictionis cauſa, ab initio Magiſtratus ineuntis, vel prout res incideret, in ſingulis cauſis, pro re natâ, Magiſtratu iam ſuſcepto, propoſita ſunt d. l. 7. de iuriſd. illa toto illo tempore, quo quis Magiſtratus erat, durabant. Vnde & hoc reſpectu, & in ordine ad illa, quæ prout res incidebat, & cum cauſa, ob quam propoſita erant, finita, finiebantur. *Perpetua* dicuntur, ratione intentionis Prætoriæ, ratione verò officij, quod annuum, erant annua, nec ſucceſſorem obligabant arg. l. 41. ff. de arbit. quo minus diverſum quid edicere potuiſſet pr. Inſt. de perpet. & temp. act. Lapſu temporis tandem obſervatum, multitudinem & edictorum varietatem Reip. eſſe pernitioſam, Prætorum edicta quæ confuſa & diſperſa erant, publicâ D. Hadriani autoritate collegit, & in ordinem redegit Salvius Iulianus, quem ob id Iuſtinianus Imper. ſummæ autoritatis hominem, & perpetui edicti ordinatorem nuncupavit; hoc opus *perpetuum edictum* eſt appellatum, huius operis tanta fuit autoritas, ut ſi quid ex eo decerneretur, quo minus id fieret, appellare non liceret, l. fin. §. 1. ff. de appell. recip. Hoc edicto perpetuo Prætoribus facultas nova edicta proponendi prorſus, & iuriſdicendi poteſtas ad edictum perpetuum eſt reſtricta. Iuſtinianus ea denique in corpus iuris retulit, ſicque leges ſunt factæ l. 2. §. ſed neque C. de veter. iur. enucl. *Septimum tandem incrementum* ſunt *Reſponſa prudentum*, ſ. Ictorum, qui non omnibus æquè ſæculis floruerunt. Ex quo tempore Tiberio Caruncano conceſſum fuit ius publicè profiteri (quòd circa A. V. C. 500. factum) crevit deinceps Ictorum autoritas in ſeculo 3. 2. & primo ante C. N. quæ tanta tunc temporis viſa, ut ab eorum reſponſis

recedere Iudicibus vix licuerit. Hi Iuriſprudentes erant, per quos iura quotidie in melius producebantur, qui leges interpretabantur, in unum conferebant, actiones ſcribebant, cunabula iuris tradebant, libros ſcribebant, & relinquebant, cauſas orabant, publicè reſpondebant, & reſponſa data ſignabant. d. l. 2. §. 13. 36. 37. & ſeqq.

TH. 5. *Vltimus Reip. Romanæ ſtatus* [ſive ætas] Monarchicus A. V. C. 700. eſt introductus, cum enim intra ipſos civitatis primores partes, id eſt, factiones orirentur, evenit, ut neceſſe eſſet, Reip. per unum conſuli, id eſt, ut Imperatoribus ſ. Principibus abſoluta poteſtas Monarchiam ſtabiliendi fuerit conceſſa l. 2. §. 11. hoc tit. Proceres enim imperij bellis Rempubl. R. civilibus lacerabant. Quapropter Auguſtus cuncta diſcordijs civilibus feſſa, ſub nomine Principis imperium accepit. Hoc in ſtatu Monarchico ius condendi poteſtas ad Principes eſt delata, indeque ab ijs plurimæ conſtitutiones ſunt latæ d. l. 2. §. 11. l. 1. ff. de conſt. Princip. Interim tamen [1] inter principatus initia, uſque ad Tiberium Leges adhuc complures à populo veteri ritu fuere rogatæ; [2] Senatui quoque ſimulacrum aliquod priſtinæ autoritatis in iure conſtituendo relictum l. 9. ff. de leg. Nam quæ Principes de iure privato conſtituri eſſent, orationibus in Senatu prius complectebantur, de his cenſendi arbitrio Senatui relicto, eas deinde orationes Sctum ſequebatur, l. 1. ff. de reb. eor. l. pen. ff. ad Sctum Tertul. l. 1. pr. ff. de fer. l. 60. pr. & l. 16. pr. ff. de R. Nupt. l. 8. pr. ff. de tranſact. l. 16. de ſponſ. l. 32. de donat. inter vir. Hinc quod uno loco oratione introductum dicitur, l. 8. pr. de tranſact. l. 60. §. ff 5. de R. N. d. l. 1. ff. de reb. eor. id alibi Scto tribuitur l. 7. C. de interd. matr. l. 23. §. 2. ff. de cond. indeb. Atque hæc ſunt illa Scta, quorum tam multa mentio in iure noſtro, quæ ibi incipiunt, ubi leges deſinunt, ſc. à Tiberij principatu; deſinunt verò, ſive ſe extendunt ad Marcum Imperatorem uſque. Vt autem ad Ictos revertamur, Ictorum autoritas ſub initio Imperatorum, Auguſti ſc. Tiberij & alior. aliquatenus videtur debilitata, ante enim priuata autoritate publicè reſponſa de jure dederunt; exiſtente verò Imperatore Auguſto & reliquis, non niſi ex ipſorum autoritate, qua de cauſa ſtudium iuris hebeſcere cœpit. Aſt cum Hadrianus in ſeculo 2. componeret perpetuum edictum iterum inſignes floruere Icti qui conſulendo, ſcribendo, Imperatoribus aſſidendo, judicandis, agendiſque cauſis, ius ciuile incredibiliter illuſtrarunt, uſque ad tempora Gordiani, anno poſt N. C. 238. Ab hoc ad Iuſtinianum, vel nulli vel pauci fuerunt, neque memorabile ferè quid extat de jure, niſi quod ſeculo 5. Theodoſius iunior

compilavit Codicem de ſuo nomine dictum, ex conſtitutionibus Imperatorum. Poſtea ſtudium legum Iuſtiniani Imp. iterum excitavit inexplicabilem Ictorum gloriam, unde ipſius ſeculo, plurimi inſignes Icti, præprimis Compilatores Digeſtorum & Inſtitutionum extiterunt. Ab hoc ſeculo, uſque ad ſeculum 12. per ſex ſecula, vix nomen Icti alicuius notæ reperire licuit. Crevit rurſus in Italia ſeculo 12. circa Lotharij Imperatoris tempora, quibus ius noſtrum R. ſingulari Dei beneficio repertum in urbe Melfina; Hoc ius R. cum ab Irnerio Icto, natione Germano, ab æquitate & prudentia ſingulari commendaretur, ideo iuſſu & hortatu Mathildis Comitiſſæ, cuius magna tum in Italia fuit potentia, illud reſtauravit Irnerius, magis magiſque ad ius hoc illuſtrandum impulſus. Tandem Bononiæ ſcholâ publica inſtituta, leges Iuſtinianeæ ab Irnerio, & poſt Friderici primi tempora à Bulgaro, Martino, Iacobo, Hugone eſt explicatum, maximè inde uſus earum legum, præ aliis iuribus in Italia invaluit, inque ſcholam primum introductæ; unde factum, ut iterum in Italia inſignes floruerint Icti; quorum nonnulli, qui vocabantur Summiſtæ, ſummas & interpretationem ſecundum Imperatoris monitum l.1. §. 14. Conſtit. de concep. digeſt. ſcripſerunt, ut Placentinus, Azo, Ioannes, Martinus, Bulgarus, Hugolinus.

TH. 6. *Sequenti ſeculo, ſc.* 13. Accurſius primus cœpit gloſſam ſcribere, in omnes titulos, leges, §§. & in ſcholia atque ſummas commentatorum priorum, qui & exinde ſibi nomen inditum gloriatur, quod adverſus iuris civilis tenebras accurrat & ſuccurrat. Hoc ſeculo ius R. in Galliam & Hiſpaniam penetravit.

TH. 7. *Seculo* 14. ſub initium Iacob de Ravani ius Civile ad modum diſputandi deduxit, unde poſtea Bartolus, Baldus, & alij, non modò in ſummas, leges & § §. ſed & in ipſam gloſſam Accurſij ingentes commentarios ſcripſerunt, & per rationes dubitandi & decidendi, res ipſas optimè explicarunt.

TH. 8. Succeſſu poſtea temporis tranſlatum quoque ius Iuſtinianeum initio ſeculi 15. in Germaniam. Cum enim tum temporis in Germania conderentur Academiæ, illæque ſe ad exemplum Italicarum componerent, accerſitis præſertim ex Italia Doctoribus & Profeſſoribus, & verò in Academijs Italicis ius Romanum reſtauratum doceretur, idem ius in ſcolas Germanicas, atque ex ſcholis in fora imperij Germanici ſenſim receptum, cõſenſu Imperatorum, ac ſtatuum Germaniæ, eius profeſſionem in ſcholis publicis, & uſum in foro admittentium. vid. Magnif. Dn. Conring de Orig. iur. Germ. c. 32. &c.

TH. 9. Factâ legum Romanarum reſtitutione, ICtis poſtliminij qſ. jure, privilegio ſummæ Cæſareæ Majeſtatis præcipuo, & Principum authoritate iterum tribui cœpit facultas reſpondendi de jure, in publicis actibus promotionum. Quòd Bononiæ factum, & hîc Pariſijs, dicto ſæculo 12. finiente. Atque ſic reditum fuit ad morem illum antiquum, quo Principes legum peritis authoritatem dabant, de jure reſpondendi, ſuaque reſponſa ſigillo confirmandi facultatem.

TH. 10. Authoritas ICtorum olim magna fuit ob vitæ innocentiam, maximam eruditionem & probitatem; hinc ICti antiqui tantam in reſpondendo de jure & authoritatem & dignitatem ſibi vindicaſſe dicuntur, ut qſ. jure ſuo, ſolio ſibi ad hoc parato, domi ſederent, de jure reſpondentes, tanquam Magiſtratus & Pontifices. Quapropter Tullius ICtorum domos, oracula civitatis, Vlpianus ICtos juris Sacerdotes, Quintilianus Servium Sulpitium juris Antiſtitem, Iuſtinianus Vlpianum ICtum Amicum, imò patrem appellavit.

TH. 11. Egregium quoque & ipſi Galli de jure noſtro Rom. ferunt elogium, dicentes. E jure Romano mutuamur, quod & æquitati conſonum, & negotio, quo de agitur aptum congruumque invenitur, non quod unquam fuerimus ſubditi Iuſtiniano Magno, aut ſucceſſoribus eius, ſed quia jus Iuſtiniano authore à ſapientiſſimis viris ordinatum, tam eſt ęquum, rationabile & undequaque abſolutū, ut omnium ferè Chriſtianarum gentium uſu & approbatione commune ſit effectum. Hoc Gallorum effatum quam ſit veriſſimum, nemini non patet, tam ex antecedentibus, quàm conſequentibus. Imperator enim Iuſtinianus leges ſuas R. ex varijs juribus, ab ipſis Romæ urbis primordijs, per aliquot ſæcula productis, rejectis inutilibus, excerpſit, exque plurimorū ICtorum, (qui eo, quo inſtructi fuerunt, acerrimo judicio, ſummaque prudentia, multi jugi experientiâ ſibi comparatâ, artem æqui & boni in obvenientibus caſibus innumeris juxta, ipſa naturalis juris principia optimè excoluerunt & naturalem æquitatem ad particularia egregiè applicarunt) reſponſis ac reſcriptis Pandectas collegit.

TH. 12. Poſtquam Ius noſtrum Iuſtin. non ſolum in Italia, ſed & Germania, alijſque terris receptum eſt, ſæpius fuit editum, (inter quas editiones præcellit regulariter Florentina) & plurimos ſubinde poſt Irnerium (qui Codici authenticas tanquam breviaria Novellarum inſeruit) nactum eſt Interpretes.

TH. 13. Ius Civile Romanorum eſt, quo populus Rom. ex ſua introductione utitur. §. 2. Inſt. de I. N. G. & C.

TH. 14. Ius hoc R. conſtat ſcripto, aut ſine ſcripto. d. l. 6. §. 1. ff. de I. & I. quæ diviſio non eſt ex differentia ſpecifica, ſed ex accidenti eſt deſumpta, cùm non ſcriptura, ſed expreſſa ſanctio eius, quem penes eſt ſummum in Rep. jus, legem facit; & lex inſuper ſine ſcripturâ per præconis vocem innoteſcere poteſt.

TH. 15. Iuris ſcripti (a) ſpecies variæ in l. 2. ff. hoc tit. recenſentur, (b) & jus ſcriptum dicitur.

(a) Ius ſcriptum vocatur, [1] quòd expreſsè eſt ſancitum. §. 11. Inſt. de R. D. §. 4. Inſt. de I. N. G. & C. [2] quod ita ferri ac conſtitui ſolebat, ut protinus in tabulas ſcriberetur & publicè legendum proponeretur, hoc in ſignificatu Prudentum reſponſa non ſunt juris ſcripti ſpecies. l. 2. §. 5. ff. hoc tit. hic autem in primo ſenſu accipimus.

(b) Quamvis juris ſcripti ſpecies ſuperius à nobis jam ſint explicatæ, tamen ut altius imprimantur, breviter repetuntur, & ſunt ſequentes, [1] *Ius Civile Regium* à Romulo & ſeqq. Regibus eſt latum. d. l. 2. §. 2. [2] *Leges* 12. *Tabb.* d. l. 2. §. 4. [3] *Ius civile* ex diſputatione fori ortum & in ſola Prudentum interpretatione conſiſtens, vocatur *Reſponſa Prudentum*. [4] *Ius legis actionum*, agendi formam continens. [5] *Plebiſcitum*, quod plebs Plebeïo Magiſtratu interrogante, veluti Tribuno ſine Patrum authoritate conſtituebat. d. l. 2. §. 8. & 12. [6] *SCtum*, quod Senatu jubente atque conſtituente inductum eſt. d. l. 2. §. 9. & 12. [7] *Edicta* quibus Magiſtratus (Prætor) authoritatem juris dederunt. d. l. 2. §. 10 [8] *Conſtitutio Principis*, quam Princeps ipſe pro lege conſtituit. d. l. 2. § 12.

TH. 16. *Sine ſcripto* jus venit, quod uſus approbavit. §. 9. Inſt. d. t.

TH. 17. Vtrumque jus, tam ſcriptum, quàm non ſcriptum exſequitur Magiſtratus, & Iuriſprudentes interpretantur. l. 2. §. 13. hoc tit.

TH. 18. Magiſtratus (a) apud Romanos erat ſummus, aut ſub ſummo.

(a) Magiſtratus vocabulum hic *latè* & impropriè ſumitur. d. l. 2. §. 14. pro qualibet in vrbe poteſtate, hoc in ſenſu & Reges ſive Principes dicuntur Magiſtratus, notandum Reges, Principes & populum, penes quem tanta eſt poteſtas ut præter Deum & enſem neminem cognoſcant ſuperiorem, perraró in corpore juris vocari Magiſtratus; ſed plerumque per Magiſtratum ibi intelligimus eum, qui ſub ſummo eſt. [2] *Propriè* accipitur pro ea poteſtate, quæ eſt ſub ſumma, ſive quæ ſummæ ſubjicitur, à quâ etiam juriſdictionem cui præeſt, habet. l. 13. ff. de juriſd. quo in ſignificatu ſumitur pro perſonâ, functionem ſ. authoritatem juris dicendi habente. l. obſeruare C. de Decur. & tales perſonæ vocantur publicæ, propter officium, quod habent publicum. [3] *Strictiſſimè* denotat Magiſtratum majorem, qui per excellentiam appellatur Magiſtratus. d. l. 2. §. 33. hoc reſpectu min-

res Magiſtratus, quibus demandata tantum eſt juriſdictio, non vocantur Magiſtratus. l. 7. in fin. ff. de Offic. Proconſ.

TH. 19. Summus Magiſtratus erat Rex, (a) vel populus, (b) vel Princeps. (c)

(a) Quia ſub urbis Romæ incunabulis, ſtatus erat Regius; Regibus enim quorum 7. tantum fuerunt, omnis poteſtas abſolutè erat delata. d. l. 2. §. 14.

(b) Poſt regifugium Majeſtas reſidebat in populo, quapropter à Conſulibus ad populum provocare licuit, nec Conſulibus injuſſu populi in caput civis Romani animadvertere erat permiſſum. d. l 2. §. 16.

(c) Conſtituto poſtea Principe ſummum ei jus à populo privativè fuit delatum. d. l. 2. §. 12.

TH. 20. Magiſtratus ſub ſummo erat Regius, vel popularis, vel principalis.

TH. 21. *Regius* erat Tribunus Celerum. d. l. 2. §. 15. ſecundùm à Regibus locum tenens, equitibus præerat.

TH. 22. *Populares Magiſtratus* erant *Conſules*. d. l. 2. §. 16. *Dictatores*, quos tempore neceſſitatis tantum crearunt. d. l. 2. §. 18. Magiſtri equitum, qui ita jungebantur Dictatoribus, ut Regibus Tribuni Celerum. §. 19. Tribuni. §. 20. §. 25. Ædiles. §. 21. & 26. Quæſtores. §. 22. & 23. Prætores. §. 27. & 28. Decemviri, haſtæ præerant, inque litibus judicandis conſtituti. §. 29. *Quatuorviri* qui curam viarum gerebant. Et *Triumviri*, hi erant monetales & capitales, id eſt, ultimi carceris cuſtodiam habebant. §. 30. *Quinquiviri*. §. 31. hi veſpertinis temporibus in publico verſabantur.

TH. 23. *Principalis ſ. Imperatorius* Magiſtratus erant Prætores §. 32. Præfectus urbi, Præfectus annonæ & Præfectus vigilum. d. l. 2. §. 33.

TH. 24. Revertimur adhuc ad Iuriſprudentes, quorum aliqualem ſupra fecimus mentionem. Hos ideo reaſſumimus, ut tempora, quibus vixerunt, eo accuratiùs obſerventur.

TH. 25. Iuriſprudentes diſtinguimus in tres claſſes, [1] *quidam in libera Republica*, id eſt, tempore Democratiæ ante Chriſtum natum, uſque ad Auguſti tempora vixerunt. d. l. 2. §. 36. ad §. 47. uſque, [2] quidam ab Auguſto Imp. id eſt, tempore Monarchiæ uſque ad edictum perpetuum, Adriano imperante, A. C. 134. conditum, floruerunt. d. §. 47. [3] Qui poſt Adriani ævum ad ætatem Alexandri Severi, vel etiam Gordiani Imper. uſque claruerunt.

TH. 27. *Prima claſſis* iterum diſpeſcitur in ſex ætates; *in prima ætate* ſunt T. Coruncanus, ſæculo tertio ante C. N. vivens; hic primus extitit, qui ſtudium juris publicè eſt profeſſus atque docuit. *In ſe-*

cunda Sextus Ælius, Publius Ælius & Publius Attilius; *in tertia*, Cato; *in quarta* Publius Mutius Scævola, Brutus & Marcus Manilius. §. 39. & ab his profecti. Publius Rutilius Rufus, Paulus Virginius, Quintus Tullius, Sextus Pompeïus, Cœlius Antipater, & Lucius Craſſus. d. §. 39. *in quinta*, Quintus Mutius. d. l. 2. §. 41. Cajus Aquilius Gallus, Balbus Lucilius, Sextus Papirius, Gajus Iuventius. §. 42. Servius Sulpitius. §. 43. Alſenus Varus, Aulus Ofilius, Titus Læſius, Aufidius Tucca, Aufidius Namuſa, Flavius Priſcus, Gajus Atejus, Pacuvius, Labeo Antiſtens Cinna, Publius Gellius. §. 44. *In ſexta*, vixit Tubero. §. 46. Omnes hi ſupradicti ante Imperatorum tempore floruerunt.

TH. 28. *In ſecunda claſſe* tempore Monarchiæ ſequentes claruerunt Icti; [1] *ſub Auguſto*, Attejus Capito & Antiſtius Labeo. §. 47. [2] *ſub Tiberio*, Nerva & Maſſurius Sabinus. d. §. 47. [3] *ſub Caligula*, Gajus Caſſius Longinus. d. §. 47. [4] Ottonis & Vitellij temporibus, Licinius Proculus, Atilicinus & Nerva filius. d. §. 47. [5] *Veſpaſiani* tempore, Cælius Sabinus & Pegaſus. [6] *Sub Trajano*, Priſcus Iavolenus & Celſus Pater, Neratius Priſcus, Priſcus Fulcinius, Ariſto, Aorianus, Micinius Natalis, Alburnus Valens; [7] *Sub Adriano*, ſæculo poſt N. C. ſecundo, regnante, Celſus Filius, Domitius Labeo, Salvius Iulianus, (edictum perpetuum Adriani juſſu anno poſt N. C. 132. conſcripſit,) Pomponius Sextus, Cæcilius Africanus, Gajus Lucius, Voluſius, Moecianus.

TH. 29. *In tertia claſſe* illi comprehenduntur Icti, qui poſt Adriani ævum ad ætatem Alexandri Severi, vel etiam Gordiani Imperatoris uſque, celebres extiterunt, ſunt ſequẽtes. [1] *Sub Antonio Pio*, Vlpius Marcellus, Ælius Marcianus. [2] *Sub Marco Antonio Philoſopho*, Q. Cervidius Scæuola, Iulius Mauritianus, Terentius Clemens, Meſſius Claudius, Triphoninus, Tarruntenus Paternus. [3] *Sub Septimo Severo*, Æmilius Papinianus, Quintus Septimus, Florens Tertullianus. [4] *Sub Alexandro Severo*, Fabius Sabinus Vlpianus, Paulus Florentinus, Hermogenianus, Calliſtratus, Venuleïus Modeſtinus, Arrius Menander, Rufinus, Arcadius. *Sub Severo & Maximino*, Iulius Aquila, Æmilius Macer, Anthus, Rutilius Maximus.

TH. 30. Vltimò, de Ictorum diſſenſione, ſectarumque in diverſas partes euntium ſpeciebus, paululum ut dicatur, non abs re duximus. Tubero Ictus ante Auguſtum Imp. florens, duos habuit diſcipulos, Capitonem ſc. & Labeonem, ſub Auguſti imperio tandem ſumma juris Civilis lumina, à quorum invida æmulatione, omni injure enata eſt diſſenſio,

diſſenſio. Alter enim Magiſtri præceptis fideliter adhærens, (quaſi in ipſius verba & mentem juraſſet) alter audaci ſubtilis ingenij fiduciâ, pleraque innovare auſus eſt; hinc illi tanquam hujus diſſenſionis ſeminarium, diſſidium in juris diſciplinam primi invexerunt; hos ſecuti ſunt eorum diſcipuli, Sabinus, Caſſius, &c. Præceptoris opinionem pro aris & focis defendentes, illi iterum ſuos habuere auditores, ſectatores & aſſeclas. Vnde denique tam diverſæ in jure ſententiæ, & tot ſectæ putà, Sabiniani, Caſſiani, Proculiani, & Pegaſiani, ex horum & aliorum innumerabilibus voluminibus Iuſtinianus per Tribonianum, Dorotheum, Theophilum & alios Pandectas colligi curavit.

TITULUS TERTIUS.

De Legibus, Senatuſconſultis, & longa conſuetudine. Iung. lib. 11. tit. 14. C. de legib. & tit. 16. C. ibid. de Sctis.

TH. 1. QVÆ ſuperius de jure civili in genere expoſuimus, ea ſpecialiter hoc titulo ſunt explicanda. Ideo repeto antecedentes diviſiones. Dividitur jus Romanũ in ſcriptum & non ſcriptum. *Scriptum* iterum diſpeſcitur *in jus civile* in ſpecie hic dictum & *Prætorium.* l. 7. ff. de I. & I. hoc eſt, quod Prætores introduxerunt, adjuvandi vel ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratia propter utilitatem publ. d. l. 7. §. 3. *Ius civile* eſt quod ex legibus, plebiſcitis, Sctis, decretis Principum & authoritate Prudentum venit. d. l. 7.

TH. 2. De Legibus, Sctis & jure non ſcripto, hoc titulo tractatur, cum iſta jura etiam in ſtatu populari obtinuerint; de conſtitutionibus Principum, quæ demum in ſtatu Monarchico ſecutæ, inque eo ſtatu ſolummodò valent, peculiaris eſt titulus ſequens.

TH. 3. Vox *Legis* eſt æquivoca; ſumitur verò hic lex pro regula, inſtituto, præſcripto, ſeu juſſu in ordine ad aliquem finem, & [1] *latiſſimè* denotat, omnem regulam, ſ. inſtitutum civitatis juſtum vel injuſtum. Vnde Ariſtot. 4. Eth. inquit, mala lex eſt, quæ tumultuarie ſcripta, quæ participat nomen legis, quatenus in ordine ad aliquem finem præſcribit certum operandi modum. [2] *Latè & generaliter*, regulam rectam, ſeu inſtitutum honeſtum. §. 10. Inſt. de I. N. G. & C. l. 1. 2. 7. l. 32. hoc tit. l. 9. C. eod. ſive ſit ſcriptum ſive non. l. 1. C. ne fidei. dot. Lex

enim regula eſt ad actus morales, quoad bonitatem & rectitudinem eorum ſimpliciter, ratione cujus ad eos inducit, [3] *ſpecialiter* ſignificat omne jus ſcriptum, ſive expreſſo conſenſu ſancitum, & opponitur conſuetudini. §.1.& pen.Inſt. de I.N.G & C. l.6.§.1.ff.de I. & I. l.32. ff. hoc tit. [4] *Strictè* denotat Legem 12.Tabb. l.1.ff.de curat. fur. & denique [5] *Strictiſsimè* ſumitur pro ſpecie juris Romani. quam populus conſtituit, qua plebiſcito, Sēto, &c. opponitur & ita hoc tit. accipitur.

TH. 4. *Cauſa efficiens legum* eſt populus. Ergo [1] *non Princeps*, quia in eum populus omne jus & abſolutam poteſtatem privativè contulit, quapropter non legem propriè dictam, ſed conſtitutionem facit, [2] *non Senatus*, qui non legem, verùm Sctum facit. l.9.ff.hoc tit. eſt enim contra legis definitionem; [3] *non Magiſtratus*, quibus populus dedit poteſtatem condendi juris, horum enim poteſtas eſt tantum vicaria, [4] nec *Prætori* hæc poteſtas à populo fuit conceſſa, quia hujus poteſtas ſaltem fuit precaria.

TH. 5. *Materia ſ. objectum* legum accuratè loquendo ſunt facienda & non facienda, quæ Philoſopho morali dicuntur virtutes & vitia. Aſt hæc non ſunt ſimpliciter legum objectum, ſed ut juſſa, ut imperata, quod virtutum, qua talium non eſt, eſt enim lex [1] commune præceptum. l.1. ff. hoc tit. [2] regula juſtorum & injuſtorum, præceptrix faciendorum, aut prohibitrix non faciendorum. l. 2. ff. hoc tit. Hinc patet, perſonas res & actiones non eſſe objectum, ſed ſumma juris capita & partes, de quibus agitur ordine in digeſtis. arg. l. 2. ff. de ſtat. hom. §. ult. I. de I. N. G. & C.

TH. 6. *Forma legis* conſiſtit in ſanctione & promulgatione. E ſcriptura non ad formam legis ſubſtantialem, ſed accidentalem pertinet, quia nihil intereſt, an ita conſtituatur, ut ſcripto comprehendatur, an ut memoria tantum (ut Lacedæmonij) vel alia ratione conſervetur. Ariſtot.10.Eth.9. lex ob formā differt à conſuetudine, quæ non in ſanctione & promulgatione conſiſtit, ſed tacita approbatione utentium.

TH. 7. *Finis* eſt, ut harum præſidio tuti ab injurijs ſimus, emendentur vitia, commendentur virtutes, quas rerump. anchoram Solon firmiſſimam eſſe dixit, & vt in rebus acquirendis, retinendis, alienandis, omnibuſque contractibus pari iure ſummi cùm infimæ conditionis hominibus teneantur, quòd concordiæ civilis eſt fundamentum; quo collimat Vlpianus. l. fin. ff. hoc tit. totum, inquiens, ius aut in acquirendo, aut in conſervando, aut in minuendo conſiſtit; quod tamen non ad totum ius, ſed ad res tantum pertinet; ut uno verbo nervum huius

exprimamus,omnes leges eò tendunt, ut quam beatiſſima ſit Reſp. iſque ſtatus æquabilitate juris retineatur.

TH. 8. *Effectus legum* eſt, ut omnes obliget [1] *ad ſcientiam*. l. 9. C. de legib. t. t. ff. de jur.& fact. ignor.[2] *ad obedientiam*. l.7. ff. de jur.patron. aut [3] ad pœnam. l. 2.ff. hoc tit. *Duo* porrò ſunt primarij *legis effectus*, putà *præcipere* & *vetare*, ut hoc facito, illud omittito exemplo Decalogi & Legum 12.Tabularum. His duobus adduntur adhuc duo in l.7. ff. hoc tit. *permittere* videl.& punire, quorum illud (permittere)approbat,& eſt eorum,quæ facere licet, ſine obligatione, quæque neceſſitatem nullam imponunt. Et ἀδιάφορα, id eſt, res indifferentes vocantur. Aſt propriùs hìc non eſt legis effectus,cum ſit abſque obligatione; additur tamen propterea.quod multa in iure obveniant, quæ ſapiunt permiſſionem & diſtinguenda ſunt à præceptione. l. 1. C. de ingr. lib. t.t. C.de revoc. donat.auth.matris & aviæ. C.quand.mul. tuto. off. c. ſi quis de furt. l. 2. C. de patrib. qui fil. l. qui ait. §.1. ff.ad L. Corn. de ſic.Dantur *permiſſionis gradus*, *primus* eſt *ſummus*, ut cum expreſsè,ſimpliciter & abſolutè aliquid permittitur,quod in ijs accidit, in quibus nihil mali. arg. l. 5. ff. de teſtam. & qui teſt. [2] eſt *medius* gradus, cùm non abſolutè quid permittitur, ſed dicitur non vetari tantum. l.omne ff.de R.I.vel permittitur, additâ adhortatione in contrarium quòd in ijs locum habet,quæ per ſe quidem mala non ſunt,ſed aliquid tamen mali ſecum trahunt, ſic ut per indulgentiam in ijs procedatur.l.26.C.de uſurp.l.16.§.4.ff.de minor.l.1.C.de jur.& fact.ignor. §.10.Inſt.de nupt.ubi non abſolutè prohibetur pater ſponſam filij ducere,diſſuadetur tamen,ſe rectè facturum, ſi ab eiuſmodi nuptijs abſtinuerit. [3] *Infimus permiſſionis gradus* eſt,cùm quid non tam permittitur,quàm cõniventibus oculis tacitè diſſimulatur aut toleratur,quod in ijs locum habet, quæ quidem per ſe mala,aut certè non bona, hominum ob imbecillitatem majoris mali vitandi cauſa nonnunquam ferre oportet,ut Romanis fuit concubinatus permiſſus.t.ff.de concub. ex nudo pacto non dari actionem. l. 7. §. 4. ff. de pact. *Punire* quoque ad legis effectum primariò non pertinet,quia non ſequitur immediatè ex lege,ſed ex delicto, quòd lex vetat, nec enim pœna infligi poteſt, niſi commiſſum delictum præceſſerit,quia *vetare* eſt antecedens legis, conſequens verò legis eſt τὸ *punire*, lex enim omnis non vetat. Et nec effectus legis eſt per ſe punire; quin etſi lex prohibens delictum vetet, tamen quæ punit,non vetat directò & per ſe, ſed indirectè & propter legem vetantem;neque obſtat,quod quæ punit lex,etiam cogat.Nam coactio legis eſt,vel de faciendis, quæ præcipit, vel de non faciendis,

quæ prohibet. l.2. in fin. ff. hoc tit. quia unamquamque virtutem jubet, vitia prohibet. Ariſt.5. Eth.5. At lex puniens neque præcipit, neque vetat, ſed vetitis pœnam imponit. Conſequens E. legis eſt τὸ punire, cujus antecedens τὸ vetare. Notandum, quando leges dicuntur imperare, permittere & punire, tunc affirmant; quando dicuntur vetare, tunc negant.

TH. 9. Accuratè obſervandum, *in omni lege tria eſſe attendenda*. [1] verba, [2] mentem ſ. voluntatem, & [3] rationem legis.

TH. 10. *Verba* ſunt quid extrinſecum & ſenſibile, & veluti materiale, habentque duplicem *ſignificationem, naturalem* ſc. & *civilem*. *Naturalis* eſt, quando intelliguntur, uti jacent, & ut ab initio rebus impoſita, aut certo communi uſu totius populi in vulgari modo loquendi recepta fuerunt, ſicut dictio *mors*, ſignificat mortem naturalem; *filius*, eum, qui ab alio prognatus eſt. *Civilis* eſt, quando per aliquam parificationem & fictionem naturalis ſignificatio extenditur, ſicut dictio *mors* denotat quoque deportationem, quæ pro civili morte habetur, item *filius* ſignificat illum, qui adoptatus eſt. (2) *Mens* ſeu voluntas intrinſecum quid eſt, & quaſi ſpiritus ſeu anima, in qua eſſentia legis propriè conſiſtit, & quæ verba inſtar corporis vivificat. (3) Ratio eſt ſaltē cauſa, quæ Legiſlatorem ad legem ferendam permovet, & nihil aliud eſt, quàm cauſa finalis, etſi enim hæc duo à Doctoribus plerumque confunduntur, & negari non poteſt mentem Legiſlatoris ex ratione, ſi de ea conſtet, inveſtigari & iudicari poſſe, tamen propriè differunt, tum quia in animo Legiſlatoris diſtincta ſunt, aliud enim eſt voluntas ſeu intentio; ſecundum quam vult aliquid præcipere, aliud ratio ob quam movetur, tum quia per legem humanam poſitivam, de qua hîc loquimur, multa arbitrio Legiſlatoris ſtatuuntur ſine certa ratione, quatenus illa circa actus indifferentes verſatur, qui ab initio hoc vel illo modo fieri vel non fieri licitè poſſunt; unde & quod Principi placet, legis rationem habere dicitur. l. 1. ff. de conſt. princ.

TH. 11. Ius aliquam libertatis (a) reſtrictionem facit, (b) vel tollit. (c)

(a) Libertas eſt faciendi, vel patiendi id, quod cuique libet facere aut pati, vel eſt facultas non faciendi, vel non patiendi id, quod quiſque non vult facere, aut pati.

(b) Libertas faciendi reſtringitur per jus prohibens, unde in l.4. pr. ff. de ſtat. hom. *Libertas* ea dicitur eſſe facultas naturalis eius, quod cuique facere libet, niſi ſi quid jure prohibeatur. Hic & libertatem patiendi jus prohibens reſtringit. Libertas verò non patiendi, ſeu non patiendi per jus, quód ut faciamus vel patiamur, præcipit, reſtrictionem accipit. Ius libertatis limites continet, & non veram ac honeſtam libertatem, ſed petulantem li-

centiam reſtringit, ſicq; legum ſervitus eſt ingenuorum hominum libertas.

(c) Si ius, ut fiat aliquid, præcipit, poſtea v. id permittatur, tantum reſtrictio libertatis (ſive ea ſit faciendi, ſive patiendi) tollitur. Si autem quod prohibitum poſtea permittatur, libertas non faciendi & non patiendi reſtrictione liberatur. Ius igitur directò vel præcipit vel prohibet l. 7. ff. de leg. dico directò, quia una, eademque lex, quæ directo præcipit, in conſequentiam prohibet, & quæ directo prohibet, in conſequentiam præcipit. Quæ lex permittit, ea directò nec præcipit, nec vetat, in conſequentiam tamen alij poteſt præciperet & vetare.

TH. 12. Naturalia iura, quæ apud omnes gentes peræque obſervantur, ſemper firma atque immutabilia permanent §. 11. Inſt. de I. N. G. & C.

TH. 13. Civilia iura conſtitui oportet in his, quæ ut plurimum accidunt, nam ex his, quæ fortè uno aliquo caſu accidere poſſunt, iura non conſtituuntur, ſed ad ea potius aptari debet ius, quæ & frequenter & facilè, quàm quæ perrarò eveniunt, quod enim ſemel aut bis exiſtit, prætereunt Legiſlatores l. 3. 4. 5. & 6. ff. hoc tit.

TH. 14. Leges generaliter ſcribuntur, actiones verò hominum circa ſingularia verſantur. Lex in univerſum ſancit, eum, qui depoſitum non reddiderit, eſſe infamem atque ignominioſum; item peregrinum, ſi murum aſcenderit, à civibus eſſe interficiendum, nec non eum, qui rem cum aliena uxore habuerit, caſtigari debere: atque unumquodque horum, id eſt infamia, interfectio & caſtigatio, iuſtum eſt plerumque, accidit tamen interdum, ut iuſtum minimè ſit, ſed peccatum. Sic furioſo depoſitum non eſt reddendum, nec peregrinus abſque peccato interfici poteſt, ſi ingruentibus hoſtibus murum aſcendens adverſus hoſtes fortiter ſe geſſerit, atque urbem defenderit, nec puniendus, qui cum aliena uxore rem habuerit, putans eſſe ſuam. Particularia ſunt infinita, ita ſpecialiter legibus comprehendi non poſſunt. Hos caſus præcedentes ſi noviſſet Legiſlator eſſe eventuros, legi procul dubio addidiſſet, lexque in hunc modum fuiſſet ſcripta, peregrinus quilibet, qui in bello murum aſcenderit, occidatur, niſi is, qui defendendæ urbis cauſa id fecerit, fortiterque ſe geſſerit.

TH. 15. Iura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur; quia legibus propter infinitam caſuum varietatem omnia ſpecialiter ac ſigillatim comprehendi ac definiri nequeunt, adeoque neceſſe eſt, generaliter, finitè, ſimpliciter, atque ut plerumque ſe res habet, leges proponi, ut ſecundùm iura & leges ita de factis infinitis & ſingularibus latas iudicari poſſit, ad quod non minima requiritur pru-

dentia, ut leges actionibus hominum ſingularibus, ne quid iniqui emergat, ſapienter applicentur, & ut ad caſus in legibus expreſsè non deciſos per convenientem interpretationem producantur l. 2. §.5. & 13. de O. I. l. 12. & l. 17. ff. de legib.

TH. 16. Leges ſunt univerſales, vel particulares, & quidem expreſsè, vel implicitè. *Leges naturales* licet non exprimantur ſigno univerſalitatis, implicitè tamen ſunt univerſales. *Civiles* verò niſi ſignum univerſalitates adjectum habeant, ſunt particulares, nullæ verò ſunt ſingulares.

TH. 17. Cum in aliqua cauſa ſententia legis eſt manifeſta, ad ſimilia procedere licet, l. 12. hoc tit. Neque enim leges, neque Scta ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint comprehendantur, ſed ſufficit, ea, quæ plerumque accidunt, contineri l. 10. ff. hoc tit.

TH. 18. Quod contra rationem iuris receptum, ad conſequentias non eſt producendum, l. 14. 15. & 16. hoc tit.

TH. 19. Scire leges non eſt verba earum tenere, ſed vim & poteſtatem l. 17. ff. hoc tit. hinc verbum ex legibus ſic accipiendum eſt, tam ex legum ſententia, quam verbis l. 6. §. 1. ff. de V. S. id eſt, non tantum, quod palam verbis legis eſt expreſſum, verumetiam quod per neceſſariam conſequentiam ex legis mente ac ſententia deducitur. l. 7. §. 2. ff. de iuriſ. Hinc ſecundùm legem facere, non eſt verba legis exterius ſequi, ſed mentem & ſententiam legis implere. Ne putemus in verbis ſcripturarum eſſe Evangelium, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum folijs, ſed in codice rationis.

TH. 20. Explicatâ ſatis legum & Sctorum naturâ, tum in priori titulo, tum in antecedentibus, ſine ulteriori utriuſque declaratione ad legum interpretationem accuratè indagandam progredimur.

TH. 21. *Interpretatio legum* eſt triplex, [1] authentica, [2] uſualis & [3] doctrinalis.

TH. 22. *Authentica* fit ab ipſo Legiſlatore, qui legem tulit, aut ſucceſſore eius, eandem poteſtatem habente, ex quo legis latio dependet, & potiſſimum locum habet, quando verba legis ita obſcura ſunt, ut aut omnino voluntas Legiſlatoris percipi nequeat, aut perquàm dubia & indefinita ſit l. 9. C. hoc tit. l. 11. & l. 12. ff. hoc tit. l. ult. C. eod. unde definiri poteſt, quod ſit clarior voluntatis Legiſlatoriæ expreſſio & in legem intellectu ambiguam explicatioris ſententiæ illatio, in quò maximè differt ab interpretatione doctrinali, quæ ſenſum legibus non infert, ſed ſignificationem verborum & mentem

Legiſlatoris, cauſamque finalem,qua motus eſt,perſcrutando ex illis eruit, effert, & expromit, quia Iↄtus, cuius eſt illa interpretatio,leges non efficit, ſed factas conſiderat, adeòque circa illas tantum objectivè verſatur; id eſt, legis eſſentia non dependet à Icti intellectu, ſed illius intellectus dependet ab ipſa lege, & conſequenter ab illa, tanquam re intellecta menſuratur. Legiſlator autem legem efficit, illique eſſentiam impertit; unde prorſus ab illius intellectu & voluntate menſuratur; E. interpretatio hæc authentica vera & infallibilis ab eo, qui legem tulit, deſcendit.

TH. 23. *Vſualis interpretatio* eſt, quæ fit à conſuetudine & ipſo iudicati uſu. Conſuetudo enim optima legum eſt interpres l. 37. l. 38. ff. hoc tit. l. 34. ff. de R. I. & quandoque in effectu pro lege habetur, reſpectu illorum, apud quos conſuetudo viget.

TH. 24. Doctrinalis interpretatio fit à Icto. Iuriſprudentes enim interpretantur leges, eas declarando, vel extendendo, vel reſtringendo.

TH. 25. *Ictorum interpretatio* hodie per ſe nullam quidem inducit obligationem, neceſſaria tamen nihilominus eſt, quia leges plerumque breviter & generaliter ſcribuntur, & in illarum applicatione frequenter dubia oriri ſolent, quæ removeri Reip. intereſt, habetque & illa ſuam authoritatē, ex qua ut in omni arte, ita etiam in Iuriſprudētia, iudicium peritorum magnam probabilitatem inducit, poteſtque interdum eſſe tanta, ſi ſcilicet omnes conſentiant, ut neceſſitatem legis inducat judici, legem ita intelligendi, & ſecundùm illam interpretationem iudicandi, quatenus vix accidere poſſit, ut contra communem omnium doctorum ſententiam tam efficax ratio occurrat, quæ in conſcientia contrariam ſententiam ſecuram reddat.

TH. 26. Interpretatio doctrinalis eſt triplex [1] declarativa ſ. explicativa, [2] extenſiva, & [3] reſtrictiva; quarum prima verborum ſignificationi, reliquæ duæ voluntati Legiſlatoris & ſententiæ inſerviunt exponendæ.

TH. 27. *Declarativa ſ. explicativa* eſt ambiguitatis & obſcuritatis in verbis ſingulis, vel tota oratione legis commoda expoſitio. Locus autem fit huic interpretationi [1] *propter ambiguitatem*, ubi quod ſcriptum eſt, duas, pluresque ſignificationes habet differentes; ambiguum autem dicitur, quod in ambas partes agi poſſit, [2] *propter obſcuritatem*. Quoad ambiguitatem & obſcuritatem diſtinguendum eſt, utrum verbum aliquod habeat plures ſignificationes proprias, an verò unam ſignificationem propriam, aliam impropriam; *priori caſu* illa ſignifica-

tio eſt ſequenda, quæ convenit ſubiectæ materiæ l. 50. §. fin. ff. de leg. 1. l. 67. ff. de R. I. *Poſteriori caſu* tenenda eſt hæc regula. Verba ſunt intelligenda ſecundùm propriam ſignificationem l. 8. ff. de aur. & arg. leg. l. 1. §. 19. ff. de exerc. act. l. 12. ff. qui & à quib. man.

TH. 28. *Extenſiua interpretatio* eſt, quâ verba iuris ſcripti extendimus & producimus ad caſus ſimiles, quos Legiſlator verbis quidem non exprimit, re ipſa tamen & mente illos comprehendit, ita, ut ſi hodie interrogaretur, idem de iis caſibus eſſet reſponſurus, quod de caſibus expreſſis l. 11. & 12. hoc tit. apparet autem mens Legiſlatoris ex quatuor rebus ſeqq. [1] *ex alijs legibus* & aliis partibus legis, puta ſi una pars legis declaret aliam, l. incivile 24. ff. hoc tit. [2] *ex contrario* ſenſu, ſic enim ſi lex nominatim in re aliqua quid ſtatuit, intelligitur re contraria, contrarium velle, quamvis non exprimatur l. 22. hoc in tit. l. 1. verſ. huius rei ff. de offic. eius. [3] *Ex conſequentibus*, conſequente enim prohibito, cenſetur omne à lege prohibitum, per quod ad illud pervenitur, unde qui prohibitum hoc facit, contra legem facere dicitur l. 29. l. 30. ff. hoc tit. l. 5. C. eod. l. fin. C. de ſilent. in contr. l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. l. 7. § 3. l. 3. §. pen. ff. ad Sctum Maced. l. 5. pr. ff. de donat. inter vir. l. 7. in fin. ff. qui & à quib. [4] *Ex ratione legis latiore.* Si enim lex de certis quibuſdam caſibus aliquid diſponat, ex ea ratione, quæ etiam comprehendit alios caſus, dilatanda ſunt verba ex ſententia l. 32. ff. ad L. Aquil. l. 4. ff. de fund. dot. ſive. *Quando ſententia legis eſt latior verbis*, Legiſlator plus ſenſit, quàm locutus eſt, & tunc lex eſt extendenda, plus enim Legiſlatorem ſenſiſſe, colligi poteſt ex 4. antecedentibus. l. 7. §. 2. de iuriſd. l. fin. C. de conſtit.

TH. 29. *Reſtrictiva legum interpretatio eſt*, quando verba legis generalia reſtringuntur, propterea quòd Legiſlator generaliter quidem locutus eſt, minus tamen voluit, quam expreſſit. Sive *quando ſententia legis eſt anguſtior* verbis, id eſt, Legiſlator minus ſenſit, quam locutus eſt, tunc legis verba ex ſententia ſunt reſtringenda; licet Legiſlator generaliter locutus ſit, minus tamen ſenſit. Fit autem *hæc reſtrictio* [1] *ex ratione legis anguſtiori*, ſive expreſſa, vel aliunde ex circumſtantijs probabiliter collecta. l. quamvis ff. de in jus voc. l. 6. §. quamvis ff. de jur. patr. l. 18. ff. de injur. l. 1. & 2. §. 3. ff. de ædil. edit. [2] *ex alia lege* l. 33. ff. de hered. pet. l. 1. in fin. ff. ex quib. cauſ. tum priori, tum poſteriori; l. 26. 28. ff. hoc tit. quia novum non eſt ut priores leges ad poſteriores trahantur l. 26. hoc tit. & poſteriores ad priores leges pertineant. [3] *Ex alijs eiuſdem legis partibus.*

bus, cùm quod in vna parte, velut decidendi cauſa affirmatur, in alia poſtea in totum, aut ex parte negatur. l. Labeo §. 1. ff. de ſuppell. l. ſi tibi ff. de R. C. aut quod in una parte generaliter definitum eſt, in alia temperatur. [4] Aliquando etiam *ex æquitate*, cum quod generaliter & indiſtinctè ſcriptum eſt, quibuſdam in cauſis ejuſdem generis iniquum invenimus. ideo dicimus. Benignius ſunt leges interpretandæ, quo voluntas earum conſervetur. l. 18. hoc tit. l. 8. C. de judic.

TH. 30. Quando ſententia legis cum verbis eſt eadem, lex eſt ſervanda, licet duriuſculè poſita l. 12. §. 1. ff. qui & à quib. manum. undè cõmunis regula, ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

TH. 31. Si ſententia legis à verbis eſt diverſa, tunc aut latior eſt verbis, aut anguſtior; ſi latior eſt verbis, lex eſt extendenda, *Legiſlator* enim tunc plus cenſetur ſenſiſſe; ſin anguſtior, tunc lex eſt reſtringenda, quia minus ſenſiſſe videtur Legiſlator, quàm eſt locutus; de quibus jam ſupra ſatis expoſuimus.

TH. 32. Fraus legi non eſt facienda l. 29. & 30. hoc tit. ut qui verba legis amplexus nititur contra legis voluntatem ſ. ſententiam l. 5. C. hoc tit. is enim ius civile calumniari, verbaque captari dicitur.

TH. 33. De quibus cauſis ſcriptis legibus non utimur, id cuſtodiri oportet; quod moribus & conſuetudine eſt inductum, & ſi qua in re hoc deficeret, tum quod proximum & conſequens eſt; ſi nec id quidem appareat, tunc ius, quo urbs Roma utitur, ſervari oportet. l. 32. ff. hoc tit.

TH. 34. Diſſeruimus hactenus de interpretatione & iure ſcripto; ſubjicitur nunc jus non ſcriptum, quòd & conſuetudo vocatur.

TH. 35. Conſuetudo (a) moribus (b) diuturnis tacito utentium conſenſu conſtituitur. (c)

(a) Vox hæc eſt æquivoca, quæ in ſua æquivocata eſt diſtribuenda, ſumitur [1] *latè* pro aſſuefactione. §. 15. Inſt. de R D. dicuntur conſuetudine ea fieri, quæcunque homines (quia ſic fecerunt) faciunt, l. 50. §. f. ff. de leg. 1. [2] *Pro facto* plurium perſonarum l. 32. hoc tit. quod vocatur mos ſive uſus arg. l. 32. hoc tit. quomodo conſuetudo eſt facti & probanda C. 1. de conſt. in 6. [3] *propriè* pro iure ex uſu & moribus reſultante. l. 33. hoc tit. t. t. C. quæ ſit long. conſ. in hoc tertio ſignificatu iterum, dupliciter accipitur [1] ſtrictè, [2] latè. Hoc ſenſu pro iure, quod ex uſu, & moribus in quocunque Reip. ſtatu oritur. l. 1 2. C. quæ ſit long. conſuet. vel *ſtrictè* pro eo, quod eſt ex moribus populi Rom. d. l. 32. §. 1. ff. hoc tit. & hæc ſignificatio eſt huius loci.

(b) *Mores* nonnunquam denotant [1] id, quod in omnium gentium more eſt.

poſitum, quodque omnes vulgò probarunt & ſecuti ſunt, [2] aliquando ea, quæ apud Romanos à primis vrbis cunabulis recepta fuerunt l. 2. pr. ff. de vulg. & pup. ſubſtit. l. 1. ff. de don. int. vir. [3] quandoque conſuetudinem c. 1. de conſt. in 6. [4] Ponuntur pro actibus, quibus conſuetudo introducitur, & ſic hîc accipitur.

(c) d. l. 32. §. 1. & §. 9. Inſt de I. N. & C.

TH. 36. *Cauſa efficiens conſuetudinis* eſt tacitus populi conſenſus.

TH. 37. Materia circa quam ſunt res poſſibiles atque honeſtæ. Rerum enim impoſſibilium nulla eſt obligatio l. 185. ff. de R. I. ut & turpium l. 26. ff. de V. O. & proinde nec ius ullum, aut conſuetudo.

TH. 38. Quatuor ſunt conſuetudinis requiſita, (1) ut conſuetudo ſit rationabilis, (2) inveterata, per multos ſc. annos obſervata, (3) uſu ſæpè frequentata, ſive actibus, exempliſque aliquot confirmata, (4) conſenſu populi tacito introducta Mynſ. 6. obſ. 41.

TH. 39. Conſuetudo alia eſt univerſalis, (a) alia eſt particularis. (b)

(a) Qualis in Germania, vel alijs amplis regnis ſolet obſervari.
(b) Sive localis. O. C. p. 1. t. 57. l. ſi ſervus §. fin. ff. de leg. 1.

TH. 40. Conſuetudo eſt præſcripta, (a) vel non præſcripta. (b)

(a) Id eſt, quę per tempus eſt obtenta & ius factum. ſc. conſuetudo præſcripta per curſum temporis requiſiti ad præſcriptionem eſt obtenta.

(b) Id eſt, quæ adhuc in fieri, & nondum introducta plenè, quæ ferè mos & uſus appellatur, vimque conſuetudinis nondum nacta eſt.

TH. 41. Qr. utrum ad conſuetudinem introducendam requiratur ſcientia & patientia Principis, an ſufficiat ipſum non contradicere? Reſp. affirm. poſterius membrum, (1) per C. 1. de conſt. in 6. c. licet Romanus eod. (2) quia ea ex rebus, factiſque tacitis naſcatur, in quibus impoſſibile, habere conſenſum Principis, cùm principium ignoretur, ex natura enim conſuetudinis eſt, quod expreſſus & poſitivus Principis conſenſus intervenire non poſſit; idcirco interpretativus ſufficit, cùm Princeps eam toleret, nec impediat, (3) diuturni mores, ſ. legitimi temporis uſus autoritatem iuris hic tribuunt c. cum tanto. de conſuetud.

TH. 42. Qr. an conſuetudo legem tollere poſſit? Reſp. hic l. 32. §. 1. ff. de leg. & l. 2. C. quæ ſit long. conſuet. conciliandæ ſunt. Mens d. l. 2. hæc eſt, licet magna vis & authoritas ſit conſuetudinis, tamen tanta eſſe non debet, ut rationem vincat (ſc. ut per conſuetudinem introduci poſſet, quod eſſet contra rationem naturalem arg. l. 39. ff.

de leg.) aut legem, ut ſc. quæ lege aliqua introduci, nequeunt, ea per conſuetudinem introducantur. Ergo, dum in d.l.2. dicitur, per conſuetudinem non poſſe introduci plus, quàm per rationem naturalem aut ius ſcriptum, eo ipſo implicitè innuitur, eandem eſſe conſuetudinis vim, quæ ſit legis & rationis, atque ſic nulla inter dictas leges eſt pugna. Hinc ſequitur legem conſuetudine poſteriorem, tollere conſuetudinem, & contra conſuetudinem lege poſteriorem, tollere legem, quia & legis & conſuetudinis idem eſt effectus; ſicut enim lex poſterior legem tollit priorem, ita & conſuetudo.

TH. 43. Qr. an conſuetudo & præſcriptio differant? R. affirm. *illa* eſt pars juris civilis §. 3. Inſt. de I. N. G. & C. hæc eſt modus acquirendi dominij, vel alterius juris in re, (2) illa moribus & conſenſu populi tacito introducitur, *hæc* poſſeſſione vnius hominis perficitur, (3) *ex illa* ius publicum, ex *hac* ius privatum, (4) *in illa* ius adverſarij non attenditur, *hujus* objectum non ſunt, niſi res, quæ in commercio & bonis. Illud tamen utrique commune eſt, quod tacitè fiat, ipſiſque factis arg. l. 32. ff. de leg. & pr. Inſt. de uſucap.

TH. 44. Princeps legibus eſt ſolutus, (a) attamen ſe legibus alligatum profitetur. (b)

(a) Sc. à ſe latis eſt ſolutus, tam quoad vim coactivam, quam directivam l. 31. hoc tit. l. 26. ff. de donat. inter vir. & uxo. quia non ſibi, ſed ſubjectis legem præſcripſit, nec poteſt ſimul ſuperior eſſe obligans, ac inferior ſubjectus & obligatus. Aſt quatenus quodam Principis facto læditur ſubditus, vel ipſa Reſpubl. detrimentum accipit, eatenus Princeps peccat contra jus naturæ & officium boni Principis, & ad illud omittendum tenetur, non ex ſua lege, ſed ex jure naturæ. l. 3. C. de teſtam. l. 7. C. qui teſtam. fac. poſ. §. ult. Inſt. quib. mod. teſtam. infir. l. 4. C. hoc tit. l. 4. C. ad L. Falcid.

(b) l. 4. C. hoc tit.

TH. 45. Sic Imperator noſter legibus civilibus, quas in imperio ſubditis ſuis tulit, vel uſu recepit, eſt ſolutus; legibus verò fundamentalibus, puta Capitulationibus Cæſareis &c. quibus ſe ſtatibus imperij aſtrinxit, quàm maximè obligatus eſt. Carpz ad L. Reg. c. 12. hic enim Imperator, non conſideratur quâ imperans, ſed quâ membrum Reipubl. Notandum, à Iuſtiniano & alijs Imperatoribus remotis abhinc ſeculis viventibus ad noſtrum Imperatorem argumentari non licere. e.g. Iuſtinianus legibus fuit ſolutus. E. & hic, quia ſtatus reip. hodie plane eſt immutatus; leges enim Iuſtinianeæ hic alligatæ de puro Monarchico ſtatu loquuntur, quem Capitulationes & Receſſus imperij neſciunt; quia Ariſtocratico Monarchicus hodie eſt tempe-

ratus. Vnde etiam Imperator, nec bellum gerere, nec militem peregrinum alere, nec fœdera pangere, nec legem univerſalem condere ſtatibus imperij inconſultis poteſt.

TH. 46. Hinc ulterius ad faciliorem theſeos 44. intellectum qr. an Princeps ſive Monarcha legibus ſit ſolutus? Reſp. diſting. (1) inter *Principem vere talem*, qui ſubditorum commodum quærit, & *tyrannum*, (2) inter *vim legis coactivam* & *directivam*, cùm enim lex regula ſit actionum directrix, & prohibitrix non faciendorum ſecundum l. 1. & 2. hoc tit. utique etiam duplici illâ vi pollebit. (3) inter *leges divinas*, *naturales & poſitivas*. Divinis & naturalibus Princeps verè talis ſolutus eſt, quoad vim coactivam, ob rationes ſequentes, (1) cùm nemo in terris eo ſit ſuperior, ita nemo quoque eſt, qui eum propter tranſgreſſionem cogere poſſit. (2) quia ſeipſum cogere non poteſt, quia violenta actio principium requirit externum, id eſt, coactio non poteſt procedere, niſi à voluntatibus diverſis, cogens enim & coactum diſtinctas requirunt perſonas; aſt obligatur Princeps legibus ijſdem, quoad vim directivam, ita ut, niſi faciat vel omittat, quod illis juribus ſtatutum, ſe peccare intelligat. Dicta tamen ita volumus intelligenda, ut Princeps ſi à naturæ & rationis præſcripto interdum deflectat, pœnas quidem humanas non metuat; vindictam autem divinam eo experiatur graviorem, quo gravius peccat. *In poſitivis legibus* iterum diſting. eſt inter *leges*, quæ *ex jure gentium* promanant, & *mere civiles*. Hæ ſunt *univerſales*, vel *particulares*; quarum illæ ſunt, quæ ita à Principe feruntur, ut ſint communes toti civitati, & ut rationes ob quas feruntur, ad ipſum etiam Principem extendi poſſint; ſi ſint fundamentales, ſc. capitulationes, quibus ſe Princeps ſubditis obligavit; aliæ verò ſubditis tantum ſunt latæ. *Hæ* vero, quæ quoſdam tantum, aut certos ex civium numero concernunt, ut quæ feruntur certo alicui ordini, puta Eccleſiaſtico, militari, ad Principem extendi nequeunt. Idem ſtatuitur de juris gentium legibus, quod de divinis & naturalibus. Ex quibus colligitur, (1) Principem ſine cauſa ſubditis bona auferre non poſſe. nec (2) diſpenſare poſſe in gradibus iure divino & naturali prohibitis, (3) Principem teneri, contractus cum ſubditis ſuis initos ſervare.

TH. 47. Omnis lex ſit juſta, honeſta, poſſibilis, ſecundum naturam, & patriæ conſuetudinem, loco, temporique conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captionem & fraudem contineat, nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta.

TH. 48. Ob legum multitudinem à plurimis juriſprudentiæ ignaris jus civile mirum in modum calumniatur, dicentibus. Deum ipſum decem præceptis moralia iura comprehendiſſe, Ægyptios & alias gentes paucis fuiſſe contentas legibus; imo ipſos veteres Romanos leges 12. Tabb. admodum breves habuiſſe. Aſt reſpondemus, *ſi leges propriè* & in ſe (quatenus ſunt faciendorum, & non faciendorum normæ & regulæ) conſiderare velimus, eſſe pauciſſimas. Omnis enim Romanarum legum doctrina (1) pertinet ad *compilationes partium juris* t. de concep. dig. t. de confirm. Digeſt. (2) *ad hiſtoriam* in primis, ut t. de O.I. & officij magiſtratuum, [3] *ad conſtitutionem Iuriſprudentiæ* in genere. l. 1. ff. t. 1. 2. 3. 4. quo etiam multa ſpectant ex Inſt. ff. & C. [4] quæ *propria* ſunt *Iuriſprudentiæ*, illa nec proponuntur in modum præceptorum, ſed in modum artis. Sic enim pro legibus habentur commentarij Ictorum ad L. 12. Tabb. eorumque reſponſa. §. 6. de conc. dig. Edicta Prætorum & Scta, illorumque latæ explicationes, & interpretationes, notationes vocum, diſtinctiones ambiguitatum, ſynonimiæ, definitiones, partitiones, regulæ tam uniuerſales, quàm particulares, reſponſa Imperatorum in C. & Novellis, jura conſtituta de perſonis, rebus & actionibus per omnes juris materias, ex intimo ſæpè naturæ & gentium jure optimè expoſita. l. 31. depoſ. l. 1. de pactis. l. 1. de conſt. pec. l. 15. de cond. & inſt. Sin verò *legem impropriè* accipere velimus pro eo, quod quocumque modo ad artis juris, ſ. juriſprudentiæ intellectum & explicationem facit. conſt. de conc. dig. §. 6. t. t. de conf. Dig. t. C. de vet. jur. enucl. tunc luſus in verbis erit, ſicque concedimus eſſe leges infinitas; quia hoc ſenſu comprehenduntur principia, tam propria, quàm communia, controverſiæ, deciſiones, & quæcumque alia ad ſolidam nobiliſſimæ Iuriſprudentiæ doctrinam pertinentia, quæ & in alijs diſciplinis ſæpè in immenſum excreſcunt & proſtant. Fremant, & cum ratione inſanient hujus calumniatores, gloriam tamen juriſprudentiæ huic optimæ immortalem adimere non poſſunt, [1] ipſum Imperatorem Iuſtinianum habuiſſe compilatorem, [2] juſtitia & ratione niti; qua de cauſa non modò à Romanis, verum quoque ab alijs (poſt patria eorum jura) jura noſtra Romana ſunt recepta, maximamque adepta authoritatem; e. g. ab Italis, Neapolitanis, Siculis, Gallis, Belgis, Hiſpanis, Luſitanis, Anglis, Scotis, Polonis, Hungaris, Bohemis, Danis, &c.

TH. 49. Ex præcedenti theſi liquet, Reſponſa Ictorum, edicta Prætorum, & Scta nihil aliud eſſe, quam Legum 12. Tabb. commentarios.

TH. 50. Quæritur an æquitas ſit ſcripta? Reſp. diſting. vel ſumitur *formaliter* vel *materialiter*; *priori caſu* & propriè loquendo negamus, eſſe, vel dari poſſe ſcriptam æquitatem; *poſteriori* verò *caſu* affirmamus, quæ tamen propriè non eſt æquitas, ſed lex, quatenus in æquitate vel jure naturali eſt fundata.

TH. 51. Corollarij loco ex Theſi 8. ſequens formatur quæſtio, an omnibus legibus ſit commune, ut aut imperent ſ. præcipiant, aut vetent & puniant, aut permittant? Reſp. diſting. *actus*, de quibus in legibus diſponitur, aut ſunt *boni*, & præcipiuntur ſive imperantur, aut ſunt *mali*, & vetantur & puniuntur, aut ſunt *indifferentes*, & permittuntur; de illis & iſtis leges latæ ſunt, & propriè dictæ ſunt tales, de his leges propoſitæ ſunt impropriè dictæ. Licet non omnis lex actum puniat, attamen ad pœnam obligat. arg. l. 1. §. hoc tit. exque ea obligatione delinquens puniri poteſt.

TITULUS QUARTUS.

De Conſtitutionibus Principum.
Iung. lib. 1. tit. 14. & 15. C. eod.

TH. I. TRACTATVM de legibus, alia juris ſpecies, puta conſtitutiones Principum, quæ ad mutatum Reip. Romanæ ſtatum ſpectant, ſequuntur; hic ſtatus paulatim in Monarchiam conceſſit. Poſtquàm enim ſubacto orbe (teſte Tacito 2. hiſt. c. 38.) & æmulis urbibus, Regibuſque exciſis, ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit, prima inter Patres, plebemque exarſere certamina, modò turbulenti Tribuni, modò Conſules prævalidi, & in urbe ac foro tentamenta civilium bellorum, mox è plebe infima C. Marius, & nobilium ſæviſſimus L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt, poſt quos Cn. Pompeius occultior, non melior, eo redegit populum Rom. ut ſalvus eſſe non poſſet, niſi ſervitutis beneficio, quia libertatem ultra ferre non poterat, pugnabantque tot millia hominum, non, an ſervirent, ſed cui. Vnde res eo devenit, ut non aliud diſcordantis patriæ remedium fuerit, quàm ut ab uno regeretur, unique deferretur imperium. Ideo *lex* lata cenſetur dicta *Regia*, quâ Auguſto Imper. ipſa neceſſitate dictante à populo abſolu-

ta poteſtas & ſummum imperium eſt delata. l. 1. hoc tit. § 6. Inſt. de I. N. G. & C. t. 1. §. 2. C. de vet. jur. enucl. l. un pr. ff. de offic. præf. præt. quæ & ob id lex imperij dicitur in l. 3. C. de teſtam. l. 14. §. fin. ff. de manum. Hæc lex regia baſis & fundamentum quartæ Monarchiæ fuit.

TH. 2. Hujus legis Regiæ vi & efficacia non tantum Auguſtus Imp. eiuſque ſucceſſores legibus fuerunt ſoluti, verùm etiam poteſtatem, leges ferendi & abrogandi, Rempubl. conſtituendi acceperunt. l. 2. §. 11. ff. de O I. ita ut nihil poteſtatis priſtinæ penes populum remanſerit, quia abdicativè & privativè, non autem communicativè, Principi imperium tradidit quod probatur [1] per §. 6. Inſt. de I. N. G. & C. vbi dicitur, populum non communicaſſe, ſed transtuliſſe imperium, [2] quia ſub primis Imperatorum temporibus Remp. fuiſſe ſimpliciter Monarchicam, ad oculum patet. [3] quia populus & Princeps non poſſunt habere communia jura Majeſtatis, nec enim datur ejuſmodi Reip. mixtura.

TH. 3. Quod Principi placuit, (a) legis habet vigorem. (b)

(a) Animo ſc. condendæ legis, ſ. conſtituendi jus generale, non verò, ſi quid Principi placeat, ut contractum cum alio ineat, tunc enim vi juſtitiæ oritur obligatio adverſus Principem, quia [1] & Principi fides eſt ſervanda, [2] quia ejuſmodi actus ſc. contractus non ſolent fieri à Principe, qua tali, ſed ab eo, ceu alio quovis contrahente. Ergo non eſt lex, cum contractus non poſſit vocari lex. Hinc in quolibet actu inſpicienda eſt mens & intentio agentis, nec poteſt actio extendi ad non cogitata. arg. l. 55. ff. de O. & A.

(b) Id eſt, vim, robur, & authoritatem legis habet.

TH. 4. Conſtitutio Principum eſt jus, quod unus gubernans Rempublicam conſtituit.

TH. 5. Conſtitutiones Principum dupliciter conſiderantur, vel *ratione formæ* ſeu modi, vel *ratione effectus*; *ratione formæ* ſeu modi, aliæ ſunt *definitæ*, aliæ *indefinitæ*; nam non uno & eodem modo voluntatem ſuam Princeps declarat, ſed hoc facit modò definitè ſub determinatione alicujus certæ perſonæ, aut alterius circunſtantiæ.

TH. 6. *Definita conſtitutio* eſt vel decretum, vel reſcriptum.

TH. 7. *Decretum* eſt ſententia, qua Princeps inter duas partes controverſas cauſa cognitâ pronunciat. l. 3. ff. de his quæ in teſtam. l. 13. ff. quod met. cauſ. quia priſcos Imperatores juri dicendo intereſſe non puduit, (ijs tamen de cauſis, quas ſua cognitione dignas exiſtimarunt) quod de Iulio Cæſare Suetonius. c. 43. & de Auguſto, ubi illum aſſiduè, & in noctem nonnunquam lectica pro tribunali, ſi parum corpore va-

leret, hoc factitaſſe refert, idem de Adriano & Claudio & Veſpaſiano, ut & Trajano teſtatur Dion.

TH. 8. *Reſcriptum* eſt conſtitutio (reſponſum) ad conſultationem, vel relationem, qui Principi ſupplicarunt emiſſa. l. ult. C. de reſcript.

TH. 9. Reſcriptum iterum dividitur in ſubſcriptum, vel epiſtolam, vel Pragmaticam ſanctionem, quæ diviſio ex ſequentibus deſcendit.

TH. 10. Conſultatio ſive relatio fit vel à priuatis, (a) vel à judicibus, vel Magiſtratibus. (b)

(a) Si à privato aliquo fiebat, tum reſcriptum emiſſum in ſpecie vocatur *ſubſcriptio*, vel annotatio, ſeu ſubnotatio. l. 1. hoc tit. l. 1. C. de prec. Imp. offer. l. ſi quis C. ad L. Corn. de falſ. quia Princeps, qui etiam præſens ferè libellis adiri ſolebat. l. 33 ff. de re jud. l. 21. ff. rem. rat. hab. quid ſibi videretur juri & æquitati conſentaneum, libello ſupplici ſubſcribebat, quorum ingens in Codice multitudo extat.

(b) Si à Magiſtratu vel judice, tunc aut *inſertis precibus* recta, aut *ſine inſertione precum*, ex conſilij ſententia, de negotio publico alicujus univerſitatis diligentius aliquando reſpondet Princeps. Si *inſertis precibus* fiat reſcriptum, vocatur *epiſtola*, quæ eſt reſcriptum rectà ad Magiſtratum vel judicem emiſſum. arg. l. 1. §. 1. ff. hoc tit. ſi verò ſine inſertione precum dicitur *Pragmatica ſanctio*, quæ eſt reſcriptum ſine inſertione precum, ex conſilij ſententia de negotio publico alicujus univerſitatis emiſſum. e. g. ſi ſchola, vel curia, vel provincia, vel collegium aliquod ob cauſam publ. fuderit preces. Epiſtolarum exempla plurima extant in epiſtolis Trajani, & in l. 7. ff. de reſtit. in integr. l. 3. ff. de teſtib. l. 31. de re jud.

TH. 11. Mandata Principis reſcriptis ſunt ſimilia, quibus Præſides, vel judices monentur, quid eos facere oporteat, veluti quomodo debeant adminiſtrare Provinciam, ut ſunt mandata Præſidum Nov. 17. differunt tamen à reſcriptis, quod proprio motu fiant.

TH. 12. Vniverſa reſcripta ſint qualia velint, ſequentia habere debent requiſita, [1] *clauſula* debet eſſe *inſerta*, ſi preces veritate nitantur, unde per ſubreptionẽ & obreptionem impetrata nullius ſunt momenti. l. 7. C. de reſcript. [2] *non ſint contra jus* & utilitatem publicam. l. ult. C. ſi contra jus vel util. l. 3. C. de prec. offer. unde ſi alter per reſcriptũ lædatur, cenſetur Princeps calliditate impetrantis deceptus, vel importunis precibus adactus, quapropter impetrans reſcripti fructu carere debet. l. 2. C. de LL. l. ult C. de precib. Imp. offer. [3] oportet *annotatio temporis* adſit, quo reſcriptum eſt datum, ſine die enim & Conſule non valent. l. 4. C. de diverſ. reſcript. [4] requiritur ut *manu Principis* ſit ſubſcriptum. l. 3. & 6. C. de reſcript.

TH. 13. *Indefinita conſtitutio* eſt edictum, quo Princeps proprio motu incon-

tu inconſultus citra perſonæ,aut alterius circunſtantiæ determinationem aliquid conſtituit & edicit. l. 1. hoc tit. l. 3. C. de LL. l. 6. C. de inceſt.nupt.quod fit publico programmate (quod hodie literas patentes vocant) in locis celebrioribus, veluti foro, templis, valvis affixo, vel etiam de ſuggeſtu prælecto. arg. l. 3. C. de LL. talia ſunt edicta 13. Iuſtiniani & aliorum Imperatorum. l. 8. ff. de quæſt. l. 13. ff. de jur. fiſc. l. 5. ad L. Corn. de falſ. rubr. C. de edict. D. Adriani.

TH. 14. *Ratione effectus* conſiderantur. *Conſtitutiones* aliæ ſunt *generales*; aliæ *ſpeciales*.

TH. 15. *Generales* ſunt, quæ omnes concernunt & obligant, quales potiſſimum ſunt *indefinitæ*, ſeu edicta, per quæ directè Imperator legem facit; ſuo tamen modo & definitæ, ſeu decreta & reſcripta, quæ primario quidem ad caſum certum in illis expreſſum & ad perſonas de quibus concepta ſunt, pertinent, porriguntur tamen ad alias cauſas & perſonas, ubi ſimilis eſt ratio. l. 1. hoc tit. §. 6. Inſt. de I.N.G. & C. l. ult. C. de LL. vel quia Imperator in omnes habet poteſtatem ut ita, quod in negotio ſingulari ſtatuat in alijs quoque caſibus, niſi expreſsè contrarium determinet, obſervari velle intelligitur. Vel quia ut ſupremus & in cæteros Magiſtratus poteſtatem obtinens, omnibus inferioribus, ut ita pronuntient, præſcribere videtur, quæ ratio cùm in cœteris (Magiſtratibus) ceſſet, fit ut unius judicis ſententia præjudicium alijs non pariat.

TH. 16. *Conſtitutiones ſpeciales*, ſeu perſonales ſunt, quæ pertinent ad certas cauſas & perſonas, & ultra ſive præter jus commune aliquid ex ſingulari cauſa diſponunt ſ. introducunt; unde & privilegium appellantur, quia certæ perſonæ, vel rei ſpeciale ſive privum (veteres priva dixerunt ſingula) jus concedit. Quare hoc reſpectu nec abſolutè jus dicitur. l. 2. C. de LL. illud enim non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituitur. l. 8. ff. de LL. propter æqualitatem, quam inter cives obſervari Reip. intereſt.

TH. 17. Quamvis privilegium, ut alia quælibet res principaliter & quaſi vltimatè referatur ad alicujus perſonæ utilitatem, & ita illud in genere conſtitutio perſonalis dici poſſit, attamen, quia vtilitas illa non ſemper perſonam directè & immediatè afficit, ſed quandoque verſatur circa res; e. g. prædia, domos, merces, officium & ſimiles res, per quas ea ad perſonam, habentem tales res, redundat. Inde fit, ut perſona, quæ fruitur privilegio, accuratè à ſubjecto, cui veluti adhæret, immunitas privilegij diſtinguenda ſit. Si enim privilegium non immediatè ipſi perſonæ, ut tali, ſed ratione alicujus certę conditionis, & qualitatis,

quæ in illa eſt,vel rei alienæ adhæreat,non perſonale, ſed reale cenſetur,proinde non ex perſona,ſed qualitate potius, & re, ſeu cauſa ipſa æſtimandum eſt.Vnde *privilegia,*alia *perſonalia* ſunt, alia *realia. Illa* cum perſona extinguuntur; *hæc* ad heredes, omnes, ad quos res, ſeu cauſa, cui inhæret, pervenit, tranſeunt. l.68. l.196.ff. de R.I.

TH. 18. Vt autem ſciatur, an privilegium ſit perſonæ,vel rei,tria ſunt obſeruanda,[1]*modus perſonæ* (a) cui gratia fit, [2] *ratio* ſive *cauſa,* (b) quæ movet ad conceſſionem & [3] *verba privilegij.* (c)

(a) *Perſona* alia eſt *propria*, alia *ficta*, ſ. myſtica, e.g. civitas, collegium, univerſitas &c. *Illa* (propria) iterum dupliciter conſideratur; [1] ut eſt in ſe una & per ſe ſpectatur,ut unus homo [2] ut reſpicit aliquod certum perſonarum genus;e.g. minores,uxores,pauperes,Doctores,milites,nobiles,&c. ſi *priori modo* perſona conſideratur,privilegium eſt perſonale, & cum perſona extinguitur. l.1.§.2. hoc tit. & ad ſucceſſorem non tranſit. e.g. ſi in alicujus favorem quid à ſumma poteſtate eſt conceſſum. ſin veró *poſteriori modo* perſona conſideratur, privilegium eſt quodammodo mixtum,id eſt, aliquid à perſonali, aliquid à reali participat. *à perſonali*, ratione applicationis,quatenus tale privilegium communiter,cum perſona,cui applicatur,extinguitur; *à reali*, quatenus conceſſio fuit facta cum ratione alicujus certæ qualitatis, tum ratione certi alicujus hominum generis, quòd moraliter loquendo, dum individua nunquam deſunt, eſt perpetuum, v. c. privilegium doctoratûs,quod ab Imperatoribus intuitu ſingularis eruditionis conceſſum, & ad ordinem Doctorum eſt relatum. Mixtio tamen non ſemper æqualis eſt,interdum enim perſonalitas, interdum realitas præponderare videtur. *Perſonalitas* præponderat in illis, quæ ob qualitatem aliquam,ſeu conditionem officij vel dignitatis ſunt conceſſa, qualia ſunt Doctoratus,Clericatus,Senatus. *Realitas* veró in illis,quæ ob qualitatem aliquam perſonæ, reſpectu rei familiaris ſunt conceſſa. e.g. privilegia minorum,quæ quidem conceſſa ſunt ob cauſam, quæ perſonalis eſt, defectum ſc. ætatis,& abſque qua aliàs illis locus non eſſet, ſed tamen intuitu damni & læſionis,in re familiari contingentis conceditur. Vnde non tantum perſonæ tribuitur reſtitutio,ſed & cauſæ, quæ meruit præcipuum favorem. l.41. ff. de admin. tut. hocque beneficium ad heredes tranſit.l.6.ff.de minor.Mynſ. 4.obſ. 18. Quod *fictam ſeu mixtam perſonam* concernit,privilegium illi directó conceſſum eſt reale. l.4. §.3. ff. de cenſib. quia talis perſona eſt perpetua per continuam quandam ſucceſſionem. l.76. ff. de judic.

(b) *Cauſa* hic non intelligitur impulſiva, verùm finalis, quo reſpectu privilegium concedit Princeps. Et ſi Principis fuit intentio,perſonæ,cui privilegium eſt conceſſurus, vel conceſſit, *immediatè* ſine aliquo alio reſpectu providere,privilegium cenſetur perſonale; ſin verò non immediatè perſonæ, ſed cauſæ ſive qualitati in perſona exiſtenti providere voluerit, reale æſtimatur.

(c) Quod *privilegij verba* concernit, ſciendum, quod ex verbis privile-

gij conjici poſſit, vtrum perſonale, an reale ſit privilegium. ſi verba privilegij ſint directa ad ipſam perſonam, regulariter privilegium cenſetur perſonale; ſin ad rem aliquam extra perſonam, regulariter privilegium æſtimatur reale; niſi fortè quid addatur, per quod illorum ſignificatio vel extenditur, vel reſtringitur; e.g. ſi conceſſioni perſonæ immediatè factæ addatur clauſula, quod perpetuò valere debeat, privilegium reale intelligitur, ex quo aliàs conceptio ſimpliciter facta ad vitam durat.

TH. 19. Amittuntur privilegia [1] per *abuſum*, c. privilegium 63. q. 3. [2] per *renunciationem* & abdicationem privilegij; denique [3] per *non uſum*, quando quis privilegio, quo poteſt uti, non utatur per tempus lege definitum.

TH. 20. Quæritur an Princeps teneatur anteceſſoris ſui facta probare? Reſp. diſting. aut ſuccedit in anteceſſoris locum jure hereditario, aut jure proprio: *Priori caſu* tenetur Princeps. arg. l. 14. C. de rei vind. & hoc non tantum in regnis, verumetiam in provincijs, aut ditionibus hereditarijs obſervatur. Excipe niſi contractus laboret vitio nullitatis, ob quod eum & anteceſſor, ſi vixiſſet, revocare potuiſſet. Eadem ratio obtinet in feudo hereditario, quod ſucceſſores non ex propria perſona, ſed alterius defuncti ſc. veniant, vnde & æs alienum ab ipſis eſt ſolvendum. d. l. 14. C. de R. V. Gail. 2. obſ. 154. *Poſteriori* verò *caſu* regulariter non tenetur Princeps, ut ſi ſummus ſuccedat jure electionis ex lege in dignitate & ſceptro, aut dependens ex cauſa particulari, v. c. dotis, emptionis, ex feudo pactionato, Mynſ. 4. obſ. 2. ſimultanea inveſtitura, jure adminiſtrationis, beneficij, &c. Cauſam enim non ab anteceſſore, ſed jure proprio, vel à primo acquirente, vendente, donante ſ. alienante, vel ab eo, qui admiſit ſimultaneè inveſtiri (quaſi ex contractu ſocietatis) habent. Multò minus itaque tenebuntur, [1] ad conventiones anteceſſoris illas, ex quibus jus ſaltem perſonale, ſive ad rem quæſitum erat, adimplendas, ut ex pacto expectativo de beneficio ſ. feudo non vacante, &c. ſi [2] quid geſtum ſit in perniciem publ. aut præjudicium dignitatis, unde immodicæ donationes à ſucceſſore imperij & regni licitè retractantur. c. fraternitatem, c. paſtoralis de donat. c. intellecto de jurejur. Nov. 7. §. ut autem; idem obtinet in ſimilibus alienationis ſpeciebus. [3] ſi anteceſſor imperium ſine jure invaſerit. *Exceptio* eſt [1] in obligatione pro regiminis neceſſitate, utilitate & incremento contracta, ſeu ad uſum publicum Principatus. Reink. de R. S. & Eccleſ. 1. claſ. 3. c. 10. [2] In filio patri ſuccedente in feudo pactionato, quia ſimul eſt ipſi heres. 2. feud. 51. §. filius, [3] in debito converſo in feudi utilitatem, quod à ſucceſſore exſolvendum. [4] Ad leges imperij vel Principatus fundamentales adſtrictus eſt

ſucceſſor, quibus etiam adjuncta eſſe & contineri ſolet privilegiorum confirmatio. In alijs legibus anteceſſoris alia eſt ratio, qui ſucceſſorem ligare nequivit. arg. l. 4 ff. de arbitr. l. 58. ff. de judic. Solent tamen hodie boni Principes leges latas prædeceſſorum bonas, & Reip. ſalutares confirmare & retinere, collapſaſque reſtituere, ſicque ſuas efficere. l. 2. §. omnia C. de V. I. enucl. c. ſi Apoſtolicæ de præbend. in 6. ne deſtructione eorum, quæ ſtatuerunt anteceſſores, magis verſores, quam conſtructores habeantur c. ſi ea c. Deceſſorum 25. q. 2. *Principia*, ex quibus antecedentia promanant, ferè tria ſunt. [1] *Objectum* in quod ſucceditur, jus, hereditas, feudum, dignitas, Magiſtratus, officium ſ. munus. [2] *modus ſuccedendi* univerſalis, vel ſingularis, [3] *cauſæ debendi* anteceſſoris, ſc. factum in genere, prout rem geſtam ſ. quemcumque actum, contractum prædeceſſoris denotat. l. 9. ff. de Iuriſd. l. licet de V. S.

TH. 21. *Iura* hodie in Imperio Romano Germanico vigentia, alia ſunt *communia*, quæ in illo (Imperio) conſiderato, ut eſt una Reſp. ab Imperatore & ſtatibus imperij vel expreſſè ſancita, vel uſu recepta & approbata generaliter vigent (*Des Reichesgemeine Rechte*, *Abſcheide und Gewohnheiten*) *alia particularia*, quæ in particularibus imperij rebuſpublicis, ſ. territorijs vi ſuperioritatis conſtituta, vel uſu introducta (*Landiſche Ordnungen, Gewohnheiten der Furſtenthumer, Herrſchafften. undGericht, Statuten, ſondere ſatzungen*) vid. O. Cam. p. 1. t. 13. §. 1. t. 57. O. crim. præf. in fin. §. *Doch wollen wier*. & art. 122. Ord. Polit. anno 1577. §. 17. R. imp. Spir. anno 1529. §. item *als biß hero.*

TH. 22. *Communia* ejuſmodi Imperij Rom. Germanici *jura* ſunt [1] *jus Cæſareum* , *Das gemeine beſchribene Keyſerliche Recht* , ad quod pertinent *Receſſus* ſ. *conſtitutiones* & *ordinationes imperij* (*Reiches abſcheide* , *und Ordnungen*) quæ ab Imperatoribus Germanicis, ſtatuum ſuffragio, in Comitijs ſunt latæ & promulgatæ. Legitur autem *Carolus Magnus*, qui primus Imperatorum omnem penè Germaniam, cum Galliâ & Italiâ imperio ſuo continuit, diverſis variorum Germaniæ populorum legibus quędam capitula adjeciſſe, novaſque etiam leges ſanciviſſe, de cujus & ſequentium, uſque ad Lotharij Saxonis tempora, Imperatorum legibus, quæ nec in editis Receſſibus imperij habentur, nec corpori juris Romani annexæ, evolve Dn. Conring. de O. Iur. Germ. c. 12. uſque ad 19. Porrò *Fridericus primus* Imperator, ſub finem ſæculi 12. in Roncalijs Italiæ campis plures conſtitutiones promulgavit, quarum (præter eas, quæ in libris feudorum reperiuntur) duæ Codici inſertæ extant; nimirum authent. Habita C. ne filius pro patr. & 2. auth. navigia C. de furt.

Dn. Conring. d. l. c. 25. *In ſequente* ſeculo 13. ad leges ſcribendas animum Germani majori ſtudio appellare cœperunt. Paucæ tamen conſtitutiones ad Maximiliani tempora uſque typis ſunt editæ. Vnde illo ævo ſolum Carol. 4. *aurea Bulla* & Friderici 3. conſtitutio aliqua, inſcripta Reformation. *Zu Franckfurt* ſicut anno 1442. in vulgari codice conſtitutionum ſ. Receſſuum imperij (*Reichs abſcheide*) quo hodie utimur, habetur.

TH. 23. (2) *Ius Pontificium* ſ. *Canonicum* refertur ad jura Imperij communia. Prima hujus juris origo derivatur ab illis regulis, quæ in Eccleſia, ut omnia decenter & ordine in illa fierent, ſunt præſcriptæ; quò etiam pertinent Canones, quibus nomen *Sanctorum Apoſtolorum* eſt datum, corpori juris Civilis & Canonici annexi. Varijs autem & plurimis ſucceſſu temporis *Traditionibus*, *Canonibus*, & *Decretis* editis, varijſque Concilijs univerſalibus & particularibus celebratis, Canones crevêre, potiſſimum à tempore Conſtantini. c. 1. Diſt. 15. Hoſce Canones ſeculo 12. ętate Eugenij 3 Papę ſub finem Imperij Conradi 3. vel initium Friderici 1. congeſſit Gratianus Monachus Benedictinus, quod *Decretum Gratiani* appellatum; poſtea correctius edi curavit Gregorius 13. Pontifex. Porro Pontifices varias conſtitutiones ſ. decretales Epiſtolas promulgarunt, quas Gregorij 9. Papæ mandato & auctoritate ſeculo 13. in quinque libros redegit Raymundus. Gregorium ſubſecutus eſt Bonifacius 8. & circa finem ejuſdem ſeculi edidit Sextum librum Decretalium, diſtinctis itidem 5. libris conſtantem, eundemque ordinem titulorum, qui eſt in 5. libris Gregorij 9, obſervantem. Huic Bonifacio ſuccceſſit Clemens 5. à quo & hujus operam poſt ipſius mortem ſupplente Iohanne 22, anno poſt C. N. 1320. *Clementinæ* prodiere. Poſt Clementinas idem Pontifex Ioannes 22. alias addidit conſtitutiones, quæ, quia erant paucæ, & non juxta modum priorum conſtitutionum diſpoſitæ, *Extravagantes* ſunt appellatæ. Poſt mortem Iohannis itidem aliæ, tum ejus, tum aliorum Pontificum conſtitutiones collectæ, quarum volumen ad differentiam priorum extravagantium, *Extravagantes communes* vocantur. Præterea Ioan. Paulus Lācellotus Inſtitutiones juris Canonici ſcripſit. Noviter etiam hoc ſeculo acceſſit liber ſeptimus Decretalium, à Petro Matthæo Icto Lugdunenſi collectarum, itidemque in 5. libros diſtributarum.

TH. 24. Imitati hac in re ſunt Imperatorem Iuſtinianum Pontifices, legum condendarum poteſtatem ſibi arrogantes, & cum magna, ævo Gregorij 9. decretales edentis, fuerit Paparum autoritas, ſine dubio juris Pontificij uſus etiam in Germania invaluit, & licet Prote-

ſtantes Pontificis autoritatem & poteſtatem agnoſcere nolint, ejus tamen juris autoritas in quibuſdam materijs, ob ſummam æquitatem & juſtitiam, quæ in eo longè major, quàm in jure civili, à Proteſtantibus eſt recepta, non quidem ex Pontificis juſſu & præcepto, ſed ex uſu & ſpontanea receptione. Sic prævalet juri civili, & in Proteſtantium foro potiſſimum obſervatur, (1) in matrimonialibus, (2) in pactis & emphyteuſi, (3) in bonis Eccleſiaſticis, (4) in pijs cauſis, (5) in quibuſdam ad teſtamenta, fideicommiſſa & detractionem quartarum ſpectantibus, *(6)* in præſcriptionibus, (7) in juramentis &, (8) in ijs, quæ ad ordinem judiciarium pertinent. vid. Rittershus differ. jur. civ. & Can. procem.

TH. 25. (3) *Ad jura* imp. R. Germ. *communia* ſpectant *mores* ſ. *Conſuetudines*, in imperio univerſaliter vigentes. *(Algemeine, durchgehende gevvohnheiten, oder alte allgemeine herkommen.)* quia plurima in juribus ſupra recitatis non continentur, & tamen obſervantur; contra plurima in ijs juribus ſunt notata, quæ tamen uſu non atrenduntur. Progredimur jam ad particularia imperij R. Germ. jura.

TH. 26. *Particularia* Imperij Germanici *jura* ſunt, quæ juribus communibus in plurimis articulis derogant O. Cam p. 1. t. 13. §. 1. O. Crim. in præf. circ. fin. hæc *particularia* imperij jura iterum ſunt duplicia, (1) quædam in multis imperij provincijs ac civitatibus obtinent, e. g. *jus Saxonicum* (2) quædam verò in hac vel illa tantum provincia vel civitate vigent, e. g. *conſtitutiones provinciales* vi ſuperioritatis territorialis, latæ *(Landes ordnung)* nec non conſuetudines ſingulares, hujus vel illius loci *(re gevvohnheiten.)* Ord. Cam p. 1. t. 13. §. 1. huc etiam *referuntur ſtatuta* in ſpecie ſic dicta, quæ à civitate provinciali, aliave univerſitate quadam inferiori conduntur, c. 1. & 2. de conſtit. in 6. c. 2. §. cæterum, & §. ſtatutum de V. S. in 6. auth. cauſa C. de SS. Eccleſ. Quamvis enim civitates municipales ſ. provinciales non gaudeant ſuperioritate territoriali, adeoque nec inde competente leges ferendi poteſtate, ſed Principibus, in quorum territorio ſitæ, ſint ſubjectæ; conceditur tamen ipſis aliquando à Superioribus quædam ſtatuendi licentia.

TH. 27. Hinc emergit quæſtio: an ejuſmdi ſtatuta municipalia confirmatione Superioris indigeant? Reſp. diſting. inter civitates municipales, aliæ enim ſunt privilegiatæ, aliæ non privilegiatæ. *illæ* vi privilegij ſtatuta abſque confirmatione rectè condunt: ſic etiam in Republica Romana municipijs permiſſum, ut ſuis viverent legibus l. 37. ff. de bon. auth. jud. poſſ. l. 21. §. ult. ff. ad municip. l. 5. §. 1. de jur.

immun. l. fin. §. 27. de mun. & hon. l. 3. §. 4. quòd vi aut clam. l. 9. C. de teſtam. *Hæ*, (non privilegiatæ ſ. quæ ejuſmodi privilegijs deſtituuntur) quidem ſecundum modum poteſtatis, ad adminiſtrationem civitatis pertinentis, ac juriſdictionem ipſis competentem decreta ferre poſſunt l. fin. & t. t. de decret. ab ordin. fac. attamen ſtatuta ſeu leges civitatis particulares præſcribere civibus ſine Superioris confirmatione haud poſſunt, ſive juriſdictionem & imperium habeant, ſive non. Magnif. dn. Mævius ad Ius Lub. quæſt. prælim. 2. Similiter & aliæ univerſitates poſſunt quidem ea, quæ ad univerſitatem ſpectant ordinare, & propterea ipſi ſodales per modum conventionis ad aliqua ſervanda ſe obligare l. ult. ff. de colleg. & corp. Aſt talia ſtatuta non habent vim juris, niſi à Principe fuerint confirmata. Vnde etiam hodie ſtatuta Opificum abſque confirmatione Principis non valent. Magnif. dn. ſtruc. hic.

TH. 28. *Effectus ſtatutorum*, obligant ritè condita ac promulgata ſtatuta inſtar legum, ac in dubio ſtatuta ex eo tempore, quo publicata fuerunt, recepta præſumuntur, ita ut obſervantiam eorum docere neceſſe haud ſit; ſed is, qui ſtatuta non recepta vel abrogata eſſe aſſerit, probare id tenetur, Carpz part. 1. deciſ. 3.

TITULUS QUINTUS.

De Statu hominum: (id eſt, de jure perſonarum.)

TH. 1. HÆc de principijs juris, ſive generali Digeſtorum parte dixiſſe ſufficiant; ſubnectimus nunc partem juris ſpecialem, qua in ſpecie jus Romanum de negotijs civilibus latum exponitur.

TH. 2. Omne jus, quo utimur, vel ad *perſonas* (ut juris ſubjectum) pertinet, quibus jus redditur, vel ad *res*, de quibus ius redditur, vel ad *actiones* ſive *judicia* (quæ medium, E. non objectum) per quæ jus redditur l. 1. & 2. h. t. verbo enim actionis omnem judiciorum ordinem, principium, progreſſum atque exitum comprehendimus pr. Inſt. de act. nulla eſt a. juris diſputatio, in qua non aut de perſonis (perſona hic generaliter pro homine accipitur) aut de rebus, aut de judicijs, aut de his ſimul omnibus quæratur. Agnoſcitur enim jus in perſonis & rebus, (tanquam ſubjectis) per actiones obtinetur. Vbi ſciendum, perſonas,

res & actiones eſſe ſumma juris capita & partes, in quas objectum juris facile reſolvitur. E. non ſunt objecta; nec leges ſunt juris objectum, quia non in eas, ſed per eas, id quod juſtum eſt in negotia hominum & Remp. introducitur.

TH. 3. *Perſonæ vox varias habet ſignificationes*, [1] ſignificat *individuum rationale* per ſe ſubſiſtens, hoc modo ſervus eſt perſona, utpote ſubſtantia rationalis l. 2. ff. de R. I. [2] individuum, quod jure utitur t. t. de jure perſ. [3] *per excellentiam* individuum civile, ſeu perſonam caput civile habentem. hoc ſignificatu ſervus non eſt perſona ſc. civilis, ſeu gaudens jure civili. l. 31. ff. de hered. inſtit. l. 82 §. f. de leg. 2. pr. Inſt. de ſtipul. ſervor. [4] *qualitatem*, qua alius ab alio differt tum in animo, tum in corpore, tum in extra poſitis, l. 61. ff. de judic. l. 54. §. 4. ff. de furt. per hanc qualitatem perſona ſeu homo juridicè conſideratur vocaturque à Ictis ſtatus, [5] ſtatuas ex quarum roſtris aqua ſalire ſolebat l. 17. § 9. ff. de act. empt. vend.

TH. 4. Status eſt conditio perſonarum civilis, ſecundum quam cuique jus redditur.

TH. 5. *Vox ſtatus* Ictis accipitur dupliciter [1] pro firma & perfecta ætate 25. annorum l. 13. de probat. l. pen. C. quand. de leg. [2] pro conditione ſeu qualitate aliqua & hoc ſenſu iterum *dupliciter*, ſumitur, [1] *latè & generaliter*, ſic dicitur ſtatus Reip. §. f. Inſt. de I. & I. dignitatis l. 5. §. 1. ff. de extr. cogn. obligationis ſtatus, id eſt, conditio & natura. l. 9. §. 1. ff. de duob. reis l. 108. de V. O. l. 124. eod. ſtatus publicus & privatus, [2] refertur ad hominem & accipitur iterum *tripliciter*, [1] *generaliter* denotat hominis conditionem quamcunque v. c. naturalem, quam quis à natura habet; utpote quæ ratione ſexus eſt maris & fœminæ l. 9. & 10. hoc tit. nati vel in utero exiſtentis. l. 7. 11. 12. 14. 15. 16. h. t. legitimi & naturalis, vulgo quæſiti l. 19. 23. 24. hoc tit. *ſtrictius* & *ſpecialiter* refertur ad ſtatum hominum civilem ſeu politicum, qui in ſocietate civili viventibus perſpicuam juris diverſitatem inducit, ſive ſecundum quam ijs diverſimodè jus redditur. hic ſtatus in ſpecie vocatur ſtatus hominum vel perſonarum l. 2. hoc tit. alias caput arg. pr. Inſt. de cap. minut. vita civilis, [3] *ſtrictiſſimè* ſtatus accipitur pro ſtatus parte, ut pro libertate l. 41. ff. de R. C. l. 15. de prob. l. 15. qui teſtam. fa. poſ. l. 24. ff. de cap. & poſtl.

TH. 6. *Status hominis* eſt triplex, quia tria ſunt, quæ habemus l. ult. ff. de capit. dim. puta libertatem, civitatem & familiam, unde triplex eſt capitis diminutio ſ. ſtatus mutatio.

TH. 7. Diviſio hominum eſt ex triplici ſtatu, [1] *ratione primi ſtatus*

ſc.

ſc. *libertatis*, (qui eſt ex jure gentium) homines alij ſunt liberi, alij ſervi, liberi iterum ſunt vel ingenui vel libertini, l. 3. hoc tit. [2] Liberi ex *ſecundo ſtatu*, id eſt, *civitatis*, vel cives ſunt vel peregrini, l. 17. hoc tit. *Cives fiebant* vel *origine*, (ut qui ex civibus Romanis nati, vel quorum parentes inde nati erant, licet alio domicilium incolatus cauſa tranſtuliſſent l. aſſumptio §. 1. ff. ad municip.) vel *manumiſſione*, (nam & manumiſſus libertinus patroni originem ſequebatur l. ult. §. pen. ad municip.) vel *allectione*, (quando advena, ſeu peregrinus publicè donabatur civitate, vel præmij loco, vel ut itidem Magiſtratum gerere, aut immunitatem conſequi poſſet, ut in l. 1. ff. de cenſ.) vel denique adoptione l. cives C. de incol. [3] *Cives ex ſtatu tertio*, ſc. *Familia* dicuntur vel patresfamilias, vel filij fam. liberi, nepotes & ſic deinceps, vel uxores ſ. matresfam. & filiæfam. l. 3. l. 4. t. ſeq. l. 95. §. 2. de V. S. porro alia familia communis, alia propria, quarum hæc huc pertinet, unde alij in familia, alij extra familiam.

TH. 8. Natura hominem ex anima & corpore compoſuit, quarum illa eſt præſtantior, l. 17. C. de SS. Eccleſ.

TH. 9. Homo eſt animal, (a) anima rationali (b) & corpore, (c) conſtans.

(a) Arg. pr. Inſt. de I. N. G. & C. l. 1. §. 8. ff. unde cogn. l. 135. de V. S.
(b) Clementina unica de ſumma Trinit.
(c) d. Clement.

TH. 10. Hominis appellatione tam fœmina, quam maſculus continetur, l. 152. ff. de V. S.

TH. 11. Anima eſt præferenda quibuſcunque alijs etiam rebus ſacris, l. 21. C. de SS. Eccleſ.

TH. 12. Diviſio hominis ex jure naturæ. Homo eſt mas, vel fœmina, vel hermaphroditus, l. 10. ff. hoc tit.

TH. 13. In multis juris articulis deterior eſt fœminarum, quam maſculorum conditio, (a) in alijs contra conditio fœminarum eſt melior, quam virorum. (b)

(a) In quibus negotijs præſtantia maſculi attenditur, fœminæ ſunt deterioris conditionis; l. 9. l. 19. hoc tit. §. 10. Inſt. de adopt. l. 8. & 12. ff. de Senat. l. 19. de juriſd. l. 1. §. 5 de poſtul. l. 18. l. 54. de procurat. l. 12. §. 1. de judic. l. 1 & 2. ff. ad Sct. Vellej. l. fin. ff. de tutor. §. 6. Inſt. de teſtam. ord. l. 3. §. 11. de liber. hom. l. 6. de popul. act. l. 1. §. 10. ff. ad Sctum Turp. l. 18. ff. de jur. fiſc. l. 2. ff. de R. I. maſculus enim naturâ melior (quia fortior, conſtantior & robuſtior) fœmina deterior. Ariſt. 1. col. 5.

(b) Melioris conditionis habentur mulieres propter ſexus *imbecillitatem*, vel propter *periculum* in partu ſuſtinendo ipſis favor exhibetur pr. Inſt. quib. alien. lic. t. ff. & C. ad Sct. Vellej. l. 12. C. qui potior. in pig. l. 5. §. 3. C. ad L. Iul. Maj. l. 15. §. 4. & §. 5. ff. ad L. Corn. de falſ. l. 2. §. ult. ff. de jur. fiſc. Nov. 134. C. 10.

TH. 14. Ad quæ negotia neutra harum conſideratio (id eſt, ubi nec melior maſculi quam fœminæ, nec fœminæ conditio melior, quam maſculi) pertinet, in ijs aliud jus fœminis, aliud maribus non ſtatuitur, l. 4. C. de lib. præter.

TH. 15. Fœmina eſt vel virgo, vel mulier, l. 11. §. 5. ff. de act. emp. Interdum tamen mulieris appellatione etiam virgo viripotens continetur, l. 13. ff. de V. S. imò & non viripotentes aliquando vocantur mulieres, l. 81. §. 1. ff. de leg. 3. ſc. in eo ſenſu, quo mulier appellatur perſona, quæcunque eſt ſexus fœminini, l. 25. §. 9. ff. de aur. & arg. leg.

TH. 16. Pronunciatio ſermonis in ſexu maſculino ad utrumque plerumque porrigitur ſexum, l. 195. pr. ff. de V. S.

TH. 17. Hermaphroditus ejus ſexus eſt æſtimandus, qui in eo prævalet, l. 10. ff. hoc tit. l. 15. §. 1. ff. de teſtib. hinc ſi ſexus maſculinus in eo prævaleat, ad teſtamentum adhiberi poteſt. d. l. 15. §. 1. hoc enim in caſu habetur pro mare.

Th. 18. Triplex datur hermaphroditorum differentia, (1) perfectè maſculi, (ſi ſc. in virili ſexu prævaleant) [2] perfectè fœminæ, (3) utroque ſexu valentis. Idcirco primus tantum & tertius, ubi virilem ſexum elegit, inter viros connumerabuntur, & ad res, atque officia viris ſolummodo conceſſa admitti poſſunt, utpote [1] ad poſthumum heredem inſtituendum, l. 6. §. f. ff. de lib. & poſth. hered. [2] teſtimonium in teſtamento, [3] ad ſucceſſionem in feudis arg. 2. f. 1. & denique [4] ad officium judicis, advocati arg. l. 1. §. 6. de poſtul.

TH. 19. Homo eſt vel adhuc in utero, vel natus.

Th. 20. Qui in utero ſunt pro natis habentur, l. 7. ff. hoc tit. Hæc fictio inducta eſt ob favorem partus, & reip. cui naſcitur l. 1. pr. & §. 1. & generaliter ff. de ventr. in poſſ. mitt. tum ob ſpem naſcendi; E. partus talis non naturaliter & phyſicè eſt homo, ſed juridice; quoties de eius commodis agitur, e. g. cum à lege, vel homine quicquam diſponitur; tunc diſpoſitionis huius effectus in tempus nativitatis differri debet, ut quoad legitimas hereditates, jus poſtliminij, matris conditionem, l. 26. ff. hoc tit. l. nec filium C. de patr. poteſt. l. 7. 11. & 18. hoc tit. ubi mulier ultimo ſupplicio damnata ſervatur indemnis, dum partum edit; idem de quæſtione mulieris prægnantis, quam partu de-

mum edito torturæ ſubjicere licet, ſtatuimus. l. 3. ff. de pœn. ne in lucem prodituri hominis ſpes extinguatur.

TH. 21. Homo eſt legitimè, (a) vel illegitimè natus. (b)

(a) Legitimè natus eſt à menſe ſeptimo l. 12. ff. hoc tit. quia ſeptimo menſi tribuitur prima partus perfectio & ſequentibus menſibus, uſque ad decimi finem, & initium undecimi l. 3. §. 11. ff. de ſuis & leg. her. l. 29. pr. ff. de liber. & poſth. l. ult. C. de poſthum. hered. inſtit. arg. Nov. 39. c. 2.

(b) *Illegitimè* natus eſt ante menſem ſeptimum & poſt initium menſis undecimi, quia ante ſeptimum menſem, nec maſculus, nec fœmina ſecundum naturam naſci poteſt.

TH. 22. Partus ſeptimeſtris duos habet limites, *prior* eſt 182. dierum cum 15. horis, ſive 6. menſium cum duobus diebus, (a) *poſterior* eſt 210. dierum, qui integros 7. menſes conſtituunt.

(a) Intellige hic menſes ſolares, 30. diebus conſtantes, *Lunaribus* enim tribuuntur tantum 29. dies cum dimidio, ſ. 12. horis, ſicque reſidui duo dies referuntur ad menſem ſeptimum. E. ſi partus 181. diem attingat, legitimus non cenſetur. l. 3. §. fin. & §. 2. ff. de ſuis & leg.

TH. 23. Si menſibus, intermedijs naſcatur partus, eſt legitimus, quia perfectior eſt ſui naturâ, propter temporis diuturnitatem, habet enim majus robur, & ſolidiora membra, magiſque formata. Ex accidenti autē eſt, quod intermedijs iſtis menſibus magis cū morbo colluctetur.

TH. 24. Vndecimeſtris poſt mariti mortem editus, naturalis & legitimus eſt, ſi modò undecimum menſem attingat, vel in principio eius, primo vel ſecundo die natus ſit: obſervandum, quod menſis undecimus ſoleat à tempore conceptionis, non verò mortis mariti computari. Carpz c. 27. def. 15.

TH. 25. Ex dictis patet partum 4. 5. 6. 11. (in medio vel fine) 12. & 13. menſe natum eſſe illegitimum.

TH. 26. Qui aſſerit partum eſſe vitalem, id eſt legitimum, id probare non tenetur, quia talis in dubio præſumitur.

TH. 27. Pro legitimo nato eſt habendus, qui exſecto mortuæ matris ventre eſt editus, l. 141. ff. de V. S. Aſt ea, cui mortuæ filius eſt exſectus, peperiſſe non dicitur, l. 129. ff. de V. S.

TH. 28. Partus mortuus non eſt legitimus, impropriè tamen vocatur partus, l. 135. V. S. Nec abortus eſt partus legitimus, quia opponitur vivo fœtui, & pleni temporis partui. *Abortus* enim eſt fœtus intempeſtivè editus, vel mortuus, vel nullo modo vitalis; hinc concluditur; quamvis mulier mortuum juſto tempore edat, peperiſſe tamen

dicenda non eſt, ſed abortum feciſſe, aut ejeciſſe.

Th. 29. Homo eſt vel minorennis, (a) vel majorennis. (b)

(a) L. 17. ff. de adopt. *minorennis* eſt pubes vel impubes l. 32. eod. impubes eſt infans, vel infante major l. 42. eod. infante major, vel infantiæ, vel pubertati eſt proximus.

(b) *Majorennis* eſt, qui 25. annum implevit pr. Inſt. de curat.

Th. 30. Impubes omnibus officijs civilibus abſtinere debet l. 2. §. 1. ff. de R. I.

Th. 31. Infans eſt, qui infra 7. ætatis annum. l. 1. §. 2. ff. de admin. & peri. tut. l. 18 C. de jur. delib. l. 14. ff. de ſponſ.

Th. 32. Infante major infantiæ proximus dicitur *mas* ab anno 7. ad annum 10. cum dimidio uſque, *fœmella* verò ad annum 9. cum dimidio, uſque, Inſt. de inutil. ſtipul.

Th. 33. Pubertati proximus eſt mas uſque ad annum 14. fœmella, quæ nondum eſt egreſſa annum 12. pr. Inſt. quibus mod. tut. l. fin. C quando tutor eſſe deſ.

Th. 34. Homo eſt ſanus, vel morbo animi, (a) vel corporis (b) laborat.

(a) *Animi morbo* laborant, [1] *furioſus*, qui rabie quadam animi agitur, & vel continua mentis alienatione omni intellectu caret l. 14. ff. de offic. Præſid. vel intervallis quibuſdam ſenſu eſt ſaniore d. l. 14. & l. 6. pr. ff. de curat. fur. [2] *Mente captus*, qui nullum quidem extrinſecus furorem & rabiem oſtendit, in quiete tamen ineptit & delirat, (3) *Prodigus*, qui neque tempus, neque finem expenſarum habet, ſed bona dilacerando & diſſipando profudit, l. 1. ff. de curat. furioſ. unde dicitur prodigus & furioſus tamdiu erunt in curatione, ſi majores ſc. ſint 25. annis, donec *ille* ſanos mores, & *hic* ſanitatem mentis receperit. d. l. 1.

(b) *Corporis morbo* ægrotant ſurdus, mutus, cœcus, & alij qui perpetuo, vel temporali morbo laborant.

Th. 35. Furioſi, vel ejus cui bonis eſt interdictum, nulla eſt voluntas, l. 40. ff. de R. I. quapropter furioſus abſentis loco eſſe fingitur in omni negotio. l. 124. §. 1. ff. de R. I.

Th. 36. Vbi non voce, ſed præſentia eſt opus, mutus ſi intellectum habet videri poteſt reſpondere, idem de ſurdo affirmatur, d. l. 124. quia poteſt intelligere & conſentire. l. 48. ff. de O. & A.

Th. 37. Morbus ſonticus eſt, qui cuique rei nocet, l. 113. ff. de V. S. & cuique rei agendæ eſt impedimento, l. 60. ff. de Re. judic. E. ſi udex altero ex litigatoribus febricitante, eoque abſente, pronun-

ciavit, non jure pronunciaſſe dicitur. Morbus namque ſonticus, Iudice, & litigatoribus invitis, diem differt; quid enim litiganti magis impedimento eſſe poteſt, quam tam vehemens corporis motus contra naturam, quem appellant febrim.

TH. 38. *Diviſio ex jure gentium.* Homo eſt liber vel ſervus, l. 3. ff. h. tit. Liber eſt qui habet libertatem, ſervus cui ea eſt adepta.

TH. 39. Libertas (a) eſt naturalis (b) facultas (c) eius, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi, (d) aut iure prohibetur. (e)

(a) *Libertas* ſumitur, vel (1) *materialiter*, pro facultate naturali, & magis facti eſt, quàm juris, & hoc ſignificatu omnes homines natura liberi dicuntur, vel (2) *formaliter* pro aliqua conditione civili, atque hoc ſenſu opponitur ſervituti, & denotat facultatem civilem, à jure gentium introductam, eſtque magis iuris, quam facti.

(b) *Naturalis* dicitur, non quod ex juris naturæ decreto ſit, ſed quod natura quemvis liberum reliquerit, ut quodlibet licitum, pro arbitrio facere, vel omittere poſſit. quamvis aliquos magis ad ſerviendum, quam imperandum aptos produxerit, adeoque illos his parere, eorum naturæ ſit conveniens, quæ ita ſe habet, ut ſervitutem æquo animo ferre queant, nec libertatis juribus commode uti ſciant. Ariſtot. 1. Pol. 3. 4. & 5.

(c) Quia jus naturæ omnibus hominibus competit. arg. § 2. Inſt. de I. N G. & C.

(d) *Vis illicita* non adimit libertatem, ſed impedit tantum eius actum, ſive exercitium, hinc à latronibus capti liberi manent, l. 13. pr. ff. qui teſtam. fac. poſſ. licet à latronibus in libertatis actibus, ſ. exercitio impediantur.

(e) Ius libertatem intra honeſtatis limites continet, & non veram ac honeſtam libertatem, ſed petulantem licentiam conſtringit. Ariſtot. 5. Pol. 9. Vnde legum ſervitus, dicitur ingenuorum hominum libertas.

TH. 40. Liber eſt vel ingenuus, vel libertinus.

TH. 41. *Ingenuus* eſt, qui ex matre libera natus eſt. notandum; *Natus eſſe* quis dicitur, & tunc, cum naſcitur, l. 15. ff. hoc tit. & hoc per ampliationem: natus autem eſſe debet ex matre, quæ jam eſt, vel eſſe debuit libera, videlicet ingenua, vel libertina, uno trium temporũ, vel [1] quo concepit, vel [2] quo uterum geſtavit, id eſt, prægnans fuit, vel [3] peperit, l. 5. § 2. & 3. hoc tit. quod fit ob partus favorem, ne matris calamitas partui, qui in ventre eſt, noceat.

TH. 42. Libertinus (a) eſt, qui ex iuſta ſervitute manumiſſus (b) eſt, vel alio modo ſervus eſſe deſijt. (c)

(a) *Libertinorum* varia olim fuit conditio, alij enim dedititij, alij latini, alij cives Romani dicebantur t. t. Inſt. de libertin. quam differentiam Imper. Iuſti-

nianus ſuſtulit, volens omnes libertinos inter cives Romanos connumerari, t. t. C. de dedit. libert. toll. & tandem omnem libertinitatem ſuſtulit, Nov. 78. Obſervandum. Libertinus poteſt quoque dici libertus. *libertinus* vocatur. quatenus ex manumiſſione eſt liber, & ingenuo contrariè opponitur. *Libertus* verò dicitur, quatenus eſt liber, habens patronum, à quo manumiſſus fuit, quo ſenſu patrono *relatè* opponitur; dicimus plerumque, quia libertinus datur, qui non eſt libertus, ut Orcinus libertus, cuius manumiſſor ipſo manumiſſionis, & competentis libertatis tempore, mortuus, qui familiæ eſt adſcriptus.

(b) Manumiſſio hæc debet eſſe ex vera & legitima ſervitute; hinc excluduntur ab hac definitione ingenui illi, qui in ſervitute fuere, & poſtea manumiſſi ſunt.

(c) Vt cum lex aliquem ſine manumiſſione liberum facit, ob ſingulare factum, in fin. pr. Inſt. de jur. perſ.

TH. 43. Servitus (a) eſt conſtitutio (b) juris gentium, (c) qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur.

(a) Quæ à ſervo denominatur, & multiplices habet ſignificationes, [1] ſervitus eſt, qua quis ad præſtanda omnis generis officia ſ. gratitudinis, ſ. humanitatis, ſive ex pacto adſtrictus eſt, quo ſenſu homines Deo, filij parentibus, Cives Reip. & Magiſtratibus, Chriſtiani ſibi inuicem, & famuli noſtri mercenarij & operarij nobis ſervire dicuntur, [2] quâ prædium prædio ſervit, rubr. Inſt. ff. & Cod. de ſervit. [3] quâ perſona alij, quam domino ſuo ſervit. l. 5. ff. ſi uſusfr. pet. [4] quâ quis ſervus pœnæ dicitur. §. 3. Inſt. quib. mod. jur. patr. pot. [5] denotat privationem libertatis, quo ſenſu ſervitus ſeruo pro derelicto habito tribuitur, [6] denique ſignificat relationem inter ſervum & dominum, ita hic accipitur. Accurata verò ſervitutis definitio ita eſt formanda. *Servitus eſt libertatis* (ſive illorum jurium, quibus in omni ſocietate civili aliàs quis fruitur) privatio, jure gentium ob rationabilem cauſam introducta; quem enim in bello occidere fas eſt, quidni & in ſervitutem detrudere liceat.

(b) Id eſt, *Res conſtituta*, quia verbalia in eo interdum rem factam ſignificant Sic theſaurus dicitur pecuniæ depoſitio, pro pecunia depoſita.

(c) *Secundarij*. §. 2. Inſt. de I. N. G. & C. l. 4. ff. de I. & I. non verò primarij, natura enim omnes ſunt liberi.

TH. 44. Chriſtiani hodie ſe invicem in ſervitutem non redigunt; ſi verò Chriſtiani cum Turcis & alijs gentibus barbaris bellum gerant, ſervitus valet, *Reiches abſcheide Zu Speier* 1542. §. *und wie wol nun.* Hinc illa exſurgit quæſtio.

TH. 45. Quæritur an hodie materia de ſeruitutibus perſonarum habeat utilitatem, & ſit addiſcenda? Reſp. affir. [1] quod leges de ſervis loquentes non rarò ad res alias utiliter extendantur, l. 10. ff. de pœn. l. barbarius 3. ff. de offic. prætor. l. 1. §. fin. ff. de pœn. [2] quod in bello

Turcico hodierno adhuc obtineat materia ſervitutũ. R. Imp. de anno 1542. d. l. & §. [3] quod homines habeantur *Lazzi*, (*Laſſen Leibeigene leute*) alijque, qui ſervis ſunt ſimillimi; nonnulli enim terræ, quam colunt, ita adhærent, ut nec ipſi, nec eorum liberi, domino invito, ab ea unquam diſcedere poſſint; & fugitivi, tanquam ſervi repetantur, l.23. C. de agri. & cenſ. vocantur *Aſcriptitij*, ſive *glebæ addicti*, hi pro rebus immobilibus habentur, ſicut ipſa terra, Nov.7.pr. qui ad operas ruſticas præſtandas & colendum agrum perpetuò ſunt devincti. l.21. in fin. l. 15. C. de agric. & cenſ. [2] Si dominus illos, vel per ſe, vel per provinciæ *præſidem* moderatè caſtigare, aut carceri includi velit, ob id non punitur, auth. ad hoc in fin. C. de lat. lib. toll. l. un. in fin. C. de Sct. Claud. l. ult. in fin. C. de agric. & cenſ. [3] quod domino acquirant, l.18. l.23. §.2. C. de agric. & cenſ. [4] quod etiam nati ſaltem ex matre adſcriptitia ſint adſcriptitiæ conditionis. d. l. 23. pr. §.1. & 2. l.24. C. d. t. unde eſt, quod aſcriptitius non poſſit ducere liberam. l. ult. C. d. t. [5] quod poſſint cum terra (ut ſuperius monuimus) vendi, [6] quod poſſint vindicari, ut & propria authoritate apprehendi; quare patet, ſi à magiſtratu quopiam in civitatem recipiantur, cum omni ſobole & peculio ſunt reſtituendi, *actione præjudiciali* utili hoc nomine contra Magiſtratum comparata; quoad ſtatum tamen non ſunt ſervi, quia libertate omninò non ſunt privati. l.21. C. de agric. & cenſ. Nov. 123. c.17. l. 16. C. de Epiſc. & cler. quamvis in ijs libertas pactionibus valde ſit reſtricta & imminuta. l. 22. l. ult. C. eod. Magnif. Dn. Mævius ad Ius Lubec. lib. 1. t. 3.

TH. 46. Hîc quædam, quorum ſuperius fecimus mentionem, altius repetere placet. Probè diſtinguendum eſt, inter differentias perſonarum ex ſtatu civili, & in genere earum, de quibus jura atque leges unquam poſſunt conſtitui; hoc modo *perſonæ conſiderari poſſunt*, [1] *ſeparatim*, vel [2] *conjunctim*, vel [3] *mixtim*.

TH. 47. *Separatim* conſiderantur, quatenus ſinguli homines alij ab alijs differunt, & quidem tribus modis, [1] *ſecundùm bona animi* à potentijs, paſſionibus & habitibus deducta. Inde alij boni, alij mali. l.1. §.1. ff. de I. & I. perfecti & imperfecti, arg. §. 9. Inſt. de inutil. ſtipul. t. de minor. t. ad Sct. Vellej. §. pen. Inſt. de Attili. tutor. l. ult. C. de teſtam. l. ſi relinquere ff. de legit. tutor. l.32. ff. de minor. l. f. C. in quib. cauſ. docti & ingenioſi, indocti & tardi (inter quos jura legeſque frequenter diſtinguunt, cum imperitiæ & ruſticitati indulgeant, d. l.2. C. de in jus voc.) ſanæ mentis, diligentes, idonei, acres, celeres, animoſi, elati, duri, generoſi, furioſi, melancholici, prodigi, ſocordes, inidonei, leves,

parvi animi, humiles atque abjecti, quorum ſæpè diverſiſſima eſt ratio, cum de præmijs, pœnis, alijſque hujuſmodi rebus agitur, arg. l. fin. ff. de injur. l. 5. §. commod. l. 23. ff. de R.I. l. nec timorem, §.1. ff. de eo, quod met. cauſ. l. 1. C. de alien. jud. mut. l. 1. §. 23. & l.18. §.1. ff. de quæſt. Nov. 82. pr. c. nullus & ſeq. diſt. 24. l.10. ff. de pœn. §.2. I. qui teſtam. fac. poſ. l. fin. §. ſic autem ff. de bon. eor. l. cum autem §. excipitur, & §. malus ſervus, ff. de Ædil. edict. l. ſi quis §. ejus qui, ff. de injuſt. rupt. [2] *Iuxta bona corporis*, homines vel ſexu differunt, vel ætate, vel valetudine, & corporis firmitate. *Ex ſexu*, alij mares ſunt, alij fœminæ, l. 9. & 10. hoc tit. inter quos multæ exiſtunt juris differentiæ, &c. *Ab ætate* alij majores, alij minores dicuntur, puberes, impuberes, infantes, infantiæ vel pubertati proximi, &c. de quibus ſuprà. *Ratione valetudinis*, alij ſani, alij ægri, (ſurdi, muti, cœci,) ætatis nimis teneræ vel provectæ, qui ſontico morbo laborant, quorum diverſa ratio exiſtit, in excuſatione tutorū, & curatorum, in reſtitutione in integrum, torturis & alijs, §.4. I. de curat. l.60. de re jud. l.4. §.3. ff. de ædil. edict. l.11. C. de jur. & fact. ignor. l.9. pr. ff. eod. l.8. §.2. ff. qui ſatiſd. cog. l. 7. 8. & ſeq. ff. de minor. l. ſi maritus, §. lex ff. ad L. Corn. de adult. l. 122. ff. de leg. 1. [3] *Secundum externa bona*, homines vel divites, vel beati exiſtunt. l.3. in fin. C. de comm. & merc. vel pauperes & miſerabiles, ut pupilli, egeni, viduæ, advenæ, quorum magnam ubique leges & Imperatores habent rationem, l 1. C. quando Imp. inter vidu. l. qui accuſationem ff. de accuſation. l. bona fides ff. depoſ. l. malum ff. de V.S. potentes t. C. ne liceat potent. nobiles l. 31. ff. de mort. cauſ. donat. l.3. §. 43. ff. de O.I. liberos p. & §.1. Inſt. de jur. perſ. ignobiles l.13. de rit. nupt. plebeïos, &c.

TH. 48. [2] *Perſonæ conjunctim conſiderantur*, ut cum de toto aliquo populo, vel alia univerſitate, corpore, collegio, ſocietate agitur t. quod cujuſque univerſ. t. ff. de colleg. & corp. t. ff. de adminiſt. rer. ad civit. per, t. C. de jur. Reip. quia juxta politica principia, aliter cum multitudine, aliter cum ſingulis agitur, unde ſi quid univerſitati debetur, ſingulis non debetur, nec quod debet univerſitas, ſinguli debent, l. 7. §. 1. ff. quod cujuſque univerſ. &c.

TH. 49. [3] *Perſonæ mixtim conſiderantur*, per relationem, ubi una perſona refertur ad aliam, e. g. maritus ad uxorem t. ff. de R. Nupt. pater ad filium, t. ff. de his qui ſunt ſui vel ali. jur. & vice verſa, l. 9. ff. de teſtib. frater ad ſororem, l.6. C. eod. domeſticus ad alios in eadem domo, l. 3 ff. hoc tit. cognatus ad cognatum, §. 1. & ſeqq. de nupt. Civis ad civem, l. in orbe ff. hoc tit. alienus (extraneus) ad non alienum,

num §. poſthumo quoque Inſt. de legat. l. un. §. accidit C de rei uxor. act. l. 12. & ſeq. ff. ſol. matr. t. ad L. Corn. de ſicc. t. ad L. Pomp. de parricid. amicus ad amicum, l. 3. ff. de teſtib. l. tutori C. de negot. geſt. dominus ad ſervum t. de his qui ſui vel magiſter ad diſcipulum, l. 5. §. f. ff. ad L. Aquil. & ſic porro de cæteris. In qua quidem re magna ſæpe vis ineſt, eodemque pertinet, quod de ſatisdationibus ſtatutum, pro qualitate perſonæ, vel nudæ promiſſioni quem committi, vel ad jusjurandum teneri, vel ad plenam cautionem, t. t. de ſatisd. nec non, quod cum ea, quæ uxor fuit, non furti, ſed rerum amotarum agatur, quod patrem, vel patronum, aliosque, niſi permiſſu Prætoris in jus vocare non liceat. l. 2. de in jus voc. &c.

TH. 50. Vltimo qr an monſtra pro liberis habeantur? Reſp. diſtinguendo, ob l. 135. ff. de V. S. & 14. ff. hoc tit. conciliationem. vel mulier agit de præmio & ſucceſſione liberorum, vel [2] de evitanda pœna orbitati olim præſtituta. *Priori caſu* monſtra non proſunt, l. 14. ff. hoc tit. ut ſe ingenua, libertinave propter jus trium vel quatuor liberorum (inter quos eſſet monſtrum) ſuccedere vellet, arg. l. 2. ff. ad Sctum Tertu. §. 2. Inſt. eod. *hoc caſu* partus mulieri ſemper prodeſt, etiam monſtroſus & portentoſus, quia parentibus nihil imputari poteſt, qui qualiter potuerunt, ſtatutis (ſc. L. Papiæ, quæ orbos ſemiſſe mulctabat, eorum, quæ in teſtamentis relinquebantur) obtemperarunt, nec id, quod fataliter accidit, matri damnum injungere debet. l. 135. ff. de V. S. hæc L. Papiæ rigorem temperat, ut patet ex inſcriptione. Aliud autem eſt ſtatuendum de illis, in quibus aliquid ſupereſt, vel deeſt præter naturam, qui inter liberos ſunt numerandi, l. 10. §. 2. ff. de ædil. edict.

TITULUS SEXTUS.

De his qui ſui vel alieni juris ſunt.
Iung. lib. 8. t. 47. C.

TH. 1. EXPOSVIMVS in titulo præcedenti ſtatum hominis abſolutum, explicandus nunc reſtat ſtatus relatus ex jure ſc. civili, ubi perſonæ dicuntur vel ſui juris, vel alieni, quæ diviſio eſt ſpecialior ſuperiori. Ius enim civile ratione liberorum & ſervorum juri gentium in multis derogavit. *Ratione liberorum*, patrumfam. po-

teſtatem in liberos ſuos augendo, & contra filiorum libertatem reſtrigendo. Iure namque civili major eſt patribus poteſtas in liberos, quam jure gentium. *Ratione ſervorum*, rigorem dominicæ poteſtatis, quæ jure gentium plena, illibata & infinita, etiam in ipſam ſervorum vitam competebat. l. 11. ff. de liber. & poſthum. l. ult. C. de patr. pot. temperando.

TH. 2. Priuſquam ulterius in hujus tituli dilucidatione progrediamur, antecedentium pauca, & alia huic materiæ non uſque adeo inconvenientia, unde tamen connexio tandem deſcendit, præmittenda ſunt.

TH. 3. *Partes juriſprudentiæ* ſunt *tres*, [1] eſt iuris perſonalis, [2] juris realis, & [3] actionum ſive judicij interpretatio; nam actus, cuius libertas per jus præcipiendo vel prohibendo reſtringitur, vel permittitur, verſatur circa perſonas, aut res (ut juris ſubjecta, non v. objecta) in judicio, vel extra judicium, & Iuriſprudens jus ad tales actus pertinens interpretatur.

TH. 4. *Ius perſonale* variè accipitur, [1] *eſt norma* obligans ad aliquid circa perſonas principaliter faciendum, vel non faciendum; ita hîc ſumitur, ſicque ad perſonas jus pertinere dicitur, l. 1. hoc tit. [2] *pro poteſtate perſonæ* rubr. Inſt. de his, qui ſunt ſui vel alien. jur. rubr. & l. 1. ff. eod. vel [3] *pro actu juſto perſonæ* circa perſonam, & ſic nuptiæ juſtæ ſunt ſpecies juris perſonarum, vel [4] ſumitur *pro relatione*, qua in jure perſona ad perſonam refertur. Sicque ſtatus hominum vocatur ius perſonarum. l. 1. & 2. ff. de ſtat. hom. & rub. Inſt. de iur. perſ. ſic ſervus ad dominum relatus propter relationem habet ius perſonale.

TH. 5. Ius perſonarum pertinet ad Deum, vel hominem.

TH. 6. Ius perſonarum ad Deum ſpectans (a) credenda (b) præſcribit, & cultum Dei præcipit, eique contraria prohibet (c) hominibus in Eccleſia, (d) vel extra eam (e) viventibus.

(a) *Illud divinum* vocari poteſt. obſervandum, jus divinum quadrifariam ſumi, [1] *Ius Dei eſt*, quo Deus quaſi ſemetipſum obligat. quo in ſenſu iterum duplex, *naturale* & *poſitivum*. *Naturale Dei jus* conſiſtit in conformitate cum natura divina, v. g. quo Deos alienos in conſpectu ſuo haberi non patitur. *Poſitivum Dei jus* in libera Dei ordinatione conſiſtit, & ſic v. c. jus, quo præcipitur, ut ſeptimo die Sabbatum ſanctificemus, eſt poſitivum Dei jus. *illud* citra divinæ naturæ deſtructionem aliter atque aliter habere nequit, ſicque nec à Deo mutari poteſt, e. g. quod Deus non ſit juſtus, omnipotens, verus, facere non poteſt, cum in Deum non cadant vi-

tia. *hoc* (poſitivum) mutari poteſt, quia eius contrarium Deus ſine perfe-ctionis ſuæ deſtructione, vel præjudicio velle poteſt, & vult poſſe, [2] *jus divinum* eſt, quo Deus omnes creaturas obligat, [3] *jus divin.* ſive lex divina, qua Deus ſolum hominem immediate & mediate obligat; *immediatè* per legem nobiſcum natum, hæc enim hominum menti in prima creatione eſt inſcripta, inque Decalogo poſtea repetita & declarata; vel *mediatè* per legem nobis revelatam. *illa*, nullâ etiam nobis lege præſcriptâ, per lumen naturale præcipit ea, quæ naturâ ſunt honeſta, & prohibet, quæ naturâ ſunt turpia. *hæc* eſt, quæ *divina Majeſtas* per ſpecialem revelationem nobis in verbo ſuo publicauit, (hoc jus vocatur poſitivum) eſtque iterum triplex, morale, ceremoniale & forenſe. *Morale* eſt jus divinum revelatum præcipiens ſuâ naturâ honeſta, & prohibens ſuâ naturâ turpia, obligans omnes homines tam ad internam, quam ad externam obedientiam. *Ceremoniale* eſt jus divinum revelatum circa cultum divinum, vel propter typicam ſignificationem, vel ordinem Eccleſiaſticum à populo Iudaïco obſervatum, quod tamen quoad uſum & obſervationem per Chriſti adventum eſt ſublatum, hoſtia enim & ſacrificia debuerunt ceſſare. *Forenſe* (jus civile Iudaïcum) eſt jus divinum revelatum de ordinationibus ſtatutorum, judiciorum & controverſiarum forenſium totius politiæ Iudaïcæ. Morale nos quoque obligat, ceremoniale verò & forenſe Iudæis tantum erant præſcripta, ijſque erant normæ, aſt nobis non item. (4) *Ius divinum* eſt quod hominem in ordine ad Deum obligat, eſtque norma faciendorum, vel non faciendorum circa Deum, & ita hîc accipitur, eique opponitur jus humanum.

(b) *t.t. C. de Summa Trinit.*

(c) Huius ſumma conſiſtit in Dei dilectione, *Matth.* 22. Homo enim Deum magis, quam ſeipſum diligere debet, C. *Caritas* 5. *Diſt.* 2. *de pœnit.* Ratio eſt, quia [1] Deus eſt optimus, & quia in eo ſumus, vivimus & movemur, cuilibet noſtrum eſt conjunctiſſimus; totale autem bonum nobis conjunctiſſimum maximè eſt amandum, (2) quia finis ſummus eſt ſummè amandus (propter quod enim unumquodque tale eſt, illud magis eſt tale; aſt Deus eſt omnium finis ſummus (homo enim non propter ſe, ſed propter Deum eſt creatus) E. Deus eſt ſummè amandus.

(d) *Vox Eccleſiæ* eſt æquivoca, [1] *generaliter* ſumpta ſignificat quemvis cœtum ſive conventum, authoritate publica evocatum, [2] *ſpecialiter* pro ſacro hominũ cœtu ad cultum Dei convenientium accipitur. 1. *Corinth.* 4. *v.* 11. & in hoc ſenſu iterum duplicem habet *acceptionem*, [1] *propriam* & [2] *impropriam*. *In propria* acceptione *Eccleſia* eſt cœtus illorum hominum, quos Deus elegit, vocavit, donans eos tum verâ fide, tum ſincera charitate, ac tandem in cœlis beatos efficit, quo ſenſu in Symbolo Apoſtolico nos Eccleſiam Catholicam credere profitemur. *In impropria ſignificatione* iterum diſpeſcitur in quatuor ſpecies. [1] Eccleſia ſumitur pro cœtu eorum omnium, qui quomodocunque Chriſtianam Religionem profitentur, & ſe à paganis & Iudæis ſejungunt, quo ſenſu & hæreticus ad Ec-

cleſiam referri poteſt, in hoc ſignificatu Eccleſia hic accipitur, [2] pro cœtu eorum omnium, veram & orthodoxam religionem profitentium, licet omnes in ea non piè viuant, externè tamen boni videntur Chriſtiani. hoc ſenſu electis multi reprobi ſunt admixti. [3] pro ſolis Paſtoribus, & Presbyteris, qui cæteris præfecti ſunt, paſſim C. de SS. Eccleſ. [4] pro loco, in quo habetur ſacer cœtus, ut in rubr. & paſſim C. *d. t. In Eccleſia* (quoad acceptionem primam impropriam conſiderata) ſunt membra vera & apparentia. *vera membra* ſunt Clerici & Laïci verè fideles. *Clerici* dicti ſunt κλῆρος, id eſt, ſorte. ſuntque Eccleſiæ miniſtri, *l.* 10. 27. *C. de Epiſc. & Cler.* Inter Clericos numerantur & *Epiſcopi*, qui ſunt Antiſtites, populum Chriſtianæ religionis doctrinæ inſinuatione moderantes. *l.* 6. *de Epiſc. & Cler.* hi tantum habent audientiam, non verò juriſdictionem, *t.t. C. de Epiſc. aud. Membra apparentia* ſunt *heretici, Manichæi, t.t. C. de hæret. & t.t. C. ne ſanct. baptiſ. Hæretici* ſunt, qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis & tramite detecti fuerunt deviare, *l.* 2. *C. de hæretic Manichæi* ſunt hæretici inſigniores à quodam Perſa Maneche dicti.

(e) *Extra Eccleſiam* ſunt Apoſtatæ *t. t. C. de Apoſtat.* Iudæi, cœlicolæ, & Pagani, *t.t. C. de Iudæ. & cœl. t. t. de Pagan. Apoſtatæ* ſunt, qui penitus deſciſcunt à Religione Chriſtiana, & ex Chriſtianis facti ſunt Iudæi, aut pagani, aut Samaritani, aut Machumetani arg. *l.* 12. *C. de Apoſt. Iudæi* ſunt pertinaces Chriſti Salvatoris noſtri abnegatores & blaſphematores. *Cœlicolæ* ſunt, qui cœleſtia colunt ſidera, *l.* 12. *C. de Iudæ. & cœlic. Pagani* ſunt Ethnici gentiles, qui erant fictorum ſimulachrorum & dæmonum cultores, *l.* 1. 2. 3. 4. C. *de pagan.*

TH. 7. *Ius humanum* (a) eſt, quod actiones humanas circa hominem immediatè & principaliter occupatas dirigit.

(a) Illud variè hic accipitur, [1] pro eo quod homo introduxit, [2] id dicitur jus humanum, quo homo utitur, [3] illud, quo homo in actionibus circa perſonas, vel res dirigitur, [4] denotat illud jus, quod circa hominem tantum verſatur, quæ ſignificatio eſt hujus loci.

TH. 8. Ius illud humanum ſpectat ad hominem in ordine ad ſemetipſum, vel ad alios relatum. Illud ſe amare præcipit; unde dicitur, quod quilibet poſt Deum ſe magis, quam alium ordinatè amare debeat, ac præſumatur; quia ordinata charitas incipit à ſeipſa, arg. l. 6. C. de ſervit. & àqu. can. 9. cau. 23. q. 5. Hinc per bonam conſequentiam deciditur, maritum inopem uxore pauperrima exiſtente, non habere beneficium competentiæ, ratione dotis reddendæ, quia ordinata charitas à ſeipſa incipit, & æquius eſt, ut maritus mendicet, quàm mulier ſuo proprio careat.

TH. 9. *Amor ſui ipſius* eſt *duplex*, [1] eſt *ſenſitivi appetitus* ſibi derelicti, quo gaudemus nobis attribui ea omnia, quæ appetitui ſenſi-

tivo placent, & vocari poteſt *Concupiſcentia*, [2] eſt *Voluptatis*, quo volumus & lætamur omnibus virtutibus, & ijs omnibus, quæ ad virtutem aſſequendam & retinendam requiruntur; vel ut perſpicacius duas haſce amoris ſpecies definiamus. *Amor ſenſitivus* eſt, quo quis cupiditatibus & affectibus ſuis nimium indulget circa externa bona, ut divitias, honores, voluptates corporis. *Amor rationalis*, quo quis præcipuam ſui partem, id eſt, animum ſive mentem maximè amat, ac propterea ſtudet, eum præſtantiſſimis donis, virtutibus, ſc. artibus & ſcientijs excolere, inque ijs potiores ſibi partes acquirere. *Priori amore* (ſenſitivo) non debet quis ſemetipſum amare; hoc enim amore ad omnis generis vitia ducimur. c. 4. Extr. de conſtit. recedimus à Deo, quem graviter illo amore offendimus, incidimus in plurima omiſſionis & commiſſionis vitia. Ideo in d. diſt. 47. c. 3. dicitur, omnes hujus ſæculi dilectores in terrenis rebus fortes ſunt, in cæleſtibus debiles; nam pro temporali gloria uſque ad mortem deſudare appetunt, & pro gloria perpetua, ne parum quidem in labore ſubſiſtunt; pro terrenis lucris quaſlibet injurias tolerant, & pro cœleſti mercede, vel tenuiſſimi verbi ferre contumelias recuſant, terreno judici vel toto die aſſiſtere fortes ſunt, in oratione verò coram Domino, vel vnius horæ momento laſſantur; ſæpè nuditatem, dejectionem, famem pro acquirendis diuitijs, atque honoribus tolerant; ſuperna autem laborioſè quærere tanto magis diſſimulant, quanto ea retribui tardius putant. *Poſteriori* verò *amore*, (voluntatis) ut ordinato & rationali, quilibet ſe maximè amare debet, quia hoc amore [1] virtutes quæruntur, [2] felicitas quæritur humana, [3] eo nobis & proximis boni efficimur; hic amor propriè & ſimpliciter nominatur Amor, quia à potiori fit denominatio, puta ab amore rationali ſive intellectuali, qui ſenſuali eſt potior. Quia (1) *natura intellectuali*, Deo & Angelis communicamus, *hac* verò tantum brutis; ex *intellectuali natura* eſt amor rationalis ordinatus, ex *ſenſuali* eſt amor inordinatus, (2) quia amans inimicum alterius, eum odit. c. 7. *Extr. de accuſ.* At amans appetitum ſenſitivum non regulatum & rationi repugnantem amat inimicum alterius. E. talis non amat, ſed odit ſe c. 4. *Extr. de conſtit.* (3) ille eſt plus diligendus, à quo plura quis accipit bona; aſt ab alio quis accipit tantum bona externa, à ſe contra accipit bona intellectus & quamvis à doctore quiſpiam accipiat doctrinam & informationem in bonis moribus, hoc ſolummodo à doctore accipit adminiſtrativè, non autem principaliter, cum à ſe ipſo, virtute proprij intellectus inſtruatur.

TH. 10. Ex numero 25. præcedenti theſeos haud obſcurè patet, malū hominem natura ſenſuali magis, quàm intellectuali gaudentem, ſe non amare, verum odio proſequi; hic ſi velit in virtutis tramitem reduci, non debet ſe amare amore complacentiæ, (id eſt, ſenſitivo,) & delectativo, ſed amore deſiderantis emendationem, (id eſt, voluntatis.) E. ſe amare debet quatenus eſt bonus, vel futurus eſt, non autem quatenus eſt malus. Ex amore ordinato eſt ſe in artibus perfectiorem reddere, alere, veſtire, defendere, nec ſe occidere.

TH. 11. Ex dictis & ſequenti ratione, duplicem eſſe amorem cuilibet eſt obvium; cum homo ex duplici natura, ſenſuali & intellectuali conſtat, c 9. *cauſ.* 32. q. 2. c. *un. de ſumma Trinit. in Clem.*

TH. 12 *Ius perſonale*, quod *circa alios* verſatur, actus hominum dirigit, vel quatenus *ut ſinguli*, vel *ut in Rep. conſiderati*.

TH. 13 *Vt ſinguli* conſiderati ſunt ſui, vel alieni juris, rubr. & l. 1. ff. hoc tit.

TH. 14 *Sui juris* dicitur quis 4. modis. (1) Ipſe Deus, qui eſt abſoluta & ſumma poteſtas, (2) Princeps, quatenus ſummam in Rep. habet poteſtatem, nec quanquam præter Deum ſuperiorem recognoſcentem, (3) Paterfam. major 25. annis, & ſanæ mentis. l. 43. ff. de O. & A. (4) Paterfam. ſive pubes, ſive impubes ſit. l. 4. ff. de his qui ſui vel al. quo in ſenſu hic accipitur.

TH. 15. Perſonæ, quæ in poteſtate (a) non ſunt, vel in tutela ſunt, vel in curatione, (b) vel neutro jure tenentur, pr. *Inſt. de tutel.*

(a) Id eſt, Patria, vel dominica.
(b) De quibus in lib. 26. & 27. ff.

TH. 16. Alieno juri ſubjectus dicitur (1) ſolus filiusfam. l. 25. §. 2. & l. 31. §. 15. ff. de ædil. edict. (2) ſervus & filiusfam. l. 4. ff. h. t. (3) uxor, arg. l. 48. ff. *de oper. libert.* arg. l. 195. §. 2. ff. de V. S. (4) pupillus, qui in poteſtate tutorum eſt. §. 1. & §. 2. *Inſt. de tutel* Minor, prodigus & furioſus, qui in poteſtate curatorum ſunt, (5) libertus, qui eſt in poteſtate patroni, t. t. ff. *de obſeq. parent. & patron. præſt.* (6) Minor propinquus, qui eſt in poteſtate Senioris propinqui. l. *un.* C. *de emend. propinq.* (7) diſcipulus, qui eſt in poteſtate magiſtri. arg. l. 5. §. *ult.* ff. ad L. *Aquil.* (8) Subditus, qui eſt in poteſtate Magiſtratus. *Rom.* 13. l. 213. ff. de V. S. hic tantum *ſecunda acceptio*, de filio & ſervo in poteſtate exiſtentibus huc pertinet, Filij, enim familias, & ſervi propriè dicuntur eſſe alieni juris, quòd in patrisfam. & domini ſint poteſtate. l. 1. §. 1. l. 4. & 5. ff. h. t.

TH. 17. *Vox familiæ*, (unde hominum diviſio, non abſoluta, ſed rela-

ta ad familiam ex jure perſonarum, quod ſint ſui, vel alieni juris) aliqua declaratione indiget. *Familia* enim denotat vel *res*, vel *perſonas*, vel *corpus*, (1) *pro rebus* ſumpta ſignificat hereditatem. l. 195. §. 1. ff. de V. S. *rubr.* ff. & C. *famil. erciſc.* (2) *Pro perſonis* accepta denotat corpus domeſticum plurium perſonarum. d. l. 195. §. 2. ita patronus habet familiam, (3) quatenus *pro corpore* ſumitur, familia conſtat perſonis & rebus, Ariſtot. 1. Pol. 2. vel in ſolis conſiſtit perſonis eodem iure utentibus. Quod *perſonas* concernit, vel ſunt (1) liberi tantum, vel (2) ſervi tantum, vel (3) liberi & ſervi ſimul. *Perſonæ primi generis* ſunt *in familia communi*, vel *propria*. *In communi* ſunt omnes ex eadem ſtirpe, domo, & gente proditi per virilem ſexum, (ut agnati) ſive, quo ex eodem patrefam. originem, gentemque ſuam trahunt, etiamſi ſinguli propriam alant familiam, ſuique juris omnes exiſtant, aut adhuc in poteſtate ſint, ut familia Corneliorum à Cornelio, gentis illius Principe, quæ deinceps in plures proprias familias fuit diviſa. *In propria* familia ſunt paterfam. materfam. filiusfam. filiafam, nepotes & neptes. d. l. 195. §. 3. *Paterfam.* appellatur, qui in domo dominium habet, etiamſi filium non habeat. d. l. 195. § 2. Materfam. eſt ſuæ poteſtatis, Filiusfam. & Filiafam. qui ſunt in poteſtate patris. l. 4. ff. h. t. *Familia* (quatenus pro perſonis accipitur) *ſecundi generis* eſt corpus ſervorum, qui ſub ejuſdem domini poteſtate ſunt. d. l. 195. §. 5. *Familia perſonarum tertij generis*, ſi eſt perfecta, ratione graduum, continet *tres ſocietates* (1) inter maritum & uxorem, (2) inter parentes & liberos, (3) inter dominum & ſervum.

TH. 18. *Prima ſocietas* inter marit. & uxo. vocatur matrimonium pr. *Inſt.* de I. N. G. & C. §. 1. *Inſt. de patr. poteſt.* l. 1. §. 3. ff. de I. & I. mulier familiæ ſuæ caput & finis eſſe dicitur. l. 195. §. *fin.* ff. de V. S. quia non conſervat familiam. Vnde hæc oritur quæſtio, an uxor ſit in mariti poteſtate. Reſp. diſting. inter jus civile, jus conſuetudinarium, & Saxonicum. *Iure civili* Rom. mulier nubens manet in patris poteſtate. arg. §. 2. I. de Sct. Tertul. l. 1. & 2. C. *de liber. exhib.* l. 1. §. 1. *de lib. exhib.* Maritis ſaltem relinquitur honor & imperium domeſticum. *Iure conſuetudinario*, cum nuptijs finitur patria poteſtas, eſtque mulier ſub poteſtate & tutela maritali, (1) quoad obſequia matrimonij. arg. l. ſi uxor C. de cond. inſert. l. *filiæ* C. *de collat.* (2) quoad forum, arg. l. *exigere* ff. *de iudic.* (3) quoad operas, tenetur enim marito quoad conditionem ſuæ perſonæ, operari, (4) quoad dignitatem. arg. l. *fæminæ* ff. *de Senator.* *Saxonico* verò *jure* fœmina nubens non modò liberatur à patris poteſtate, ſed & ſimul tranſit in poteſtatem mariti. Contra mu-

lieri jure civili conceduntur beneficia ut mortuo marito dignitatem, familiam,& domum mariti retineat. l. 8. ff. *de Senator.* l.13. C. *de dign.* ſi modo poſtea non nupſerit cuidam inferioris ſortis, tunc enim ejus conditionem ſequitur.

TH. 19. (2) Societas eſt inter dominum (a) & ſervum.

(a) Vox domini variè ſumitur, (1) ratione ſolius tituli ut in communi converſatione viros honoratos, honoris cauſa, ſolemus vocare dominos, (2) qui majorem habet præeminentiam, quo ſenſu Imperator vocatur dominus. l. 3. ff. de his quæ in teſtam. del. l. *pen.* ff. *ad L. Rhod.* (3) qui rei proprietatem ſolam. §. *fin. Inſt. de uſufr.* vel uſumfructum ſine proprietate. l. 8. ff. *de reb. auth. jud. poſſ.* vel proprietatem cum uſufructu conjunctam habet, (4) qui eſt paterfam. & actu habet ſervum, (5) Paterfam. qui ſervum habere poteſt. d. l. 195. §. 2. ff. de V. S. hic autem accipitur in quarto ſignificatu.

TH. 20. Dominus eſt, qui ſervum ad utilitatem & commodum ſuum in ſua poteſtate habet. Contra *ſervus* eſt, qui ad domini commodum ipſius poteſtati eſt ſubjectus.

TH. 21. Vnio inter dominum & ſervum eſt ex ſervi acquiſitione.

TH. 22. Acquiritur ſervus aut jure civili (a) aut gentium jure.

(a) Per ſui ipſius venditionem. l.5.§.1. ff. *de ſtat. hom.* vel alio modo, e. g. ſi liber homo in metallum damnetur, vel ob ingratitudinem erga patronum, in ſervitutem revocetur. l.7. ff. h. t. l. 8. § 4. 6. & 12. ff. *de pœn.* l. 6. ff. *de in integr. reſtit.*

(b) Per captivitatem in bello, aut nativitatem ex ancilla. d. l. 5. §. 1. ff. *de ſtat. hom.* ~~aut per traditionem~~ ex venditione, vel alia juſta cauſa.

TH. 23. Ex acquiſitione illa eſt poteſtas dominica, qua paterfam. tanquam dominus regit (a) ſervum (b) ſuum. (c)

(a) H. e. præſcribit, & injungit ſervo officium, v. g. in acquirendo, §. 1. *Inſt. de his qui ſunt ſui vel alien.* l. 1. ff. h. t. eumque in officio induſtrium, fidelem & bonum, non ſolum defenſione contra aliorum injurias, & cibo tanquam naturali mercede & præmio, Ariſt. 1. *œcon.* 5. ſed & coërcitione efficit talem. Caſtigatio autem debet eſſe moderata. §. 2. Inſt. & l. 1. & 2. ff. h. t. ſin verò intolerabilis domini ſit ſævitia, Præſides ex officio cauſa cognita dominum ſolent cogere, ut ſervum bonis, id eſt, non duris conditionibus vendat, e. g. ne unquam manumittatur, ut ſemper in vinculis ſit. l. 25. ff. *de ſtat. hom.* ſi verò dominus ſervum occidat ſine cauſa, non minus punitur, quàm ſi alienum occidat. l. 1 § 1. hoc tit.

(b) Tanquam inſtrumentum ſuum animatum & rationis compos, Ariſt. 1. Pol. 3.

(c) Sive ſervus domini ſit in ſolidum, ſive pro parte, quia & communis ſervus

ſervus dici poteſt ſuus. l. 46. ff. *de rit. nupt. arg.* l. 5. § 1. ff. *de leg.* 1. l. 239. §. 9. ff. *de* V. S.

TH. 24. Poteſtas dominica finitur ſervi alienatione, (a) vel amiſſione, (b) vel libertatis datione. (c)

(a) Atque ita poteſtas dominica finitur reſpectu domini, ſervum alienantis, non verò per omnia, intuitu novi domini, cui ſervus traditur.

(b) Amiſſio fieri poteſt, [1] per mortem ſervi, per privationem ob delictum, *l. 2. ff. hoc tit.* vel [3] per abjectionem.

(c) Per manumiſſionem, vel alium modum, de quibus *lib. 40. & in C. libr. 7. t. 1. & ſeqq.*

TH. 25. Hodie operas liberorum hominum, ad negotia noſtra expedienda, certa mercede, conducimus, ad quos tamen hæc jura quodammodo applicari poſſunt, quia & hodie domino ſervum, vel dominæ ancillam modicè caſtigare, videtur permiſſum.

TH. 26. Hæc de poteſtate dominica, ratione circumſtantiarum ſufficiant. Sequitur nunc *tertia ſocietas*, quæ inter Parentes (a), & liberos, (b) ex nuptijs, vel legitimatione, vel adoptione exiſtit.

(a) *Parentum* nomine, præter patrem & avus, & proavus & reliqui ſuperiores omnes comprehenduntur, ut & mater & avia & proavia, *l. 51. ff. de V. S. l. 4. §. 2. ff. de in jus voc. l. 1. 2. & 3. ff. de grad. cogn.*

(b) *Liberorum nomen* generaliter & latè capitur, ita ut non modo in poteſtate patria exiſtentes contineantur, verùm & omnes illi, qui ſui juris ſunt, ſive virilis, ſive fœminini ſexus, exque fœminino ſexu deſcendentes, l. 56. ff. de V. S. l. 2. §. 3. ff. *qui ſatiſd. cog. l. pen. & ult. ff. de pollicit.* imò liberorum appellatione præter filium, & nepotes, & pronepotes, exque ijs naſcentes complectuntur, l. 220. *pr.* ff. de V. S. unde ſequentia deducuntur. Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur ſine liberis deceſſiſſe, l. 187. ff. de R. I. l. 11. C. *de quæſt.* l. 6. C. *de inceſt. nupt.*

TH. 27. Filius is dicitur, qui ex viro & uxore eius naſcitur, l. 6. *pr.* ff. h. t. §. *ult. Inſt. qui teſtam. tutor. dar.* l. 6. ff. *de teſtam. tutel.* l. 11. §. 9. ff. *ad L. Iul. de adult.* uxore licet negante, l. 29. §. *fin.* ff. *de probat.* propter fortem præſumptionē. Eliditur tamen iſta præſumptio, ſi conſtet, maritum aliquandiu cum uxore non concubuiſſe, infirmitate vel alia cauſa interveniente, quo caſu in domo natus, non habetur filius legitimus, d. l. 6. e. g. Si fingamus, maritum per decennium abfuiſſe, reverſum anniculum inveniſſe in domo ſua, non erit hic filius mariti.

TH. 28. Filij appellatione omnes liberos intelligimus, l. 84. ff. de V. S. ex voluntatis præſumptione, l. 41. §. 5. ff. *de leg* 3 & juſta interpretatione, l. 201. & 220. §. 1. ff. de V. S. l. 14. ff. *de SCto Maced.* l. 59.

ff. *de rit. nupt.* l. 3. C. *de interd. matr.*

TH. 29. Nomen filiarum & in poſthumam cadere, quæſtionis non eſt, quam poſthumæ nomen non cadere in eam, quæ in rebus humanis eſt, certum ſit, l. 164. de V. S.

TH. 30. Patria poteſtas conſideratur vel abſolute, (a) vel relative. (b)

(a) *Abſolute* conſiderata eſt *juris naturæ*, quoad introductionem & ſubſtantialia, quia oritur ex matrimonio, prima & antiquiſſima paterni imperij cauſa, *Ariſtot.* 1. *Pol.* 12. hæc patria poteſtas etiam *juris gentium* dicitur, quatenus gentibus uſitata, & recepta. *arg.* l. 2. ff. *de* I. & I.

(b) *Relativè* accepta ad Remp. Romanam, ejuſque informationem & approbationem, juris eſt civilis, §. *pen.* I. *de patr. pot.* l. 3. 4. 5. h. t. quatenus ſc. imperio patris, ex jure naturæ debito, quædam jus civile adjecit, vel detraxit, in quo juris civilis eſſentia conſiſtit. l. 6. ff. de I. & I.

TH. 31. Ius illud præeſſendi familiæ *principaliter* competit patri, qui eſt familiæ Rex. *Ariſt.* 1. *Pol.* 12. *Secundario*, & aliquatenus matri, quæ & ipſa rebus domeſticis, & adminiſtrandis, & conſervandis quodammodo præeſt. Patria verò poteſtas, quæ eſt principalis & ſuprema illa in familiam poteſtas, patri, avoque paterno, non matri, cæteriſque per illam aſcendentibus competit §. *fin.* Inſt. *de patr. poteſt.*

TH. 32. *Patria poteſtas* eſt jus, patri competens, (a) liberis legitimis, qui in eius familia ſunt, imperandi, quoad perſonas, & res eorundem, ad communem familiæ utilitatem, (b) l. 3. C. *de patr. poteſt.* §. 1. *Inſt. per quas perſ.*

(a) Patri in filiosfam. olim ius vitæ & necis competijt, l. 11. *de lib. & poſth.* l. *ult.* C. *de patr. poteſt.* Novo verò iure Iuſtinianeo multa priſtino iuris patriæ poteſtatis rigori ſunt adempta, [1] *circa perſonas*, nimia iſta atrocitas eſt ſublata, quia patria poteſtas in pietate, non in atrocitate conſiſtere debet, l. 5. ff. *ad L. Pomp. de parricid.* l. 2. *ad L. Corn. de ſic.* attamen inobedientem filium hodie poteſt pater curare incarcerari, & iudici puniendum offerre, qui ipſi pœnam, quam pater dixit, (intellige moderatam) imponere tenetur, l. 3. C. *de patr. pot.* Hinc ſi pater filium certo conclavi includat, ob id in pœnam non incurrit, l. *un.* C. *de carcer. priv. inhib.* quia hoc correctionis, non a. juriſdictionis aut privati carceris conſtituendi gratia, facere præſumitur, [2] *circa bonorum acquiſitionem*, quæ olim omnia patri cedebant, hodie verò maxima pars filijsfam. manet integra.

(b) Vnde non ſolum diſcernitur à dominica poteſtate, ſed etiam ex verbis colligere licet, quod ad eas res, quæ non ſpectant ad familiam, non pertineat patria poteſtas. hinc dicitur filiusfam. in publicis cauſis loco patrisfam. haberi, l. 9. ff. h. t. l. 77. & 78. ff. *de judic.* obſervandum, quod pater iure civili vſumfructū bonorum filij adventitiorum ad vitam habeat, quam-

vis matrimonium contraxerit filius, ſeque à patre ſeparaverit, l. 1. *& fin.* C. *de bon. mater.* iure verò Saxonico, tantum ad nuptias uſque vel emancipationem.

TH. 33. Vinculum patriæ poteſtatis quoque efficit, patrem & filium pro una, eademque perſona per juris fictionem ſumi, l. fin. C. de impub. ſubſtit. l. 22. §. 1. C. *de agric. & cenſ.* l. 16. *de furt.* l. 16. §. 1. ff. *de fidejuſſ.* l. 50. ff. *ad SCt. Trebell.* Hinc Ariſtoteles inquit, uſque dum ſoboles parva eſt, neque à patre ſeparata, eſt inſtar eius partis, 5. Eth. 10. Filius veluti membrum patris eſt, uſque dum viri locum nanciſcatur, & ab ipſo ſeparetur.

TH. 34. Legitimatio eſt actus jure civili introductus, quo liberi naturales, (a) extra matrimonium (b) nati, (c) in poteſtatem patris rediguntur. (d)

(a) Vox *naturalis* multifariam ſumitur, (1) pro liberis ex juſto matrimonio natis, *pr. Inſt. de adopt.* (2) in ſervitute ſuſceptis, l. 88. §. 12 ff. *de leg.* 2. (3) pro natis ex concubina, t. t. C. *de Natur. lib.* Nov. 12. c. 4. Nov. 74. & 80. ita hic accipitur, (4) pro ſuſceptis ex ſcorto, vel ſtupro, vel inceſtu, vel alio illegitimo coïtu, ſub matrimonij legibus interdicti velamento.

(b) Putà in concubinatu, à ſoluto & ſoluta. Hodie cum concubinatus æque, ac alius concubitus extra conjugium ſit prohibitus, naturales & ſpurij ferè æquiparantur, adeoque ſpurij quoque poſſunt convenienti modo legitimari, imo & adulterini & inceſtuoſi, per ſingularem diſpoſitionem, abſque præjudicio aliorum, à principe legitimari queunt.

(c) Secus ſe res habet cum liberis ante nuptias conceptis, & poſt eas natis, qui non dicuntur legitimati, ſed legitimi; quia in tali caſu ob liberorum & matrimonij favorem, non tempus conceptionis, verum nativitatis, & partus eſt inſpiciendum, l. *nuper* C. *de natur. liber.*

(d) Filij hi legitimati admittunt, ſe transferri in familiam ac poteſtatem patris §. *fin. Inſt. de nupt.* l. 5. & 6. C. *de nat. liber.*

TH. 35. Legitimatio fit, [1] per ſubſequens matrimonium, (a) vel [2] per reſcriptum (diploma) Principis, (b) vel [3] per oblationem Curiæ. (c)

(a) Sic legitimantur à muliere libera procreati, requiritur tamen, ut & mulier concubina ſit ſoluta, & pater ſolutus, aliàs inter has perſonas matrimonium ob legum prohibitionem ſubſiſtere nequit, §. fin. *Inſt. de nupt.* ad hanc legitimationem, dotalium inſtrumentorum compoſitio jure civili (non canonico) eſt neceſſaria, §. *fin. I. de nupt.* §. 2. *Inſt. de hered. quæſt. ab inteſt. def.* Nov. 12. c. *ult.* Nov. 118. c. *ult.* Nov. 74. *pr.* Nov. 89. c. 8. quia duo ablativi abſoluti, (ſc. dotalibus inſtrumentis compoſitis) in conditionem reſolvi

debent, quæ conditio in forma ſpecifica eſt implenda.

(b) Vt cum Imperator ſupplici libello à parentibus, vel ijs mortuis, à liberis naturalibus rogatus, liberos legitimat. hæc legitimatio fieri ſolet, vel [1] *immediatè* ab Imperatore ipſo, præcipuè in Illuſtrium perſonarum liberis, vel [2] *mediatè* per iſtos, quibus ille id mandauit; mandat a. in genere, dando ius legitimandi Comitibus Palatinis. hinc quoad effectum liberi legitimati pro legitimis habentur, nec à collegijs honeſtis hodiè ſunt repellendi, nec à iure ſuccedendi, ſi modo ante patris obitum ſint legitimati, & liberi legitimi non extent, in quorum præiudicium ſuccedere non poſſunt. *Gail.* 2. *obſ.* 142. l. *un.* §. 2. ff. *de Offic. conſ.* l. 5. ff. *de manumiſſ. vind.* Legitimatio hæc eſt ſubſidiaria, tunc locum habens, quando liberi ex certis cauſis, & impedimentis non poſſunt per ſubſequens matrimonium legitimari, ut e. g. ſi mortua ſit mater; Nov. 74. c. 2. Nov. 89. c. 1. & 9.

(c) Quando pater filios ſuos naturales curiæ offert. curia hic non denotat Imperatoris aulam, ſed ordinem Decurionum in municipijs, cui ſi pater liberos, vel defuncto eo, liberi ſeipſos offerrent, & muneribus gerendis ſe ſubjicerent, legitimi efficiebantur. onus n. non leve erat Decurionatus, unde modus hic legitimandi ab Imp. eſt inventus, quo plures curiarum oneribus ferendis præſto eſſent, arg. l. 3. l. 4. C. *de nat. lib.* Mutata Reip. forma, hic modus legitimandi exolevit, eiuſque uſus hodie eſt nullus.

TITVLVS SEPTIMVS.

De Adoptionibus & emancipationibus, & alijs modis, quibus poteſtas patria ſolvitur.

TH. I. Expoſitum eſt hactenus, quinam poteſtati alienæ ſubjiciantur, nunc conſequenter, quibus modis ijdem ab ea liberenter, exponamus. Liberantur a. ſervi dominica poteſtate per manumiſſionem, filij patria pot. per adoptionem, emancipationem & alios quoſdam modos. Per adoptionem tranſit filiusfam. è ſacris, poteſtateque patris ſui in familiam alienam.

TH. 2. *Adoptio* (a) eſt legis actio, (b) qua quis liberos, ex alio legitimè (c) natos, conſentientes (a) eligit liberos. (e)

(a) *Vox* adoptionis eſt ambigua, denotat, [1] *vulgariter*, quando liberum hominem loco filij alimus, quia adoptare eſt in filium adſciſcere, [2] *impropriè* ſignificat ſervi adoptionem. §. *ult. Inſt.* h. t. [3] *propriè* eſt ſolennis, & legitima in locum liberorum aſſumtio, l. 132. ff. de V. O. l. 1. pr. ff. h. t. §. 4. & 8. I. h. t.

(b) *Legis actio* eſt qua certa quadam & ſolenni formula ſuper,aliqua re, civis apud Magiſtratum experitur, & neceſſaria quæque peragit, l. 2. §. 6. ff de O. I. ne populus pro arbitrio temere, & inconditè in judicio ageret, compoſitæ ſunt certæ, ſolenneſque actiones,'quibus inter ſe cives diſceptarent, quæ pars juris, legis actiones appellantur. Secundum ſolennes has actiones, ſ. ſolennes formulas, ſ. ſolennia actionum verba,litigatores in iudicio experiri tenebantur, ita ut ſi quis ſyllaba erraret,tota cauſa caderet: hinc lege agere', eſt formam petendi adhibere; ab his formulis non licebat recedere in petitionibus,perſecutionibus, conventionibus, adoptionibus, manumiſſionibus.Legis actio exercetur,vel *in invitum*, cum reus citatur & comparere cogitur,& niſi compareat in contumaciam legitimis mediis proceditur, & damnatur,[2] vel *inter volentes*, nulla interveniente contradictione, ubi illi, inter quos agitur, conſentiunt, *illa* dicitur actio juriſdictionis contentioſæ,*hæc* verò juriſdictionis voluntariç,(ut manumiſſio, adoptio, emancipatio) quæ qualitatem, omnibus legis actionibus olim propriam (ſc. quod per alium expediri nequeat) retinuit, ſibique qſ. propriam fecit. Vnde legis actio actioni voluntariæ juriſdictionis propria eſt facta; & in hac ſignificatione hic legis actio accipitur.

(c) Nam naturales non legitimi non poſſunt adoptari, l. 7. C. *de nat. liber.*

(d) l. 5. ff. h.t. quia & adoptantem & eum, qui adoptatur, conſentire oportet. l. 5. & l. 24. ff. h. t.

(e) Liberi hîc,ut in l. 220. ff. de V. S. ſumuntur arg. §. 5. 6. 7. Inſt. h.t. definitur etiam,quod ſit actus legitimus, per quem filius fit, qui natura talis non eſt, quapropter etiam dicitur, quod legis actio & actus legitimus, pro ſynonimis habeantur, nunquam n. ſatis diſcernuntur.

TH. 3. Adoptio dividitur in arrogationem & adoptionem in ſpecie ſic dictam, l. 1. §. 1. ff. h. t. l. 2. *eod.* §. 1. *Inſt.* h. t.

TH. 4. Arrogatio (a) eſt adoptio eius, qui,quæve ſui juris eſt,(b) Imperatoris authoritate (c) facta.

(a) Ita eſt dicta, quod arrogatio olim fieret,(ſtante penes populum Rep.)per ſuffragium ſ. rogationem,in comitijs curiatis,velitis jubeatis Quirites, ut L. Titius Valerio tam jure,legeque filius ſibi fiat, quàm ſi ex eo patre matreque familias ejus natus eſſet,&c. Hæc ita ut dixi,vos Quirites rogo, vel quod vterque,tam adoptans,quàm adoptandus juxta,& una rogantur, *ille* an arrogare ſibi vellet filium, hic an adoptantem vellet patrem, quod publicè annuere uterque debebat, l. 1. ff. h. t.

(b) Sive major, ſive minor, ſive pubes (cum conſenſu tamen curatoris. l. 8. ff. h. t.) ſive impubes, quem arrogare non alijs permittitur, quam ijs, qui ſanctiſſima affectione ducuntur,vel aliàs naturali cognatione juncti ſunt pupillo. l. 17. §. 1. ff. h. t. & præter ſingularem & ſpecialiorem cauſæ cognitionem intervenire debet cautio ab arrogante præſtanda. §. 3. *Inſt.* h. t. l. 17. h. t. fœminæ olim authoritate populi arrogari non poterant; poſt

Principis reſcriptum poſſunt, ut loco filiarum habeantur. l. 21. ff. h. t.

(c) Olim fiebat ſolius populi R. authoritate, quia arrogatus cum capite fortunas quoque ſuas in familiam, & domum alienam transferens, l. 11. §. *ult.* ff. *de bon. poſſ.* capite minuitur, § 3. *Inſt.* cum de capite civis Rom. injuſſu populi R. non erat permiſſum, jus dicere, l. 2. §. 23. ff. de O. I. poſtquàm v. imperium populi R. in principem per omnia fuit tranſlatum, non amplius populus, ſed Princeps erat adeundus, ejuſque reſcriptum deſuper impetrandum. l. 2. in f. C. h. t. aſt eo tamen modo arrogatio eſt conceſſa, ut cauſæ cognitio præcedat, an illa ſit honeſta, & bona, an v. pupillo noceat, l. 2. C. h. t. l. 15. §. *pen. & ult.* l. 17. ff. h. t. quia arrogatio erat periculoſa, ideo multis ceremonijs & cautionibus erat obnoxia.

TH. 5. Adoptio in ſpecie ſic dicta eſt adoptio ejus, qui, quæve in poteſtate parentum eſt, (a) Imperio (b) Magiſtratus, (c) ab avo paterno, vel materno, (d) vel extraneo (e) facta. (f)

(a) §. 1. *Inſt.* h. t. l. 2 pr. ff. h. t.

(b) Id eſt, poteſtate Magiſtratus. l. 215. ff. de V. S. quæ in volentes exercetur. l. 2. §. 1. ff. *de offic. Proconſ.* etiam ratum habendo, quod peragitur.

(c) Vt *Romæ* Conſulis, Prætoris, *in Provincijs* Præſidis, §. 8. *Inſt.* h. t. l. 4. ff. h. t. quæ olim per ceſſionem in jure, præcedentibus tribus emancipationibus, & duabus manumiſſionibus fiebat, l. *ult.* C. *de adopt.* quamvis hodie ſimplicius fiat adoptio, quia tamen adhuc hodie eſt legis actio, eaque non valet, niſi præſente eo, apud quem legis actio eſt. l. 2. & 3. ff. *de offic. Proconſ.* Ideo & hodie non fit, niſi imperio Magiſtratus.

(d) Quæ ab horum alterutro facta eſt, ea ſola verè transfert adoptatum in adoptantis poteſtatem & familiam, §. 2. *Inſt.* h. t. unde diſtinctio inter *adoptionem perfectam & imperfectam*; illa perfectè filium reddit, per quam adoptatus venit in familiam & poteſtatem patris adoptivi, ut ab avo paterno vel materno; *hæc* eſt, qua filius adoptivus non eſt in poteſtate, & familia patris adoptivi, ſed tantum affectione paterna, ut filius habetur, ac in domo ejus educatur, aliturque, & porrò ei ab inteſtato ſuccedit, ut ab extraneo fieri ſolet, l. *pen.* C. h. t.

(e) Adoptio hæc non facit filiumfam. ut ſit in adoptantis poteſtate. §. 2. *Inſt.* h. t.

TH. 6. Cauſa efficiens adoptionis eſt lex, quæ eam introduxit, & conſenſus eorum, qui hoc actu ſolenni utuntur, oportet enim adoptantem, & adoptatum conſentire, l. 5. h. t.

TH. 7. *Cauſa impulſiva* & finalis; adoptio præcipuè in illorum gratiam eſt introducta, qui nullos liberos, vel degeneres, aut debiles, malaque valetudine affectos habebant, ne familiarum dignitas penuria naturalis ſobolis periret. Idcirco ſi ſpes aliqua naturalis ſobolis

ſubeſſet, adoptio non facilè permittebatur.

TH. 8. Effectus adoptionis non cōfert jus ſanguinis, jus enim ſanguinis jure civili, neque dari, neque adimi poteſt, l. 8. R. I. ſed jus agnationis inducit, l. 23. h. t. Hodie tamen plebeïus à nobili adoptatus, per ſolam adoptionem non conſequitur nobilitatem, quia hæc deſcendit ſolum ad procreatos ex ſanguine ejus, cui collata nobilitas, & non poteſt hujus collatio à voluntate adoptantis & adoptati dependere, cum ſolius ſit Imperatoris nobilitare. *Carpz. ad L. Reg.* c. 3. *ſect.* 13.

TH. 9. *Effectus arrogationis* eſt, quod non ſolum arrogatus ipſe, ſed etiam liberi, quos ipſe in poteſtate tum habet, una cum omnibus bonis in arrogatoris familiam & poteſtatem tranſeant. §. 11. *Inſt.* h. t.

TH. 10. Requiſita adoptantium, [1] adoptaturus non ſit minor 60. annis, (ex juſta tamen cauſa & huic permittitur) quia ejus ætatis adhuc eſt, ut liberis procreandis operam dare poſſit, l. 15. §. 2. h. t. cum ſatius & utilius Reip. ſit, heredem ex ſe natum habere, quam ex aliena familia aliquem in ſuam poteſtatem redigere, *arg. pr. ff. de excuſ. tutor.* [2] ne jam vel unum, vel plures liberos, ſive naturales ſ. adoptivos habeat. l. 17. §. 3. l. 15. §. 3. ff. h. t. [3] ut adoptans adoptato major 18. annis, quia in adoptionibus requiritur plena pubertas, quæ eſt in mare 18. annorum, [4] ut ipſis non ſit potentia generandi, §. 9. h. t. l. 1. §. 2. h. t.

TH. 11. Patria poteſtas acquiritur vel ex juſtis nuptijs, vel legitimatione, vel adoptione. (a)

(a) Sc: per arrogationem & adoptionem in ſpecie ſic dictam, ab avo paterno, vel materno factam, §. 2. Inſt. h. t.

TH. 12. Contra, patria poteſtas tollitur, [1] morte naturali, (a) & civili, (b) [2] dignitate, (c) [3] emancipatione, (d) [4] adoptione. (e)

(a) L. 5. ff. *de his, qui ſunt ſui vel al. jur, pr. Inſt. quibus mod. patr. pot.*

(b) Qua quis enumero civium tollitur, §. 1. *Inſt.* d. t. eaque accidit deportatione, d. §. 1. ſervitute pœnæ, §. 3. *Inſt. eod.* l. 7. ff. *de his qui ſunt ſui,* vel captivitate, §. 5. *Inſt.* d. t. & hoſtium fit ſervus, pendet tamen jus liberorum, propter jus poſtliminij, quia hi, qui ab hoſtibus capti ſunt, ſi reverſi fuerint, omnia priſtina jura recipiunt, idcirco reverſus & liberos habebit in poteſtate, quia poſtliminium fingit eum, qui captus eſt, in civitate ſemper fuiſſe; ſi v. ibi deceſſerit, exinde, ex quo captus eſt pater, filius ſui juris fuiſſe creditur, idem de filio, & nepote dicitur, ſi captus ab hoſte fuerit; propter jus poſtliminij, jus poteſtatis parentis in ſuſpenſo eſt, §. 5. *Inſt. quib. mod. jus patr.*

(c) Qualis eſt dignitas patriciatus, quæ eſt Conſiliariorum Imperatoris, §. 5. *Inſt.* d. t. quia hæc dignitas erat ſumma, talis [2] eſt dignitas Epiſcopalis, *Nov.* 81. c. 3. & generaliter omnis dignitas, quæ à curia, eadem & à patria poteſtate liberat. *Nov.* 38. & 76.

(d) *Emancipatio* varias habet ſignificationes, [1] generaliter ſumitur pro relatione è manu, id eſt, poteſtate ac dominio, [2] pro relatione patriæ poteſtatis impropriâ & analogicâ; e. g. ſi quis ab extraneo adoptatur. l. 10. *in fin.* pr. & §. 1. C. *de adopt.* §. 14. *Inſt de hered. quæ ab inteſt.* [3] pro propria & vera patriæ poteſtatis ſolutione, atque ita hic accipitur. Definitio emancipationis eſt talis. Emancipatio *eſt actus ſolennis legitimus*, (l. 77. ff. *de* R. I. l. 3. C. *de emancipatione lib.*) quo patris voluntate filius, filiave non contradicens deſinit eſſe in patris poteſtate, *Nov.* 89. c. 11. §. *præterea Inſt. quib. mod. jus patr.* Emancipatio hæc eſt triplex, (1) legitima, (2) Anaſtaſiana, & (3) Iuſtinianea. *Legitima* eſt, quæ ex L. 12. Tabb. per intervenientes imaginarias venditiones, & manumiſſiones trinas fiebat, d. §. *præterea* 6. *Inſt.* Anaſtaſiana eſt, quia ex conſtitutione Imperatoris Anaſtaſij; coram Iudice competente per impetratum Principis reſcriptum educto, filiusfam. vel filiafam. præſens, vel abſens ſui Iuris fiebat, l. *pen.* C. *de emancip liber.* Iuſtinianea eſt, qua apud competentes Iudices, vel Magiſtratus parentes volentes à manu ſua filios, vel filias, nepotes vel neptes non contradicentes dimittunt, §. *fin. Inſt.* d. t. Sive Anaſtaſiana eſt, quæ remotis ſolemnibus, quæ aliàs in legitima emancipatione adhibebantur, per nudam reſcripti principalis impetrationem, in judicio fieri poterat. Iuſtinianea, quia per ſolam judicialem profeſſionem fieri poterat. Hodie Iuſtinianea emancipatio non eſt in uſu, quia judicis aditione in emancipando filio non eſt opus, ſufficit actualis à menſa & convictu paterno ſeparatio; (aſt matrimonium jure civili filium à patria poteſtate non liberat, l. 22. §. *pen.* ff. *de ſolut. matrim.* Hinc hodie tribus modis filiusfam. pro emancipato habetur, (1) ſimul ac pater ei proprias negotiationes permittat, (2) ſi filius ſeparatim habitet, & (3) ſi uxorem ducat, hoc ultimum tamen non eſt perpetuum, quia non ſolæ nuptiæ quem liberant hodie à patria poteſtate. *Carpz.* p. 2. c. 10. d. 3. multo minus olim iure Iuſtinianeo matrimonium filium ab eadem eximit. l. 22. §. *pen*, ff. *ſolut. matrim.* l. 6. §. e. l. 14. §. 2. l. 37. ff. *ad L. Iul. adult.* *Effectus emancipationis* 4. ſunt præcipui, (1) filius emancipatus quandocumque vult matrimoniũ inire poteſt, & quamlibet pro arbitrio in uxorem ducere. l. 25. ff. *de rit. nupt.* (2) ſibi acquirit. *pr. &* §. 1. *Inſt. per quas perſ. cuique.* (3) agere poteſt contra parentes. l. 4. ff. *de judic.* (4) de bonis ſuis teſtamentum facit. Omnia n. hæc ceſſantis patriæ poteſtatis ſunt conſequentia; uſumfructum tamen, licet emancipatus ſit, non acquirit, ſed is jure noſtro apud patrem, quoad vitam permanet. l. 1. & l. f. C. *de bon. mater.*

(e) Quæ, ab avo paterno, vel materno, non v. ab extraneo facta poteſtatem patriam tollit non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quia adoptatum liberat quidem patris naturalis poteſtate, ſed eundem tamen transfert in poteſtatem patriam avi paterni, vel materni adoptantis.

TH. 13. Arrogationem, & adoptionem formalem non uſque adeo frequentari, experientia quotidiana nobis ſatis demonſtrat; cuius vicem ſæpius hodie ſubire ſolet unio prolium, (*die ein Kindſchafft*) per hanc n. duorum conjugum, ex diverſis matrimonijs jam ante procreati liberi, per nuptias ſolent ita uniri, ut utrique conjugi, pro naturalibus liberis habeantur, & æquè ſuccedant, vel procreati cum poſtea ex communi matrimonio procreandis vniuntur ob ſucceſſionem.

TH. 14. Vnio prolium eſt actus, quo cauſa cognita Magiſtratus, & eorum, quorum intereſt, conſenſu accedente, pater vel mater ad ſecundas tranſiens nuptias, cum conjuge novo paciſcitur, (a) de liberis ſuis ex priori matrimonio procreatis, cum poſtea ex communi matrimonio procreandis, uniendis; itaut præſertim quoad ſucceſſionem omnes æquè, ac ſi ex utroque geniti eſſent, cenſeantur.

(a) Sive alter conjux quoque liberos habeat ex priori matrimonio, ſive non quód in multis Germaniæ locis conſuetudine eſt receptum, imprimis Francofurti & Moguntiæ; hoc tamen juri civili eſt incognitum. *Gail.* 2. *obſ.* 125.

TITVLVS VIII.

De Rerum diviſione & qualitate.

TH. I. DE jure perſonarum in ſuperioribus tractavimus; jam ad ſecundùm juris ſummum caput puta res (a) deſcendamus.

(a) *Vox rei* eſt æquivoca, quæ, ob evitandos errores, in ſua æquivocata eſt reſolvenda; *denotat* [1] omne id, quod eſt, ſ. exiſtit. l. 1. § 1. ff. h. t. ita res eſt corporalis, vel incorporalis, [2] omne illud, quod non eſt perſona, l. 195. §. 1. ff. de V. S. [3] accipitur pro negotio, l. 38. §. 5. ff. *de pœn.* e. g. res (negotium ſc.) mali exempli eſt, poculum abortionis, vel amatorium dare, etſi non fiat dolo. [4] ſignificat omne id, quod nec perſona, nec actio eſt, l. 1. ff. h. t. ut omne jus quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, [5] pro lite, l. 8. §. 1. ff. *de inoffic. teſtam.* [6] pro ſtatu, l. *ult.* C. *de jure Reip.* [7] pro crimine, l. 13. ff. *de bonor. poſſ.* [8] pro utilitate, *rubr.* & V. ff. *de in rem verſ* [9] pro eo, quod non eſt vox, *in rubr.* C. de V. I. *enucl.* [10] pro bonis, l. 4. C. *de hered. tutor.* [11] pro forma, l. 13. §. 1. ff. Hic in ſecundo ſignificatu accipitur.

TH. 2. Ius reale, (a) eſt norma, obligans ad aliquid circa rem immediatè faciendum, vel non faciendum.

TH. 3. Ius reale, quod ratione rerum privatarum competit eſt du-

plex, (1) jus in re, & (2) jus ad rem, l.11. l.13. §.1. l.19. ff. *de damn. infect.* l.30 *de nox. act.* l.3. & l.25. de O. & A. l.3. §.4. ff. *de reb. eorum, qui ſub tut.* l.71 § *pen. & ult.* ff. *de legat.* 1. l.2. §. 22. ff. *de vi bonor. rapt.*

TH. 4. *Ius in re* eſt facultas jure competens, quæ ipſi rei inhæret, adeoque actionem, ipſam rem (ſine perſonæ obligatione) perſequentem producit, d. l.25. ff. de O. & A. §.1. *Inſt. de act.* quod quintuplex; [1] dominium ſtrictè dictum, *de quo lib.6. tit.1.* [2] ſervitus, lib.7. [3] jus pignoris, lib.20. t.1. [4] jus hereditarium, *lib.5. tit.3.* & [5] jus poſſeſſionis, l.13. §.1. C. *de judic.* l.9. 10. & 25. §.18. ff. *de petit. hered.*

TH. 5. *Ius ad rem* eſt facultas, jure competens, qua ad rem præſtandam, hoc eſt dandum aliquid, vel faciendum, aut aliquando patiendum, perſonam ex facto ſuo obligatam habemus. l.3. & 25. ff. de O. & A.

TH. 6. Res vel in ſe conſiderantur, vel quatenus [1] *in acquiſitione,* (de qua *tit.1. lib.*4.1.) vel [2] in conſervatione, vel [3] alienatione, vel [4] amiſſione. l.41. ff. de legib. conſiſtunt. Notandum, quod plurima ab hac Theſi ad 53. Theſin uſque, propriè & directò non ſpectent ad hunc tit. ſed ad t. ff. de acquir. rer. dom. lib. 41. cum a. hujus materiæ dilucidationi admodum inſerviant, & ob connexionem haud facilè ſeparari poſſint, ideo ſequentia intexere non abs re neceſſarium duximus. Theſi vero 54. *rē in ſe*, vti hîc cōſiderari debet, conſideramus.

TH. 7. (1) *Acquiſitio* fit Deo vel homini, (atque ſic res in ſe conſiderantur) hinc res divini & humani juris, l.1. pr. ff. h.t. dicuntur a. res divini vel humani juris ſenſu juridico, quatenus hoc nomine homo circa eas jus habere, vel non habere poteſt, arg. l. 1. h. t.

TH. 8. Divini juris ſunt illa, quæ non ſunt in hominum jure & poteſtate, adeoque extra commercium poſitæ, ut res ſacræ, ſanctæ & religioſæ.

TH. 9. *Res ſacræ* ſunt, quæ publicè ſunt conſecratæ. l.6. §.3. ff. h. t. e. g. loca ſacra, l. 9. h. t. ædes ſacræ, d. l.6. §.3. donaria, §. 8. *Inſt.* h.t. ut ſacratiſſima vaſa, veſtes, & alia id genus, l. 21. C. de *SS. Eccleſ.*

TH. 10. Conſecrabantur olim Deo res per Pontifices, §.8. *Inſt.* h.t. jure Canonico per Epiſcopum; can. *nullus* 25. *can.*8. *diſt.* 1. *de conſecrat.* Et in Proteſtantium Eccleſijs, authoritate ejus, cui ſuperioritas territorialis, & vigore hujus, Epiſcopale jus competit. Carpz. *jur. conſiſt. lib.* 2. *def.* 334.

TH. 11. Dedicantur res tam publicæ, quàm privatæ; publicas dedicat Princeps, l.9 §.1. ff. h.t. Privatas v. dominus earum, l. 61. ff. *de pact.*

TH. 12. Res ſacra regulariter alienari, aut obligari non poteſt. §. 8.

Inſt. h. t. *Excipitur* cauſa (1) redemptionis captivorum, (2) famis,& (3) æris alieni exſolvendi. d. §.8. l. 21. C.*de SS.Eccleſ. Nov.*120. c. 10. *can.*70.& 71. *cau.*12. q. 2. *Receſ.* I.*de anno* 1542. §. 65. *uber die Kirchen.* Aurum, inquiunt canones, habet Eccleſia, non ut ſervet, ſed ut eroget,& ſubveniat neceſſitatibus,nonne dicturus eſt dominus,cur paſſus es tot inopes fame emori? & certè habebas aurum, unde miniſtraſſes alimoniam,cur tot captivi deducti in commercium ſunt,nec redempti ab hoſtibus occiſi ſunt? melius fuerat, ut vaſa viventium ſervares, quam metallorum, d. c. 70.

TH. 13. Loca ſacra ab hoſtibus capta fiunt profana. l. 36. ff. *de Religio.* poſſunt quoque hæc loca legibus fieri profana. l. 83. §. 5. ff. de V. O. ſacris inde evocatis. l. 9. §. 2. ff. h. t.

TH. 14. Res ſacræ directò,& immediatè ad cultum divinum ſpectantes differunt ab Eccleſiaſticis rebus, quæ ſunt in patrimonio vel dominio Eccleſiæ, Monaſterij, aliorumque Collegiorum, ad pios uſus fundatorũ, quia res Eccleſiaſticæ Deo non ſunt conſecratæ, nec immediatè ad cultum divinum adhibentur, ſed diverſis Eccleſiarum, aliorumve piorum locorum & perſonarum, ad eam pertinentium uſibus inſerviunt. l.14. C.*de SS.Eccleſ.* earumque rerum eſt certa æſtimatio. Contra res ſacra eſt inæſtimabilis. l. 9. §.*ult.*ff.h.t. Carpz. d.l.2. t. 19.& 20. *de Iuriſp. Conſiſt.*

TH. 15. Loca ſacra ſunt publica, (a) vel privata, (b) l. 9. ff. ad L. Iul. pecul.

(a) Vbi omnibus, & ſingulis jus colendi Numinis eſt permiſſum.

(b) Vbi privatim Numen, ſ. Deus adorari, & coli poteſt,& tam publica, quàm privata, ex authoritate publica ſunt religioſa.

TH. 16. Inter res divini juris (a) numeratur & locus religioſus, (b) ſive ſepulchrum. (c)

(a) Ita dicitur, quatenus non eſt in hominum commercio, ſive in nullius bonis. l. 1. pr. ff. h. t.

(b) Vnde *Religio*, cuius ſignificatio eſt varia, denotat n. (1) univerſum Dei cultum, (2) *ſpecialiter* cultum Dei immediatum, quæ eſt obſervantia præceptorum, honorem Deo directè deferre jubentium, ut in l. 2. ff. de I. & I. (3) obligationem conſcientiæ rectæ, ut in l. 1. ff. de jurej. (4) jusjurandum ipſum. l.f.C.de R.C. (5) pro actu, quo efficiebatur, ut locus relinqueretur inaratus, qui locus inde dicitur religioſus, quia eum locum, in quem mortuus illatus fuerat, neque arari, neque coli jus fuit, atque ita hic ſumitur.

(c) Sepulchrum eſt portio fundi, ubi corpus, oſſave hominis, aut reli-

quiæ ſunt conditæ, ſive ubi præcipua hominis demortui pars depoſita, ut ibi perpetuò recubet, l.2. §.5. l.39.& 44. pr. & §.1. ff. *de relig.* Cum n. in diverſis locis cadaver ſepultum eſt, tum uterque locus non fit religioſus, quia una ſepultura plura efficere nequit ſepulchra. E. hoc caſu ſepulchrum ſ. locus religioſus erit, ubi caput, cujus imago ſit, inde cognoſcitur, eſt conditum. d.l. 44.

TH. 17. Sepulchrum eſt familiare, (a) vel hereditarium. (b)

(a) Illud privatus ſibi, ſuæque familiæ conſtituit.
(b) Hoc privatus, ſibi, heredibuſque ſuis facit. l.5. ff. *de relig.*

TH. 18. Locum religioſum unuſquiſque voluntate ſua facit, dum mortuum infert in locum ſuum. l. 6. §. 4. ff. h. t. *Sin communis* conſentiente ſocio, aut *ſi alienus* conſenſu domini, §. 9. *Inſt.* de R.D. Hodiè locis publ. utimur ad ſepulturam, quæ cœmeteria vocantur, ad quorum conſtitutionem jure canonico requiritur authoritas, & conſecratio Epiſcopi. Hæc cõtigua Eccleſiæ ſimul cum Eccleſia cenſentur conſecrata; unde apud Pontificios cœmeteria non tantum religioſa, ſed ſacra eſſe dicuntur; aſt apud Proteſtantes non conſecrantur cœmeteria, authoritate tamen Principis, hujuſque Magiſtratus Eccleſiaſtici cœmeteria conſtituuntur, deque ijs diſponitur.

TH. 19. Inter res divinas numerantur & res ſanctæ. l. 1. pr. ff. h. t. ſanctum dicitur à ſancire, id eſt, aliquid ſacrum facere, ſive cultu ſingulari dignum, vel contra violationem tutum reddere, arg. l.9. § 3. ff. hoc tit.

TH. 20. Res ſanctæ (a) ſunt, quæ ab injuria hominum, ſanctione aliqua, & pœnæ terrore muniuntur, l.8. h.t. *junct.* §.10. *Inſt.* h. t.

(a) *Vox ſancti* interdum attribuitur *perſonis* ijs quibus reverentia debetur, quo ſenſu. (1) *jure gentium* nonnullæ perſonæ dicuntur ſanctæ, e. g. legati, l *fin.* ff. *de legat.* patentes Magiſtratus, l.9. ff. de obſeq. parent. l. fin. ff. de leg. 1. (2) *jure civili* res quædam, ut vallum, l. 3. §. in bello ff. de re milit. portæ civitatis, muri, §. 10. *Inſt.* h. t. (3) leges l. 9. §. 3. h. t. quomodo & imperium Rom. Germanicum dicitur ſanctum, (quaſi ſanctione confirmatum *das heilige Romiſche Reich.* aliquando attribuitur rebus uti hîc, quæ ab omnium iniurijs vindicatæ, defenſæ, d. l. 8. & non quidem ſacræ, nec profanæ, ſed ſpeciali legis ſanctione ſunt confirmatæ, ut homines pœnarum metu à murorum, portarum civitatis, & legum violatione abſterreantur; pœna enim capitis conſtituta eſt in eos, qui aliquid in muros, &c. deliquerunt; quod tamen hodie in praxi non uſque adeo ſtrictè obſervatur, niſi in muris, portiſque, animo hoſtili tranſcenſis, caſtris Principum & propugnaculis.

Th. 21. *Res humani juris* eſt, quæ hominibus eſt acquiſita, & in hominum poteſtate, eſtque publica, vel privata.

Th. 22. Publica res eſt, quæ extra patrimonium ſingulorum, ſive in nullius privati bonis eſt, ſed vel ad omnes homines, vel gentem, vel univerſitatem ſpectat, l. 1. pr. h. t.

Th. 23. Res publicæ iterum dividuntur, [1] in publicas communes, (a) [2] in publicas, in ſpecie dictas, (b) & [3] in res univerſitatis. (c)

(a) *Communes*, quarum uſus & occupatio, ad uſum ſæpè neceſſaria omnibus hominibus patet, l. 2. h. t. §. 1. *Inſt.* h. t. ut (1) aër. l. 3. §. 1 ff. *ne quid in loc. publ.* l. 13. § *ult.* ff. *de injur.* l. pen. §. 2. ff. *quod vi aut clam.* l. 1. pr. ff. de S. V. P. ventus, l. *ult.* §. f. C. *de ſervit.* & lumen, l. 10. in f. ff. *de* S. P. V. l. 30. ff. *de uſuf.* [2] mare & per hoc littora maris, §. 1. h. t. l. 2. & 3. §. 1. ff. *ne quid in loc. publ.* uſus vero maris, huiuſque littorum conſiſtit in piſcando, & navigando, l. 4. pr. l. 5. h t. l. 14. ff. de A. R. D. l. 13. §. 7. ff. *de injur.* l. 2. § 9. ff. *ne quid in loc. pub.* occupando gemmas, & eiuſmodi res mari inventas, l. 3. h. t. atque inſulas in mari natas, §. 22. I. h. t. [3] aqua profluens, (profluens dicitur ad differentiam aquæ pluvialis & ſtagni, & eius, quæ ex fonte privato fluit, ea enim non communis, ſed privata eſt) ſ. maritima, ſ. fluviatilis, quatenus ipſa aqua ad victum hominum, ut & ad lavandum, nec non aquandum pecora adhibetur, (4) feræ beſtiæ, volucres, & piſces, §. 12. Inſt. h. t.

(b) Iſtæ ad certum populum, gentem vel Remp. pertinent, ita ut uſus earum naturâ, ſive gentium jure communis omnibus concedatur hominibus, l. 5. h. t. §. 2 *Inſt.* h. t. l. 2. pr. eod l. 14. pr. ff. de A. R. D. l. 51. ff. *de contrah. empt.* l. 45. pr. ff. *de uſuc.* ut [1] flumina perennia (quippe quæ cum terris, ſ. provincijs, quas interluunt, inter populos diviſa) & portus, l. 4. §. 1. l. 5. h. t. Quorum uſus conſiſtit in navigando, d. l. 5. l. 1. §. 17. ff. *de flumin.* l. un. §. 5. ff. *ut in flum. pub. nav. lic. aquam ducendo*, l. 2. ff. *de flum.* & piſcando. §. 2. Inſt. h. t. [2] viæ publicæ. l. 51. *de contrah. empt.* t. t. *de via pub. & itin.*

(c) Hæ nullius quoque privati ſunt, ſed univerſitatis, ac ſpecialem uſum, ad qvem publicè deſtinatæ ſunt, præbent illis, qui in iſta univerſitate vivunt, ut theatra, forum, paſcua &c. l. 1. pr. h. t. §. 6. Inſt. eod §. 2. f. *de inutil. ſtipul.* §. fin. I. *de empt. vend.* l. 6. *de contrah. empt.* l. 13. §. ult. ff. *de injur.* l. 2. §. 9. ff. *ne quid in loc. publ.*

Th. 24. Res privata eſt, quæ eſt in ſingulorum patrimonio.

Th. 25. [2] *Acquiſitio* eſt vel rei nullius, (a) vel alicuius. (b)

(a) *Res nullius* dicitur 5. modis, [1] *cenſura*, ut h. t. res divini juris, quia nec in bonis eſt, nec uſu hominum, §. 7. Inſt. h. t. [2. *facto*, ut ea, quæ pro derelictis habentur, §. 46. eod. [3] *natura* ut feræ beſtiæ, §. 12. I. h. t. [4] *tempore* ut theſaurus, §. 39. I. h. t. denique [5] *caſu* ut hereditas & res hereditariæ, antequam aliquis heres exiſtat. l. 1. ff. h. t. vel *res nullius* dicitur

talis ſimpliciter vel ſecundum quid; *illo caſu* eſt res ſacra, ſancta & religioſa, quia nec actu alicujus ſunt, nec alicujus eſſe poſſunt. *hoc caſu* ut feræ beſtiæ ante occupationem, quia tunc actu non ſunt alicujus, poſſunt tamen alicujus fieri, §. 12. Inſt. h. t. Hinc regula, quod nullius eſſe poteſt, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere. l. 182. ff. de R. I.

(b) Quæ antea alicui acquiſita fuit, & jam ad alium transfertur.

TH. 26. [3] *Acquiſitio* eſt rei corporalis, (a) vel incorporalis. (b)

(a) arg. l. 1. §. 1. arg. l. 2. pr. ff. h. t.

(b) l. 1. §. 1. junct. rubr. Inſt. per quas perſon. nob. oblig. rubr. ff. *de Acq. vel amitt. hered.*

TH. 27. [4] *Acquiſitio* eſt vel juris in re, vel juris ad rem, de quibus, th. 2. 3. 4. 5. h.

TH. 28. [5] *Acquiſitio* fit uni, vel pluribus; *ex illa* res eſt propria, *ex hac* communis.

TH. 29. Res eſt communis ex lege, vel ultima voluntate, vel conventione.

TH. 30. Prædia diximus aliquorum eſſe, non ſolum utique communiter habentium ea, ſed vel alio aliud habente. l. 96. §. 1. ff. de V. S.

TH. 31. [6] *Acquiſitio* fit mihi, tibi, ſibi; hinc res dicitur mea, tua, ſua, & quidem *propriè*, vel *impropriè*; *illa* eſt in meo, tuo, ſuo dominio; verè ac propriè dicta, l. 27. § 2. l. 34. ff. *de aur. & arg. legat.* *Hæc* eſt in qua ego, tu vel alius jus dominio ſimile, vel jus ad rem habet, l. 30. §. 1. ff. ad Sctum Trebel. l. 6. §. 6. ff. *quæ in fraud. cred.* ibi, quod ſibi debetur, dicitur ſuum.

TH. 32. Meorum & tuorum appellatione, actiones quoque contineri dicendum eſt. l. 91. ff. de V. S.

TH. 33. Verbum ſuum ambiguum eſt, utrum de toto, an de parte ſignificet, & ideo qui iuravit ſuum non eſſe, adijcere debet, neque ſibi communem eſſe, l. 239. §. f. ff. de V. S. l. 46. ff. de rit. nupt. l. 74. ff. *de legat.* 3.

TH. 34. De rei acquiſitione hactenus diximus; ad rei conſervationem progrediamur. *Conſervatio* eſt rei, vel iuris. d. l. 41. ff. de LL. & fit per uſum, vel [2] per motionem damni.

TH. 35. *Vſus* eſt directio rei ad ſuum cuique finem, qui eſt cuique ſive verum, ſ. apparens apparens honum; talis uſus verſatur circa rem, quæ vel nullius, vel alicujus eſt.

TH. 36. *Vſus rei nullius*, (a) eſt rerum, quæ iure naturali omnium hominum ſunt, earum n. uſus à natura omnibus hominibus eſt conceſſus. (b)

(a) Vt uſus (1) *aëris*, aër hic dicitur nullius ante attractionem, l. 2. § 1. ff. h. t. §. 1. Inſt. h. t. l. 3. §. 1. ff. ne quid in loco pub. (2) *aquæ profluentis*. l. 6. C. *de ſeruit. & aqu.* (3) *Maris*, d. l. 2 §. 1. quod eſt exterius, vel interius, *exterius* antiquitas vocavit oceanum immenſum, infinitum, rerumque parentem, cœloque conterminum. *Interius* dicitur, quatenus terris undique infuſum, & diverſis nominibus nondum appellatum, diſtinctumque eſt, & nondum occupatum, (4) littorum maris, d. l. 2. §. 1. Eſt a. littus maris, quatenus hibernus fluctus maximus excurrit. §. 3. Inſt. h. t. l. 96. & 112. ff. de V. S. (5) feræ beſtiæ, volucres & piſces, §. 12. Inſt. h. t. quarum communio hodie valde eſt reſtricta.

(b) Hunc communem uſum natura omnibus animalibus communis, id eſt anima ſenſitiva ſimplici ſaltem ratione informata omnibus hominibus dictavit.

TH. 37. Dicitur etiam uſus rei nullius, ut rei ſacræ, vel religioſæ. *Vſus rei ſacræ* eſt regularis, vel irregularis. *Regularis* eſt, quo ea ad Dei miniſterium utimur, §. 8. Inſt. h. t. *Irregularis* eſt, quo ea alienatur vel obligatur, d. §. 8. *Vſus rei religioſæ* eſt, quo in ſepulchrum mortuus infertur.

TH. 38. *Vſus rei alicujus* eſt rei communis, vel propriæ.

TH. 39. De uſu rei communis, th. 23. ſuperius expoſuimus; reſtat ergo *Vſus rei propriæ*, quæ eſt rei noſtræ, (a) vel alienæ. (b)

(a) Hic uſus eſt ex dominio noſtro.

(b) Vſus rei alienæ eſt *temporarius*, & ad arbitrium domini revocabilis, ut rei commodatæ, precario datæ, vel perpetuus, (in intentione) pariter ut ille revocabilis ſit, qualis eſt uſus rei feudalis in ſervitutem datæ.

TH. 40. Remotio damni eſt defenſio contra diminutionem, vel amiſſionem rei. illa fit per reſtitutionem t. t. ff. *de damn. infect.*

TH. 41. Explicatam conſervationem excipit tertium diviſionis membrum, puta *Alienatio*, quæ eſt propriè, vel impropriè ſic dicta.

TH. 42. *Alienatio* (a) *propriè ſic dicta* eſt vera rei ſuæ, vel iuris ſui in alium tranſlatio.

(a) Vox hæc quadrupliciter uſurpatur, [1] *latiſſimè* denotat tranſlationem & amiſſionem puram, quæ propriè non eſt tranſlatio, l. 5. §. 8. ff. *de reb. eor. qui ſub tut.* l. 6. 7. 8. 10. §. 1. l. 11. ff. *quemadm. ſervit. amitt.* l. 12. & 13. ff. *de acquir. vel amitt. hered.* [2] *latè*, pro tranſlatione rei, vel iuris. l. fin. C. *de reb. alien. vel non al.* [3] *ſtrictè*, pro tranſlatione dominij propriè ſic dicti, l. 1. C. *de fund. dot.* Nov. 7. c. 1. [4] Strictiſſimè, pro venditione; hic in ſignificatu ſecundo accipitur.

TH. 43. [1] Alienatio eſt voluntaria, vel neceſſaria, l. 1. *de fund. dot.*

illa ex nulla, *hæc* ex aliqua neceſſitate eſt facta.

TH. 44. [2] Alienatio fit per traditionem veram, vel fictam, §. 40. 43. & 44. Inſt. de R.D. l.28. ff. de V.S. quia per fictionem iuris, interdum nuda voluntas ad rei traditionem ſufficit, e. g. ſi quis rem alicui commodaverit, locaverit, vel apud eum depoſuerit, poſteà v. eidem rem vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, eo ipſo alteri acquiritur proprietas, ac ſi res verè eſſet tradita.

TH. 45. Traditio nihil amplius transferre debet, vel poteſt ad eum, qui accipit, quam eſt apud eum, qui tradit. E. ſi quis in dominio fundum habeat, eum tradendo transfert, ſi v. non habeat, ad eum, qui accipit, nihil transfert, l. 20. ff. de *acq. rer. dom.*

TH. 46. Quoties dominium transfertur ad eum, qui accipit, tale transfertur, quale fuit apud eum, qui tradit, d. l. 20.

TH. 47. [3] Alienatio eſt rei corporalis, (a) vel incorporalis. (b)

(a) Illâ dominium propriè dictum transfertur, §. 40. I. h. t.
(b) Hâc transfertur jus v. g. hereditas, pignus, poſſeſſio, obligatio, actio.

TH. 48. [4] Alienatio fit inter vivos, (a) vel mortis cauſâ. (b)

(a) *Talis alienatio* eſt, [1] mutuum, l. 41. ff. *de R. Cred.* [2] ſtipulatio de dando, l. 75. §. fin. ff. de V. O. [3] Emptio & venditio, l. 29. §. 1. ff. *de ſtat. lib.* [4] Permutatio, l. 4 C *de præd. & alien. reb.* [5] donatio, l. 4. ff. *de donat,* [6] tranſactio, d. l. 4. [7] in ſolutum datio arg. l. 15. C. *de præd. & alien. reb. minor.* (8) diviſio l. 17. C. eod (9) Vſucapio, l. 28. ff. de V. S. qui enim patitur uſucapi, ille videtur rem alienare. ibid.

(b) Talis eſt heredis inſtitutio, legatum, l. 8. §. 2. C *de ſecund. nupt.* l. 8. §. 1. ff. *de alien. jud. mut. cauſ. fac.* fideicommiſſum, & donatio mortis cauſâ.

TH. 49. *Alienatio impropriè* ſic dicta eſt, qua alter in re ſua alteri jus conſtituit, quod conſtituens ipſe non habet, de qua loquitur, l. 63. ff. *de uſufr* quando quod noſtrum, inquit, non eſt, transferemus ad alios, velut is, qui fundum habet, quanquam uſumfructum non habeat, attamen uſumfructum cedere poteſt; talis alienatio eſt aliûs ſervitutis, emphyteuſeos, dominij utilis, pignoris & hypothecæ conſtitutio, l. fin. C. *de reb. alien. non alien.*

TH. 50. Vltimò ad quartum diviſionis membrum, ſc. amiſſionem deſcendimus. *Amiſſio* eſt, quâ res noſtra (a) eſſe deſinit, vel damnum patitur. (b)

(a) Res noſtra ita hic ſumitur, ut denotet rem, quæ in bonis noſtris eſt.
(b) Tunc enim commodum amittimus, l. 1. §. 11. ff. *ne quid in loc. pub.*

TH. 51. Amiſſio nobis volentibus, (a) vel invitis fit. (b)

(a) Vt, quando (1) ius delatum omittimus, l. un. C. quando non petentium partes petentibus accreſcant, (2) vel quæſitum remittimus, l. 8. §. 1. ff. *quemadm. ſervit. amitt.* vel (3) debitum acceptum ferimus, vel denique; (4) ſi iure quæſito non utimur. §. 3. Inſt. *de uſufr.*

(b) *Invitis*, ut (1) ſi res perierit, d. §. 3. l. 14. ff. *quemadm. ſervit. amitt.* (2) Si res ab hoſtibus capta fuerit; (3) ſi ob delictum ablata, l. 14. ff. *de publ.* & (4) ſi ſine voluntate noſtra ius, nobis competens, finitum fuerit.

TH. 52. Rem amiſiſſe videtur, qui adverſus nullum eius proſequendæ actionem habet, l. 14. §. 1. ff. de V. S.

TH. 53. Non videtur rem amittere, quibus propria non fuit, ff. de R. I. omiſſis ulterioribus ambagibus, in viam revertentes ad hujus tituli explicationem ulteriorem nos accingimus.

TH. 54. *Res* (quatenus in ſe conſideratur) eſt corporalis, vel incorporalis.

TH. 55. *Res corporalis* eſt, quæ ſui natura tangi poteſt, l. 1. §. 1. ff. h. t. ſic etiam huc referri poſſunt, ſtellæ in cœlo, & res in profundo maris exiſtentes, l. 8. ff. *de L. Rhod. de jact.* ſufficit namque potentia tangi poſſe, licet non actu.

TH. 56. Res corporalis eſt mobilis, vel immobilis.

TH. 57. Mobilis eſt, quæ anima caret, vel ſe movet, ut res animata, d. l. 1. §. 1. h. t. vel ſine motu proprio agitatur, ut artificiale corpus, quale eſt horologium, l 41. §. 11. ff *de leg.* 1. l 12. §. 22. ff *de inſtr. leg.*

TH. *Res immobiles* ſunt vel naturaliter, vel civiliter tales.

TH. 59. *Naturaliter immobilis* eſt res corporalis, quæ [1] natura ſua moveri nequit, ut prædia, fundus, ager, poſſeſſio, ædes, villa, area, pratum, hortus, urbs, territorium, aut [2] ſolo *naturâ*, l. 44. ff. de R. V. *arteve* firmiter cohærens, l. 17. pr. l. 18. *de act. empt.* l. 10. *quod vi aut clam.* l. 22. §. *nec vero C. de admin. tut.*

TH. 60. *Prædium* eſt generale nomen, nam & ager & poſſeſſio hujus appellationis ſpecies ſunt, l. 115. ff. de V. S. Prædium igitur eſt totũ, quod pro arbitrio poſſidentium pluribus quandoque conſtat agris.

TH. 61. Prædium eſt urbanum vel ruſticum, utrumque explicabitur ad tit. ff. *de ſervit. urb. & ruſt. præd.*

TH. 62. Fundus eſt omne, quicquid ſolo tenetur, l. 211. ff. de V. S. locus non eſt fundus, ſed portio aliqua fundi; ratio eſt, quia fundus integrum aliquid eſt, & plerumque ſine villa locum accipimus. Cæterum adeo opinio noſtra & conſtitutio locum à fundo ſeparat, ut & modicus locus poſſit dici fundus, ſi fundi animo eum habuimus, non

etiam magnitudo locum à fundo ſeparat, ſed noſtra affectio; & quælibet portio fundi poterit dici fundus, ſi hoc conſtituerimus, nec non & fundus locus conſtitui poteſt; nam ſi eum alij fundo adjunxerimus, locus fundi efficitur, l. 60. ff. de V. S.

TH. 63. *Poſſeſſio* ab agro juris proprietate diſtat, quicquid n. apprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſeſſionem appellamus. Poſſeſſio ergo uſus, ager eſt proprietas loci. d. l. 115.

TH. 64. *Ædes* ſunt ædificia urbana. Loci appellatio non ſolum ad ruſtica, verum ad urbana quoque prædia pertinet; fundus ſuos habet fines, locus v. latere poteſt, quatenus determinatur & definiatur, d. l. 60. § 2.

TH. 65. *Ager* eſt, in quo quid agimus jure noſtro & proprio, fructuum quærendorum cauſa; eſt n. ager, ſi ſpecies fundi ad hominis uſum comparatur, d. l. 115. ſive ager eſt locus, qui ſine villa eſt, l. 27. ff. de V. S. Arvum eſt pars agri, quæ ſementi datur.

TH. 66. *Villa* eſt domus ruſtica, dicta à vehendo, quaſi vehilla, in quam fructus ex agris convehuntur. Nota. *ædificia ruſtica* ſunt, quæ ad agros colendos, fructusve condendos, & pecora habenda ſpectant, quæ ſpeciali villæ aut tugurij nomine veniunt, l. 180. & 211. ff. de V. S. contra *urbana ædificia* ad inhabitandum, commercia exercenda, penſionem recipiendam ſunt parata, etſi in villa, id eſt, ruri ædificata; ruſticum n. prædium, non locus, ſed materia (non ex qua, ſed circa quam) quæ ſc. in prædio illo tractatur, vel ad quam id adhibetur.

TH. 67. Poſſeſſio eſt uſus rei alienæ, d. l. 115.

TH. 68. Prothyrum eſt id, quod eſt ante oſtium è materia vel velo.

TH. 69. Straturam loci alicuius ex tabulis factam, quæ æſtate tollerentur, & hyeme ponerentur, ædium eſſe, ait Labeo, quia perpetui uſus cauſa paratæ, d. l. 242. §. pr. ff. de V. S.

TH. 70. Statuæ affixæ baſibus ſtructilibus, aut tabulæ religatæ catenis, aut erga parietem affixæ, aut ſi ſimiliter cohærent lychi, non ſunt ædium, d. l. 245. quia ornatus cauſa parantur, quo ædes perficiantur. *Lychni* ſunt candelabra, quæ contignationibus & parietibus affixa, vel laquearibus religata dependent; interdum etiam pro lucerna ſumuntur.

TH. 71. Prothyrum, quod in ædibus interdum fieri ſolet, ædium eſt, l. 245. ff. de V. S.

TH. 72. Perfeciſſe ædificium is videtur, qui ita conſummavit, ut jam in uſu eſſe poſſit, l. 139. §. 1. ff. de V. S.

TH. 73. *Area* eſt locus ſine ædificio in urbe, d. l. 211.

TH. 74. Pratum eſt, in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat eſt opus, eo dictum, quod paratum ſit ad fructum capiendum, l. 31. ff. de V. S.

TH. 75. Vrbs ab urbo appellata eſt. Vrbare eſt aratro definire, l. 237. §. 6. ff. de V. S.

TH. 76. Oppidum ab ope dicitur, quod eius rei ad compeſcendos latrones, raptores, fures, cauſa mœnia ſint conſtituta, d. l. 239. §. 7.

TH. 77. Territorium eſt univerſitas agrorum intra fines cuiuſque civitatis, quod ab eo dictum quidam aiunt, quod Magiſtratus eius loci intra eos fines terrendi, id eſt, ſummovendi jus habet, d. l. 239. § 8. alij à terra derivant. Hinc ex prolata definitione argumentari non licet, territorium non habet. E. nec jurisdictionem; nam nec Camera Imperialis territorium habet, juriſdictionem tamen exercet, Academiæ quoque beneficio Conſtitutionis Friderici in auth. *habitâ*. C. *ne fil. pro patr.* juriſdictionem habent, territorium non æquè.

TH. 78. Immobiles civiliter ſunt, quæ ſolo naturâ, vel arte cohærent. (*erd und nagel fäſt.*) Sic res mobiles pro immobilibus habentur ratione cohærentiæ, ut arbores in ſylvis, fructus pendentes, ſemina in agris, l. 44. ff. de rei vind. l. *ult.* §. 2. ff. *de acq. rer. dom.* ita etiam jumenta, quando ſunt in fundo, & piſces in piſcina, propagationis & perpetui uſus cauſa, (ut ibi creſcant & multiplicentur) pro immobilibus habentur; ſi v. cuſtodiæ tantum cauſa, pro mobilibus, quod in caſu ultimæ voluntatis & ſucceſſionis accuratè eſt obſervandum.

TH. 79. *Res incorporales* ſunt, quæ tangi non poſſunt, ſuntque nihil aliud, quam qualitates, vel potius relationes, quas jus circa perſonas & res corpoalres produxit, unde dicuntur in jure conſiſtere. Vbi obſervandum, quod debetur corporale eſt, e. g. fundus, pecunia; ipſum v. jus ſucceſſionis, vel obligationis eſt incorporale &c. Nihil n. ferè eſt, quod abſolutè conſideratur in juris diſciplina, ſed omnia propemodum ad alia relata intelliguntur. Servitus eſt patientia, qua res obnoxia eſt alterius dominatui, & dominatus potentia eſt, cui objicitur id, quod ſervit. Deinde multæ ſpecies numerantur ſervitutum, quę rebus ſubjectis inter ſe differunt, quarum nulla eſt, quæ ſine genere relato poſſit definiri; quod ſi quis definiens ſervitutem, dixerit, eam eſſe rem ſeu corpus poſſidentis ſub arbitrio ſubjectum, nequaquam rectè definierit; quoniam corporis ſpecies nulla eſt, quæ poſſit referri. quocirca nec hereditas, nec legatum, nec fideicommiſſum res eſt, ſed ius quoddam, rebus applicatum, voluntate teſtatoris, aut legantis, aut fidei-

committentis, unumquodque ſua quadam relatione definitum; non a. res incorporales ſunt entia rationis, & nuda figmenta intellectus, ſed vera entia realia; entia namque rationis eadem demum ſunt, quæ habent ſolum eſſe objectivè in intellectu, id eſt, præter hoc, quod cognoſcuntur, nullum eſſe habent, quod de hiſce rebus dici haud poteſt.

TH. 80. Incorporales ſua natura, neque mobiles, neque immobiles ſunt, per fictionem tamen, ratione ſubjectæ materiæ, aliquando mobilibus, interdum immobilibus accenſentur, l. un. §. 7. C. de rei uxor. act. l. 2. & 3. C. *de quadrien. præſcript.* l. 7. §. 4. & 7. ff. *de pecul.* l. 15. §. 8. & 11. ff. *de re jud.* *Rebus mobilibus* annumerantur iſta, quæ rei mobili adhærent; & ratione rei mobilis competunt, vel ad petendam rem nobilem ſunt deſtinata, ut nomina perſonalia, & actiones ex mutuo. *rebus immobilibus* æquiparantur res incorporales, quæ rebus immobilibus inhærent, ac ratione earumdem competunt, ut & actiones, quibus res immobiles perſequimur, vel quæ aliàs ob perpetuum uſum, ac durationem immobilibus accedunt, ut juriſdictio, ſervitutes, reditus annui, &c. Gail. 2. obſ. 10. l. 14. pr. C. *de SS. Eccleſ. Clement. inivi de V. S.*

TH. 81. Qr an pecunia ſit res corporalis, vel incorporalis? Reſp. diſting. pecunia aut conſideratur ut ſubſtantia quædam, ſpecies ſ. corpus aliquod certum, id eſt, quatenus materia certa, & certo pondere conſtat, atque ſic eſt mobilis & res corporalis, l. 94. §. 1. ff. *de ſolut.* aut conſideratur pro quantitate, vel valore nummi, atque ſic eſt incorporalis, l. 46. ff. *de condict. indeb.*

TH. 82. *Alia diviſio.* Res eſt dividua, (a) vel individua. (a).

(a) Dividua dicitur, quæ eſt totum, & in partes dividi poteſt.
(b) Individua dicitur, quæ vel natura, vel lege dividi nequit.

TH. 83. In toto & pars continetur, l. 113. ff. de R. I. refertur ad univerſos, quod publicè fit per majorem partem, l. 7. §. 2. ff. quod cujuſque uniuerſ. in hac lege dicitur, quod actiones univerſitatis etiam penes unum remaneant.

TH. 84. Quod pro diviſo noſtrum eſt, id non eſt pars, ſed totum l. 25. ff. de V. S. e. g. ſi quis fundum in partes diviſit, & partem tradidit, tunc ex parte factum eſt totum quidpiam, l. 6. ff. *comm. prædior.*

TH. 85. Totum eſt vel eſſentiale, vel integrale, vel vniverſale, vel numerale.

TH. 86. *Totum eſſentiale* eſt, cujus partes conſtituunt unam eſſentiam, ut homo eſt totum eſſentiale, partes ejus eſſentiales ſunt anima & corpus.

TH. 87. Totum integrale eſt, quod componitur ex partibus, per extenſionem, tale eſt (1) homo. l. 85. §. 4. ff. de V. O. quatenus, ex capite, collo, brachio, ventre, pedibus conſtat; (2) fundus conſtat, pluribus regionibus, l. 86. §. 1. ff. *de leg.* 2. (3) domus conſtat tecto, parietibus, area, &c.

TH. 88. Totum univerſale eſt genus, vel ſpecies; nam genus ſpecies, hæ rurſus individua continent. Sic animal eſt totum univerſale, hominem & brutum, tanquam ſpecies comprehendens. Homo iterum Petrum, Titium, Iohannem, Paulum tanquam individua complectitur.

TH. 89. Totum numerale eſt, quod numeros plures numeratos continet, ut duodenarius, continens 8. & 4. vel 3. 7. & 2.

TH. 90. Totum eſſentiale & integrale dividua ſunt in partes, pro indiviſo, quia non reipſa, ſed intellectu diſcernuntur.

TH. 91. Totum univerſale eſt dividuum in ſpecies diſtinctas & ſeparatas.

TH. 92. Totum numerale eſt dividuum in numerata, l. 2. §. 1. ff. de V. O. ſic 100. tanquam totum numerale poteſt dividi, vel dividuum eſt in numerata, id eſt, in aliquot partes, ut in 5. partes, & quælibet pars erit 20. vel in 10. partes, & quælibet continebit 10.

TH. 93. *Res dividua* dicitur, cujus uſus diviſionem ſimpliciter, vel commodè recipit. *Res* contra *individua* dicitur, cujus rei uſus diviſionem, vel omnino non, (a) l. 2. §. 1. ff. de V. O. vel non commodè recipit. 5. *Inſt. de offic. jud.* (b)

(a) Sui naturâ planè non recipiunt diviſionem ſervitutes. d. l. 2 §. 1.
(b) Horum uſus diviſionem non admittit e. g. navis, aratrum, domus. d. §. 5.

TH. 94. Ea quæ in partes dividi non poſſunt, ſolida à ſingulis heredibus debentur, l. 192. ff. de R. I.

TH. 95. Rei uſus diviſionem non recipit, vel ex natura, (a) vel voluntate. (b)

(a) Ex natura rei individuæ, quoad uſum, ſunt ſervitutes, excepto uſufructu. l. 2. §. 1. V. O.

(b) *Voluntas* illa eſt, aut legis, aut paciſcentium, aut patrisfam. aut teſtatoris, (1) *Ex lege*, ſi illa diviſionem prohibeat. (2) *Ex conventione*, ſi conveniant, ne omnino diviſio fiat. l. 14. §. 2. ff. *comm. divid.* (3) ex diſ-

poſitione *patrisfam.* ſi ille certum fundum ſibi individuum conſtituat. (4) denique ex diſpoſitione *teſtatoris*, ſi ille rei diviſionem vetet. Sequentia majoris declarationis gratia apponuntur, quamvis idem ſignificent.

TH. 96. Res dividitur, vel naturaliter, (a) vel civiliter. (b)

(a) Cum res in certas partes diſtribuitur, & tales partes ſenſibus percipi poſſunt, quo caſu res dicitur propriè diviſa & pro diviſo.

(b) Cùm res revera non dividitur, ſed juris tantum intellectu, ideo propriè dicitur indiviſa & partes pro indiviſo. l. 25. §. 1. ff. de V. S. Sic plures domini, qui ſervum habent communem, partes in eo habent pro indiviſo, ſi enim naturaliter dividas ſervum, deſinit eſſe ſervus, idem ſe habet cum nave, domo, &c. quarum rerum partes quis habere poteſt pro indiviſo, non verò diviſo, id eſt, Logicas, non Phyſicas. Hinc fallaciâ uſus eſt Q. Fabius Labeo, qui cum à Rege Antiocho, quem bello ſuperaverat, ex fœdere icto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes ſecuit, ut Regem tota claſſe privaret. Val. Maxim. lib. 7. c. 3. peſſimam pactionibus Fabius affinxit interpretationem: quia non ſectione corporum, ſed numero diviſionem navium fieri oportuit.

TH. 97. Nunc ſequitur alia diviſio *de facto*. Factum hoc loco eſt, quod jure circa perſonas, vel res præcipitur, (a) vel prohibetur, (b) vel promittitur. (c)

(a) Ad quod homo à jure immediatè, vel mediante hominis facto obligatur.

(b) Quod eſt delictum.

(c) Hoc hominis arbitrio relinquitur libero.

TH. 98. *Facti humani tria* ſunt *principia*, [1] *intellectus*, [2] *voluntas*, & [3] *potentia*. Quæ tria ſunt omnium actuum hominum juſtorum principia, quorum vno deficiente illi non valent.

TH. 99. Quod intellectum concernit, is dicitur intelligere, qui animo conſequitur, & quod agitur, mente percipit, contra non intelligit, qui intellectus defectum patitur.

TH. 100. Deficit intellectus, [1] ratione ipſius facultatis intelligibilis, (a) vel [2] ratione rei, quæ eidem objicitur. (b)

(a) *Defectum facultatis intelligendi* patitur, (1) infans, §. 10. *Inſt. de inutil. ſtipul.* l. 5. ff. de R. I. l. 1. §. 9. 10. 11. ff. *de acquir. vel amitt. poſſ.* §. 1. *Inſt. quib. non eſt permiſ. fac. teſt.* Ideo dicitur, quòd infans & infantiæ proximus non multum à furioſo diſtent, quia hujuſmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum, (2) *furioſus*. l. 5. & 124. ff. de R. I. l. 109. ff. de V. S. l. 2. §. pen ff. de jur. codicil. §. 1. Inſt. quib. non eſt perm. Furioſus non intelligitur codicillos facere, quia nec aliud quicquam agere intelligitur, cum per omnia & in omnibus abſentis, vel quieſcentis loco habeatur, *deficit* (3) *intellectus*, & in

mente capto & ebrio, qui uſque ad alienationem mentis poculis eſt obrutus. c. 7. can. 15. q. 1. c. 14. *Extr. de vita & hon. cler. Reichs abſcheide zu Trier und Collen.* A. 1512. tit. *von Gottes laſterern.* §. *des gleichen.* Ebrietas enim mentis inducit exilium, & libidinis provocat incentivum.

(b) *Ratione rei*, ſ. *objecti* defectum facultatis intelligibilis patitur, (1) ob ignorantiam, (2) ob dolum.

TH. 101. *Ignorantia* eſt *triplex*, [1] ignorantia ſpecialiter ſic dicta, [2] error, & [3] dubitatio; nam aut quis nihil ſcit, nec opinatur, (hinc ignorantia propriè dicta) aut opinionem quidem habet, ſed ea eſt erronea; (unde error) aut opinionem quis habet, ſed talem, quæ adhuc in dubio, unde dubitatio. Sequuntur 2. Theſes de ignorantia.

TH. 102. Qui in alterius locum ſuccedit, juſtam ignorantiæ habet cauſam, & l. 42. ff. de R. I.

TH. 103. Non poteſt improbus (ſ. in mora eſſe) videri, qui ignorat quantum ſolvere debet. l. 99. ff. de R. I.

TH. 104. Error eſt, cum factum quidem, aut jus non ignoratur, ſed de alterutrius, vel utriuſque qualitate non conſtat. e.g. ſi quis deſtinatum commiſerit homicidium, factum vel jus non ignorat delinquens, ſed qualitas facti interdum ignoratur, ut cum patrem, cognatum, amicum, &c. pro ſuo inimico necaverit; & talis error non excuſat; verum ſupplicio eſt afficiendus, ob delictum dolo commiſſum; nec regula juris hîc applicari poteſt; per errorem geſtum gerenti non nocet, quia hoc de actu licito & honeſto eſt intelligendum. Dei enim præceptum eſt, qui ſanguinem effundit, eius ſanguis effundetur. Nota. Ignorantia ab errore in iure magis qualitate, quàm reipſa diſtinguitur.

TH. 105. Non videntur, qui errant, conſentire. l. 116. §. 2. ff. de R. I. l. 2. ff. *de in integr. reſtit.* l. 7. § 4. ff. *de iuriſd.* l. 2. ff. *de iudic.* l. 57. ff. de O. & A. quia in omnibus negotijs contrahendis, ſ. b. f. ſint, ſive ſtricti iuris, ſi error intervenerit, nihil actum videtur, ut ſi emptor aliud in contractu ſentiat, aliud venditor.

TH. 106. Si Librarius, (id eſt, Tabellio, ſ. Notarius) in tranſcribendis ſtipulationis verbis erravit (a) nihil nocet, quo minus & reus & fidejuſſor tenetur. (b)

(a) Vt ſi interrogationem reſponſioni poſtpoſuit.

(b) l. 92. ff. de R. I. l. 35. ff. de V. O. l. 15. ff. *de dol. mal. except.* l. 8. ff. *quando ex fact. tutor.*

TH. 107. *Dubitatio* eſt latè, vel ſtrictè dicta; *illa* eſt cum aſſenſus opinionis, vel fidei prævalet, quamvis dubitationē aliquam habeat an-

nexam ; *hæc* eſt,quæ neutri contradictionis parti adhæret,ſed inter aſſenſum & diſſenſum hæſitat.

TH. 108. Dubitatio hæc eſt ſpeculativa, (a) vel practica.(b)

(a) *Illa* eſt, cum dubitatur, an res ſit aliena.

(b) *Hæc* eſt, cum quis ſcit rem eſſe alienam, ſed, an iure ſit reſtituenda, dubitat. e.g. ſi quis habuerit equum, quem ſcit eſſe alienum, & non ſuum, hunc poſcenti prius reddere non vult,quam demonſtraverit eſſe ſuum, cum poſſet etiam eſſe alterius. Dubitatio hæc practica circa ſingnlarem actionem immediatè verſatur,non verò ſpeculativa.

TH. 109. Semper in dubijs benigniora ſunt præferenda. l. 56. l. 192. §. 1. ff. de R.I. ut in legato dubio. l. 8. 9.16.17.18. & 23. ff. *de reb. dub.* teſtamentis & fideicommiſſis : cum ambiguitas per commodam interpretationem tolli nequit,legatum perit. l. 4. 26. & 27. ff. *eod.* ne autem pereat ultima voluntas, commodiſſimum eſt in ambigua oratione id accipi, quo res,de qua agitur, magis valeat. l. 12. & 21. *ibid.* & cum teſtamentum ambiguè ſcriptum eſt, humaniorem ac benigniorem ſententiam ſequi oportet,& ſecundùm id, quod credibile eſt,cogitatum credendum eſt. d l. 9. pr. l. 24. l. 10. §. f. l. 21. ff. *de reb. dub.*

TH. 110. Quæ dubitationis tollendæ cauſa contractibus inſeruntur, jus commune non lædunt. l. 81. ff. de R.I.

TH. 111. *Intellectus* etiam *deficit ob dolum*; inde regula,non videtur dolo facere,qui ſuo utitur jure; intellige,ſi faciat legitimo tramite,per viam juris,remedio actionis; alioquin ſi ſine iudice,debiti extorquendi cauſa,vim facit debitori,amittet jus crediti ipſo jure, nec opus eſt ſententia iudicis. l. 129. ff. de R. I.

TH. 112. Qui iuſſu iudicis aliquid facit,non videtur dolo facere, quia parere neceſſe habet. l. 167. §. 1. ff. de R. I. qui enim dolo inducitur, in notitia errat.

TH. 113. Velle omnis poteſt,in quo non eſt *voluntatis defectus*. Vnde dicitur.Eius eſt non nolle,qui poteſt velle,id eſt,is poteſt tacite approbre,qui expreſsè approbare poteſt.Is conſenſum tacita alicui rei. v. c. acquirendæ hereditatis accommodare poteſt, qui,ſi velit, etiam expreſsè velle poteſt. l. 4. *de acquir. hered.*

TH. 114. *Velle* eſt iuſſio expreſſa,ut qui ſciens,non coactus expreſsè quid iubet, imperat, approbat. *Nolle* contra eſt prohibitio expreſſa, ut qui ſciens non coactus expreſsè vetat & refragatur. *Non nolle* eſt, qui tacitè approbat,& ſciens patitur,nec expreſsè fieri iubet. *Non velle* eſt,qui tacitè refragatur,nec factum expreſsè vetat. Hinc patet,quod *velle* expreſſum conſenſum denotet. *Nolle* expreſſum diſſenſum, *non*

nolle

nolle intermedium, qui nec expreſſe vult, nec expreſſe diſſentit.

TH. 115. Velle non creditur, qui obſequitur imperio Patris, vel domini, l. 4. ff. *de acq. hered.*

TH. 116. *Defectum voluntatis* patiuntur, [1] qui intelligere non poſſunt; voluntas namque ab intellectu ita dependet, ut homo nihil velit, niſi quod intelligit: huc pertinet illud, ignoti nulla cupido; hincque negatur, furioſo eſſe voluntatem, l. 40. ff. de R. I. l. 47. ff. *de acq. vel amitt. hered.* idem de prodigis affirmatur quoad adminiſtrationem, aſt quatenus meliorem faciunt conditionem, voluntatem habere finguntur, l. 6. ff. de V. O. [2] *Ex vi, & metu* quis defectum voluntatis habere videtur, l. 1. pr. ff. quod metus cauſ. l. 116. pr. ff. de R. I. quia conſenſui nihil tam contrarium eſt, qui & b. f. judicia ſuſtinet, quam vis atque metus, quem comprobare contra bonos mores eſt; d. l. 116. Interim tamen & *coacta voluntas* nonnunquam voluntas, l. 21. §. pen. ff. quod met. cauſ. l. 22. ff. de *rit. nupt. ratione* ſc. *finis & temporis*, quia is, qui v. c. merces tempore procellæ ejicit, ſponte appetit vitam, & non coactè, ſpontè etiam eligit ea, quæ ad vitam eo tempore retinendam pertinent, videl. mercium in mare ejectionem. *ratione v. modi* & objecti, quo vita redimitur, eſt coacta voluntas, §. *fin. Inſt.* de R. D.

TH. 117. Ad actus cuiuſque perfectionem, præter intellectum & voluntatem, requiritur potentia; inde ſi quæratur, an actus jure valeat, imprimis obſervare oportet, an is habeat potentiam, qui hunc actum celebrat e. g. qui teſtamentum facere vult, an teſtamentum facere poſſit, l. 4. ff. *qui teſtam. fac. poſſ.* & actus in dubio ex agentis poteſtate interpretationem recipit, quoniam nemo creditur voluiſſe, quod non potuit. arg. l. *Lucius* §. *Imperatores* 6. ff. *ad municip.* l. 38. in pr. ff. *ad munic.* Sic cum Pontifex dicit, quiſquis furtum fecerit, excommunicatus ſit, hæc ſententia nullos, niſi ſibi ſubjectos tenet. E. non Suecos & alios; ideo Pontifex hæc noluiſſe creditur, quia non potuit.

Diviſio facti eſt multiplex:

Diviſio I. TH. 118. Factum eſt affirmativum, ſ. poſitivum, vel negativum. Affirmativum, quod quis facit. (a)

(a) *Facere* ſumitur *generaliter & ſpecialiter. In generali* ſignificatione denotat motum hominis, circa perſonam vel rem, activum, paſſivumve, quo ſenſu facere dicitur, qui vivit, l. 14. §. 1. ff. *de ſtat. liber.* qui cogitat, qui vult arg. l. 122. ff. de V. S. qui deliberat arg. l. 9. ff. *de juriſd.* qui loquitur, qui pœnam patitur, qui poſſidet arg. l. 1 ff. *de acq. vel amitt. poſſ.* qui habitat, l. pen. ff. *de capit. min.* In hoc ſignificatu verbum facere omnem faciendi cauſam complectitur, dandi, ſolvendi, numerandi, judicandi, ambulandi,

l. 218. ff. de V. S. & reddendi, l. 175. ff. *eod.* Specialiter acceptum continet factum dationi oppoſitum, l. 2. pr. ff. de V. O. quale eſt traditio nuda, l. 72. ff. de V. O. item operæ præſtatio.

TH. 119. Factum negativum eſt, quod quis non facit, cum facere debeat, vel non debeat.

TH. 120. Qui non facit, quod facere debet, videtur adverſus ea facere, quia non facit, & qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, qnod facere iuſſus eſt. l. 121. ff. de R. I. l. 4.8.10.12.16.19.22.24.26.28.30.32.34. ff. *de recept. arbitr.* l. 36. ff. *ad Sct. Trebell.* l. 4. §. 1. ff. de V. O. hæc regula eſt de duabus ſtipulationibus, una in id concepta, ne quid fiat, altera, ut quid fiat, adde & tertiam, ſi adverſus ea pœnalis ſtipulatio in compromiſſo ita erat concepta, ſi adverſus ea, jam non quidem adverſus ea factũ fuerat, ſed non factum fuerat, quod factum oportuit, & tunc pœnali ſtipulationi eſt locus, v. g. promiſit ſub pœna litigans, ſe daturum, quod arbiter juſſerit, nec adverſus id facturum. Iudex juſſit pecuniam dare, litigans non dat, quæritur an pœnalis ſtipulatio ſit commiſſa. Affirmatur ex antecedentibus huius theſeos.

TH. 121. Facere oportere & hanc ſignificationem habet, ut quis abſtineat ab eo facto, quod contra conventionem fieret, & curaret ne fiat, l. 189. ff. de V. S. §. 9. *Inſt. de nupt.* e. g. ſi locator promittit conductori, ut utatur fruatur re conducta, tenetur is, [1] nihil facere, quo minus conductori frui liceat, [2] curare ut per omnia ei frui liceat.

TH. 122. Qui vetante Prætore fecit, hic adverſus edictum feciſſe propriè dicitur, l. 102. ff. de R. I.

Diviſ. 2. TH. 123. *Factum* eſt ſpontaneum, vel invitum, vel mixtum.

TH. 124. Factum ſpontaneum eſt eius, qui principium actionis in ſe ipſo habet, & ſingulares actionis circumſtantias cognoſcit, ſeu eſt eius, qui cum libertate, præelectione & vera ſcientia agit.

TH. 125. Factum invitum eſt, quod per vim, [a] vel ignorantiam fit. [b]

(a) *Per vim*, ſi principium actionis eſt externum & agens cogitur; actus hic invitus, non tam eſt voluntatis, quam facultatum inferiorum, imperio voluntatis ſubjectarum, quibus coactio accidit, ab imperio alterius fortiori, adeoque non tam voluntas cogitur, quam facultates inferiores ab obſequio voluntatis abſtrahuntur.

(b) Per ignorantiam fit, ſi ignorantia circumſtantiarum eſt propria &

principalis cauſa malæ actionis ſ. peccati, ut hoc agas, ſi abſque inſcitia fuiſſet, acturus nunquam fuiſſes, ſic nemo matrem duxerit uxorem, vel patrem in prælio occiderit, ſi ignorantia abeſſet. Obſervandum a. aliud eſſe per ignorantiam, aliud ignorantem facere, nam ignorans quis dicitur agere, qui, quando agit, ignorat, quid agit, ut ſi ex ira, ebrietate, vel alia vehementiori perturbatione deliberandi ſpatium haud permittente aliquid agit, quod aliàs non agendum eſſe novit, & non egiſſet, niſi perturbata mens qſ. oblita, & de ſuo ſtatu dejecta fuiſſet, ut cum ebrius inter pocula vociferatur, blaſphemat, contumelias dicit adverſus ſuos intimos amicos, aut vicinum in convivio verberat, aut arcana revelat, hic ignorantia non eſt principalis cauſa actionum talium, ſed ebrietas, quia ipſe agens ſua culpa & volens ſibi ignorantiam illam nimia vini ingurgitatione acceſſivit, nec excuſatur ebrius delicta committens, ſed duplicem pœnam meretur, [1] propter ebrietatem, quia Deo diſplicet, eumque offendit, [2] propter delictum, quod per ebrietatem commiſit. *Ignorantia univerſalis* eſt, quæ dicitur ignorantia juris, cum quis ea ignorat, quæ honeſta, turpia, eligenda aut fugienda & non excuſat.

TH. 126. *Factum mixtum* eſt, quo v. c. ad evitandum, quod inſtat, majus malum, agimus, quod aliàs acturi non fuiſſemus. Hic actus *non ſimpliciter* eſt *ſpontaneus*, quia ad damnum faciendum ægrè nos accingimus, neque nos accingeremus, niſi vis major urgeret, majoriſque damni periculum inſtaret; *neque ſimpliciter invitus eſt*, quia conjunctus cum notitia omnium circumſtantiarum & intermitti potuiſſet, ſi majus periculum ſubire libuiſſet, nec eius declinandi ſpes affulſiſſet. Eſt igitur partim ſpontaneus, partim invitus, magis tamen ſpontaneus, quam invitus. *Spontaneus* eſt ratione (1) finis, qui eſt bonum, quod optamus, (2) principij, quod eſt conſultatio recta præcedens, & præelectio ei conſentanea, (3) inſtrumentorum, quæ libera hic præſupponimus, (4) ratione circumſtantiarum & voluntatis, quæ cogi non poteſt. *Invitus* eſt ratione modi & objecti.

Diviſ. 3. TH. 127. *Factum* eſt poſſibile, vel impoſſibile, utrumque eſt tale naturâ vel lege, l. 188. §. 1. ff. de R. I. & l. 15. & 27. ff. *de condit. inſtit.* l. 5. C. de LL. hinc dicitur quæ ſunt contra pietatem, honeſtatem, & bonos mores, ea nec nos poſſe facere credendum eſt.

TH. 128. Impoſſibilium nulla eſt obligatio, l. 185. ff. de R. I. l. 6 ff. *de contrah. empt.* & quæ rerum naturâ (a) prohibentur, nulla lege confirmata ſunt, l. 188. §. 1. ff. de R. I. l. 27. ff. de O & A.

(a) Naturali rei, de qua agitur, qualitate, ſtatu & conditione, ita quod nullius eſſe poteſt, (quia extra privatorum eſt commercium) id ut alicuius

fieret. nulla obligatio id efficere poteſt, l. 182. ff. de R. I. ut res ſacra.

TH. 129. Factum infectum fieri nequit, l. 12. §. 2. ff. *de captiv.* & poſtlim. reverſ. Nov. 97. c. 2. verum igitur eſt, neque pacta, neque ſtipulationes, factum tollere poſſe, l. 31. ff. de R. I. quod n. impoſſibile eſt, neque pacto, neque ſtipulatione poteſt comprehendi, vt utilem actionem aut factum efficere poſſit. Stipulatio furem non eſſe ſervum, videtur impoſſibile continere, aſt ita explicanda, ut promittat intereſſe, ſi fur ſit, non in eo obligatur, ut animo ſanum præſtet, id eſt, ut ſervus non ſit fur vel fugitivus, qui revera talis eſt, vel ut nothus non ſit, qui ex concubina eſt natus. Hoc fundamento feudiſtæ à ſucceſſione feudi arcent liberos naturales, licet per ſubſequens matrimonium legitimatos, c. *naturales 2. feud.* 26.

Diviſ. 4. TH. 130. Factum eſt bonum, vel malum. *Bonum*, quod agentem in ſe perficit, vel eundem ad Deum ordinat.

TH. 131. Factum bonum eſt publicum vel privatum. bonum publicum eſt præferendum privato, c. 18. Extravag. *de regul.*

TH. 132. Malum eſt, quod agentem deſtruit, vel ad Deum non ordinat, hinc jus actum bonum præcipit, & malum vetat.

TH. 133. Ex præcedentibus ſequentia fluunt. *affectus* ſunt qualitates animi, quibus homines commoventur ad aliquid expetendum vel fugiendum. hi *affectus* alij *per ſe* ſunt *boni*, ut amor erga Deum, parentes, conjugem, liberos &c. timor Domini, miſericordia erga afflictos, *per ſe mali* ut invidia, malevolentia, ſuperbia, odium, libido, deſperatio, *neutri*, qui per ſe & ſua natura, nec boni, nec mali ſunt, ſed boni, quatenus modum ſervant, mali quatenus modum excedunt, ut amor, gaudium, ira, voluptas, lætitia, metus, cupiditas &c. eodem modo ſe habent *actiones*, *quædam ſua naturâ* ſunt *bonæ*, ut Deum colere, honorare parentes, veritatem dicere, neminem lædere, bonis legibus parere. *per ſe malæ* ſunt furari, ſcortari, latrocinari, mentiri, pejerare, decipere, inebriari, injuriam facere; *quædam actiones* ſunt *indifferentes*, ut edere, bibere, dormire, dare, accipere, emere, vendere; aſt *bonæ* ſunt propter mediocritatem; *malæ* contra propter exceſſum vel defectum.

Diviſ. 5. TH. 134. *Factum* eſt proprium, vel alienum. *Proprium* eſt, quando quis per ſe, vel aliud quid facit; nam qui per alium quid facit, perinde eſt, ac ſi faceret per ſe ipſum, c. 72. de R. I. *in ſexto*, item videtur geſſiſſe, qui per alium geſſit tutelam, l. 5. §. 3. ff. *de admin. & peric. tutor.* l. 1. §. 12. ff. *de vi & vi arm.* l. 152. §. 1. ff. de R. I. dejicit, qui mandat. l. 5. C. *de accuſ.* l. 6. pr. ff. *ad*

SCtum Syllan. l. 1. §. pen. ff. *ad SCt. Turpill.*

TH. 135. Idem poteſt quis per alium, quod poteſt per ſeipſum præſtare. c. 68. de R. I. *in ſexto.* l. 17. §. 19. ff. *de injur.* filius non tantum poteſt ipſe injuriarum agere, ſed & per procuratorem; alioquin ſi injuriato, vel alij gravato non permiſerimus per procuratorem agere, futurum eſt, ut ſi valetudine impediatur, neque ſit, qui injuriarum actionem exſequatur, impediatur actio. *Exceptio* tamen eſt interdum ob magnum periculum vel perſonalitatem, puta in delictis gravioribus, vel actionibus criminalibus.

TH. 136. Factum (a) cuique ſuum non adverſario nocere debet. l. 155. ff. de R. I. l. 9. §. 1. ff. *de vi & vi armat.*

(a) Per factum hic intelligimus delictum, e. g. ſi proprietarius heres legatarium de fundo dejiciat, hac dejectione amittitur uſusfructus. Aſt hæc dejectio proprietario, non uſufructuario nocere debet.

TH. 137. Factum alienum eſt, quando quis nec per ſe, nec per alium quid facit, ſed alius id facit. l. 173. §. 2. l. 23. ff. de R. I.

TH. 138. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. l. 74. ff. de R. I. nec quiſquam ex alterius facto obligatur. l. 44. ff. *de hered. inſtit.* e. g. Titius & Sejus ſunt coheredes, quorum ille conditionem à teſtatore præſcriptam implet, alter verò non, hoc caſu prior alterius negligentia non tenetur.

Diviſ. 6. TH. 139. *Factum* eſt certum, vel dubium. Vnde fluit, factum in dubio in meliorem partem interpretari debet. c. 2. *Extr.* de R. I. l. 56. l. 192. §. 1. ff. de R. I.

Diviſ. 7. TH. 140. Factum eſt nudum, vel non nudum. *Factum nudum* poſt ſe nullum relinquit veſtigium, ſic rem tradere ſine animo transferendi dominij, foſſam fodere, inſulam fabricare, ſunt facta nuda. *Factum non nudum* eſt, ex quo jus acquiritur, vel omittitur. e. g. dare rem. l. 75. §. *fin.* ff. de V. O. paciſci, contrahere, ſolvere.

Diviſ. 8. TH. 141. Factum eſt dividuum, vel individuum; *illud* eſt, quod verſatur circa rem, natura, re & facto dividuam e. g. pecuniam. l. 9. §. 1. ff. *de ſolut.* ſic qui 10. debet, partem ſolvendo ſc. 5. in parte obligationis liberatur, & reliqua 5. in obligatione remanent; *Hoc* (*individuum ſc.*) verſatur circa rem non niſi intellectu dividuam v. c. hominem, qui enim hominem debet, parte ſtichi datâ, quoad partem datam obligatio non ſolvitur, ſed nihilominus hominem debet, quia factum individuum, niſi integrum præſtetur, per partes ſolutum, nihil ſolutum intelligitur.

Diviſ. 9. TH. 142. Factum eſt verum, vel pro facto habetur per fictionem æquitate hoc ſuadente, arg. §. 4. *Inſt. de act.* l. 60. ff. de R. I. Fictionum varia exempla, vide in l. 4. 15. 48. 60. 63. 82. 83. 93. 110. §. 2. 115. §. 1. 121. 124. 139. 155. 169. 174. 187. 193. 203. 208. &c. ff. de R. I.

Diviſ. 10. TH. 143. Factum conſideratur ſimpliciter, aut cum ſuis circumſtantijs, [1] *cauſæ*, (a) [2] *loci*, (b) & [3] *temporis*. (c)

(a) *Cauſa facti* poteſt eſſe neceſſitas, quæ facit licitum, quod aliàs jure civili non eſt licitum c. *cum Eccleſia*, Extr. *de immunit. Eccleſ. C. nulli Epiſc.* diſt. 42. l. 2. C. *de patrib. qui fil. diſtra.* l. pr. ff. *de offic. eius, cui mand. eſt jur.* l. 2. C. *de pedan. judic.* l. 3. l. 6. pr. & l. 12. ff. *de decur.* e.g. Regula eſt, die Sabbathi nemo laboret; at vicini aſinum, vel aliud animal in puteum delapſum extrahere licet, (2) non occides, aſt latronem aggreſſorem occidere licet, ne quis ſibi ipſi latro exiſtat, ob ſpontaneam vitæ privationem; hinc dicitur, quæ neceſſitate ſunt recepta, in argumentum trahi non debent. l. 162. ff. de h. t. de R. I. l. 68. l. 141. *ibid.* l. 44. ff. *de uſuc. & uſurp.* e.g. filium tempore famis vendere, vaſa ſacra ob captivorum redemptionem diſtrahere licet, quod aliàs regulariter non licet.

(b) Locus facti ſæpè eſt conſiderandus, cujus variæ ſunt *diviſiones*, (1) locus eſt ſanctus, vel profanus, (2) *honeſtus*, vel inhoneſtus. l. 4. C. *de ſpectac.* l. 4. §. 11. & l. 11. ff. *de recept. arbitr.* (3) opportunus ſ. congruus, vel non opportunus, l. 32. ff. *de uſur.* l. 5. §. 2. ff. *de nov. oper. nuncia.* l. 39. ff. *de ſolut.* Hinc dicitur, actus in loco non congruo factus, non eſt attendendus, & ideo neque prodeſt, neque nocet. *arg.* l. 2. ff. *de in jus voc.* l. 32. ff. *de uſuc.* (4) locus eſt publicus, vel privatus. l. 45. ff. *de uſucap.* t. t. ff. *de loc. & itin. publ.* & ff. *ne quid in loc. pub.* (5) naturalis, vel artificialis, (6) tutus, vel non tutus, *elem. paſtor. de re judic.* (7) privilegiatus, vel non privilegiatus, (8) manifeſtus, vel non manifeſtus, ſ. occultus.

(c) *Tempus facti* probè obſeruari oportet.

Diviſio 1. TH. 144. *Tempus* eſt, [1] momentum, (a) vel hora, (b) vel dies, (c) vel menſis, (d) vel annus. (e)

(a) l. 77. pr. ff. *de acquir. vel amitt. hered.* l. 127. ff. de R. I. e. g. ſi teſtator per momentum tantum poſt obitum ſuum reliquit heredem, hereditas ad heredem tranſit, licet poſtea ſtatim moriatur.

(b) *Hora* eſt diei quota, & quidem diei naturalis eſt duodecima; *civilis* verò diei pars vigeſima quarta.

(c) *Dies* eſt naturalis, vel civilis. *Naturalis* dies eſt illud temporis ſpatium, quo ſol commoratur ſupra noſtro horizonte, eique nox opponitur; unde in jure noſtro dicitur, quod cuiuſque diei major pars ſit 7. horarum, primarum ſc: diei non ſupremarum, l. 2. §. 1. ff. de V. S. quia judicia manè exercentur, & omne jusjurandum manè deponitur. *Dies civilis* eſt horarum 24. à media nocte ad inſequentem mediam noctem, l. 8. ff. *de ferijs*,

& quicquid in his 24.horis eſt actum, perinde habetur, quaſi quavis hora lucis actum eſſet d. l. 8. More Romanorum dies à media nocte incipiunt, & media ſequentis noctis parte finiuntur, quod apud nos obſervatur; ex dictis ſequens quoque fluit diviſio. *Dies eſt faſtus*, vel *nefaſtus. illo* coram Magiſtratu pro tribunali (quod eſt locus & ſedes Magiſtratuum eminentior) ſedente, agendi poteſtas erat. *hoc* verò non item, dicitur & dies feriatus, quo lites ceſſare convenit.

(d) Menſis eſt ſolaris, vel lunaris. *ille* conſtat diebus 30. *hic* v. 29. & 12. horis.

(e) Annus 365. diebus abſolvitur, l. 51. ff. *ad L. Aquil.*

Diviſ. 2. TH. 145. Tempus eſt continuum, (a) vel utile. (b)

(a) *In continuo* numerantur quoque dies feriati, hoc tempus continuum eſt eſt ſeries dierum continua ſine ulla ipſorum diſtinctione; notandum, quod tempus continuum ratione curſus ita vocatum, poſſit eſſe utile ratione initij, arg l. *fin.* C. *de temp. in integr. reſt.* Sic nonnunquam quadriennium continuum tantummodo numeratur à die, ex quo annus utilis currit. e. g. minori incipit illud quadriennium currere ex quo viceſimi ſexti anni dies illuxit. d. l. *ult.*

(b) *In utili* tempore illi tantum dies comprehenduntur quibus agere licet, & judex ſui copiam facit.

TITVLVS IX.

De Senatoribus.

TH. 1. PERSONIS & rebus, ut duobus ſummis juris capitibus, conſideratis, ad tertium, quod actiones ſ. judicia continet, eſt perveniendum. *Principia judiciorum*, quibus ſuum jus cuique perſonæ circa quamlibet rem tribuitur, ſpectantur, vel in *Magiſtratibus*, coram quibus agitur, vel in *litigantibus*, qui in judicio agunt. In Magiſtratibus ſpectandum eſt, tum officium, tum jurisdictio, mediante qua illud exercent. Officium autem eorum facilè percipiemus, ſi modò ſciamus, quinam & quales ſint *Magiſtratus*.

TH. 2. Magiſtratus, alij ſunt Romani, alij municipales. *Romani*, ſunt Vrbani, vel provinciales. *Vrbani* iterum ſunt ordinarij, vel extraordinarij. *Ordinarij* ſunt (1) Senatores, (2) Conſules, (3) Præfecti Prætorio, (4) Præfecti urbi, (5) Quæſtores, (6) Prætores. *Extraordinarij*, ut Præfectus vigilum, Dictatores, quos neceſſitate urgente, tantum crearunt.

TH. 3. Magiſtratus ſunt, vel Majores, (a) vel minores. (b)

(a) *Majores* ſunt, qui imperium & poteſtatem habent. l. 32. ff. *de injur.* l. 2. ff. *de in jus voc.* l. 131. ff. de V. S.

(b) *Minores* ſunt, qui nec imperium, nec poteſtatem habent, ſed aliam Reip. procurationem.

TH. 4. *Municipales* (a) ſunt, qui in unaquaque civitate cujuſque provinciæ juri dicendo præerant.

(a) Municipia olim non erant quælibet civitates, ſicut hodie illas vocamus. l. 1. ff. *ad municip.* Sed illæ exteræ, quibus civitatis Romanæ jus datum erat, ita quidem, ut muneris honorarij & aliorum ferè cum populo R. participes eſſent; attamen jus ſuffragiorum & Magiſtratuum in urbe capiendorum non haberent. Hæc municipia à colonijs erant diſtincta, coloniæ enim non veniebant extrinſecus in civitatem, ſuaſque proprias ſedes non habebant intra, ſed ex urbe Romana qſ. erant propagatæ, & iura eiuſdem habebant.

TH. 5. *Senatores* propriè nomen ordinis, non Magiſtratus ſunt, & denotat anniverſariam functionem.

TH. 6. *Senatus* erat ordo (a) civium Rom. (b) ad id electorum, ut conſilio publico Remp. juvarent, eumque in finem in Senatu ſententiam dicerent, nimir. ſi illuſtres eſſent. (c)

(a) Ordinem Senatorum Romulus inſtituit creatis centumviris, quos ab ætate Senatores, à curæ ſimilitudine Patres nominavit, hunc numerum ſequentes Reges, aliquot centenis additis auctiorem, & majorem fecerunt. Hi Patres vocantur etiam interdum conſcripti, eorumque liberi Patritij dicti. Hæc tamen inter priores & poſteriores Senatores erat differentia, ut à Romulo, & Tatio Regibus creati *Majorum gentium*, qui verò à Tarquinio, & alijs electi *Minorum* vocarentur. Tacit. lib. 12. annal. Senatorum numerus lapſu temporis ita auctus eſt, ut tempore Auguſti plus mille fuerint.

(b) l. 2, 3. 4. ff. h. t.

(c) Senatorum gradus erat triplex, primus continebat illuſtres, 2. ſpectabiles, (hi erant ex equeſtri ordine,) & 3. clariſſimos. Clariſſimatus dignitas communis erat omnibus omnino Senatoribus, etiam honorarijs, Nov. 70. ut Pedaneis.

TH. 7. Triplex *Senatorum* erat ordo; *in primo* erant *Patricij*, quod ex 100. illis Patribus à Romulo lectis geniti eſſent; *in ſecundo Patres conſcripti* ab alijs Regibus, Conſulibus & Cenſoribus in Senatum una cum Patricijs lecti; *in tertio* Pedanei erant, qui ſententiam ipſi in Senatu non dicebant, ſed pedibus in aliorum ſententiam ibant, eamque ſuffragio comprobabant, quæ diſcrimina tandem diuturnitate temporis in deſuetudinem abierunt; & poſtea omnes Senatores Patres conſcripti ſunt appellati. *Dionyſ. l. 2.*

TH. 8.

TH. 8. Erant & populi Romani tres ordines, (1) *Senatorius*, (2) *Equeſtris*, & (3) *Plebeius*. Inter hos ordines Senatorius erat ſummus, l. 10. C. *de nupt.* l. 238. pr. ff. de V. S.

TH. 9. Senatorum munus regulariter non in jure dicendo, (a) ſed in conſultando de Rep. conſiſtebat, ut de legibus, comitijs, bello, pace, provincijs, ærario, vectigalibus, & alijs ad ſtatum Reip. pertinentibus.

(a) Sub Imperatoribus tamen extra ordinem jus dixerunt, judiceſque dederunt, l. 1. §. 10. ff. *de poſtul.* l. 2. ff. *de flumi.* l. 1. §. 1. *à quib. appell. non lic.*

TH. 10. Senatores ab Equeſtris ordinis viris diſtinguebantur; (1) lato clavo tunica latiori, aureis clavis diſtincta, (2) jure ſpectandi in orcheſtris, (3) publicè epulandi, & (4) lunatis calceis utendi Senatoribus ſolummodo competebat.

TH. 11. Splendida illa Senatorum dignitas & uxoribus, (a) & liberis eorundem (b) communicabatur. l. 5. 6. 7. §. 2. l. 8. h. t. l. 22. §. 1. ff. *ad municipal. l. fin. ff. de fid. inſtrum. l. fin. C. qui bon. ced. poſſ.*

(a) Puta quamdiu non nubunt inferioris conditionis viro, niſi ſpecialiter ab Imperatore impetrent, dignitatem priorem ſibi integram ſervari. l. 8. h. t.

(b) Licet filij ante patris dignitatem ſint nati, ijſdem tamen gaudent privilegijs. l. 5. h. t. l. 9. §. 14. ff. *de pœn.* Similiter filios dignitas parentis juvat, quamvis poſt patrem Senatu motum nati, modò ante concepti. d. l. 8. §. 1. l. 3. ff. *de decur.* hoc Interpretes quoque applicant ad filios ante aliam dignitatem videlicet, (1) nobilitatem à patre quæſitam natos, (2) opificium, ut filij opificum antea nati, ijſdem cum parentibus gaudeant privilegijs.

TH. 12. Dignitatem ampliſſimi Senatorij ordinis amittebant Senatu moti, l. 2. §. 4. ff. h. t. movebantur à Senatu, qui turpi de crimine, aut de ambitu convicti, aut à populo damnati.

TITVLVS X.

De officio Conſulis.

Iung. t. 3. lib. 12. C. d. t.

TH. I. SVBIICIVNTVR nunc Magiſtratus propriè dicti. *Magiſtratus* eſt perſona publica, quæ juriſdictioni præeſt. Sive Magiſtratus eſt, qui ad jus reddendum de cauſis civilibus, & privatis publicè eſt conſtitutus, l. 1. ff. *de offic. eius cui mand.* l. 6. §. 1. ff. *de tutel.* l. 57. ff. de V. S.

TH. 2. Ex Senatoribus quotannis, Calendis Ianuarij, Conſules fuerunt creati; quorum honor olim fuit tantus, ut ipſi Imperatores conſulatum gerere non dedignati ſint: horum tamen juriſdictio ſucceſſu temporis maximè ſub Imperatoribus fuit imminuta. l. *ult.* C. *de decuri.*

TH. 3. Conſules erant, qui Conſulatum gerebant, & Reip. conſulebant.

TH. 4. Conſules erant duo, penes quos magnum erat imperium, (a) non verò abſolutum, ſed limitatum. (b)

(a) Hoc imperium, & dignitas ad exemplum Regiæ dominationis fuit inductum.

(b) *Legibus Valerij* Publicolæ, qui, ne per omnia Regium imperium ſibi Conſules vindicarent, legem tulit, ut ab ijs provocatio eſſet, nec fas eis eſſet, in caput Civis Rom. injuſſu populi animadvertere.

TH. 5. Penes hos Conſules erat conſilium, (a) præbere, (b) manumittere volentibus, l. *un. pr.* ff. h. t.

(a) Conſilium hoc erat Collegium eorum Magiſtratuum ordinariorum, qui hujus rei cauſa erant conſtituti; quod *in Vrbe* Rom. conſtabat 5. Senatoribus, & viris 5. Equeſtris ordinis, in *Provincijs* verò 20. recuperatoribus civibus Romanis.

(b) Dabat enim Conſul eos, qui cognoſcerent, an juſta eſſet manumiſſionis cauſa, ſi minor 20. annis manumittere vellet, & horum conſeſſum, cui Conſul præerat, (ut ſuperius dictum) Ictus hic vocat conſilium.

TH. 6. Conſules quoque poterant de cauſis controverſis jus dicere, l. 57. ff. *de re iud.* id eſt, expedire poterant ea, quæ contentioſæ erant juriſdictionis, (2) potuerunt delicta coërceere, (3) in poſſeſſionem mittere, (4) reſtituere in integrum. arg. l. 5. §. 1. ff. *de offic. eius.* l. 2. ff. *de iuriſd.*

TH. 7. Conſulum poteſtas fuit imminuta, (1) legibus Valerij Publicolæ, (2) Tribunitijs interceſſionibus, (3) Principum authoritate.

TITVLVS XI.

De officio Præfecti Prætorio.

Iung. t. 26. lib. 1. C. d. t.

TH. 1. PRÆFECTVS Prætorio [1] ab initio ſub Auguſtis fuit, qui cohortibus Aulæ, quæ Prætorium dicta, præerant. (a)

[2] poſtea à tempore Conſtantini illi dicti fuere Præfecti Prætorio, qui multis provincijs regendis præficiebantur, eoque tempore fuerunt quatuor, nam unum Conſtantinus Orienti, alterum Illirico, tertium Italiæ & Africæ, & quartum Gallis, Hiſpanis, & Britannis præfecit.

(a) Præeſſe cohortibus aulæ, id eſt, militibus, quos in ſui cuſtodiam alebant Principes, ſ. Imperatores.

TH. 2. Hic Præfectus Prætorio Imperatori adjunctus eſt Majeſtatis ſervandæ cauſa, idque Imperatoribus præſtabat, quod Regibus Tribunus Celerum, & in libera Rep. Dictatori Magiſter Equitum. l. 2. §. 15. & 19. ff. de O. I. Ideo eius poteſtas erat tanta, ut nulla dignitas ei eſſet æqualis, & vice ſacra, id eſt, Imperatoris judicaret, l. 1. C. *de offic. vic.* unde nec ab eo appellari potuit. l. *un.* §. 1. pr. h. t. ſupplicare tamen intra biennium licuit. *l. un. C. de ſent. præſ. præt.*

TH. 3. Simul ac lectus erat Præfectus Prætorio, dabatur ei cingulum cum gladio, & cum gladio merum imperium, hinc illud Trajani æterna laude cenſetur dignum; qui cum Præfectum ſuum cingulo, eius dignitatis inſigni donaret, accipito, dixit, hunc enſem, ut eo, ſiquidem rectè, & è Republica imperavero, pro me, ſin ſecus in me utaris.

TH. 4. Ex Theſi 1. patet, principio unum Præfectum Prætorio fuiſſe, ſucceſſu verò temporis plures creati ſunt; quia invadentibus fines imperij Romani barbaris, in varijs provincijs legiones Romanæ ad arcendos hoſtes excubabant, plures Præfecti Prætorio ſunt conſtituti, qui certis diœceſibus præerant, horum officium non erat certum ac perpetuum, quia pro temporum ac belli neceſſitate eligebantur.

TITVLVS XII.

De officio Præfecti urbi.
Iung. t. 28. lib. 1. C.

TH. 1. ORIGO hujus Magiſtratus vetuſtiſſima, quia tempore primorum Regum cœpit. Regibus enim unà cum præcipuis Magiſtratibus fortè domo in bellum proficiſcentibus, ne urbs interea ſine imperio eſſet, deligebant aliquem, qui jus interim redderet. l. 2. §. 17. ff. de O. I. ac ſubditis mederetur, hic *Præfectus urbi* eſt dictus, quod eius fidei ſumma rerum urbanarum eſſet commiſſa. l. 1. h. t.

TH. 2. Præfectus urbi eſt ordinarius, vel extraordinarius, ille erat

perpetuus,eiuſque fidei urbs ab Imperatore fuerat commiſſa, *hic* erat qui quoties Magiſtratus non erant in urbe,ſed proficiſcebantur,in illa jus dicebat. l. 2. §. 13. §. 33. ff. de O.I.

TH. 3. Præfecti urbi officium conſiſtebat in procuratione & defenſione quietis & ſalutis publicæ,tum in ipſa urbe Româ,cum extra eam ad centeſimum uſque lapidem,ſ. milliarium. l.1.pr. §.3. & 4. & 12. h.t. in qua tuenda illi auxiliares & miniſtri erant milites ſtationarij (in ſtationibus ſ. vigilijs diſpoſiti) eorumque primicerius, id eſt,primus præpoſitus ſ. Centurio. l. 1. §. 12. h. t. hinc primo cognitio de omnibus criminibus ad eum ſpectabat,& habebat licentiam relegandi , deportandique in inſulam,l. 1. §. 12. h. t. in metallum damnandi & fuſtibus caſtigandi. d. l. 1. §. 10. l. 8. §. 5. ff. *de pœn.*

TH. 4. Præfectus Vrbi jus dicebat audiendo & cognoſcendo de querelis ſervorum contra dominos.l.1.§.1.& §. 8. Patroni agentis contra libertum , domini contra ſervos.l.1. §. 5.& 6. ff. h. t.

TH. 5. Præfectus Vrbi poterat corrigere, caſtigare, punire grauius. l.1. §.3. 7. 10. 13. ff. h. t. quamvis habuerit juriſdictionem, mixtum & merum imperium , attamen non habuit ius gladij , id eſt , non habet ſummum meri imperij gradum.

TH. 6. Potuit & collegia illicita , & omnes fraudes removere. l. 1. §.14. urbiqne interdicere. l. 1. §. 12. hoc tit.

TH. 7. Idem Præfectus urbi in id incubuit , ut omnes artes ſub eius imperio exercerentur. l. 1. §. 9. h. t. & ut annona juſto pretio venderetur.

TITVLVS XIII.

De Quæſtoribus.

Iung. tit. 30. lib. 1. C.

TH. 1. VARIÆ fuerunt Quęſtorum ſpecies,erant enim [1] *Quæſtores ærarij* Magiſtratus,l.*un*.h.t. pecunijs colligendis & ærario præpoſiti,habebantque juriſdictionem & imperium , [2] *Quæſtores candidati* (ita dicebantur à toga candida, quòd integritatis erat inſigne) Principis dicti,qui tempore Auguſti ſunt creati,l.*un*.§.4.h.t.& quidem indifferenter,tam ex Patritijs , quàm ex Plebeis.d. l.*un*.§.3.ut libros principales,id eſt,epiſtolas,orationes,& libellos Principis in Senatu legerent.l.*un*.§.2.h.t. *Quæstores ſacri palatij*,qui legibus dictādis,

reſcriptis conficiendis, omnique juriſdictioni nomine Principis exercendæ erant præſtituti t. h. t. & t. C. *eod.* & talis fuit noſter Tribonianus; tales hodie vocantur Cancellarij. [4] *Quæſtores parricidij*, ſ. rerum capitalium, qui rebus capitalibus præerant, l. 2. §. 23. ff. de O.I. [5] *Quæſtores exercitus*, qui Imperatores in militiam comitabantur, rem pecuniariam adminiſtrabant, & prædam in rationes publicas referrebant, Nov. 41. [6] Quæſtores mendicis coërcendis conſtituti. *Nov.* 80.

TH. 2. Quæſtura primus gradus ad majores dignitates erat, ut ad ædilitatem, præturam, conſulatum, l. *un.* §. f. h. t.

TITVLVS XIV.

De Officio Prætorum.

Iung. t. 39. lib. 1. C.

TH. I. CVm Conſules bellis finitimis avocarentur, neque eſſet, qui in civitate jus redderet, quippe exoleſcente præfecturâ urbanâ, factum eſt ut Prætor crearetur anno V. C. 386. qui urbanus, quod in urbe jus diceret, eſt appellatus, l. 2. §. 15. O. I. aſt poſtquam magna peregrinorum turba in urbe confluerет; prætor peregrinis quoque eſt datus, ſi forſan peregrinus adverſus alium ex contractu ageret.

TH. 2. Prætor (a) eſt Magiſtratus major de cauſis privatis, (b) jus dicens in urbe.

(a) *Vox Prætoris, in genere*, [1] denotat omnem Magiſtratum majorem, qui in jure, vel exercitu præit Nov. 25. in præfat, [2] in ſpecie Prætor eſt, qui ius in urbe reddit, l. 2. §. 27. ff. de O. I. ſive jus dicit, & vocatur juris civilis cuſtos & diſceptator.

(b) Non v. de publicis & criminalibus; habebat enim juriſdictionem tantum voluntariam & contentioſam.

TH. 3. *Officium Prætoris* conſiſtebat in iure reddendo de cauſis civilibus, l. 8. ff. de I. & I. E. in facinoroſos animadvertere non potuit, l. 1. §. *ult.* l. 2. ff. *de ſuſpect. tutor.* §. 10. & 11. I. *eod.* Omnis autem Prætorum poteſtas in his tribus conſiſtebat verbis, Do, (a) dico, (b) addico. (c)

(a) *Prætor dabat* [1] actiones, [2] exceptiones, id eſt, formulas agendi & excipiendi litigantibus, & Iudici Pedaneo præſcribebat, [3] dabat iudices

pedaneos, qui cognoſcebant ſecundum illas formulas. l. 3. ff. *de juriſd.* [4] bonorum poſſeſſiones, [5] arbitros quoſdam, [6] tutores quoſdam, l. 1. C. h. t. *pr. I. de Attil. tutor.* [7] reſtitutionem in integrum, d. l. 1. C.

(b) *Prætor dicebat* [1] edictum proponendo, quo jus civile cuſtodiretur, ſuppleretur, & emendaretur, l. 7. §. 1. ff. de I. & I. [2] dicebat ſententiam in cauſis civilibus, non criminalibus, [3] dicebat mulctam. [4] viam in vindiciarum, id eſt, poſſeſſionum rei controverſæ litibus, [5] dicebat interdicendo.

(c) *Addicebat Prætor*, id eſt, judicatum faciebat, & maturabat executionem.

TH. 4. Iuriſdictionem Prætoris totam in duabus rebus fuiſſe fundatam, ex his patet; nam aut ipſe iudicabat, (a) aut alterum iudicare jubebat. (b)

(a) Hoc caſu decernere & decretum interponere dicebatur, & quia id rarius fiebat, ideo cognitio prætoria erat extraordinaria.

(b) Id eſt, judicem, judicium, & actionem dabat. quod fiebat frequentius, idcirco ordinariè fieri appellabatur.

TH. 5. Prætor ius dicebat, [1] *ex loco ſuperiori*, pro tribunali, (quod erat locus excelſior, & multorum capax in judicijs) parte fori Romani, in qua roſtra erant, vel [2] *ex loco æquo* ſeu inferiori, etiam in via, quod de plano dicebatur, qſ. ſummatim & defunctoriè, & fiebat, quando res quandam cognitionem non deſiderabat, ut in cauſis voluntariæ juriſdictionis.

TH. 6. Obſervandum, veteres diſtinxiſſe, inter in jure agere, & in judicio agere. *In jure* diſceptabatur coram Prætore, ubi quæſtio juris definiebatur, *in judicio* v. quæſtio facti; hinc Magiſtratus, ſ. Prætor de quæſtione juris, judex pedaneus de quæſtione facti pronunciat.

TH. 7. Adjicienda hic quædam ſunt de l. 3. h. t. in qua dicitur, quod ſervus fugitivus pro libero ſe gerens, Romæ prætor ſit creatus. Vbi dubia occurrentia ita reſolui poſſunt. Licet revera ſervus fuerit Prætor, atque ita inhabilitas & defectus in perſona; hic tamen id, quod ſubſtantiale, puta publica & ſolennis electio atque functio præturæ eſt attendenda, in quam conſenſum fuit, inque ea minimè erratum. ideo dicimus, defectum ac inhabilitatem perſonæ à publica authoritate ſuppleri, quod etiam juſtum eſt affirmare, ne omnia ab ipſo ſervo prætore aliàs benè geſta cum maximo litigantium damno ob incognitam & latentem inhabilitatem habeantur irrita. [2] quamvis ſervus ratione perſonæ incapax, non tamen eſt talis propter factam electionem & ſubſecutam adminiſtrationem, quia titulum habet legitimum.

legem creatus eſt. E. etiam incompetens Magiſtratus dici non poteſt. [3] Quia populus Romanus ex Majeſtatis ſuæ plenitudine in conſtituendis Magiſtratibus facultatem ſive jus habuit, ſervo præturam decernendi, quem ſi ſciviſſent fuiſſe talem, libertatem ei dare potuiſſent. *arg.* t. C. *pro quib. cauſ. ſerv. pro lib.* Hinc ex hac lege Doctores non bene argumentantur, errorem jus facere ſtatuentes, [1] quia jus omne oritur ex conſenſu expreſſo, vel tacito, §. 6. 7. & 9. *Inſt. de* I. N. G. & C. l. 32. ff. *de leg.* [2] quia non valebat, quod ſervus prætor geſſit, ex eo quod communi errore pro libero haberetur, ſed ob pub. auctoritatem, & utilitatem concurrentem.

TITVLVS XV.

De officio Præfecti vigilum.
Iung. t. 43. *lib.* 1. C.

TH. 1. DE Vrbanis ordinarijs Magiſtratibus diximus, de extraordinario, ſc. Præfecto vigilum dicendum reſtat. *Præfectus* a. *vigilum* erat Magiſtratus extraordinarius ab Auguſto Cæſare inſtitutus, (a) cui nocturna urbis cuſtodia, & delictorum noctu admiſſorum cognitio erat commiſſa.

(a) Auguſtus 7. cohortes, quibus ſingulis Tribunos præfecit, ob ſecuritatem nocturnam, quoad incendia, effracturas ac tumultus evitandos conſtituit, & opportunis locis diſpoſuit, ut binas urbis regiones ſingulæ cohortes tuerentur; caput v. omnium ac dux erat Præfectus vigilum.

TH. 2. Officium huius Magiſtratus erat, per totam noctem vigilare, & armatum oberrare cum hamis, (a) dolabriſque, (b) & inſtrumentis ad extinguenda incendia idoneis, atque omnes inquilinos admonere, ut curam adhibeant, ne per negligentiam incendij caſus oriatur.

(a) *Hama* eſt longum quoddam inſtrumentum, ferream cuſpidem & recurvam habens, quo pauliſper à nobis disjuncta & remota attrahimus.

(b) *Dolabra* eſt inſtrumentum, quo ligna complanantur ad portas refringendas aptum.

TH. 3. Quia exiſtente incendio plerumque furta & effractiones fieri ſolent, ideo Præfecto vigilum eſt permiſſum, non modo de incendiarijs, ſed furibus etiam & effractoribus cognoſcere, l. 3. & 4. h. t.

TH. 4. Ius ultimi ſupplicij, præterquam in ſervos, l. *pen.* ff. *de cond. cauſ. dat.* ipſi non competebat, ſed in cauſis capitalibus ad Præfectum urbis reus remittebatur. l. 3. §. 1. *&* l. *ult.* ff. h. t.

TH. 5. Quinque modis incendia fieri ſolent, [1] dolo & datâ operâ. *Peinliche Halsgerichtes ordnung art.* 125. l. 9. l. *fin.* ff. *de incend. ruin. naufrag.* [2] lata culpa, ſive per diſſolutam negligentiam arg. l. 1. §. 9. ff. de O. & A. [3] *Culpa levi arg.* l. 11. ff. *de peric. & com. rei. vend.* [4] culpa leviſſima *arg.* l. 18. ff. *commod.* d. l. 9. [5] ex caſu fortuito, atque hoc ſenſu iterum tripliciter, [1] per hoſtium incurſiones, latrones, &c. l. 30. §. 4. ff. *locat.* [2] ictu fulmineo, vel vi fulguris, l. 15. §. 2. l. 25. ff. *locat.* [3] ſi ex ædibus vicini oriatur. Vnde hæc emergit quæſtio.

TH. 6. An in dubio incendium ex culpa inhabitantium exortum præſumatur? Reſp. affirm. per l. 3. §. 1. ff. h. t. aſt cum culpa præſumpta ad aliquem condemnandum non ſufficiat ad damni reſtitutionem. Ideo convenit, ut contra inhabitantem agens, præterea certi & determinati alicujus culpâ latâ, levi, vel leviſſima eſſe datum incendium probare tenetur, *arg.* l. 11. ff. *de peric. & comm. Gail.* 2. *obſ.* 21.

TITVLVS XVI.

De officio Proconſulis & Legati.
Iung. t. 35. lib. 1. C. d. t.

TH. 1. EXPOSITIS Magiſtratibus Vrbanis, conſideremus & Provinciales, qui foris in provincijs (a) imperij Rom. Remp. adminiſtrabant, hi quinque erant Proconſul, Præfectus Auguſtalis, Præſes, Procurator Cæſaris & Iuridicus.

(a) Provincia erat regio, quæ in poteſtatem populi Rom. adducta pendebat populo Rom. vectigalia, & Magiſtratui Rom. ex fœderis lege obtemperabat.

TH. 2. Proconſul (a) qui erat Magiſtratus provincialis, in ſtatu Monarchico à Senatu (b) in populi provincias, cum imperio conſulari, earum adminiſtrandarum cauſa miſſus.

(a) Ita eſt dictus, quòd vice Conſulis cum poteſtate conſulari provinciæ præſit.

(b) In ſtatu enim Monarchico Auguſtus Cæſar, cum ipſo Senatu Auguſtum rogante, Remp. ſolus regendam ſuſciperet, ut Senatui viciſſim gratiam

tiam referret, provincias inter ſe & Senatum partitus eſt; infirmiores & pacatiores Senatui conceſſit, potentiores verò, ut quæ plus pericli oſtenderent, ac vel hoſtes accolas haberent, vel novos per ſe motus aliquos turbare poſſent, ſibi retinuit.

TH. 3. Proconſul pleniſſimam juriſdictionem habebat. l. 7. 8. 9. hoc tit. competebat etiam illi merum imperium. l. 6. *pr.* l. 11. h. t. l. *un.* C. *eodem.*

TH. 4. Propter amplam & diffuſam adminiſtrationem Proconſuli adjungebatur Legatus, qui eum in procuratione negotiorum fiduciaria opera iuvabat, & ſimul actiones Proconſulis, ne ſua poteſtate abuteretur, obſervabat.

TH. 5. Legatus non habet mandatam ſeu delegatam, ſed propriam, (a) à Senatu conceſſam juriſdictionem, l. 4. ff. *de offic. eius;* legatus tamen eam actu prius exercere non potuit, quam Proconſul mandabat, l. 13. h. t. l. 1. §. 4. ff. *de ſuſpect. tutor.* hinc etiam fluit, quod legatus legis actionem non prius habeat, quam Proconſul provinciam ſit ingreſſus, eique à Proconſule mandata ſit juriſdictio.

(a) Propria juriſdictio dupliciter accipitur, (1) quoad *actum primum*, quam quis habet iure Magiſtratus, ſeu jure reſidente in ſua ipſius perſona, & non aliena. l. 5. ff. *de juriſd.* (2) quoad *actum ſecundum* in hypotheſi dicitur propria juriſdictio, quam legatus habet, hanc enim prius exercere nequit, quam à Proconſule eſt admonitus.

TITVLVS XVII.

De Officio Præfecti Auguſtalis.
Iung. t. 37. *lib.* 1. C. eod. t.

TH. 1. SICVTI Senatus ſuis provincijs præficiebat Proconſules, ita Auguſtus in ſuas provincias pari poteſtate Præſidem mittebat, atque is, qui Ægypto præficiebatur, Præfectus Auguſtalis eſt appellatus.

TH. 2. Præfectus Auguſtalis erat Magiſtratus Provincialis ab Auguſto Imperatore Ægypto (a) præpoſitus ex Equitibus, ut is curaret tributa, (b) examinaret flagitia ordinariorum judicum & de his Imperatori referret.

(a) Auguſtus ideo Rectorem Præſidem Ægypto ex Equitibus, & non ex Senatoribus præpoſuit, ne, ſi violentiores Præſides Ægyptij eſſent nacti, ut

fuerunt leves & mobiles, facile ad res novandas impellerentur. l. *un.* ff. hoc tit.

(b) Quia omnia tributa à moderatoribus provinciarum exigi jubebat, & ad eorum ſolutionem militari auxilio cogebat. l. 1. C. h. t.

TH. 3. Habebat hic Præſes juriſdictionem voluntariam & contentioſam *arg.* l. *un.* ff. hoc tit. poterat etiam ex ſpeciali conceſſione tutorem dare in provincia viventibus, l. 1. pr. §. 2. ff. *de tutor. & curat.*

TITVLVS XVIII.

De Officio Præſidis.
Jung. t. 40. *lib.* 1. C. h. t.

TH. 1. CÆTERIS provincijs regendis præerant Præſides ſ. Legati Cæſaris, qui rectores, moderatores, & correctores provinciæ appellantur. l. 2. 9. 11. C. *de offic. rect.* provinc.

TH. 2. Præſes (a) eſt Major Magiſtratus ab Imperatore in ipſius provincias miſſus, ut his cum majori imperio præeſſet. (b)

(a) *Nomen Præſidis* generale eſt à præſidendo dictum, ideoque & Proconſules, & Legatos Cæſaris, & omnes provincias regentes, ut Senatores, complectitur, l. 1. h. t. hoc titulo a. *ſpecialiter* pro legato, ſeu vicario Imperatoris in provinciam miſſo accipitur. l. *pen.* §. 1. t t. C. *de rector. provinciar.*

(b) Præſes enim majus in ea provincia, cui præeſt, omnibus alijs poſt Principem habebat imperium, l. 4. h. t. & non ſolum juriſdictionem civilem, ſed & criminalem ſeu merum imperium, l. 6. §. 8. ff. h. t. habebat gladij poteſtatem. E. & in metalli damnationem, & deportationem, cui n. licet, quod majus eſt, ei licebit quoque quod minus.

TH. 3. Præſes in cognoſcendo neque excandeſcat adverſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illacrimari oportet, id n. non eſt conſtantis & prudentis judicis, cujus animi motum vultus detegit, & in ſumma ita jus reddet, ut autoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat. l. 19. §. 1. h. t.

TH. 4. Officium porrò Præſidis eſt, curare, ut pacata & quieta provincia, & ab omnibus malis purgetur, l. 3. & l. 13. ff. h. t. neve illicitas exactiones provinciales perpetiatur, præſertim à potentioribus, l. 6. ff. h. t. humiliores ab injurijs defendere, calumnijſque obſtruere aures, licitarum negotiationum uſum cuilibet concedere; pernitioſarum

nemini, d. l. 6. §. 4. h. t. in jure reddendo ita ſe gerere, ne nimia in adeundo aſperitate ſe difficilem, neque contra immodica familiaritate contemptibilem ſe præbeat; ex converſatione n. æquali contemptus dignitatis naſcitur. Auth. C. *de mandat. princip.* l. 19. h. t.

TITVLVS XIX.

De Officio Procuratoris Cæſaris.

TH. 1. IN libera Rep. penes Quæſtores erat cura quærendę, ſervandę, aut expendendæ pecunię publicæ. Sub Auguſtis v. ut alia multa, ſic & hoc innovatum; conſtitutique Procuratores Cæſaris.

TH. 2. Procurator Cæſaris (a) erat Magiſtratus provincialis inter fiſcum & privatos, de re Cæſaris patrimoniali ius dicens. (b)

(a) Vocatur etiam rationalis, rationalis ſummæ rei, Procurator Imperatoris, procurator Principis, Curator Cæſaris, Procurator patrimonij Cæſaris.

(b) Hi procuratores primum ab Auguſto ſunt inſtituti, inque provincias miſſi, ut ea, quæ ad fiſcum Principis pertinerent, exigerent, adminiſtrarent, & impenſas neceſſarias facerent, & accepta ac impenſa in rationes referrent. l. 47. §. 1. ff. *de jure fiſc.*

TH. 3. Procuratori Cæſaris competebat jus cognoſcendi de controverſijs inter Cæſarem & privatos, ſuper debitis ex hereditate, delicto, contractibus, orientibus: hinc patet, quod Procurator hic non tantum notionem, ut pedaneus judex habuit, ſed juriſdictionem, cum inter Magiſtratus referatur. aſt in cauſis criminalibus nullam cognitionem habuit, E. non merum imperium, eiuſque ſupremum gradum, puta, jus gladij, ratio eſt, quia ſubeſt Præſidi provinciæ. l. *ult. pr.* ff. hoc tit.

TITVLVS XX.

De Officio Iuridici Alexandri.
Iung. tit. ult. lib. 1. C. h. t.

TH. 1. VLTIMA Magiſtratus Provincialis ſpecies eſt juridicus Alexandriæ, quem Auguſtus Præfecto Auguſtali adjunxit, & ut is Alexandriæ jus diceret, conſtituit; quia tutum non credidit, unius Præfecti fidei tam munitum regnum, tamque præ-

potentem civitatem committere. quare Præfecto Ægypti, velut ſpeculatorem appoſuit juridicum; quamvis hic minor eſſet, tamen à præfecto Ægypti amoveri non poterat. l. *pen.* C. *de Offic. præf. aug.* qui valde ad Præfecti conſilia exploranda erat opportunus.

TH. 2. Iuridicus erat ſingularis Magiſtratus, & propriam habebat juriſdictionem, præter eam adhuc illi duo non iure Magiſtratus, ſed ex ſpeciali conceſſione permiſſa erant, [1] ut tutorem poſſe dare, l. f. h. t. [2] jus actorum conficiendorum habere, ita ut inſinuationes coram eo fieri poſſent. l. *un.* C. *eod.*

TITVLVS XXI.

De Officio eius cui mandata eſt juriſdictio. *Iung.* t. 50. *lib.* 1. C. d. t.

TH. I. SVPERIORES Magiſtratus urbani, & provinciales, vel ipſi jus dicebant, vel propter expeditiones, occupationesve publicas, & cauſarum multitudinem & varietatem, quibus omnibus ſufficere haud poterant, alijs mandare juriſdictionem ſolebant, l. 16. ff. *de juriſd.*

TH. 2. Iuriſdictio dividitur inter alia in propriam, (a) & mandatam. (b)

(a) *Propria eſt*, quam quis ſuo iure habet, l. 5. ff. *de iuriſd.* id eſt, jure Magiſtratus, l. 1. h. t. ſeu iure, reſidente in ſua ipſius perſona, non aliena.

(b) *Mandata* eſt exercitium juriſdictionis alienæ, quam quis habet, non ex ſeſe & iure proprio, ſed beneficio alieno.

TH. 3. Is juriſdictionem mandare poteſt, (a) qui eam ſuo jure, non alieno beneficio habet, l. 5. ff. *de juriſd.*

(a) Id eſt, poteſt ſibi vicarium eligere.

TH. 4. Qui juriſdictionem iure ſuo habet, aut omnem, aut ſpeciem eius unam mandare poteſt. l. 16. & l. 17. ff. *de juriſd.*

TH. 5. Qui mandatam juriſdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet, ſed eius, qui mandavit, iuriſdictione utitur, l. 1. §. 1. ff h. t. ideo nudum tantum iuriſdictionis habet exercitium.

TH. 6. Mandatâ iuriſdictione imperium mixtum, quod iuriſdictioni cohæret, tranſit, l. 1. §. 1. l. 5. §. 1. ff. h. t. quia iuriſdictio ſine

modica coërcitione eſt nulla.

TH. 7. Mandatam ſibi iuriſdictionem alteri nemo mandare poteſt. l. 5. pr. h. t.

TH. 8. Si juriſdictionem mandans prius moriatur, quam res ab eo, cui mandata eſt juriſdictio, geri cœperit, mandatum ſolvitur. l. 6. ff. *de juriſd.*

TH. 9. Mandari nequeunt & mandata juriſdictione non transferuntur, quæcumque ſpecialiter (a) lege, vel Scto, vel conſtitutione Principum tribuuntur. l. 1. pr. l. 2. & 3. ff. h. t. ut tutoris datio & merum imperium. l. *ult.* §. 1. h. t. l. 6. *pr.* ff. *de offic. Proconſ.*

(a) Dicitur *ſpecialiter tribui*, quod datur nominatim, & expreſsè, ex ſpeciali aliqua lege certæ cuidam perſonæ, cujus fides & induſtria cenſetur electa. l. un. §. ne autem C. de caduc. toll. ideo id ab ipſa perſona, cui ſpecialiter conceſſum eſt, expediri debet, niſi per juſtam, & neceſſariam abſentiam impediatur. l. 1. verſ. *non aliter*; h. t. *arg.* l. 14. ff. de LL. jure noviſſimo caſus infirmitatis & morbi, *Peinliche halsgerichts Ordnung*. art. 2. ibi *Aus ſchvvach heit des leibes*, contra, quæ jure Magiſtratus competunt, mandari poſſunt. d. l. 1. pr. Nota. Mandare juriſdictionem dicitur Magiſtratus. l. 5. h. t. juriſdictionem verò dare, dicitur Majeſtas.

TH. 10. Quæritur an merum imperium hodie jure Magiſtratus competat? Reſp. negando ſequentes ob rationes; [1] quia illa mandantur, quæ jure Magiſtratus competunt. l. 1. h. t. aſt merum imperium iure Magiſtratus non competit. nam nec Principibus merum imperium iure Magiſtratus competit, nec inferioribus Magiſtratibus ſc. oppidanis, nobilibus vel alijs, *non illis*, tum quod aliàs Principes imperij eſſent Magiſtratus, (quod noſtris temporibus dicere, eſt abſurdum) tum quod jure ſuperioritatis territorialis, quoad ſubjectos ſibi iure proprio & perpetuo ius meri habeant imperij, *non* etiam *his*, quia aliàs omnibus Magiſtratibus inferioribus, competeret gladij poteſtas, quæ enim quis habet jure Magiſtratus, ea communia ſunt omni Magiſtratui; aſt multi ſunt Magiſtratus, qui iuriſdictionem & mixtum imperium (dicitur Germanicè *unter gericht*) habent non a. merum imperium; quidam verò pauciſſimos meri imperij actus habent ex ſpeciali privilegio, ut capturam, &c.

TH. 11. Notanda eſt diſtinctio inter iudicem pedaneum, (a) & judicem à principe datum, ſive legatum. (b)

(a) Hîc in iure civili vocatur datus, vel delegatus, quem Magiſtratus, dat cum formula, *arg.* l. *un.* C. *qui pro ſua iuriſd.* qui non utitur iuriſdictione aliena, ſed notionem ſ. cognitionem nudam tantum habet; unde ab hoc ap-

pellatur ad eum, qui pedaneum iudicem dedit; & hic datur ad certam & peculiarem litem, quod ex formula præſcripta liquet.

(b) Hic iudex ſimilis eſt ei, cui Magiſtratus mandavit iuriſdictionem; quapropter iuriſdictionis & imperij habet uſuram & exercitium. d.l. *un.* l. 5. C. *de iudic.* atque ſic utitur aliena iuriſdictione; hinc ab eo ad mandantem non appellatur, ſed ad ſuperiorem. d.l. 1. *pr.* l. *fin.* ff. *quis & à quo appel.* d.l. *un.* C. *qui pro ſua iuriſd.*

TITVLVS XXII.

De officio Aſſeſſorum.

Iung. t. 51. lib. 1. C. hoc tit.

TH. 1. NON ſolum Magiſtratus olim ius dixerunt, verùm etiam Aſſeſſores, (a) ſive Conſiliarij, quos habuerunt Magiſtratus, (b) jus reddiderunt, qui Magiſtratibus qſ. jus in judicijs ſubminiſtrarunt, & ſuggeſſerunt. (c)

(a) Aſſeſſores ab aſſidendo vocantur, quia iudicibus aſſident, vel aſſiſtunt, conſilium ipſis dantes de his, circa quæ in iudicijs de jure quæritur. l. 4. h.t.

(b) Magiſtratus iudicijs authoritatis cauſa erant præpoſiti, legum, vel iuris parum, aut nihil gnari, qui arma magis, quàm iura norunt.

(c) Hinc ſi malè iudicatum, imprudentia vel culpa non Magiſtratibus, ſed Aſſeſſoribus, qui ob id puniebantur. l. 2. ff. quòd quiſque juris, imputabatur, quia Aſſeſſor ſe juris peritum profitetur, ideo ſcientiam juris præſtare debet, quòd de Magiſtratu non affirmatur.

TH. 2. Aſſeſſorum officium conſiſtebat, [1] *in cognitionibus* cauſarum propoſitarum, quæſtionum & diſceptationum, [2] *in poſtulationibus*, ubi obſervare oportuit, ne quid contra ordinem & edictum de poſtulando fieret. l. 9. §. 4. ff. *de offic. Proconſ.* [3] *in libellis* examinandis, id eſt, ſupplicationibus, libellis oblatis, & libellis actionum, ne quid ineptitudinis aut turpitudinis continerent, [4] *edictis* à Præſidibus de jure dicendo propoſitis, [5] *decretis* concipiendis, quæ pro ſua juriſdictione Magiſtratus ſtatuebat, [6] *epiſtolis*, vel ad Principem de juris quæſtionibus, vel ad alterius provinciæ Magiſtratus, de re incidente, ut teſtium evocatione, remiſſione rei criminis datis.

LIBER SECVNDVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Iuriſdictione.
Iung. tit. 13. *lib.* 3. *C. d. t.*

Th. 1. Expositis Iuriſprudentiæ principijs, officijſque omnium Magiſtratuum deſcriptis, ſequitur nunc eorumdem juriſdictio; quia in omnibus judicijs primo inſtituitur quæſtio de juriſdictione, ſeu de competente iudice, t.t. C. *de juriſdict. & for. comp.* ne videlicet ſi incompetens adeatur, ad nihilum tota recidat actio, t. t. C. *ſi à non compet. jud.*

Th. 2. *Iuriſdictio* (a) eſt notio (b) cauſæ civilis, (c) jure Magiſtratus competens.

(a) Vox iuriſdictionis ſumitur dupliciter, (1) accipitur magis propriè, & quatuor in ſe comprehendit ſignificationes accipitur enim, (1) latiſſimè pro poteſtate ſive reddendi, ſ. conſtituendi iuris, Prætori, & alijs Magiſtratibus conceſſa. §. 3. *Inſt. de act.* (2) latius pro poteſtate ius in cauſa, civili, & criminali reddendi, l. 1 ff. *de offic. eius, cui mand.* l. 3. ff. *de iuriſd.* l. 2. §. 23. ff. de O. I. (3) latè pro poteſtate cognoſcendi, & pronunciandi in cauſis civilibus, l. 99. ff. de V. S. ſive jure Magiſtratus, ſive ex ſpeciali conceſſione competat, quo ſenſu tutelæ datio, dicitur eſſe iuriſdictionis, l. 3. ff. *de poſtul.* (4) ſtrictè, & propriſſimè, pro poteſtate jus in cauſa civili, jure Magiſtratus reddendi. l. 1. ff. *de offic. eius, cui mand.* (2) Impropriè accipitur iterum quinque modis, (1) pro notione pedanei judicis, (2) pro actu ius dicendi, id eſt, pro exercitio iuriſdictionis, l. 1. §. 1. ff. *de offic. eius.* l. 26. §. 6. ff. *ex quib. cauſ. maj.* l. 13. ff. *de L L.* (3) pro fonte iuriſdictionis, id eſt, edicto Prætoris. l. 11. ff. *de in jus voc.* l. 20. ff. *famil. erciſc.* l. 1. C. *ubi in rem act.* l. 13. ff. *ad L. Corn. de ſic.* (4) pro re, de qua jus dicitur. §. 1. *Inſt. de fideicommiſſ. hered* l. 3. §. 1. *de recept.* (5) denique pro certa regione, vel loco, in quo ius dicitur. §. 4. *Inſt. de Attil. tut.* l. *fin.* ff. *de juriſd.*

(b) L. 99. ff. de V. S. notio dicitur hic non nuda, aliàs qui nudam habet notionem, juriſdictionem non habet, l. 5. *pr.* ff. *de re. iud.*

(c) Criminales enim cauſæ huc non pertinent, quia juriſdictio criminalis jure Romano non datur.

(d) d. l. 1. ff. *de offic. eius, cui mand.*

TH. 3. *Cauſa efficiens* iuriſdictionis veteris eſt majeſtas,quæ vel penes optimates,populum,vel Principem. Hinc patet Principem formaliter non habuiſſe juriſdictionem, ſed tantum virtualiter, & effectivè; quia jure veteri nemo juriſdictionem nanciſcebatur,niſi ab ipſo Principe; E. Princeps eam non habet, cum ſibi ipſi hanc poteſtatem concedere nequeat, & (2) ſequeretur Principem eſſe Magiſtratum,quod propriè loquendo contra naturam; illud enim quod eſt ſummum,non poteſt eſſe inferius. Contra *iure noviſsimo*, cum iuriſdictio non ſit adſtricta ad Magiſtratum, rectè dicitur,quod omnis iuriſdictio & radicaliter & formaliter ſit in Principe,& in cæteris tantum per participationem.

TH. 4. *Materia in qua* eſt iuriſdictio ſunt territoria, & Magiſtratus; in territorio ineſt iuriſdictio paſſivè & materialiter, veluti in re inanimata, in magiſtratu verò formaliter & activè, tanquam in ſubjecto animato, quia iuriſdictionem ſolus habet Magiſtratus. *Materia circa quam* verſatur juriſdictio ſunt perſonæ & res. l. 1. 2. & 4. & t. t. ff. h. t. nemo tamen ſibi & ſuis jus dicere poteſt, quoties exceptio ſuſpicionis ei opponitur. l. 10. h. t. ſi verò non recuſetur ab aduerſario, non eſt iniquum,quòd iudicet,cum eum rejicere adverſarius potuiſſet, l. 11. C. *de iudic.* nec ſuperiori,aut ſibi æquali jus dicere poteſt, niſi hi ſponte ſe jus dicenti ſubjecerint. l. 14. ff. h.t. neque de rebus ad ſuam juriſdictionem non pertinentibus. l. 16. l. *fin.* ff. h. t. l. 61. §. *fin.* ff. *de iud.*

TH. 5. *Forma* exercendæ juriſdictionis aut ſolennis eſt in loco editiori, & pro tribunali ſendente magiſtratu. l. *pen.* ff. de I. & I. aut de plano, ſtante pedibus,in plana terra, vel tranſeunte judice. l. 9. §. 1. ff. *de offic. Proconſ.* l. 2. ff. *de ferijs.*

TH. 6. *Finis iuriſdictionis* eſt, ut religio conſervetur. l. 4. C. *de ſum. Trin.* & pax. l. 13. ff. *de offic. Proconſ.* l. 2. & 3. C. *de ped. iud.* finiantur lites, & reddatur cuique ſuum.

TH. 7. *Effectus* juriſdictionis eſt, (1) jus in re, ad modum ſervitutis, quatenus enim quis in alterius territorio juriſdictionem exercet,habetur illa alterius reſpectu pro qſ. ſervitute, (2) remedia pro illo iure competentia ſunt,vel petitoria,ut actio confeſſoria,& negatoria utilis. *arg.* l. 9. §. 2. *de damn. infect.* l. *ult.* ff. *de arbor. cæd.* vel poſſeſſoria, ut utile interdictum, uti poſſidetis, *arg.* l. 1. ff. *uti poſſed.* ff. unde vi, poſſeſſorium ſummarijſſimum.

TH. 8. Iuriſdictio, ſive poteſtas hæc ex munere,publica authoritate delato, non aliâ ſpeciali conceſſione, magiſtratui ſive ordinario, ſive extraordinario competit, (a) exerceturque in eos, qui magiſtratus

territorio

territorio ſunt ſubjecti, (b) & quamvis reus mutet forum, tamen Magiſtratus ei eſt competens, ſi tempore litis conteſtatæ modo talis fuit. l. 19. h. t.

(a) L. 1. *pr.* ff. *de offic. eius.* l. 6. §. 1. *de tutel.*
(b) L. *fin.* h. t. l. 3. ff. *de offic. præf.* l. *ult.* ff. *de off. præf. urb.*

TH. 9. Iuriſdictio alia eſt auguſtior, ſive plenior, alia vulgaris, ſ. gradus inferioris; hæc diviſio inde fluit, quia non omnibus Magiſtratibus æqualis eſt poteſtas; *Majores* enim Magiſtratus imperium & poteſtatem (a) habebant, minores contra ſine imperio & poteſtate erant. l. 32. ff. *de iniur.* l. 26. ff. *ad municip.* l. 1. §. 11. ff. *ad SCt. Turpil.* l. 2. ff. *de in ius voc.* l. 12. §. 1. ff. *de Aedil. edict.* l. 7. §. *ult.* ff. *de offic. Proconſ.*

(a) Per imperium & poteſtatem hic intelligimus auguſtiorem authoritatem, & excellentiorem iubendi poteſtatem, quæ denegatur minoribus Magiſtratibus; habet enim juriſdictio ſuos gradus & in majori magiſtratu eſt excellentior, in minori humilior; hinc, quæ non ſunt cujuſlibet Magiſtratus, dicuntur eſſe magis imperij, quam iuriſdictionis vulgaris, quæ quibuſlibet etiam minoribus Magiſtratibus ineſt. d. l. 26. *ad municip.* l. 12. §. 1. ff. *de iudic.*

TH. 10. Variæ adhuc dantur juriſdictionis diviſiones, (1) alia eſt propria, ſive ordinaria, vel mandata, ſive delegata; (2) alia ordinaria, vel extraordinaria, quæ eſt poteſtas jus reddendi de cauſis, quæ ſpecialiter alicui conceſſæ, *arg.* §. 4. I. *de Attil. Tut.* l. 8. §. 8. *de tranſact.* (3) voluntaria & contentioſa. l. 2. ff. *de offic. Proconſ. Illius* objecta olim erant legis actiones, ut adoptio, emancipatio, manumiſſio; *huius* objecta ſunt lites & controverſiæ. l. 83. §. 1. ff. d. V. O. (4) ſimplex & prorogata, (5) ſimplex & ſine imperio, vel mixta & cum imperio, id eſt, quæ non tantum in iure reddendo conſiſtit, ſed adjunctam ſibi habet coërcendi poteſtatem, quæ in imperando & exſequendo conſiſtit.

TH. 11. Quia iuriſdictio ſæpius in reluctantes & invitos exercetur; ideo aliqua coërcitione eſt opus, ut adverſus refractarios effectum ſortiatur. l. *ult.* ff. *de offic. eius*; quæ coërcitio dicitur mixtum imperium, quod iuriſdictioni eſt ad mixtum.

TH. 12. Mixtum imperium eſt, quod iuriſdictioni cohæret, vel cui juriſdictio ineſt; ſive mixtum imperium eſt poteſtas modicè coërcendi refractarios, cohærens juriſdictioni ad eam tuendam, & ius redditum exſequendum. l. 1. §. f. ff. *de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.*

TH. 13. Vocatur imperium, quia in coërcendo conſiſtit, & iuriſdi-

ctionem defendit: *mixtum* verò, quia penes illum eſt, qui jurisdictionem habet, & propter imperium merum, quod nihil iuriſdictionis continet, nec eſt penes illum, penes quem eſt jurisdictio.

TH. 14. Probè notandum. Iuriſdictio ineſt mixto imperio per modum antecedentis, quia coërcitio in cauſis civilibus præſupponit juriſdictionem, ut antecedens neceſſarium. At mixtum imperium cohæret iuriſdictioni per modum accidentis conſequentis, ita ut per id ſortiatur effectum iuriſdictio, aut cohæret virtualiter, ſicut pars virtualis ſuo toti potentiali, ſive poteſtativo; quoties enim opus eſt, illa virtus ſe exſerit, & præſto eſt tuendæ iuriſdictioni, ne poteſtas ſine coërcitione exiſtens ſit eluſoria.

TH. 15. Ex ſuperioribus patet, quod juriſdictio quidem cum mixto imperio, ratione objecti, conveniat, id eſt, quoad cauſas civiles & perſonas; aſt differat fine, effectu & eſſentia; & ſicuti pacta adjecta differunt à contractibus, quibus adjiciuntur, ita imperium mixtum à iuriſdictione.

TH. 16. Præcipua mixti imperij remedia ſunt tria, (1) mulctæ dictio, (2) pignoris captio, & (3) corporis retentio, ſive prehenſio, l. 9. §. f. ff. *ad L. Iul pecul.* l. 2. ff. *de in ius vocan.*

TH. 17. Quæritur, an iubere, cavere prætoria ſtipulatione, reſtituere in integrum, mittere in poſſeſſionem, & dare bonorum poſſeſſionem ſint iuriſdictionis, an mixti imperij? Reſp. eſſe quidem iuriſdictionis, ſed tamen eius quæ magis in imperando, ac iubendo conſiſtit, quam nudo iure dicendo. l. 4. h. t. l. 26. §. 1. *ad municip.*

TH. 18. Cui iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus (a) iuriſdictio explicari non potuit.

(a) Vt ſunt lictores, viatores, ſententiarum exſecutores, ſine coërcitione enim, imperio, & poteſtate iubendi, mittendi in poſſeſſionem, &c. Iuriſdictio haud commodè, vel planè non exerceri poteſt.

TH. 19. Extra territorium ius dicenti impunè non pareto. l. *ult.* ff *de iuriſd.* E. ſi Rex Hiſpaniæ ſubditum hujus Regis Galliæ in ius vocaret, comparere non tenetur, cum non eſt competens iudex.

TH. 20. Iuriſdictio, quam quis habet, prorogari poteſt à non ſibi ſubjectis, & quidem horum conſenſu. l. 1. ff. *de iudic.* vel expreſſo. l. 18. ff. h. t. vel tacito.

TH. 21. Prorogatio fit quatuor modis, (1) à perſona ad perſonam, d. l. 1. l. 15. *&* 18. h. t. quæ regularis & frequentiſſima eſt prorogatio, (2) fit de re ad rem, ſeu de cauſa ad cauſam. l. 74. §. 1. ff. *de iudic.* l. 28. *ad*

municip. modo ſit de cauſis ejuſdem conditionis,& naturæ,(3) de loco ad locum,intra tamen territorij fines, (4) de tempore ad tempus, l. 2. §. 2. ff. *de iudic.*

TH. 22. Licet privatorum conſenſus non judicem faciat eum, qui nulli præeſt judicio. l. 3. C. *de iuriſd.* juriſdictionem tamen alicui publicè datam prorogare, ſive ex legis promiſſione eum competentem judicem,qui aliàs non erat,facere poteſt. l. 1. C. h. t. l. 18. ff. *eod.*

TH. 23. Quæritur an juriſdictio prorogata pœnitentia finiatur? Reſp. diſting. utrum promiſſione facta de judice adeundo,alioqui non competente,judex ſit aditus,vel non. *Illo caſu* pœnitentia finiri non poteſt,quia res amplius non eſt integra, ob actum iudicialem intervenientem. *Hoc caſu* pœnitentia finiri poteſt hæc prorogata juriſdictio. l. 18. h. t. quamvis ex ſtipulatione actio oriatur ad intereſſe, judicem fuiſſe aditum; at non oritur actio, qua quis præcisè poſſit cogi ad judicem illum adeundum, cum ſubſit tantum obligatio faciendi.

TH. 24. Ad criminales cauſas ſpectat merum (a) imperium, (b) quod eſt gladij poteſtas ad animadvertendum in facinoroſos homines, (c) ſpecialiter lege,vel Scto,vel conſtitutione conceſſa. (d)

(a) *Merum* dicitur,ratione mixti,quod non inſit iuriſdictioni, nec ei cohæret,nec quicquam cum illa commune habet, ſed per ſe ſtat.

(b) *Vox imperij* tribuitur [1] dignitati Magiſtratus, §. 1. *Inſt. de adopt.* [2] poteſtati iubendi, [3] poteſtati coërcendi, l. 3. ff. *de juriſd.* quia imperium eſt poteſtas coërcendi, vocatur Germanicè *Halsgericht.*

(c) L. 3. ff. *de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.* hæc animadverſio, & vindicatio includit,vel præſupponit cognitionem, & ſententiæ pronunciationem ſuper crimine, l. 6. *pr. ff. de offic. Proconſ.* quippe quæ per ſe tendit ad vindicationem, cum in civilibus exſecutione per accidens ſit opus.

(d) Quæ poteſtas dependet ab illo,qui habet jus vitæ & necis, quod eſt penes eum,qui ſummum habet imperium; & quidem initio in Rep. Rom. merum imperium habuerunt, & exercuerunt ipſi Reges, & Magiſtratus ab ijs ad id conſtituti. Exactis Regibus, licet fortè ad Conſules videatur principio delata ſumma poteſtas, mox tamen à populo hæc ijſdem adempta,ſicque populus ipſe ius meri imperij ſibi reſervaſſe videtur,quod deinde etiam Principes ſecuti ſunt; unde merum imperium, ſive exercitium eius non niſi illis competebat,quibus ſpecialiter lege, vel Scto, vel conſtitutione tributa. d. l. 1. *pr. ff. de offic. eius, cui mand.*

TH. 25. Principales vindicandi modi,ſive gradus, quibus delinquentes afficiuntur, ſunt tres, [1] *gradus pœnarum*, quibus vita naturalis adimitur; ſive ultimum ſupplicium irrogatur, e. g. decollatio, vivi crematio,ad beſtias damnatio,damnatio ad crucem, vel furcam, ſub-

merſio, ſtrangulatio, &c. [2] *gradus pœnarum*, quæ morti naturali proximæ, ſuntque iterum duplices, *primò* quibus gravior coërcitio, corpori infligitur, ut quibus membrum corporis mutilatur, oculus eruitur, manus aut digiti abſcinduntur, metalli coërcitio, damnatio in opus publicum, aquæ & ignis interdictio; *ſecundò*, quibus vita civilis adimitur. l. 3. C. *de ſervis fug.* l. 8. & 17. ff. *de pœn.* [3] *gradus pœnarum* eſt, quæ ad exiſtimationis, non verò ad capitis, vel ſtatus periculum pertinent, ut interdictio, relegatio, fuſtigatio (fiebat baculis ligneis) flagellatio (hæc fuſtigatione erat gravior, *arg.* l. 10. ff. *de pœn.*) vinculorum verberatio, id eſt, caſtigatio, quæ fit loris & habenis, item mulctatio, infamia, privatio dignitatis, aut actus alicujus prohibitio, *arg.* l. 8. & 9. ff. *de pœn.* id eſt, ſuſpenſio ab aliquo actu.

TH. 26. *Cauſa efficiens meri imperij* eſt lex, Sctum, vel Princeps illud ſpecialiter concedens. *Subiectum* eius, cui ſc. merum imperium inest, ſunt Præfectus urbi, Proconſul, Præſes, Præfectus Auguſtalis, &c. *Obiectum ſunt homines facinoroſi. Finis proximus* eſt, cognoſcere de delicto, & pronunciare & animadvertere in facinoroſos; propter hunc enim finem merum imperium conceditur. *Finis remotus*, pacatam & quietam reddere Remp.

TH. 27. Ex pœnis Th. 25. explicatis, quædam mixto & mero imperio ſunt communes, e. g. mulcta, incarceratio, ſi iudicio criminali irrogetur pœna ad merum refertur imperium; aſt ſi iuriſdictionis tuendæ cauſa, mixto imperio annumeratur. l. 4. ff. *de interdict. & releg.* ſic etiam pœna infamiæ mixti eſt imperij, quando ex conſequentia ſententiæ in civilibus quis infamis declaratur, ut fit in actionibus tutelæ, &c. §. 1. Inſt. *de pœn. teme. litig.* l. 1. ff. *de his qui not. infam.* contra meri eſt imperij, quando in criminalibus directo aliquis per ſententiam infamis proclamatur.

TH. 28. Qui iuriſdictionem, mixtum & merum imperium habet, pleniſſimam iuriſdictionem habere dicitur. l. 7. ff. *de offic. Proconſul.*

TH. 29. Quibus omnes meri imperij gradus ſunt conceſſi, illi plenum habent merum imperium; quibus verò aliqui tantum, & non omnes meri imperij gradus ſunt conceſſi, minus plenum habent merum imperium, l. 6. §. 8. ff. *de offic. Præſ.* l. 2. §. 1. ff. *de pœn.* l. 6. §. 1. ff. *de interd. & releg.*

TH. 30. Omnes Magiſtratus habent iuriſdictionem & imperium mixtum; aſt non omnes habent imperium merum.

TH. 31. Vox iuriſdictionis ſumitur *hodie tripliciter*, [1] pro ipſa Majeſtate, ſive ſummo imperio, (a) [2] pro illa, quam ſtatus im-

perij rurſus in ſuos ſubditos, per inveſtituram, vel aliam conceſſionem transferunt, (b) [3] pro illa, qua de omnibus cauſis civilibus iudicandi poteſtas Magiſtratui competit. (c)

(a) Iuriſdictio illa eſt *Eccleſiaſtica*, vel *ſecularis*, quia Majeſtas imperij, vel in ſacris, vel profanis conſiſtit, *illa* eſt de iure ſacrorum, & religionis; utraque iterum vel ſumma, abſoluta, independens, vel ſubalterna dependens. *ſumma* eſt abſoluta & perpetua poteſtas regendi, & defendendi Remp. ad imperij utilitatem, ſeu Majeſtas junctim Imperatori & ſtatibus imperij competens; quæ iuriſdictio reſpectu totius imperij, ut una aliqua civitas conſideratur; reſpectu veró particularium, quas imperium Romano Germanicum in ſe comprehendit, Rerumpub, eſt in ſingulis ſtatibus imperij, ratione ſuorum territoriorum, in quibus analogam Majeſtati Imperatoriæ poteſtatem habent; quæ vocatur ſuperioritas territorialis, Germanicè *Landes furſtliche hohe Obrigkeit*.

(b) Hæc iuriſdictio in civilibus, & criminalibus non eſt adminiſtratoria, ſed perpetua, & ad heredes tranſitoria, quæ ipſi territorio, caſtro, ſive feudo cohæret, unde iuriſdictio dividitur, [1] in *realem*, quæ cum re ſive caſtro venit, & *perſonalem*, quæ ſimpliciter oſſibus perſonæ cohæret, ut Rector Academiæ, Camera Imperialis. [2] *in ſuperiorem*, (Germanicè *Ober hals, oder Peinliche gericht*) & inferiorem (Germanicè *Erb-oder nieder gericht*) Carpz. p. 3. *prax. crim.* qu. 109. Hanc iuriſdictionem territorialem habent [1] Electores Eccleſiaſtici, & ſeculares, [2] Principes Eccleſiaſtici, & ſeculares in Imperio, ut Archiepiſcopi & Epiſcopi, & Archiduces, Duces, Principes, Comites. Palatini, Marchiones, Landgravij, Burchgravij, Comites & Barones. [3] Liberæ civitates Imperiales, in quibus iuriſdictio vocatur Germanicè *Landes hohe obrigkeit*, [4] nobiles imperij immediati, ut Sueviæ, Franconiæ, & ſuperioris tractus Rheni; Omnia hæc recenſita membra non habent ſummam, & independentem, ſed ſubalternam iuriſdictionem; & qui huic iuriſdictioni præſunt, provinciaſque regunt, longè differunt ab illis Magiſtratibus maioribus, tempore Iuſtiniani, aliorumque Imperatorum exiſtentibus, ut Proconſule, Præſide, Præfecto Prætorio, Præfecto urbi, Prætore, &c. Quia [1] hi provinciam, vel civitatem alieno, non ſuo nomine, & ad alterius utilitatem & nutum adminiſtrarunt, illi verò proprio iure, non alieno nomine, etiam in propriam utilitatem regunt, [2] *hi* iuriſdictionem tantum adminiſtrationis titulo, iure Magiſtratus, vel ex ſpeciali conceſſione competentem habuerunt; *illi* dominij & realis iuris titulo cum territorio obtinent; [3] hi notionem ſaltem iure Magiſtratus habuerunt, quanquam & merum imperium ex ſpeciali conceſſione; illi verò & regalia, & omnem quarumcumque cauſarum δικαιοδοσίαν & νομοθεσίαν in ſuis provincijs habent.

(c) Obſervandum, quod nec hodie merum imperium Magiſtratui competat iure Magiſtratus, ſed ex ſpeciali conceſſione; unde nec hodie merum imperium, vel iure canonico, vel conſuetudine mandari poteſt, *Peinliche Halsgerichts ordnung.* art. 2. *Zoeſ.* h. t. n. 57.

TH. 32. Propria iuriſdictionis ſunt, [1] eſſe ius incorporale, [2] individuum, puta in ſeſe reſpectu ſubſtantiæ & iuris ; aliàs ratione exercitij ſeu uſus iuriſdictio eſt dividua, e.g. cùm hodie uni aſſignatur una pars territorij, altera alteri, atque ſic quilibet eam certis regionibus exercet; interim tamen penes ſingulos manet iuriſdictio in ſolidum & indiviſa, [3] tranſmiſſibile, quod de hodierna iuriſdictione illa, quæ eſt in patrimonio, eſt intelligendum, de veteri verò non item. *Gail.* 2. *obſ.* 2. c. *per venerabilem. de elect.* quia olim iuriſdictio ad heredes non erat tranſitoria, ſed fuit adminiſtrationis tantum functio, quę cum perſona extinguebatur, [4] perpetuum, quod ſolummodo de patrimoniali iuriſdictione hodie prædicari poteſt. Nota. perpetuum in materia iuriſdictionis dupliciter accipitur, (1) quod durante Magiſtratu, perpetuò durat, ut quod prætor perpetuæ iuriſdictionis cauſa propoſuit, conſtanter, & ordinario tempore ſuæ iuriſdictionis ſeruat, & non mutat, atque ita dicitur ratione intentionis, (2) quod ſine fine ad ſucceſſores tranſit, hoc ſenſu nova iuriſdictio perpetua vocari poteſt, aſt nulla vetus hoc ſenſu talis dicitur. [5] *Iuris publici*, ita appellatur, vel ratione cauſæ efficientis, quia omnis iuriſdictio authoritate Majeſtatis publica conceditur. *arg.* l. 3. C. h. t. l. 57. *in fin.* ff. *de re iud.* vel etiam ratione finis, quia principaliter tendit ad Reip. utilitatem. *arg.* §. *fin.* Inſtit. de I. & I.

TH. 33. Ad iuriſdictionem conſervandam tria quoque pertinent edicta, [1] eſt contra albi (a) corruptores, (b) [2] iuriſdictione abutentes, & [3] contra Magiſtratui non obtemperantes.

(a) *Album* eſt tabula dealbata, in qua Prætor edicta publicè proponere ſolebat, & hæc ex ligno, vel charta, vel alia materia conſtabat. l. 7. ff. h. t.

(b) Corrumpitur album, ſi quid raditur, tollitur, quod in contemptum Magiſtratus præſumitur.

TH. 34. Contra corruptores albi datur actio de albo corrupto, quæ eſt actio prætoria (a) in perſonam, album à Magiſtratu iuriſdictionis perpetuæ cauſa (b) propoſitum, dolo malo corrumpentem, (c) & datur cuilibet de populo, (d) ad pœnam 500. aureorum. (e)

(a) *Prætoria actio* dupliciter vocatur, [1] *ratione introductionis*, inventionis vel originis, quæ ſcilicet cauſam efficientem habet Prætorem, non verò ius civile in ſpecie ſic dictum; id eſt, non legem, plebiſcitum, S ctum, &c. arg. l. 7. § .1. ff. de I. & I. & ita hic actio prætoria ſumitur; [2] *ratione extenſionis*, quando actio per ſe civilis, ex iuriſdictione, ſeu edicto Prætoris ad hunc, vel illum caſum extenditur; neque officit his, l. 1. pr. ff. *commod.* l. 1. §. 1. ff. *depoſ.* ubi actio depoſiti & commodati proponuntur edicto Prætoris ? Reſp.

approbatione actionis non fieri actionem prætoriam propriè dictam; quia Prætor omnes approbat, & ex edicto dat illarum formulam; aliàs omnes actiones eſſent prętorię. Ratio erat, quia ius civile, quód à Majeſtate originem ducit, etiam approbatione poterat actiones ſuas facere; unde actiones civiles dicuntur, non modo introductæ & inventæ à Romanis, ſed & quæ ab iiſdem approbatæ & receptæ; aſt idem non poterat facere Prætor, qui erat nudus Magiſtratus & Majeſtatis vicarius, unde inventione & extenſione tantum faciebat actiones prætorias, non verò approbatione.

(b) L.7. pr. ff. h. t. Iuriſdictionis perpetuæ cauſa propoſitum dicitur, quod ad officium Prætoris ordinariè pertinet.

(c) D. l.7. pr. & §.4. & 5. errorem autem ignorantia & ruſticitas excuſat.

(d) D. l.7. pr. *ibi quod populare eſt.*

(e) D. l. 7. pr. *ibi in eum.*

TH. 35. Actio de albo corrupto eſt directa, vel utilis *illa* datur contra corruptorem albi Prætoris, *hæc* eſt, quæ cuilibet agere volenti datur adverſus corruptorem literarum, edictorum, mandatorum Principum & Magiſtratus.

TITVLVS II.

Quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem iure utatur.

TH. 1. PRIVSQVAM ad iudicij tractationem progredi voluerunt iuris compilatores, æquum illis viſum fuit, hoc edicto iudicem & litigatores admonere, ne vel ille concedere, vel hi petere ius, iudiciumve aliquod iniquum, injuſtumque audeant; cœteroquin cogendos, ut iure, quod in alios ſtatuerint, aut obtinuerint, poſtea quando uſus venerit, utantur, quæ eſt iuſtiſſima impetrandorum, & conſtituendorum iudiciorum regula; quis enim aſpernabitur, idem ius ſibi dici, quod ipſe alijs dixit, vel dici effecit.

TH. 2. Hoc edictum ſecundum duo habet capita, [1] de Magiſtratu, iniquum ius ſtatuente, [2] de parte litigante, ius iniquum impetrante; de primo dicitur, quod iudex legem pati cogatur, quam ipſe tulit, quæ etſi per ſe iniqua ſit, tamen in eo eſt ęqua, qui illam in altero æquam eſſe iudicavit. E. ſi Magiſtratus concedat debitori alicui immunitatem, ne in perpetuum, vel ad tempus conveniatur à credi-

toribus ſuis, aut [2] ſi debitor ipſe talem exceptionem impetraverit, uterque tenetur eodem iure uti, ſi debitores v. c. Magiſtratus contra quos hocce ius antea impetratum, in iudicio conventi id poſtulaverint, vel [3] ſi actor contra reum impetraverit, ut in cauſa civili ipſe iudicio intereſſet, neque per procuratorem comparendi licentiam haberet, reus rectè hoc admittit, ita ne & actor per alterum compareat. [4] Si mercatorum quidam (in fraudem creditorum, vel culpâ bonis lapſus) inducias moratorias contra ſuos creditores impetravit, tunc eiuſdem debitores iiſdem rectè utuntur contra impetrantem. *Carpz.* I. R. S. p. 3. c. 38. d. 1. [5] qui alteri convitium dicenti ſtatim per convitium retorquet, injuriam non committit, quia retorquens iure permittente hoc facit, & licet per convitium reſpondeat, convitium tamen non eſt, cum non animo injuriandi, ſed ſe defendendi facit.

TH. 3. Hoc edictum in æquitate naturali eſt fundatum, ut quod tibi non vis fieri, alteri ne facias & par pari referendum.

TH. 4. Ex hoc edicto datur actio perſonalis (quia eſt ex facto turpi) ei, qui læſus eſt novo iure, id eſt, iniquo, contra eum, qui dolo vel lata culpa (a) ſtatuit, (b) vel impetrat novum ius adverſus alium, ut utatur eodem iure in ſua cauſa. l. 3. §. 4. & 6. h. t.

(a) Vt ſi Aſſeſſores, vel Iudices aliquem contra ius damnarunt; hi enim ſcientiam iuris profitentes ignorare non debent, quę ſciunt omnes eius rei periti, ſicque culpæ reus eſt.

(b) *Statuens* debet eſſe Magiſtratus, iuriſdictionem habens, ſive in urbe, ſive extra illam, ſive ſit maior, ſive minor, l. 1. §. 1. l. 2. & 3. ff. h. t.

TH. 5. Ad hoc edictum referri videtur ius retorſionis, vel talionis quo iura in cauſis civilibus diverſa retorquet altera provincia, vel civitas contra alterius provinciæ, ſive civitatis, diverſo iure utentis incolas, ſive cives, e. g. ſi una provincia hereditates, legata, fideicommiſſa aut donata mortis cauſa abſque detractione in aliam transferri non permittat. Hinc quia (1) in Pomerania nullus advena feudum diſtrahere & pecuniam inde redactam exportare poteſt. E. idem ius in locis, ubi hoc non obtinet, contra Pomeranos retorqueri permittunt Doctores. (2) Si civitas excludat à nundinis alterius civitatis mercatores, hæc rectè & illos arcet à ſuis nundinis.

TITV-

TITULUS III.

Si quis ius dicenti non obtemperaverit.

TH. 1. TERTIUM tandem edictum proponitur, ad jus dicentis, id eſt, Magiſtratus dignitatem & authoritatem pertinens, datur magiſtratuũ adverſus contumaces, ſive non obtemperantes, ut jurisdictionem pœnali judicio defendere poſſit. l. *un.* §. 3. ff. hoc tit.

TH. 2. Ut Magiſtratus judicare æqualiter debet, ita & eius juriſdictioni parere tenentur cives, ni pœna coërceri velint.

TH. 3. Ex hoc edicto datur actio perſonalis (a) prætoria iudici, vel cuilibet è populo, contra eum, qui extremum in juriſdictione (b) non fecit, (c) ad pœnam eo nomine ſolvendam, quanti is æſtimaverit. (d)

(a) Quia eſt ex delicto.

(b) Extremum iuriſdictionis dicitur, quod ultimum, ſeu quo facto iudex ulterius progredi non poteſt, id eſt, exſecutioni obſiſtunt, eamque non patiuntur. l. *un.* §. 1. & 2. h. t.

(c) Ut ſi rem mobilem vindicari à ſe non ſit paſſus, vel ſi pignoris captionem non admiſerit, vel alio modo ſe executioni oppoſuerit.

(d) Qui offenſionem & iuriſdictionis contemptum pro merito æſtimat, reumque ad pœnam æſtimatam condemnat. d. l. *un.* §. 4.

TH. 4. Iudicium hoc meram continet pœnam, (a) neque poſt annum, neque in heredes datur. d. l. *un.* §. 4.

(a) Sive mulctam, quæ non parti petenti, ſed fiſco applicatur ob contemptum Magiſtratus. l. 5. C. *de mod. mulct.* quia eſt iudicium populare.

TH. 5. Non ſolum reus, ſed & petitor, ſi non obtemperaverit hac actione tenetur. d. l. *un.* §. 3.

TH. 6. Si Procurator actoris, vel tutor, vel curator non obtemperavit, ipſe punitur, non dominus. d. l. *un.* §. 2.

TH. 7. Dantur & plures alij tuendæ iuriſdictionis modi, ut (1) captura, arreſtatio, incarceratio perſonæ inobedientis, (2) captura pignorum, (3) denegatio audientiæ, ſive iuriſdictionis. l. 26. §. 4. ff. *ex quibus cauſa major.* (4) miſſio in bonorum poſſeſſionem, l. *conſenta-*

neum. C. quomod. & quand. iud. (5) Sequeſtratio poſſeſſionis, vel fructuum. l. 1. §. *iubet.* ff. *de collat. bonor.* (6) ablatio alicuius rei, donec pareatur, (7) mulctæ impoſitio. l. 2. ff. *ſi quis in ius voc.* (8) damni datio inobedienti illata; (9) manus militaris, qua iuriſdictionem defendere ſolent Magiſtratus, (10) arbitraria & criminalis pœna, qua juriſdictionis violatorem puniunt; uno horum remediorum à judice adhibito, ſi non ſuffecerit, ad aliud redire poteſt.

TITVLVS IV.

De in Ius vocando.
Iung. tit. 2. lib. 2. C.

TH. I. DE Magiſtratibus, eorumque officijs, & quæ ad eos pertinent, hactenus ordine eſt expoſitum, deſcendamus nunc ad in jus vocationem, quæ in omni lite primum, ſive omnium actionum inſtituendarum, atque judicij eſt principium. §. *ult. Inſt. de pœn. temer. litig.*

TH. 2. In jus (a) vocare nihil aliud eſt, quam juris experiundi cauſa, (b) ad eum, qui jus dicturus eſt, vocare.

(a) Vox *iuris* in rubrica, h. t. denotat locum, ubi Prætor cognoſcit, ſive tribunal. arg. l. pen. ff. de I. & I. olim quædam coram Prætore, & in iure fiebant, alia a. in iudicio, coram iudice pedaneo. Hoc diſcrimen iuris & iudicii hodie eſt ſublatum

(b) Non verò alterius rei cauſa.

TH. 3. In jus vocatio olim fiebat privata authoritate, ita ut ipſe, qui acturus erat, adverſario ſibi fortè obviam procedenti denunciaret, ut ſecum veniret in jus, qui vocatus ſi protinus non ſequeretur, nec ſatisdaret iudicio ſiſti, invitus obtorto collo in jus, id eſt, ad Prætorem rapi, vel trahi poterat. *arg.* l. 18. h. t. l. 103. ff. de R. I. l. 5. §. 1. ff. *qui ſatisda. cog.* hæc violenta raptio, ſive ductio ſenſim exſpiravit.

TH. 4. Vocato & deducto reo in jus, ſive ad Magiſtratum pro tribunali ſedentem, & poſt ſummariam cauſæ cognitionem, dato judice, atque lite coram Magiſtratu conteſtatâ, certus dicebatur dies, quo partes litigantes ad cauſæ cognitionem in judicio, ſive à judice dato inſtituendam ſe ſiſterent; quo die veniente, ſolebant voce præconis, qui non apparebant, citari, ut conſtaret, an præſentes eſſent, necne, l. 7. ff. *de reſtit. in integr.* ad quam citationem ſi alter è litigatoribus

non reſponderet, aut ſe non ſiſteret, alter à Prætore edictum poſtulavit, quo abſenti denunciaretur, ut ad diem decimum adeſſet, quod ſi nec ea die compareret, ulterius procedebatur, l. 68. *& ſeqq.* ff. *de iudic.*

Th. 5. In ius vocanti circumſtantias, ut quis, quando, vbi, & quomodo, obſervare convenit; hinc [1] ratione temporis, non poteſt in ius vocare aliquem, dum uxorem ducit, vel funus perſequitur. l. 2. 3. 4. h. t. [2] *loci*, non poteſt quis ex domo ſua extrahi. l. 18. ff. h. t. quia hoc tutiſſimum cuilibet eſt receptaculum. [3] *Ratione perſonæ*, ut primo non vocet Magiſtratus majores. l. 2. h. t. (2) infantes & furioſos. l. 4. *pr.* h. t. Deinde nec eas perſonas vocet ſine iuſſu Prætoris, ſive non impetratâ veniâ, quibus ſingularis, ob beneficium ſingulare, debetur reverentia, l. 4. l. 13. h. t.

Th. 6. Hinc datur actio prætoria ex edicto contra eum, qui tales perſonas in ius vocavit, cum id non impetraſſet, §. 12. *Inſt. de action.* ad ſolvendam pœnam 50. aureorum. l. *pen. & ult.* ff. h. t. vel aliam pœnam, ſi inopiâ laborare agnoſcatur delinquens; ob id dici ſolet, qui non habet in ære, luat in corpore, qui canon in delictis, non verò in contractibus obtinet. d. l. *ult.*

Th. 7. In ius vocatio eſt verbalis, (a) vel realis. (b)

(a) Illa eſt, quæ fit verbo, eſtque privata, vel publica; *privata* eſt *prætoria*, vel *civilis*, illâ ex permiſſu Prætoris ſpeciali vocantur parentes, patronus, patrona, liberi, patroni, patronæ. l. 4. 5. 6. *& ſeqq.* ff. l. 1. 2. 3. C. h. t. *Hac* ſc. civili, cæteri, exceptis, quos in ius vocare non oportet, ex permiſſu l. 12. Tabb. vocantur, Conſulem verò Prætorem, Præfectum urbi, Proconſulem, Præſidem, & cæteros majores Magiſtratus in ius vocare non licet. l. 2. 3. & 4. ff. h. t. *Privata* illa in ius vocatio, ſive citatio fit, cum quis privatim ad domum citatur. *Publica* eſt, quæ fit publicè, aut affixis citationis literis, aut per præconem, aut per campanam, ſive tubam. Huic citationi regulariter non eſt locus; ſed tum demum, ubi ordinaria verbalis, vel etiam realis commodè fieri nequeunt, vocatur extraordinaria, ſive edictalis, per proclama publicum, in trium dominorum territorijs; & iis in caſibus fieri ſolet, [1] ſi iudex non novit, ubi reus degat, vel latitet, aliàs, ſi novit, non publicè, ſed per litteras ſubſidiarias citari debet, *Clem. 1. de iudic.* vel [2] reus impedit citationem ad ſe pervenire, *Nov.* 134. c. 5. [3] vel locus non eſt tutus, [4] vel contradictor incertus, & omnes quorum intereſt, citantur. *Mynſ.* 2. c. 47 E. creditores defuncti, ſi in diverſis locis habitent, & incerti ſint, per edictum & publicum proclama citari poſſunt, ut compareant coram omnium ſuperiori iudice, ad eum effectum, ut creditum ſuum ibi proponant, deque illo doceant, & ſi vocati ad præſtitutum diem non compareant, nec de ſuo credito doceant, ſibi præ-

iudicant, nec heres illis amplius reſpondere eſt obnoxius, ſed ipſis perpetuum imponitur ſilentium; eiuſmodi publica citatio in matrimonialibus quoque fieri ſolet. Nota. Hæc citatio ibi affigi debet, ubi vocatus domicilium habet, aut ubi quam plurimum verſari ſolet, aut unde citationis notitia ad ipſum commodè pervenire poteſt. *Gail.* 1. *obſ.* 54. *&* 57.

(b) *Realis* dicitur apprehenſio perſonæ, C. *ſi clericos. Extr. de ſentent. excomm. in 6. Auth. qua in Provincia. C. ubi de crim.* cum quis injectis manibus rapitur, quod regulariter in criminalibus fit.

TH. 8. Quod olim dictum eſt in ius vocare, id vulgò hodiè ſublato juris, & judicij diſcrimine, *citare* dicitur.

TH. 9. In ius vocatio, ſive citatio, juxta ius hodiernum, eſt actus iudicialis, quo reus iudicis authoritate, petente actore, litis ſuſcipiendæ cauſa in locum iudicij ad diem certum comparere iubetur.

TH. 10. Citatio hodie ſine iuſſu iudicis competentis fieri non debet. l. *ult.* C. *de exhib. reis.* l. 25. C. *de Epiſc. & Cler. C. de illicita cau.* 24. *qu.* 3. quod non ſolum in criminalibus. d. l. *ult.* C. ſed & in civilibus obſervatur.

TH. 11. Citatio ad petitionem partis, & non ſine ea eſt facienda, c. 18. Extr. *de for. comp.* quia iudex regulariter non impertitur officium ſuum, niſi imploratus, l. 4. § 8. ff. *de damn. infect.* puta in cauſa privata, quod etiam in criminalibus procedit, per viam accuſationis inchoatis. *Excipe* [1] cauſas publicas, c. *ſignificaſti de for. comp.* [2] crimina publ. & privata illa, in quibus inquiſitio fit ex nobili officio. *Gaill.* 1. *obſ.* 50.

TH. 12. Citari debet, quem cauſa contingit, *arg. l.* 47. *ff. de re iudic. & l.* 30. *ff. de adopt.* hinc non ſufficit, unum ex conſortibus, vel alterum citari, ſed omnibus in ſpecie citationem inſinuari neceſſe eſt, l. 1. & 2. C. *de conſort. eiuſdem lit.* & quidem initio. Nam, procedente lite, ſolet unus nominari, & cæteri dicuntur, in genere conſortes. Ita & pluribus heredibus exiſtentibus, ſinguli ſpecialiter ſunt citandi, quia inter hos ipſo iure dividuntur obligationes & actiones, l. 5. *& t. t. C. de hered. act.* E. contra illos, qui non ſunt citati, in contumaciam procedi haud poteſt.

TH. 13. Citatio eſt de eſſentia proceſſus, ſeu ordinis iudiciarij, *Gail.* 1. *obſ.* 48. ideo nec in notorijs omitti, nec regulariter Princeps de plenitudine poteſtatis eam præterire poteſt; ſi enim citatio omitti poſſet, tunc & litis conteſtatio, & ſententia quoque, quod abſurdum.

TH. 14 Qr ſi reus ſit præſens, licet non præceſſerit citatio, an reſpondere teneatur? Reſp. neg. *arg.* l. 2. §. 3. ff. *de judic.* l. 27. ff. *de minor. Auth. ſi omnis* C. *ſi min. ab hered.* quia citatio non modo fit ad effectum comparitionis, ſed & præparandæ defenſionis, *Nov* 53. c. 3. unde quoque citatus certum deliberandi habet tempus. *Excipe*, niſi cauſa ſit leviuſcula, ac non opus eſt, ut præceſſerit citatio, ſi nuda præſentia requiratur, & nulla reſponſio; ipſa tamen in præſenti facta à judice denunciatio pro citatione haberi poteſt.

TH. 15. Citatio fit, ut reus compareat (a) in legitimo termino. (b)

(a) Qui eſt finis citationis proximus, clem. paſtor. 2. de ſent. & re judic. *cauſa* v. *efficiens* eſt præceptum judicis.

(b) *Terminus* in citatione præfixus congruus eſſe debet, ut citatus ad locum determinatum intra præſcriptum tempus commodè pervenire poſſit, aliàs ſi nimis brevis apponatur terminus, citatio non valet. l. *aut qui aliter* ff. *quod vi aut clam.*

TH. 16. Citatio eſt ſcripta, vel non ſcripta, *illa* ſcripto conſtat.

TH. 17. Citationem decretam judex ita concipit, ut in ea nomina perſonarum, (a) cauſam, (b) locum, (c) & tempus (d) exprimat.

(a) *Nomen & cognomen* [j] *judicis*, ut citatus cognoſcere poſſit, primò, an à judice competenti ſit citatus, [2] an citatio iuſſu judicis facta, [3] an iudex ſit ordinarius, an v. delegatus, [ij] *Nomen citandi*, ſive Rei, ut cognoſcat citandus, an ſe citatio concernat, (aliàs error in nomine citationem vitiat) & ne actor amplius variare poſſit, & quia contra innominatum in contumaciam procedi nequit, nec contra eum executio dari (iij) *Nomen eius* ſc. *Actoris*, ad cuius petitionem decreta eſt citatio. *Gail.* 1. *obſ.* 50. ut citatus de actore certus eſſe poſſit, & deliberare, utrum cedere, an contendere malit, & ut ſciat citatus citationem ad citantis petitionem eſſe factam.

(b) Ob quam & ad quam quis eſt citatus. E. citatus non ad aliam, quàm nominatam reſpondere tenetur, *Gail.* 1. *obſ.* 51.

(c) Qui conſideratur, utrum, tutus, honeſtus & idoneus. d. *obſ.* 52.

(d) Tempus debet eſſe opportunum & iuſtum, & ut reus ſciat, an dies, quo comparere eſt citatus, ſit feriatus.

TH. 18. Citatio concepta nuncio eſt committenda, ut eam inſinuet, qui iuxta præſcriptum citationem inſinuare, (a) deque inſinuata referre debet. (b)

(a) Perſonaliter, ſi perſona haberi, invenirique poteſt, l. 1. §. *permittitur*, ff. *de liber. agnoſc.* aut ſi id non poteſt, ad domum affigatur citationis ſcriptura, l. 13. §. *qui autem* ff. *de exeuſ. tut.* l. 39. §. *nupta* ff. *de adulter.*

(b) Cuius relationi creditur, (ſi forſan reus negaverit, ſe eſſe citatum

&c.) quia de geſtu proprio, ſc. citationis executione, ad quam publica autoritate cum iuramento fuit conſtitutus, teſtimonium perhibet.

TH. 19. *Citatio non ſcripta* fit ſine ſcripto, verbis ore prolatis, eiuſmodi citationes raro frequentantur, niſi in judicijs inferioribus, ubi ſummariè agitur.

TH. 20. Citatio eſt peremptoria, vel non peremptoria.

TH. 21. Citatio peremptoria eſt, quæ perimit diſceptationem, h. e. ultra non patitur adverſarium tergiverſari.

TH. 22. Citatione peremptoria (a) judex comminatur, ſe etiam abſente diverſa parte cogniturum & pronunciaturum, l. 71. ff. *de iudic.*

(a) *Peremptoria* dicitur, quæ vel [1] tribus diſtinctis ſimplicibus fit citationibus, l. 68 *& ſeqq.* ff. *de iudic.* l. 8. *&* 9. C. *quomod. & quando*, vel [2] in qua ſimul tres diſtincti termini per certa temporis intervalla ſunt aſſignati, vel [3] in qua unicus terminus tantundem temporis, quantum aliàs tres ſimplices continens præfixus, additâ voce peremptoriè, aut certa comminatione, l. 35. §. 1. ff. *de re iud* ut terminus eſt 10 dierum, E. 30. dies tres terminos, ſive dilatorias citationes totidem continent. *Nov.* 112. c. 3. l. 68. *& ſeqq.* ff. *de iudic.*

Th. 23. Citatio non peremptoria talem comminationem non continet.

TH. 24. Effectus citationis ſunt, [1] quod inducat præventionem, l. *ult.* C. h. t. l. 19. ff. *de iuriſd.* c. *pen. de for. comp.* e. g. quando eiuſdem rei, & perſonæ juriſdictio penes judices plures eſt, ſeu juriſdictio concurrens, & alter prius aditus, atque cœpit cognoſcere, [2] quod interrumpat præſcriptionem omnem, puta longiſſimi temporis, & 10. vel 20. annorum, l. 1. *&* 2. C. *de præſcript. long. temp.* & triennij, l. 2. *in fin. C. de ann. except.*

TH. 25. Qr an per litis conteſtationem, an v. per citationem perpetuentur actiones, quæ aliàs tempore perituræ eſſent? Reſp. affirm. membrum poſterius, quod ſc. per litis conteſtationem jure civili & canonico perpetuentur, l. 1. §. 1. C. *de annal. except.* l. 16. ff. *de offic. Præſid. arg.* c. 20. *de offic. & pot. deleg.* c. 2. *ut lit. pendent.* in litem n. actiones deductæ, & poſtea ſilentio traditæ ad 40. annos perpetuantur, ex quo noviſſimum litigatores tacuerunt. l. *fin. in fin.* C. *de præſcript. 30. annor.* l. 1. §. 2. *in fin.* C. *de annal. except.*

TH. 25. Vltimò qr. an vaſſallus poſſit dominum ſine venia in jus vocare? Reſp. diſting. inter ius vetus & novum; *iure veteri* non potuit, *arg.* l. 13. h. t. 2. *feud.* 22. argumento à liberto ad vaſſallum, ſi n. ille non poteſt ſine venia patronum in jus vocare. E. nec hic, quia in

hoc tertio conveniunt, quod vterque, ille patrono, hic domino feudi reverentiam debeat. *iure novo* poteſt, quia citatio omnis fit autoritate Magiſtratus, *arg.* l. f. C. *de exhib. reis*, Ordin. Camer. p. 1. t. 32. & quia hodie veniæ impetratio ab uſu receſſit; modeſtè tamen & reverenter citationem adhuc impetrandam ipſum jus naturæ dictitat, *Carpz.* p. 1. c. 2. *def.* 26.

TH. 28. Quatuor ſunt iudicij civilis præparatoria, [1] in ius vocatio, [2] editio actionis, [3] Advocati, & [4] Procuratoris conſtitutio.

TITVLVS V.

Si quis in ius vocatus non iverit, ſive quis eum vocaverit, quam ex edicto non debuerit.

TH. 1. VT a. vocationi in ius ſua conſtet vis & autoritas, prodita ſunt aliquot à Prætoribus edicta, quibus ſub comminatione mulctæ neceſſitas parendi vocato imponitur; hinc vocatus in jus vel ire debet, vel ſatisdare, vel etiam invitus rapi poterat, aut mulcta coërceri, l. 2. §. 1. ff. h. t. niſi eſſet perſona edicto excepta. t. præced.

TH. 2. Edicta hæc à Prætore propoſita, tanquam remedia in jus vocationem adjuvantia ſex hîc ſequentia proponuntur, [1] *edictum* ſ. *remedium* h. t. exponitur, unde actio ex edicto.

TH. 3. Hæc actio eſt perſonalis, (a) in jus vocanti, (b) contra vocatum contumacem (c) ad mulctam, vel etiam intereſſe (d) data.

(a) l. 2. *in fin.* ff. h. t.

(b) *Arg. rubr.* h. t. & l. 2. in f. ff. h. t. hoc edictum loquitur tantum de privato in ius vocante, non v. de Magiſtratu, de quo tit. præced.

(c) Hic eſt, qui in ius legitimè vocatus non venit, l. 2. §. 1. h. t.

(d) d. l. 2. §. h. t. Si id conventum actio erit ex ſtipulatione, ſin minus, erit condictio certi.

TH. 4. Qr ſi iudex incompetens, an in jus vocatus comparere teneatur? Reſp. diſting. aut notoria eſt incompetentia judicis, & impunè non paretur, l. *fin.* ff. *de juriſd.* aut dubitari poteſt, an juriſdictio in vocatum ſit fundata, nec ne; hoc caſu comparere debet. l. 5. ff. *de iudic.* ut judex cognoſcat, an ſua ſit iuriſdictio. l. 2. *pr.* ff. h. t.

TITVLVS VI.

In jus vocati ut eant, aut ſatis vel cautum dent.

TH. I. E*Dictum ſive remedium prætoris ſecundum*, h. t. proponitur. In jus vocatus non abſoluta quadam neceſſitate vocantem ſequi tenetur, nulla audita excuſatione, ſi n. vocatus ſequi noluerit, potuit evitare & mulctam, & raptionem ad judicem, ſatisdando.

TH. 2. Ex hoc edicto eſt actio in factum prætoria (a) contra eum, qui neceſſaria perſona (b) vocatâ, quali quali fidejuſſore, ab illa perſona neceſſaria dato non fuit contentus, ad pœnam 50. aureorum competens. (c)

(a) Quia eſt ex prætoris edicto. l. 1. ff. h. t.

(b) Quæ eſt patronus, pater vel cæteri neceſſitudine iuncti.

(c) Tenetur n. qualicunque fidejuſſore, tali in caſu eſſe contentus, l. 2. §. 2. ff. *qui ſatiſd. cog.* ſicut vocans neceſſarias perſonas, ijſdem in jus vocando debet reverentiam, & veniam petere, l. 13. ff. *de in jus voc.* ita & cum ijſdem, ſatiſdare volentibus, mitius agere, & qualemcunque fidejuſſorem admittere debet.

TH. 3. Magiſtratus, niſi per conſequentiam nullum hic intereſſe verſatur, ſed potius intereſt vocantis, qui ob actionem, quam habet, vocavit.

TITVLVS VII.

Ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat.

TH. I. E*Dictum hoc* 3. *Prætor* ideo propoſuit, ut metu pœnæ compeſceret eos, qui in ius vocatos vi eripiunt; ex quo edicto datur actio, ne quis eum &c. quæ eſt actio in perſonam in factum (a) Prætoria (b) pœnalis (c) ei, qui legitimè (d) vocavit, adverſarium in jus, (e) adverſus eum, qui vi (f) eximit, (g) ut ſolvat, quanti ea res eſt (h) data.

(a) l. 5. §. 3. h. t. quæ actio datur ſaltem ob factum, & in reſpectum eximentis, l. 5. §. 1. *pr.* h. *t. perſonalis* eſt, quia eſt ex delicto.

(b) Quia eſt ex prætoris edicto, l. 1. *pr.* l. 3. §. 2. l. 4 §. 2. ff. h. t.

(c) l. 1.

(c) l. 1. *pr.* l. *ult.* ff. h. t.

(d) Et ipſius heredibus, quia pœnales actiones regulariter dantur heredibus, excepta iniuriarum actione, vel huic ſimili, §. 1. I. *de perpet. & temp. act.* aſt non aliter datur hæc actio heredibus, niſi ipſorum interſit, e. g. ſi dies interea exiverit, aut res, ad quam perſequendam defuncto jus competebat, ſit perempta. l. 4. pr. h. t.

(e) Non v. in judicium ad iudicem Pedaneum, quia hic tit. tantum pertinet ad eum, qui in jus ad Prætorem, non a. qui ad judicem in judicium vocatum vi exemit. l. 3. §. 1. ff. h. t. l. 5. §. 1. h. t.

(f) l. 1. *pr.* ff. h. t.

(g) Plures ſi exemerint, ſinguli tenentur, quia omnes deliquerunt, adeoque pœna ab uno præſtita, non liberat alios, qui eam nondum ſolverunt, l. 5. §. 2. h. t.

(h) Pœna hic non æſtimatur ſecundum jus actoris, id eſt, ſecundum id, quod actori debetur, ſed iuxta id, quod actor in judicio petit. l. 5. §. 1. h. t. ubi damnum ex delicto datum ab actore æſtimatur, & facta à judice taxatione, ſacramento aſſeritur, quia ſemper opus eſt juramento, ubi ab ipſa parte res venit æſtimanda. *Nov.* 82. c. 10.

TH. 2. Qr. an, qui capitis damnatum vinculis eximit, crimen læſæ Majeſtatis committat? Reſp. diſting. inter ſummum Principem, & inferiorem, illo caſu affirm. quia ſummi Principis inde violatur Maieſtas & iuriſdictio. *arg.* l. 8. ff. *de cuſtod. reor.* hoc caſu neg. quia hic pœna arbitraria eximentes afficiuntur.

TH. 3. Differentia huius tituli, & tit. 10. ſeq. In hoc titulo 7. requiritur vis, in t. 10. ſufficit dolus, prior conſulit actori, poſterior a. reo; in priori juratur in litem etiam ultra verum intereſſe, in poſteriori habetur tantum ratio intereſſe.

TITVLVS VIII.

Qui ſatiſdare cogantur, vel jurato promittant, vel ſuæ promiſſioni committantur.

TH. 1. IN ius vocatus ſi vocantem ſtatim ſequi nolit, verum cavere malit, dimittendus eſt; cautio hic, quomodo fieri ſoleat, eſt obſervanda.

TH. 2. Non omnes uno modo cavent; alij ſatiſdare coguntur, alij iurato tantum promittunt, alij nudæ ſuæ promiſſioni relinquuntur.

TH. 3. Cum hæc materia cautionis latè pateat, perque vniverſum jus ſit diffuſa, ideo [1] paucis de ea in genere, & [2] in ſpecie de iu-

dicio ſiſti cautione, quæ ſola ad hunc titulum ſpectat, dicemus.

TH. 4. *Cautio* in genere accepta eſt ſatisfactio, (a) per quam creditorem, vel adverſarium ſecurum reddimus.

(a) Vox ſatisfactionis latius ſumitur cautione, quia & pro ſolutione eſt. l. 176. ff. de V. S. E. cautio & ſatisfactio differunt, ut ſpecies & genus.

TH. 5. *Quartum edictum*, ſ. remedium prætorium eſt ſatiſdatio (a) judicio ſiſti.

(a) Satiſdatio tripliciter accipitur, [1] *ſtrictè*, denotans eam tantum cautionem, quæ fit fideiuſſoribus, l. 1. ff. h. t. [2] *latè* cautionem, quæ fit, vel fidejuſſoribus, vel pignoribus, l. 49. ff. *de ſolut.* l. 21. § f. ff. *de conſtit. pec.* l. 21. *de iudic.* l. 14. *depoſ.* *latius* v. quæ non tantum fideiuſſoribus, & pignoribus, ſed quæ nuda etiam promiſſione fit, l 61. ff. de V. S. & hic ſumitur in prima ſignificatione.

TH. 6. Satiſdatio iudicio ſiſti eſt cautio idonea, (a) quam in ius vocatus (b) de ſe, in eadem judicij accipiendi cauſa ſiſtet, (c) datis fideiuſſoribus (d) præſtat.

(a) l. 1. ff. h. t. l. 4. §. 8. ff. *de fideicom. lib.* l. 188. §. 1. ff. de V. S. l. 1. §. 9. ff. *de collat.*

(b) Talis eſt, qui nec immobilia poſſidet, *arg.* l. 15. ff. h. t. nec illuſtris, ſpectabilisve eſt, *arg.* l. *fin.* C. *de dignit.* viri n. illuſtres & ſpectabiles iuratoriam cautionem præſtant, quando bona immobilia in loco iudicij non habent. l. *quoties* C. *de dignit.* quod tamen hodiè praxis non obſervat, ſed fideiuſſores dare tenentur. Cæterùm ob paupertatem & neceſſitatem ad iuratoriam cautionem admittuntur, qui vitæ integritate conſpicui, & probæ exiſtimationis, nec de fuga ſuſpecti. quapropter ita iurare illos oportet, ſe pignora non habere, nec fideiuſſores, ſummâ licet diligentiâ adhibitâ, reperire potuiſſe. *auth. generaliter* C. *de Epiſc. & Cler. Nov.* 112. c. 2. *Nov.* 134. c. 9.

(c) l. 1. & 2. ff. h. t.

(d) Locupletibus & promittentibus. d. l. 2.

TH. 7. Fidejuſſor locuples, & idoneus æſtimatur ex facultatibus, (a) & facilitate conveniendi. (b)

(a) Id eſt, ut in facultatibus ſatis habeat pro magnitudine rei, quam actor reſtituendam petit.

(b) Facilitas conveniendi principaliter intelligitur *ratione fori* eiuſdem, cui fideiuſſor cum actore, ſeu creditore communiter ſit ſubjectus, ne aliàs præſcriptione fori, eiuſdem cauſam faciat difficiliorem, *arg.* l. 7. h. t. aut *ratione* perſonæ, quæ exceptione alia aliqua munita ſit, ut mulier l. 8. h. t. minus *principaliter*, & ſecundariò ratione alterius qualitatis in fideiuſſore, e. g. quia eſt potentior, vel litigioſus, à quo ius ſuum actor non minus, ac à ſuperioribus difficile conſequi poſſit.

TH. 8. Cauſa efficiens ſatisdationis propriè & acccuratè loquendo, non eſt Prætor, ſed lex, S⁊tum,aut aliud vim legis habens, l. 2. ff. *de uſufr. ear. rer.* l. 5. ff. *de hered. pet.* ut ſtatutum, conſuetudo, quamvis Prætor hanc det actionem, aſt non introducit, quia hic in genere de ſatiſdatione agit. aliud n. eſt dare actionem, aliud introducere, e. g. dat Prætor actiones, quando civiles actiones edictis ſuis explicat, & approbat. Introducere a. eſt noviter formare; ita introducta eſt jure civili ſatiſdatio, & Prætor ſatiſdationum jus applicavit ad judicia, & approbavit arg. l. 33. §. 3. ff. *de procurat.*

TH. 9. *Materia circa quam* verſatur ſatiſdatio, eſt dies iudicij ſtatus, Materia, in qua conſtituitur ſatiſdatio, ſunt propriè fideiuſſores. d. l. 1.

TH. 10. *Forma* olim erat, ut de die ponenda, aſſignandave, qua in judicio ſtetur, inter litigatores conveniat, & ſtipulatione interpoſita, vadimonium de ſiſtendo ea die, cum à litigatore convento, tum à fidejuſſoribus promittatur. *iure noviſſimo*, qui à judice litis cauſa citatur, debet initio ſatiſdare, ſe uſque ad finem in lite permanſurum. *Auth. libellum*, *Auth. quod fieri* C. *de lit. conteſt.*

TH. 11. *Finis* eſt, ut actorem hoc nomine ſecurum faciamus, datis fideiuſſoribus. circa fideiuſſorum qualitates diſtinguitur inter perſonas, cum quibus agitur, aut n. illæ ſunt *neceſſariæ*, & tunc ſufficiunt fidejuſſores etiam non locupletes l. 2. §. 1. l. 4. h. t. aut *extraneæ*, quo caſu dandi ſunt fideiuſſores, ſecundum qualitatem rei, & admittendi idonei. l. 5. §. 1. h. t.

TH. 12. Effectus, qui ſatiſdationem offert, non poteſt violenter in jus trahi, ſ. rapi. d. l. 5. §. 1. item quod procurator, qui ſatiſdedit, fit loco domini. l. 76. ff. *de procurat.*

TH. 13. Cautio eſt vel neceſſaria, (a) vel voluntaria. (b)

(a) Quæ à lege vel Magiſtratu imponitur, ut de ſiſtendo, de qua h. t. agitur, & [2] de *non offendendo*, quæ iterum quadruplex; [1] quæ datur *à re rei* t. t. ff. *de damn. infect.* [2] quæ à *re perſonæ*. l. *qui bona* §. *quidam* ff. *ibid.* [3] quæ à *perſona rei*, ut ſi quis metuat, ne alter poſſeſſionem rei ſuæ violenter invadat. l. *ſi ſuper poſſeſſione* C. *de tranſact.* [4] quando *perſona perſonæ* cavet, quæ in ſpecie cautio de non offendendo vocari ſolet. huius requiſita ſunt ſeqq. [1] ut quis metuat injuſtam & violentam offenſionem, [2] ut alter ſit talis, qui minas exſequi ſolet, hæc duo ſi adſint, cautio de non offend. legitimè poſtulari poteſt, & offendens in carcere tamdiu detineri poteſt, donec caveat, vel per fideiuſſores, vel per pignora, *arg.* l. 4. ff. *ſi cui plus quam per L. Falcid. Peinl. Halsg. Ord.* art. 176. ad juratoriam verò cautionem, niſi volente adverſa parte, non admittitur. *Gail.* 1. de PP. c. 2.

(b) Quæ ex conventione debetur, hæc contractibus apponi ſolet. l. 10. ff. *rem. rat. hab.*

TH. 14. Qr. an unus fideiuſſor & in civilibus & criminalibus ſufficiat, an plures requirantur? Reſp. unus ſufficit, ſi modo locuples & idoneus, l. 2. 3. 4. 5. §. 1. h. t. quia leges non videntur ad fideiuſſorum numerum, ſed ad cavendi modum reſpexiſſe, [2] quia in criminalibus ſponſio non fit in alium finem, quam ut, ſi reus ſe non ſiſtat, vel etiam iudicatum (pœnam ſc. pecuniariam) non ſolvat, fideiuſſores eam pendant, qui finis in uno locuplete fidejuſſore obtineri poteſt.

TITVLVS IX.

Si ex noxali cauſa agatur, quemadmodum caveatur.

TH. I. HACTENVS expoſuimus, quomodo caveatur in judicio civili, dicendum reſtat, quomodo in noxali, in quo aliquid ſpeciale eſt, quia noxa caput ſequitur.

TH. 2. Ex dictis patet diſtinctio cautionis de iudicio ſiſti, quæ fit vel de libero homine, vel de ſervo, de illo ſuperius, de hoc hîc agitur, quando dominus ob delictum ſervi convenitur actione noxali, ut ſervum dedat noxæ, aut ſatiſdet, ſ. promittat, ſe ſervum, in eadem cauſa, in qua tum eſt, cum iudicium accipitur, ſiſtiturum, ne iudicium reddatur eluſorium. l. 1. ff. h. t.

TH. 3. In eadem cauſa ſervum ſiſtit, qui ius actoris ad experiendum non facit deterius, l. 1. §. 1. ff. h. t. quod fit, quando nihil commoditatis aut facilitatis in ſervo mutat; ne in potentiorem aut eum, qui in foro promiſſoris conveniri non poteſt, alienet.

TITVLVS X.

De eo, per quem factum eſt, quo minus quis in iudicio ſiſtat.

TH. I. EFFECTVS ſatiſdationum hic eſt, ut ſive per alium, ſive culpa promittentis in iudicio ſtatum non ſit, pœna conſequatur. Vnde *Edictum* ſ. *remedium* 5. ex quo eſt *actio prætoria* (a) in factum, (b) data Actori, (c) vel reo (d) adverſus eum, qui dolo malo (e) impedivit, quo minus quis in iudicio ſe ſiſtat, (f) ad id, quanti

interfuit, reum fuiſſe ſtatum. (g)

(a) Prætor enim æquiſſimum putavit eiuſmodi dolum coërceri. l. 1. h. t.

(b) L. 2. pr. ff. h. t.

(c) Regulariter hæc actio actori competit.

(d) L. 3. §. 2. h. t. ſi ſc. reus à tertio ſit impeditus, ſi verò ab ipſo actore ſit impeditus, & poſtea ab eodem conventus, exceptionem ex hoc edicto opponere poteſt.

(e) Feciſſe dolo malo non tantum is putatur, qui ſuis manibus, vel per ſuos detinuit, ſed qui alios quoque rogavit, ut eum detinerent, vel abducerent, ne iudicio ſiſtat. Dolum & hic committit, qui venienti ad iudicium aliquid denunciat triſte, e. g. mortem filij, propter quam alter ad judicium venire non poteſt. l. 1. §. 1. h. t.

(f) L. 3. pr. ff. h. t.

(g) D. l. 3. pr.

TH. 2. Si plures dolo fecerint, omnes quidem tenentur, ſed ſi unus præſtiterit pœnam, cæteri liberabuntur, cum amplius nihil interſit. l. 2. contra aliter ſe res habet in edicto, quo vi eximunt in ius vocatum, ibi pœna eſt durior, quia in ſingulos ſolida eſt conſtituta, propter præbitam ſeditioni, concurſionibuſque materiam, & ius publicum violatum. t. 7. præced.

TH. 3. Actio hæc perſonalis Prætoria, quamvis ex delicto deſcendat, tamen eſt rei perſecutoria, & non pœnalis, quia datur ſaltem, quanti intereſt. l. 1. §. 4. l. 3. pr. h. t. notandum quod *actiones perſecutoriæ* aliæ ſint ex conventione, ut pleræque. §. 16. I. *de act.* aliæ ex delicto, quo refertur h. t. propoſita, qua agens perſequitur, quod ſibi abeſt. contra in *actione pœnali* non petimus id, quod nobis ex patrimonio abeſt.

TH. 4. Hæc actio datur heredi contra heredes eatenus, ne ex dolo defuncti lucrentur. d. l. 1. §. *fin.* aſt non datur ultra annum. d. l. 1. §. 7. quia eſt pœnalis, l. 1. in fin. ff. h. t.

TH. 5. Qui in ius vocavit, vocato ſe non ſiſtente, plures habet actiones, (1) contra reum, (2) contra eius fidejuſſores actionem ex ſtipulatu, ut t. ſequ. patebit, & (3) contra impedientem habet ex hoc edicto actionem. Quo tamen caſu, ſi is, per quem factum erit, non fuerit ſolvendo, actio reſtituitur in ipſum reum, quod æquum eſt, ne quis lucretur per dolum alterius, in adverſarij ſui detrimentum. l. fin. §. 1. ff. h. t. vel etiamſi reus nihil inde lucratus ſit. l. 1. §. 4. ff. h. t. quod fit in pœnam.

TITVLVS XI.

Si quis cautionibus, in judicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperaverit.

TH. I. TANDEM ubi ipſe reus vadimonium ſponte, & de induſtria deſerit,& iudicio ſe non ſiſtit,tunc tenetur ipſe,tum eius fidejuſſores in id,quod intereſt, l. *ult ff. ſi quis in ius vocat. non ierit.* & quidem vel certa quantitas ſtipulationi, ſeu cautioni, quæ per ſtipulationem fit, eſt adjecta,vel non eſt adjecta; *priori caſu*, ſi fuit adjecta pœna,& reus non ſteterit,omnino pręſtanda eſt,ſive tanti actoris revera, ſive pluris, minoriſve interfuerit. Poſteriori caſu ſtipulatio committitur in id, quod intereſt. d. l. fin.

TH. 2. In h.t. Edictum ſive remedium 6. unde hæc actio ex ſtipulatu proponitur,quæ eſt ut diximus,actio in perſonam,ei competens,qui ſtipulatus eſt iudicio ſiſti (a) adverſus reum,vel fidejuſſorem,vadimonium ex non juſta cauſa deſerentem, (b) ad certum, vel id quod intereſt actoris. l. 4. §. fin. h. t.

(a) L. 9. l. 10. §. 2. ff. h. t.

(b) Id eſt, qui ad conſtitutum diem ad iudicium non venit. *arg.* l. 5. §. 1. h. t. (vadimonium dicitur à vadibus, id eſt, fidejuſſoribus, quibus iudicio ſiſti ſatiſdabatur.) E. non ante vadimonium quis deſeruiſſe dicitur, quam dies præfixus fuerit lapſus. l. 1. ff. h. t.

TH. 3. Vadimonium deſertum non habetur, ſi iuſta vadimonij deſerti cauſa adſit. l. 19. ff. *de probat.* quæ probari debet, quia impedimentum eſt facti; quare non præſumitur.

TH. 4. Iuſta autem non veniendi cauſa, vel (1) à *parte Iudicis*, vel (2) *actoris*, vel (3) Rei, vel (4) ratione *cauſæ*, vel (5) *loci*, vel (6) *temporis* intervenit.

TH. 5. [1] *A parte iudicis* eſt, vel incompetentia, *arg. l. fin. ff. de iuriſd.* vel 2. abſentia, qua operam litigatoribus non dedit.

TH. 6. *A parte actoris*, primò eiuſdem abſentia, *arg.* l. 3. ff. *de eo per quem factum eſt.* (2) dolus ab actore commiſſus propter quem Reus ſe ſiſtere non potuit,iuſta datur Reo non veniendi cauſa. E. ſi ab actore poſtea conveniatur ex ſtipulatu, ei opponere poteſt ex edicto exceptionem, t. t. ff. *de eo per quem factum eſt, quo minus quis ſe in iud. ſiſt.*

TH. 7. [3] *A parte Rei* (1) ruſticitas, (a) 2. munus publicum, vel neceſſarium, vel abſentia Reip. cauſa, (b) 3. valetudo, (c) 4. incluſio & detentio Rei à Magiſtratu facta, (d) 5. tempeſtas, vis fluminis, (e) 6. captivitas ex delicto, vel hoſtium, (f) 7. funus, (g) 8. mora procuratoris, vel advocati, defectus obligationis. (h)

(a) L. 2. §. 1. ff. *ſi quis in ius voc. non ier.*
(b) Vt legatio. l. 2. §. 1. & 2. ff. l. 6. h. t.
(c) Ob morbum ſonticum etiam conjugis & liberorum. l. 2. §. 3. §. 4. & 5. h. t.
(d) d. l. 2. §. fin. l. 4. pr. §. 1. ff. h. t.
(e) Tempeſtas, ſive maritima, ſive terreſtris, ſi modo talis, vt impedimento ſit itineri, vel navigationi. d. l. 2. §. 6.
(f) L. 4. §. 3. ff. h. t.
(g) d. l. 4. §. 2. h. t.
(h) L. 4. §. 5. ff. h. t.

TH. 8. [4] *Ratione cauſæ* excuſatur, e. g. ſi negotium ſolutione, vel tranſactione finitum, l. 2. pr. ff. h. t. vel res interijt ſine dolo & culpa, l. 10. ff. h. t.

TH. 9. [5] *Ratione temporis* excuſatur, ſi dies, ad quem quis citatur, eſt feriatus. t. t. ff. *de ferijs.*

TH. 10. [6] *Ratione loci* excuſatur, ſi periculum loci non tuti, vel inhoneſti, vel non commodi adeſt.

TH. 11. Cauſis his non omnibus, ſed certis renunciari poteſt. l. 4. §. 4. h. t. quia non valet generalis conventio, quod nulla exceptione quis uti velit.

TH. 12. De Præparatorijs iudicij civilis, in fin. t. *de in ius vocando diximus*; De præparatorijs iudicij criminalis dicetur ad t. ff. *de accuſat.* & t. ff. *de cuſtod. & exhib. reor.*

TH. 13. *Iudicij* verò *civilis impedimenta* ſunt ſeqq. (1) feriæ, (2) dilationes, (3) actio nondum edita, (4) pactum, (5) tranſactio, (6) remotio à poſtulando, (7) procuratoris, vel defenſoris defectus, (8) reſtitutio in integrum, (9) arbitrij receptio, (10) fori incompetentis, (11) iudicis ſuſpecti exceptio, (12) alia exceptio dilatoria, (13) contumacia.

TITVLVS XII.

De Ferijs & dilationibus, & diverſis temporibus. Iung. t. 12. de ferijs, & 11. de dilationibus. lib. 3. C.

TH. 1. AD tituli præcedentis exceptiones referuntur & feriæ, ſi inciderint, nec tunc ſtipulatio de judicio ſiſti committitur. Hinc primùm *impedimentum*.

TH. 2. Feriæ (a) ſunt dies, (b) quibus jus non dicitur, nec Magiſtratus ſui poteſtatem facit, (c) ſive ſunt dies feriati, quibus ex præſcripto legum litigantibus ius dici non debet.

(a) Ita dicuntur à feriendis hoſtijs, id eſt, mactandis victimis, quia his diebus litari ſolet.

(b) A iudicialibus actibus vacui. l. 2. 6. & 9. ff. h. t.

(c) L. 5. ff. h. t. notandum, feriæ ſumuntur, vel ſtrictè pro diebus feſtis, ſive ad cultum divinum deſtinatis, vel latè, ut etiam comprehendant ferias humanas. l. 2. C. h. t. ut dies iudicialibus actibus vacui. l. 9. ff. *de ferijs*, quibus opponuntur dies iuridici. l. 6. C. *eod.*

TH. 3. Hinc feriæ dividuntur in divinas, (a) & humanas. (b)

(a) Quæ cultui divino ſunt deſtinatæ.

(b) Quæ propter utilitatem, & occupationem hominum ſtatutæ, ut propter agriculturam, putà dies meſſium & vindemiarum. l. 1. h. t. l. 2. & 4. C. *eod.* hæ feriæ proſunt omnibus, licet fortè ipſi in fructibus colligendis non ſint occupati. *Carpz. p. 1. c. 3. def. 22.*

TH. 4. Divinæ feriæ dividuntur in ordinarias, (a) & extraordinarias. (b)

(a) Vt ſunt dies Dominicus. l. 2. 7. 11. C. h. t. & feſta ſolemnia, vt feſtum Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Chriſti. l. 6. & 7. C. *eod.* quibus annumerantur etiam feſta, in memoriam Apoſtolorum ad cultum divinum inſtituta.

(b) Quibus Deus ob beneficium aliquod noviter exhibitum colitur, quo ſpectat celebratio natalis Principis, item anni Iubilæi, feriæ ob res proſperè geſtas indictæ, quas repentinas vocant. l. 3. C. *de dilat.* ut dies gratiarum actionum, inaugurationum, adventus nuptiarum Principis, ut & eiuſdem funeris, item feriæ ob hoſtilitatem, ſeditionem, luem publicam inſtitutæ, &c.

TH. 5.

TH. 5. Feſta (ſive feriæ divinæ) ſunt immobilia, (a) vel mobilia. (b)

(a) *Illa* eundem ſemper menſis diem conſtanter ſervant, ut feſtum Nativitatis Chriſti, quod ſemper in 25. Decembris, & feſtum Annunciationis Mariæ, quod in 25. Martij incidit.

(b) *Hæc* ſunt, quæ eundem menſis diem continuò non ſervant, & non rarò diverſis annis aliquot ſeptimanis prævertunt; ut feſtum Paſchatis, quod fundamentum omnium feſtorum mobilium.

TH. 6. *Feriæ humanæ* ſunt, quæ hominum cauſa, vel ob ſingularem memoriam, (a) vel utilitatem (b) ſunt inſtitutæ.

(a) Vt dies natales Principis, Romæ, tam veteris, quàm novæ Conſtantinopolis, l. 7. C. h. t. anni jubilæi Academiarum, &c.

(b) Vel *agriculturæ*, ut meſſis & vindemiarum. l. 1. h. t. *illi* incipiunt de jure civili, ab 8. Kal. Iulij, (id eſt, 24. Iunij) & durant uſque ad Kal. Aug. id eſt, 1. Auguſti. *hi* incipiunt à 10. Kal. Septemb. id eſt, 23. Auguſto, uſque ad Idus Octobris, id eſt, 15. Octob. l. 2. C. h. t. niſi loci conſuetudo aliud efflagitet. l. 4. h. t. In Camera dies nefaſti ſunt tantum ab 8. Iulij, uſque ad 14. Auguſti. part. 3. O. C. t. 33. §. *Von achten*, vel *mercaturæ*, ut ſunt nundinæ. l. *un.* C. *de nund.* propriè ſic dictæ, quæ authoritate & iuſſu Principis exercentur, quales ſunt Francofurtenſes, Lipſienſes, Norinbergenſes.

TH. 7. *Cauſa efficiens* feriarum eſt Majeſtas, quia ab alio, niſi ſummo & abſoluto Principe inſtitui non poſſunt. l. 4. C. h. t. E. Magiſtratus majores non poſſunt inſtituere ferias, ſed conſtitutas tantum ordinare, determinare, & dare, id eſt, certo tempore habendas indicere. l. 7. *pr ff. de offic. Proconſ.*

TH. 8. *Materia circa quam* feriæ verſantur, ſunt omnes actus publici & privati. l. 8. C. h. t. ſcil. contentioſæ juriſdictionis, quæ enim ſunt voluntariæ juriſdictionis, etiam in ferijs rectè expediuntur, imò & quidam actus civiles alij poſſunt fieri diebus feriatis, ex cauſa pietatis, charitatis, & neceſſitatis, quæ expediri, nec differri Reip. intereſt, ut [1] *inveſtigatio latronum*, l. pen. C. eod. ob id hodie in criminibus gravioribus diebus feſtis ſæpè captivi ducuntur, atque intra Quadrageſima torquentur, & puniuntur ſcelerati, quia non poteſt pinguior victima mactari Deo, quam ſceleratus homo; extra tamen hunc caſum diebus feriatis in criminalibus procedere non licet. l. 6. C. h. t. *arg.* l. 6. ff. h. t. quia illud tempus q. ſ. pœnitentiæ, non etiam ſupplicijs eorum eſt dedicatum. Item [2] cuſtodia ac diſciplina militaris, vigiliæ. l. pen. ff. h. t. & [3] quæ ad ipſarum feriarum tuitionem. t. 3. h. t. aut annonam pu-

blicam.l.5.C.*eod.* qua carere nullo die poſſumus, pertinent. In his, & ſimilibus feriarum non habetur ratio.

TH. 9. *Forma* & tempora colendarum feriarum ſunt præſcripta.l.2. 7.l.*fin.* C.*eod.*

TH. 10. Finis ſolennium feriarum eſt, ut multitudo à curis prophanis feriata cultui divino det operam. l. 7. l. *fin.* C. *eod.* iuxta præceptum Decalogi, memento diem Sabbathi ſanctifices.

TH. 11. *Finis humanarum feriarum*, ut [1] agricolæ litibus vacui colligendis tempeſtivè fructibus vacare poſſint. l.1. & 2. ff.h.t. l.3.C.*eod.* quanquam non modo agricolis, ſed omnibus, & Doctoribus, & ſtudioſis in genere, ut ruſticis proſint; ſicut namque diſpoſitiones legum ſunt generales. l. 3. C. *de LL.* ita & beneficia legibus propoſita generatim omnibus accommodantur, adque omnes pertinent, [2] ut publicum gaudium, luctuſque publico juſtitio celebretur.

TH. 12. Effectus feriarum, quod in ijs, nec à judice. l.1. h. t. nec ab arbitro. l. 6. *in fin.* C.*eod.* jus dici, aut citatio fieri, aut ſolutio debitorum publicorum exigi poſſit. l. 7. *in fin.* C. h.t. hinc parte alterutra ad citationem non comparente, actus à judice tempore feriarum factus eſt ipſo iure nullus. d. l. 8. *in fin* l. 6. h. t.

TH. 13. Quæritur, an privati ferijs renuntiare, ijſque non attentis litigare poſſint? Reſp. diſting. inter ferias cultui divino dicatas, & ad utilitatem privatorum; illis renuntiare nequeunt, *arg.* l.7. C. h.t. c. *fin.* Extr.*eod.* ut diei Sabbathi, ſeu Dominico, Natalitijs Chriſti, &c. Idem ſtatuendum de ferijs ſolennibus & repentinis publicæ utilitatis cauſa inſtitutis. c.1. Extr. h. t. aſt *neceſſarijs vindemiarum*, ſc. & *meſſium* renunciare poſſunt. l.1. §.1. h.t. quod fit vel expreſſè, vel tacitè, illo caſu ſi ita conveniant litigantes. l. 6. h. t. poſteriori caſu, ſi non allegatur exceptio feriarum. *arg.* l.1. h. t. allegata enim exceptione, omne quod jure decernitur, nullum eſt etiam citra appellationem. d.l. 1. §.1 h.t.

TH. 14. Quæritur, ſi diverſæ religionis homines inter ſe litigent; an utriuſque feriæ ſint obſervandæ? Reſp. affirm. ſi enim actor & reus diverſis religionibus, in imperio Rom. tamen permiſſis ſint addicti, unde diverſitas feriarum dependet, utriuſque ferias periculo conſcientiæ, & præiudicio religionis eſſe ſervandas, nec profanandas, ſtatuitur. l. 13. C. *de iudic.*

TH. 15. *Impedimentum ſecundum* eſt *dilatio*, quæ eſt aſſignatio certi diei, vel termini, quo cauſam tractari oportet, iuſto temporis intervallo facta. Sive eſt rei agendæ in alium diem, vel terminum rejectio.

TH. 16. Dilatio eſt peremptoria, vel non peremptoria. *Peremptoria*

lapſa diſceptationem perimit,ſive tollit, neque ultra patitur adverſarium tergiverſari. l. 70. ff. *de iudic.* Hæc dilatio ſemel tantum datur. *Non peremptoria*, quæ diſceptationem non perimit, ſed tantum profert; & tales in civilibus tres conceduntur. l. 68. & ſeqq. intellige ante litem conteſtatam; poſt eam verò vna tantum conceditur.

TH. 17. Dilatio eſt triplex, [1] legalis, [2] conventionalis, & [3] judicialis.

TH. 18. *Dilatio legalis* eſt, quæ datur à lege [a] ipsâ, invito quoque iudice [b] qualis dilatio eſt decendium ad appellandum. *Auth.* C. *de appellat.* [2] induciæ 20. dierum, poſt oblatum libellum, reo competentes. *Nov.* 53. c. 1. *Auth. offeratur*, C. *de lit. conteſt.* quæ hodie arbitrariæ, [3] dilatio litis conteſtandæ intra duos menſes actori, *Nov.* 96. c. 1. quæ & hodie in foro variat. [4] annalis dilatio actori competens tribus edictis ante litem conteſtatam vocato, antequam ob eius contumaciam lis pro conteſtata habeatur, *Nov.* 112. c. 3. §. 1. & 2. l. 8. & *Auth. ſeq.* C. *quomod. & quand.* [5] dilatio annalis, quæ reo tribuitur, actore ante litem conteſtatam in eius bonorum poſſeſſionem, ex primo iudicis decreto, miſſo, antequam ex ſecundo decreto civilis poſſeſſio decerni poſſit. *c. fin.* §. *in alijs*, *ut lit. non conteſt.* [6] dilatio probatoria. l. 1. & l. *fin.* C. *de dilat.* quę hodie arbitraria in Camera Imperij, in alijs iudicijs plerumque eſt 6. ſeptimanarum.

TH. 19. *Dilatio conventionalis* eſt, quæ ex conventione partium deſcendit. l. 8. ff. *qui ſatiſd. cog.*

TH. 20. Dilatio judicialis eſt, quam Iudex causâ cognitâ (a) concedit.

(a) Hæc cauſæ cognitio, citata adverſa parte, ad dilationis dationem fieri ſolet; ſine cauſæ veró cognitione dilatio non conceditur, quia dilationibus promoventur lites, quas maturè expediri intereſt. *arg. Auth. offeratur*, C. *de lit. conteſt.* l. 2. C. *de temp. appell.*

TH. 21. Iudicialem dilationem Iudex ad petitionem partis concedit. c. 62. Extr. *de appell.* l. 4. C. h. t.

TH. 22. Dilatio poſt litem conteſtatam in cauſa civili & pecuniaria ſemel, in criminalibus bis actori, (a) & ter reo (b) conceditur.

(a) Quia in criminalibus intereſſe Reip. verſatur, ut delicta detegantur, & delinquentes puniantur.

(b) Hoc fit ob cauſæ gravitatem, ne reus innocens puniatur. Excipitur adulterium, in quo nullæ dilationes concedendæ. l. 41. ff. *ad L. Iul. de adult.* partim favore matrimonij, partim odio adulterorum, partim ob criminis qualitatem, quod cum occultè fiat, teſtes aut non, aut vix admittit.

TH.23. *Cauſa efficiens* dilationis, hæc datur, vel à lege. l.1. & 4. ff *de re jud.* l. 4. C. *de uſur. rei iud.* vel à judice, c. cum ſit Romana Extr de appell. vel partium conventione, c. *Paſtoralis*, 27. § *cum autem de offic. deleg.* l.8. ff. *qui ſatiſd. cog.* interdum etiam conſuetudine, aut ſtatuto, ut in Saxonia, Germanicè *die Sachiſche friſt.* dilationes ex bono & æquo, tam actori, quàm reo conceduntur, quamvis reo, qui ſe præparare non potuit, plenius conſulatur. l. *fin.* ff. h. t. longioreſque ac crebriores termini concedantur.

TH. 24. *Materia* circa quam ſunt cauſæ, tam civiles, quàm criminales, l. *fin.* h. t. etiamſi crimen ſit notorium.

TH. 25. *Forma* dandæ dilationis eſt, ut detur parte citata, cum quadam ſummaria cauſæ cognitione. d. l. 4. C. h. t.

TH 26. *Cauſa finalis* eſt, ut litigatores idoneum habeant ſpatium, quo ſe ad iudicium præparare & inſtruere poſſint.

TH. 27. Effectus eſt, quod dilatio [1] excuſet à pœna & mora, [2] interim quieſcat judicis officium, nec vel ipſe, vel pars adverſa procedere poſſit ad ulteriora, aut lite ita pendente quicquam innovare. l. 3. C. h. t. [3] quod terminus datus uni proſit, & alteri parti, e. g. ſi reus petat menſem ad probandum, hic & actori prodeſt, [4] quod non computetur à die ſcriptionis, ſeu datarum, ſed à die receptionis literarum, *von zeit der* inſinuation.

TH. 28. In dilatione, ſive termini aſſignatione Iudex ſimul quid in termino agi oporteat, exprimere debet, ut litigatores ſe interim ad id præparare poſſint. c. 2. Extr. *de dilat.*

TITVLVS XIII.

De edendo.

Iung. t. 1. lib. 2. C. eod.

TH. 1. IN præcedenti titulo duo impedimenta, quibus quis ſe iudicio ſiſtere non cogitur, explicata ſunt. Subnectitur hic tertium impedimentum quæ eſt actio non edita, quamvis illa materialiter conſiderata prior fuerit ipſa in ius vocatione veteri; ſecus tamen eſt in editione ordinaria per libellum, quia actionem non prius actor reo edere tenebatur, quam in ius ventum eſt: quod ex antiquitate patet, ubi ſecundùm ius vetus vocans in ius vocato dicere ſolebat ambula mecum in ius; Quid me vocas? Illic dicam apud Prætorem.

TH. 2. Hinc vocato ad judicium reo, ſuique copiam faciente, proximum eſt, ut actor actionem ſuam, libello comprehenſam offerat. *auth. offeratur.* C. *de lit. conteſt.* & edat. l. 1. h. t. ut deliberare reus poſſit, cedere, an contendere velit, etſi contendendum putet, veniat inſtructus cognitâ actione, qua conveniatur. l. 1. h. t.

TH. 3. *Editio* (a) *actionis* iure novo (non veteri) id eſt, *Iuſtinianea* eſt, qua libellus Iudici (b) competenti & parti adverſæ, (c) in cauſa civili & criminali (d) offertur.

(a) Edere eſt proferre id, unde adverſarius ſibi notitiam compareт eius, quod à ſe ipſo ſcire non poteſt, ad litem tamen ſcire opus eſt. Eduntur a. libellus, inſtrumenta, rationes.

(b) c. 1. *Extr. de lib. offer.*

(c) *Auth. offeratur.* C. *de lit. cont.* l. 1. pr. ff. h. t.

(d) l. 3. ff. *de accuſat.*

TH. 4. Libellus (a) eſt ſcriptura actionem, (b) vel accuſationem (c) continens, & iudicem competentem, ac adverſarium de futuræ litis ſpecie inſtituens. (d)

(a) Eſt diminutivum à libro, unde charta olim conficiebatur, & *in genere* omnem ſcripturam denotat. l. 1. pr. ff. de tab. exhib. l. 6. C *de præd. min.* figuratè materia pro re, quâ ea continetur, ſumpta, (2) *propriè* ſignificat ſcripturam, actionem continentem. d. l. 3. *de accuſ.*

(b) d. *auth. offeratur* C. c. *fin.* de *libel. off.*

(c) d. l. 3. ff. *de accuſat.*

(d) l. 3. C. h. t. l. 1. ff. *ibid.*

TH. 5. Libellus eſt truncus arboris judiciariæ (id eſt, fundamentum judicij) Sicut n. truncus rigat totam arborem, ita libellus rigat totum proceſſum, ad eum referuntur omnes actus, unde & probationum articuli ad libelli formam ſunt accommodandi, ſententia quoque iuxta eum ferenda. l. *fin.* C. *de fideicom. libert.* E ſi libellus omittatur, totus vitiatur proceſſus & declaratur nullus.

TH. 6. Libellus formatur ad inſtar ſyllogiſmi; nam cauſa petendi ponitur loco maioris; narratio facti loco minoris. In concluſione tandem inſtituitur petitio; attamen non opus eſt, ut ſemper illæ tres propoſitiones ponantur, quia interdum Enthymetate libellus proponitur, id eſt, ſyllogiſmo imperfecto in quo maior propoſitio, ſeu iuſta petendi caſa omittitur.

TH. 7. Libellus debet eſſe rotundus, ſibi omni ex parte conveniens, dilucidus, aptus, concludens, (a) E. non debet eſſe ineptus, (b) obſcurus, (c) incertus, (d) generalis, (e) nec alternativus, (f) talis denti-

bus eſt lacerandus, nec admittendus.

(a) qui n. non concludit ineptus eſt, & meritò rejicitur.

(b) Vt ſi quis contra poſſeſſorem velit ex contractu agere, quoties n cauſa inepta exprimitur, intentio quoque & concluſio erit inepta.

(c) Cum non intelligi poſſit, quod petitur, ideo Iudex ſententiam libello conformem ferre non poteſt. *Gail.* 1. *obſ.* 62.

(d) *Incertus* eſt, in quo nihil certi petitur aut concluditur, admittitur tamen, [1] ſi incertitudo veniat ex parte objecti, ut in obligatione alternativa, generali, & obligatione faciendi, l. 1. §. 4. ff. *quod legat.* (2) ſi iuſta fuerit actoris ignorantia. l. 76. §. 1. ff. de R. V. §. 33. I. *de act.*

(e) Quia generalitas obſcuritatem & incertitudinem inducit: admittitur tamen libellus generalis in ſeqq. (1) *in iudicijs univerſalibus* & hereditatis petitione, item dotis petitione. *arg.* l. 1. ff. de R. V. quia eſt rerum univerſitas, l. 1. §. 4. ff. *de dot. præleg.* (2) *in judicijs* generalibus, e. g. tutelæ, pro ſocio, de peculio.

(f) *Excipe*, (1) ſi ex obligatione alternativa agatur, §. 33. *Inſt. de act.* (2) in materia, l. 2. C. *de reſcind. vend.* quia iuxta d. l. 2. emptor aut pretium ſupplere, aut rem venditam reddere tenetur.

TH. 8. Qr. an actor, ſi in edendo libello erraverit, libellum mutare queat? Reſp. diſting. vel error eſt in accidentalibus, vel in ſubſtantialibus; *ſi in illis*, emendatio libelli conceditur uſque ad ſententiam, atque ſic eo uſque obſcuritatem & incertitudinem corrigere poteſt. l. 66. *de iudic.* l. 46. ff. *de re iudic.* *Sin in his* ſc. ſubſtantialibus, e. g. circa rem petitam & cauſam petendi, tunc mutatio tantum uſque ad litis conteſtationem permittitur, tali in caſu hodie novo opus eſt judicio. *Carpz.* p. 1. c. 11. *def.* 9.

TH. 9. *Cauſa efficiens* eſt lex, quæ libellum judici competenti & parti adverſæ offerre diſponit; judici ideo, quia huius officium ſuper petitione imploratur. l. 1. C. *auth. offeratur* C. *de lit. conteſt.*

TH. 10. *Materia*, in omnibus cauſis offerendus eſt libellus, de quibus conſtituitur judicium, & inter duos lis eſt, tam in civilibus, quam criminalibus. d. l. 3. *de accuſ.* tam petitorijs. l. 6. ff. de R. V. quàm poſſeſſorijs, aſt non ſemper in cauſis ſummarijs, in his n. qualiſcunque petitio etiam ſine ſcriptura ſufficit.

TH. 11. Forma libelli th. 6. jam eſt expoſita; quinque tamen continere debet libellus, quis, quid, coram quo, quo jure petatur & à quo. præcipua tamen libelli forma in concluſione conſiſtit.

TH. 12. *Finis* eſt, ut agentis deſiderium proponat, l. 1. ff. de poſtul. Iudicem & adverſarium de ſpecie futuræ litis inſtruat, l. 1. ff. & l. 3. C. *eod.* & ſit fundamentum judicij.

TH. 13. Libellus alius eſt ſummarius, ſeu ſimplex, (a) alius articulatus. (b)

(a) Qui non eſt diſtinctus articulis, ſed per verbum *verum* germanicè *vvahr* formatur.

(b) Qui articulis eſt diſtinctus.

TH. 14. Libellus [1] alius eſt conventionalis, alius reconventionalis, [2] alius eſt principalis & primæ inſtantiæ, alius appellatorius, qui in ſecunda inſtantia producitur.

TITVLVS XVI.

De Pactis.

Iung. t. 3. lib. 2. C.

TH. 1. AD quartum nunc deſcendimus iudicij civilis impedimentum, quia non rarò accidere ſolet, ut lis per in ius vocationem cœpta, per pacta & tranſactiones ſopiatur. l. 2. pr. ff. *ſi quis caution. in jud.* atque ſic, ſi actor poſtea agere velit, ei exceptio pacti & tranſactionis objici poteſt.

TH. 2. Pactum (a) in genere eſt duorum, vel plurium in idem placitum, (b) de dando & faciendo conſenſus ſ. conventio.

(a) *Pactum* ſumitur [1] generaliter pro quavis de negotio civili conventione, quo ſenſu in ſe & contractus continet, l. 1. §. 2. & 3. l. 27. §. 2. ff. h. t. l. 3. ff. *de pollicit.* l. 8. & 15. ff. *de* P. V. l. 61. *pro ſocio.* l. 6. C. *de jur. dot.* l. 20. C. h. t. l. 72. ff. *de contrah. empt.* §. *ult. Inſt. de ſervit. præd.* [2] ſpecialiter accipitur pro illa conventionis ſpecie, quæ contractui apponitur. l. 6. & l. 7. §. 1. h. t. l. 10. & 13. C. *eod.* l. 1. C. *de pact. conv.*

(b) *Per placitum* hic intelligimus non philoſophicum, ubi duo diſputantes habita diſputatione in unam conſonantiam abeunt, inque unum placitum conſentiunt, ſed iuridicum, quod ad agendum obligat, ratione ſubjectæ materiæ.

TH. 3. Pactum hoc eſt expreſſum, (a) vel tacitum. (b)

(a) Quod expreſſo contrahentium conſenſu conſtat.

(b) Quod tacito contrahentium conſenſu ſ. voluntate elicitur, e. g. (1) res invectæ & illatæ in prædium conductum urbanum tacitè pro mercede pignori ſunt obligatæ. l. 4. ff. h. t. l. 2. 4. 6. 7. §. 1. *fin. quibus cauſ. pign.* l. 32. ff. *de pign.* & hypoth. quod etiam ad ſuppellectilem ſtudioſorum librariam extenditur, *arg.* l. 7. §. 1. ff. *in quib. cauſ. tac. pign.* (2) fructus, qui in

prædio ruſtico naſcuntur, tacitè ſunt pignori, d. l. 7. §. 1. Aſt in prædium ruſticum illata tacitè non oppignorantur; in illis n. expreſſa requiritur conventio. l. 4. *ex quib. cauſ pign.* l. 5. C. *eod.* [3] qui in futurum uſuras à debitore accepit, tacitè pactus videtur, ne intra id tempus ſortem petat. l. 57. h. t.

TH. 4. Pactum eſt publicum, (a) vel privatum. (b)

(a) *Publicum* variè dicitur, [1] *ratione cauſæ efficientis*, ſic pactum publicum eſt, quod à publica perſona fit, v. c. à Principe, Magiſtratu. Privatum contra, quod privati, ſubditi puta ineunt, [2] *reſpectu objecti* publicum eſt, quod de republica fit, e. g. pactum Paſſavienſe, inſtrumentum pacis, receſſus imperij, pactum de legibus, de regimine &c. quæ propriè pacta ſunt publica, quia panguntur [1] à perſonis publicis, [2] de re publica, [3] propter utilitatem publicam, [4] *intuitu finis* publicum pactum eſt, quod pacis cauſa fit, ut inſtrumentum pacis. l. 5. ff. h. t.

(b) Quod propter privatam utilitatem à perſona privata fit. hinc regulæ, [1] Privatorum conventio juri publico, id eſt, legi publicæ non derogat, l. 45. ff. de R. I. [2] neque ex prætorio, neque ſolenni jure, privatorum conventione quicquam immutandum eſt. l. 27. ff. de R. I.

TH. 5. Pactum aliud eſt nudum, aliud non nudum, ſ. veſtitum, l. 15. ff. P. V. non illud, ſed hoc obligat civiliter.

TH. 6. *Pactum nudum* (a) eſt, quod in nudo placiti fine conſiſtit, & obligationem non parit, ſive quod ſtat in puris terminis conventionis, nullo legis auxilio iuvatur, ſc. producendæ obligationis.

(a) *Pactum nudum* 5. modis accipitur, (1) quod eſt ſolius offerentis promiſſio, l. 34. ff. *mand.* quatenus ea eſt ſine acceptione, (2) quod abſque ſtipulatione factum, ut in l. 12. & 30. ff. *de uſur.* (3) quod ſine traditione, vel ſtipulatione ſumit effectum, l. 45. ff. h. t. l. 20. C. *de pact.* l. 1. ff. *de pign. act.* (4) quod nec nomen, nec cauſam habet, quo ſenſu pactū legitimum & pactum adjectum vocantur pacta legitima. (5) uti hic definitur quod quoque nec nomen, nec cauſam habet, unde jure civili non datur obligatio, jure tamen naturali datur, quia ius naturale diſtinctionem contractuum nominatorum & innominatorum, & inter pacta nuda & veſtita jure poſitivo inductam ignoret.

TH. 7. Vt ut præceptum juris naturæ ſit, quicquid firmiter promiſiſti, ſerves, modus tamen firmiter promittendi non ex ipſis iuris naturæ principijs ſimpliciter dependet, ſed quodammodo hominum arbitrariæ determinationi eſt ſubjectus. Determinatio verò arbitrariorum fit, [1] ſecundum communem omnibus hominibus inditam rationem, per jus gentium, quo jure iuxta ipſam juris naturæ regulam

regulam, omnes conventiones à ſcientibus & volentibus liberè initæ firmiter obligant, vel [2] iuxta proprium huius, vel illius Reip. uſum per ius civile, quod præter æquitatem reſpicit quoque utilitatem civitatis ac civium, arg. l. 6. ff. de I. & I. Cum itaque Legiſlatores Romani exiſtimaverint, quod cives facilè labi, ac varia dubia, ac lites oriri poſſent, ſi non certo ſtatuto modo conventionibus, qualibet promiſſiones firmam obligandi vim haberent; ſtatuto v. modo, ex iſto ſervato de vera mente, certa voluntate, & conſenſu contrahentium melius atque certius conſtare poſſet. Ideo placuit, ut jure civili Romano, in Rep. Romana non omnes conventiones efficaciter obligarent, ſed illæ ſolum, quæ nudi pacti terminos certa ratione excederent, quas Interpretes pacta veſtita nominant, l. 6. & 7. ff. h. t. Inde patet, quod Romani obligationem naturalem non ſuſtulerint, ſed ei in foro ſuo ſaltem non adſtiterunt. Iure canonico & moribus ad ſimplicitatem juris gentium deventum eſt, ita ut etiam ex pacto nudo, de re certa, animo obligandi, à ſciente & volente inito, detur actio. c. 1. *&* 3. Extr. h. t. *Carpz.* p. 2. c. 19. *def.* 17.

TH. 8 Pactum non nudum, ſ. veſtitum eſt triplex, [1] pactum legitimum, [2] contractus, vel [3] pactum contractui in continenti adjectum, l. 6. & 7. pr. *&* § 1. *& ſeqq.* ff. h. t. Notandum hîc, quod pactum dupliciter dicatur veſtitum, [1] *intrinſecè*, ex ſe & ſua natura, [2] *extrinſecè*, & ex accidenti. *Priori caſu* veſtitur, vel *nomine*, quod habet, vel *cauſa*, arg. l. 7. §. 1. h. t. e. g. [1] *contractus nominati*, d. l. 7. §. 1. ſive jure gentium, ſive jure civili hoc veſtimentum, id eſt, nomen acceperint, ſive conſenſu, re, verbis aut literis perficiantur, [2] contractus innominati, quia ex æquitate ſynnallagmatos, ſeu *cauſæ* interventu obligationem producunt. d. l. 7. §. 2. l. 5. §. 1. *& ſeqq.* ff. *de* P. V. *Poſteriori caſu* ſc. *extrinſecè* veſtitur pactum, quod adminiculum extrinſecum aſſumit, *arg.* l. *fin.* C. *de pact. inter empt.* quod iterum eſt duplex, [1] *aſſiſtentia legis*, puta ſpecialis, ſive civilis, ſive prætoriæ, quæ adminiculatur pacto ad producendam obligationem, & actionem, l. 6. h. t. unde hoc pactum à veſtimento ſuo dicitur legitimum, [2] *cohærentia contractus*, hinc dicitur pactum adjectum, d. l. 7. §. 5. h. t.

TH. 9. *Pactum legitimum* eſt, quod lege aliqua ſpecialiter confirmatur, (a) ita ut ex eo actio naſcatur, vel tollatur. (b)

(a) Vbi lex conventioni nudæ adſiſtit, eique efficaciam civilis obligationis tribuit.

(b) Vnde liquet *pactum legitimum* dividi in obligatorium & liberatorium.

TH. 10. *Obligatorium pactum* eſt legitimum in ſpecie dictum, (a) ſive prætorium. (b)

(a) Illud lege civili, aut SCto, aut conſtitutione confirmatur; eiuſmodi ſunt duo, (1) pactum donationis, l. 35. §. 5. C. *de donation.* & (2) pactum dotis. l. 6. *de dot. promiſ.*

(b) Hoc edicto Prætoris confirmatur, ut (1) pactum hypothecæ l. 1. ff. *de pign. act.* l. 17. §. 2. ff. h. t. (2) pactum conſtituti, ſ. de conſtituta pecunia. l. 1. ff. *de conſt. pecun.*

TH. 11. Pactum legitimum liberatorium eſt, quo obligatio tollitur. l. 27. §. 6. ff. h. t. ut acceptilatio.

TH. 12. Qr. an contractus inter pacta legitima referantur? Reſp. negand. quia illa conventio, quæ habet nomen vel cauſam, non dicitur pactum in ſpecie, ſed contractus, l. 7. §. 2. & 3. h. t. [2] differunt forma, quæ in contractibus eſt nomen, vel cauſa, in hiſce pactis eſt ſola legis aſſiſtentia. d. l. 6. & 7. §. 1. h.t. [3] quia τὸ legitimum prædicatur tantum de pacto in ſpecie ſic dicto, quod ob ſolam legis aſſiſtentiam, quam à lege accipit, producit obligationem, & paſſim hæc pacta contractibus opponuntur. d. l. 6.

TH. 13. Contractus (a) eſt conventio, (b) quæ ex ſe, & ſuâ naturâ producit obligationem ad agendum efficacem.

(a) *Vox contractus* accipitur 3. modis, [1] *latiſſimè*, & minus propriè, pro quolibet facto, unde obligatio deſcendit, & ſic quoque delicta continet, l. 20. ff. *de iudic.* l. 7. C. *de his quæ vi metuſv. cauſ.* l. 1. ff. *de LL.* imò, & qſ. contractus, & pacta legitima competitur, l. 6. h. t. l. 16. ff. *de negot. geſt.* l. 49. ff. *de* O. & A. l. 1. §. 5. ff. *de conſtit. pec.* [2] *propriè*, ſed ſtrictius denotat illam veri contractus ſpeciem qui bilateralis, ſeu ab utraque contrahentium parte obligatorius, l. 19. ff. *de* V. S. [3] *propriè* & latius, uti hic ſignificat contractum; l. 15. l. 22. *de* P. V. ſive verum, ſive qſ.

(b) Vox conventionis ita latè ſe extendit, ut contractus nominatos & innominatos, l. 7. pr. h. t. imo pacta nuda, latitudine comprehendat, l. 27. C. *de locat. cond.*

TH. 14. Contractus eſt verus, vel quaſi contractus, §. 2. *Inſt. de oblig.*

TH. 15. Contractus verus ex vero conſenſu conſtat. & qſ. contractus ex præſumpto conſenſu; unde regula, qui cum aliquo contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis eius; heredi a. hoc imputari non poteſt, cum non ſponte cum legatarijs contrahat. l. 19. ff. de R. I.

TH. 16. Contractus eſt nominatus, vel innominatus. Hæc diſtinctio inde fluit. Cum propter infinitam negotiorum civilium diverſitatem impoſſibile fuerit, omnes conventiones ſpecialiter determina-

re, ideo quaſdam ſolum conventiones ad certa objecta, certumque modum ipſe uſus hominum determinavit. e. g. emptio, venditio conſtat tali certo negotio, quo convenitur de merce tradenda pro pecunia, l. 1. §. 1. *& ſeqq.* l. 2. ff. de O. & A. quædam verò conventiones ſunt ob varietatem negotiorum indefinitæ, ac indeterminatæ relictæ, ita ut quomodocunque, & de quacunque re placuerit, conveniri poſſit. quod placitum tum demum cauſam, ſive negotium, indeque orientem propriam vim producendi actionem jure civili habet, quando fines nudi placiti per alterius partis impletionem egreditur. l. 2. §. *fin.* ff. *de R. Cred.* l. 27. C. *locat. cond.* & tunc ex illis varijs cauſarum figuris, d. l. *pr.* de O. & A. altera pars etiam ad implendum obligatur, l. 7. §. 2. h. t. atque hæc ita ſe habent in proprijs contractibus; in qſ. contractibus ipſum factum, ex quo lex ciuilis conſenſum inducit, iſtam conſtituit cauſam, ſ. negotium, ac inde fluentem vim propriam civiliter obligandi, *t. t. Inſt. de oblig. q. ex qſ. cont.*

TH. 17. *Contractus nominatus* eſt, qui proprium nomen, (a) habet. (b)

(a) Sive quod ſingulare denotat formam ſpecialem à cæteris diverſam *arg.* l. 7. §. 1. h. t.

(b) Vt emptio, mutuum &c. his opponuntur innominati, non nomen, ſed cauſam tantum habentes, licet nomen generis habeant; quo ſenſu & permutatio, hypotheca, tranſactio, donatio, ſuum generale nomen habentia contractus nominati dicuntur, aſt impropriè.

TH. 18. Contractus nominatus eſt realis, verbalis, literalis & conſenſualis, §. 2. *Inſt. de oblig.*

TH. 19. Contractus realis eſt, qui rei traditione perficitur, eſtque quadruplex, [1] mutuum, t. ff. *de R. Cred.* [2] commodatum, t. ff. *de commod.* [3] depoſitum, t. ff. *depoſ.* [4] pignus, id eſt, contractus pignoratitius, t. ff. *de act. pign.* Nota. Contractus rerum eſt, qui ad ius reale acquirendum tendit, & contractus perſonarum eſt, qui ad jus perſonarum acquirendum tendit.

TH. 20. *Contractus verbalis* eſt, qui verbis perficitur, ut ſtipulatio ex interrogatione & reſponſione conſtans, e.g. cum quid dari, fierive nobis ſtipulemur, l. 1. §. 7. ff. de O. & A. *pr. Inſt. de* V. O. ex hac ſtipulatione duæ proficiſcuntur actiones, [1] condictio certi, ſi certa ſit ſtipulatio, [2] actio ex ſtipulatu, ſi incerta ſit ſtipulatio, d. *pr. Inſt. de* V. O.

TH. 21. *Contractus literalis* eſt, qui ſcriptura perficitur, e. g. qui ſcripſit, ſe debere, quod ſibi numeratum non eſt, nec de pecunia nu-

merata intra biennij ſpatium quæritur, vel excipit, elapſo biennio ad pecuniam, ſcripto declaratam ſolvendam tenetur, t. t. I. *de liter. oblig.*

TH. 22. *Contractus conſenſualis* eſt, qui conſenſu perficitur; hujus ſpecies ſunt, (1) emptio & venditio, (2) locatio & conductio, (3) ſocietas, (4) mandatum, *t. t. Inſt. de oblig. ex conſ.* l. 2. ff. de O. & A. ut & *t. t. ff. mandati, pro ſocio, de contrah. empt. & locat. cond.*

TH. 23. Contractus innominatus eſt, qui proprium nomen (a) non habet, cauſa (b) tamen ſubeſt, vocatur ſynnallagma. d. l. 7. §. 2.

(a) Quamvis contractus hi innominati nomen & formam habeant, ut permutatio, tranſactio, donatio, contractus æſtimatorius, &c. puta nomen generis, confuſum & æquivocum, non tamen ſpeciale habent.

(b) Cauſa hîc dationem, vel factum ſignificat.

TH. 24. *Innominatus contractus* eſt quadruplex, (1) do, ut des, (2) do, ut facias, (3) facio, ut des, (4) facio, ut facias. l. 5. pr. ff. P. V.

TH. 25. Pactum contractui in continenti adjectum eſt, quod in ingreſſu, ſive initio contractus, (a) vel antequam contrahentes ad alium contractum extraneum diverterint, (b) additur.

(a) Antequam is ſit perfectus, ut in contractu reali ſi pactum adjiciatur ante rei traditionem. d. l. 7. §. 5.

(b) Vt in contractu conſenſuali & verbali, *arg.* l. 27. C. h. t. l. 3. C. *de Ædil. edict.* l. 137. ff. de V. O.

TH. 26. Pactum contractui adjicitur, vel ut eum tollat, vel renovet, ſive reformet, vel transformet, vel augeat, vel minuat, ſed detrahat aliquid.

TH. 27. Pactum adjectum tollit, (a) quando priorem contractum ita reſolvit, ut is amplius non ſit, tale pactum eſt, quo ab emptione diſceditur, l. 58. ff. h. t.

(a) Eiuſmodi pactum vocatur reſolutivum, quo reſolvitur prior contractus, & ab eo omnino receditur. l. 1. & 2. ff. *quando licet ab empt.* l. 2. C. *de pact. inter empt.* l. 5. §. 6. h. t.

TH. 28. Pactum adjectum reformat, quando prioris contractus ſubſtantiam ita tollit, ut novam eiuſdem tamen ſpeciei ſubſtantiam inducat; eiuſmodi pactum tribus modis fieri poteſt, (1) ſi pacto ſubſtantialibus quid adjicitur, e. g. ſi conveniant contrahentes, ut res antea 10. vendita, nunc 12. vendatur, (2) ſi pactum ſubſtantiam prioris contractus in totum, vel pro parte tollit, & poſtea per pactum prior contractus repetitur, l. 27. §. 2. ff. h. t. (3) ſi pacto ſubſtantialibus quid

detrahitur. l. 7. §. 6. ut res 12. vendita, nunc 10. ex conventione & pacto vendatur.

TH. 29. Pactum transformat contractum, quando novam diverſæ ſpeciei ſubſtantiam inducit. e. g. ſi conveniatur, ne pro merce pretium detur; tunc eſt donatio. l. 30. ff. *de contrah empt.* vel vt quidem detur pretium; at non in pecunia, ſed alia aliqua re, & tunc inducitur permutatio. l. 5. ff. de P.V. l. 1. ff. *de rer. permut.* l. 2. ff. *de R. Cred.* l. 24. ff. *de* P.V. l. 27. ff *de donat. mort. cauſ.*

TH. 30. Pactum adjectum augens eſt, quo obligationi circa adminicula quid additur, quo amplius agi poteſt, quam antea agi poterat. l. 7. §. 5. ff. h. t. per hæc pacta augentia actoris conditio fit melior, in cujus favorem fiunt, ſicque proſunt actori, & nocent reo.

TH. 31. Pactum adjectum minuens, ſive detrahens eſt, quo obligationi circa adminicula, id eſt, accidentalia externa (a) quid detrahitur. l. 72. ff. *de contrah. empt.* per eiuſmodi pacta detrahentia rei conditio fit melior.

(a) Non verò circa ſubſtantialia, e g. ne teneatur venditor ob evictionem, quod nocet emptori, quia aliquid aufertur de obligatione, ſive actione, quod pactum eſt tantum de adminiculis, ſi enim eſſet de ſubſtantialibus, eſſet de conſenſu vel pretio.

TH. 32. Pactum adjectum tollens ad agendum non prodeſt. l. 27. §. 2. ff. *de pact.*

TH. 33. Pactum adjectum transformans ad id, ut ex priori contractu agatur non prodeſt, ad novum tamen contractum proficiet. d. l. 27. §. 2.

TH. 34. Accuratè obſervanda eſt diſtinctio inter *ſubſtantialia, naturalia,* & *accidentalia contractus.* Omne enim quod de re prædicatur, neceſſe eſt, vel eius genus ſit, vel differentia, vel proprium, vel accidens. Genus & differentia eſſentiam conſtituunt, proprium neceſſariò eſſentiam conſequitur, atque hæc duo ICtis vocantur ſubſtantialia. l. 72. ff. *de contrah. empt.* dicuntur hæc ſubſtantialia de re, modo per ſe dicendi primo (nimirum genus & differentia) & ſecundo (ſc. proprium) adeoque omni tempore & ſemper inſunt. *Accidens* eſt, quod nec eſt definitio, nec proprium, nec genus, rei autem convenit, & quod cadere poteſt in rem aliquam, inque eandem non cadere. *Hæc accidentia* in legalibus præſertim rebus & actibus ſunt *duplicis generis*, quædam ex eſſentia quodammodo fluere videntur, ita ut ſecundùm legum diſpoſitionem, licet non exprimantur, inſint; aliter tamen de ijs ſalva eſſentia ipſa conveniri poſſit. l. 11. §. 1. ff. *de act. empt.* & hæc

naturalia vocantur. l. 5. §. *pen.* ff. *de* P. V. quædam verò planè non fluunt ex eſſentia, ſed per pacta, contra vel præter ea, quæ regulariter inſunt, adjiciuntur, & *in ſpecie accidentalia* dicuntur.

TH. 35. Subſtantialia contractus ſunt, quæ ad conſtitutionem eſſentiæ contractus pertinent, ſive ſine quibus contractus ſubſiſtere nequit; ſic *in generè* omnium contractuum ſubſtantiale eſt conſenſus. l. 1. h. t. *in ſpecie* v. g. emptionis vendit. conſenſus initus de certa mercede, pro certo pretio tradenda. l. 1. 2. 9. 36. 57. ff. *de contr. empt.* §. 2. *Inſt. de empt. vend.* hæc eſſentiam conſtituunt, (2) eſſentiam conſequitur proprium, ut doli præſtatio, quæ in genere omnium contractuum, ſive conventionum ſubſtantiale, & eſſentiale eſt, *arg.* l. 27. § 3. l. 35. h. t. l. 23. ff. de R. I. l. 1. §. 7. *depoſit. in ſpecie* verò, ut emptionis & vendit. traditio rei, & pretij numeratio. l. 80. §. *ult* ff. *de contrah. empt.* §. 1. *Inſt. de empt. & vend.* §. 2. *Inſt. de donat.* l. 50. ff. *de act. empt.* §. 42. *I. de Rer. diviſ.*

TH. 36. *Naturalia* (quæ & adminicula vocantur, l. 72. pr. ff. *de contrah. empt.*) *contractus* ſunt, quæ contractibus, etſi non exprimantur, juxta ipſam legis diſpoſitionem regulariter inſunt, conventione tamen partium abeſſe, vel mutari poſſunt. l. 11. §. 1. ff. *de act. empt.* ſic emptionis & vend. naturale eſt, præſtatio evictionis. d. l. 11. §. 2. ac omnium contractuum naturale eſt, præſtatio latæ, levis & leviſſimæ culpæ, ſecundum cuiuſque contractus naturam. l. 23. ff. de R. I.

TH. 37. *Accidentalia*, ſive conventionalia ſunt, quæ præter eſſentiam contractus ex conventione dependent. Sic accidentale eſt in contractu b. f. præſtatio uſurarum, & ſuper his pacta in continenti adjecta quæ inſunt contractibus, & tanquam illius pars producunt actionem.

TH. 38. Pactum circa ſubſtantialia adjectum, aut [1] *omnino eſt iniquum*, & contra iura, & hoc non valet, ſive incontinenti, ſive ex intervallo acceſſerit, ſed habetur pro non adjecto. l. 27. §. 3. ff. h. t. l. 29. §. 2. ff. *pro ſocio.* huc pertinet, ſi convenerit, ut nonniſi poſt certum tempus res precario conceſſa, ſive depoſita repetatur. l. 12. ff. *de precar.* l. 1. §. 45. & 46. ff. *depoſit.* item ſi convenerit, ut à ſocietate non liceat recedere. l. 70. *pro ſocio.* l. 14. §. 2. ff. *comm. divid. aut* [2] *iuri non contrariatur*; & tunc vel in continenti, vel ex intervallo adjicitur. Ex continenti adjectum eſt triplex, ut Theſi 26. diximus, ut contractum (1) tollat, (2) renovet, ſive reformet, & (3) transformet, & eiuſmodi pactum valet. *Ex intervallo*, ſi adjiciatur pactum, obſervandum, an res adhuc ſit integra, an non ſit integra; *illo caſu* perin-

de eſt,ac ſi novus contractus ineatur. l.7.§.6. l. 72. *pr.* ff. *contrah.empt.* *Hoc caſu* retinet vim nudi pacti,adeoque non operatur actionem, ſed ſolum exceptionem,ſive detrahens,ſive minuens fuerit,quia eiuſmodi pactum contractui non ineſt, ita ut ipſam contractus naturam immutet,eiuſque vim participet,atque actionem formet. Hinc dicitur. Pactum incontinenti contractui adjectum ineſt, tam à parte actoris, quàm rei,propter cohærentiam contractus. Contra ex intervallo adjectum ineſt tantum à parte rei,non actoris,cum non ad agendum,verum ad excipiendum prodeſt. Ratio eſt, quia cohærentia & unio hic ceſſat. E. contractu ſubſiſtente, pactum nudum manet. d. l. 72.

TH. 39. Pactum incontinenti adjectum dicitur informare contractum. *Informare* verò eſt extra terminos à iure conſtitutos inflectere ad id, quod eſt in pacto, idque fit vel extendendo, in pacto augente, vel reſtringendo in pacto minuente.

TH. 40. Pactum non tantum augens, ſed & minuens incontinenti adjectum informat contractum. Nam pactum quatenus incontinenti adjicitur contractui, hujus fit pars; hinc obſervandum, quod pacta adjecta in ſe nuda; (carentia nomine & cauſa) iure tamen civili obligationem & actionem producant. d. l. 7. §. 5. aſt non ex eo,quatenus ſunt pacta nuda, ſed quatenus contractui adjecta, eiuſque pars evadant.

TH. 41. Actio ex pacto incontinenti adjecto data, eſt eadem, quæ aliàs ex contractu deſcenderat,informata tamen, & quidem pro ratione eius,quod in pacto adjecto continetur; nam illa informatio actionem contractus ad id,quod pacto eſt comprehenſum,extendit, vel reſtringit.

TH. 42. Pacta in ſe ſunt ſtricti juris. l. 7. §. *quinimmo* ff. h. t. quare ſtrictam recipiunt interpretationem, & in his nihil, niſi quod diſertè verbis comprehenſum,aut expreſſum eſt. l. *ſi repetendi*, C. *de condict. ob cauſ.* actum intelligi. *Excipe*, quando pacta contractibus b. fidei apponuntur,tunc ſecundum eos, ex bono & æquo recipiunt interpretationem. l. 7. §. *adeo*, l. 59. ff. h.t. l. 3. ff. *de reſcind. vend.*

TH. 43. Stipulatio accedens contractui b. fidei, propterea non fit b. fidei, ſed ſtricti juris manet, *arg.* l. 3. §. 1. ff. *de act. empt.* §. 29. *Inſt. de act.* l. 99. ff. *de* V. O.

TH. 44. Pactum eſt in rem, (a) vel in perſonam. (b)

(a) Pactum reale, ſive in rem dupliciter fit, (1) quod generaliter fit, & propterea etiam ad heredes tranſmittitur, & rem qſ. comitatur,& ita hic accipitur. l. 40. ff. h. t. l. 9. ff. *de probat*, l. 52. §. 1. ff. h. t. (2) in tractatu juris

in re, quod rem ipſam devincit.

(b) Pactum perſonale, ſive in perſonam quoque dupliciter conſideratur, (1) quod cum perſona commoritur, ſic uſusfructus eſt perſonalis, quo ſenſu hic ſumitur, (2) quod perſonam adſtringit, ita tamen, ut & heredem obliget; ſic obligatio dicitur ius perſonale, & actio perſonalis, §. 1. *Inſt. de act.* quo ſenſu omnia pacta ſunt perſonalia, nulla realia.

TH. 45. Pacta, quæ dicuntur realia, non commoriuntur cum perſona paciſcente, ſed tranſeunt in ſucceſſorem, & rem qſ. comitantur, ideo heredi proſunt, d.l.40. & contra heredem dantur, d. l.52. §.1. ff. h. t.

TH. 46. Pactum in perſonam eſt, quando paciſcentes certam perſonam nominant & determinant, ne ab ea (a) petatur, & tale pactum non producitur ad heredes.

(a) Ne à Lucio Titio petatur, l. 25. §. 1. ff. h. t. l. 7. §. 8. *ibid.*

TH. 47. Pactum, vel ad dandum, vel faciendum obligat. Vbi accuratè conſiderandum, quænam perſonæ his pactis aſtringantur.

TH. 48. In omnibus pactis & conventionibus mutuus requiritur conſenſus, quocunque modo declaratus; ſive ſit *expreſſus* verbis, vel nutu; l. 52. §. f. ff. *de* V. O. l. 62. §. 2. ff. *ad SCt. Trebell.* aut per epiſtolam, nuntium, &c. l. pr. h. t. vel tacitus, ſ. præſumptus, ubi re ipſa, & facto conſenſus declaratur. Sic creditor debitori ſuo chirographum reddendo, videtur cum debitore de non petendo debitum conveniſſe, l. 2. §. 1. h. t.

TH. 49. Conſenſus tria habet principia, intellectum, voluntatem, & facultatem, ſ. potentiam conſentiendi; ut ſc. idem intelligant, velint & poſſint contrahentes, vid. t. 8. libr. 1. Th. 98. & ſeqq.

TH. 50. Facultas paciſcendi, vel naturalis eſt, vel civilis, prout natura, vel lege paciſcendi eſt facultas, vel non eſt; hinc Ictis eſt familiare, quod dicunt, paciſci, contrahi & conſentire poſſunt, qui natura, vel lege non ſunt prohibiti.

TH. 51. Voluntas (a) hic duorum eſſe debet, & tunc dicitur conſenſus, l. 1. h. t. E. ubi unus tantum offert, & alter non acceptat, nullus ante acceptationem inter hos eſt conſenſus; quapropter oblatio iſta ante intervenientem acceptationem revocari poteſt; illa v. ſubſequente non poteſt.

(a) Voluntatis principia ſunt duo, 1. facultas intelligibilis, ſ. cognoſcitiva & 2. appetitus. Facultati intelligibili contraria ſunt, dolus, error, ignorantia. Appetitui v. metus & vis ſunt contraria.

TH. 52. *Na-*

TH. 52. *Natura paciſci* prohibentur [1] furioſi, ob defectum facultatis intelligibilis ſeu intellectus. Ergo non poteſt obligari, l. 1. §. 12. ff. *de* O. & A. l. 5. & 40. ff. *de* R. I. §. 8. *Inſt. de inutil. ſtipul.* furioſum autem hic intelligimus, quà talem; unde ſecus in eo, qui dilucida furoris intervalla habet, hic tempore remiſſi furoris quoſlibet contractus rectè celebrat, l. 12. §. 12. l. 39. ff. *de iudic.* l. *pen.* C. *de Curat. furioſ.* æquitate tamen ſuadente furioſus aliquando fingitur conſentire vt l. 2. §. 2. ff. *ſolut. matr. pr. Inſt. de nupt.* l. 25. C. *eod.* l. 28. C. *de Epiſcop. aud.* Eadem ratione aſtringitur in obligationibus ex re deſcendentibus, l. 3. §. 5. ff. *de neg. geſt.* l. 24. 46. ff. *de* O. & A. [2] mente capti, quibus itidem vſus rationis & intellectus non eſt, his accenſentur, ebrij in ſummo gradu, qui uſque ad alienationem mentis poculis ſunt obruti. *arg.* c. 14. *de vit. & hon. cler.* [3] infantes, l. 1. §. 13. *& pen.* de O. & A. §. 1. *Inſt. de inutil. ſtipul.* [4] impuberes infantiæ proximi ad dandum non obligantur, l. 59. ff. *de* O. & A. ſi tamen locupletiores ex pactis, ſive conventionibus ſint facti, obligantur, l. 1. §. 15. ff. *depoſ.* l. 3. *pr.* ff. *commod.* Aſt impuberes pubertati proximi obligantur, quia eorum intellectus aliquo modo in actu cenſetur, §. 9. *Inſt. de inutil. ſtipul.* Vbi tamen diſtinguendum, inter obligationem naturalem & civilem; naturaliter, id eſt, jure gentium, l. 84. §. 1. R. I. & in conſcientia obligatur talis pupillus pubertati proximus, ſive ſit locupletior factus, ſive non. l. 1. ff. *de novat.* l. 25. §. 4. ff. *quando dies legat.* l. 127. ff. *de* V. O. quæ obligatio quoad actum primum, & quoad perſonam pupilli eſt intelligenda, non verò obligatur, effectivè, & *civiliter*, id eſt, ut perſonæ eius obligatio noceat & efficaciter teneatur implere, vel ſtare contractui, l. 59. ff. *de* O. & A. ideo ſolutum poteſt repetere, l. 41. ff. *de condict. indeb.* quia lex civilis, ſ. poſitiva obligationem talem, ob ætatem infirmam, reddit irritam. Excipe [1] ſi alij intervenerint, ut fidejuſſores & expromiſſores, firmiter obligantur. l. 127. ff. *de* V. O. l. 95. §. 4. *de ſolut.* l. *fin.* ff. *de jurej.* l. 46. ff. *de* O. & A. l. 33. *pro ſocio*; in his n. favoris ratio ceſſat, [2] ſi pubertati proximus dolo quid committat. l. 1. §. 15. depoſit. l. 23. ff. *de furt.* vel ſi factus ex contractu ſit locupletior, l. 66. *in fin.* ff. *de ſolut.* etiamſi infans fuerit, obligatur, ne quis contra principia moralia cum alterius damno locupletetur. l. 14. ff. *de condict. indebit.*

TH. 53. *Lege paciſci prohibentur* [1] *Prodigi*; in quibus moraliter deficit intellectus; hi juridicè intelliguntur tales, quoad effectum adminiſtrationis bonorum; requiritur autem, ut ob corruptos mores à Magiſtratu per decretũ declarentur tales, iiſque dentur curatores, l. 1.

ff. *de curat. fur.* l. 40. *de* R.I. l.6. ff. *de* V.O. quia ante declarationem, & bonorum prohibitionem paciſci, & contrahere poſſunt, *arg.* §. 3. *Inſt. quib. non eſt permiſ. Excipe.* Prodigi paciſci, vel contrahere poſſunt, quando conditionem ſuam faciunt meliorem, quo reſpectu non ſunt prodigi, l. 3. ff. *de Novat.* atque ſic comparantur pupillis, l. 9. §. 7. ff. de R. Cred. [2] *Minores*, ubi diſtinguendum [1] inter minores curatorem habentes, & non habentes, & [2] an quæratur ſaltem de perſonæ obligatione, an verò de obligatione bonorum; priori caſu valet pactum ſine curatoris conſenſu, l. 8. C. *de nupt.* l. 20. ff. *de rit. nupt.* poſteriori ſine curatoris conſenſu pactum ipſo jure eſt nullum, l. 3. C. *de reſtit. in integr.* quia principaliter bonis, & non perſonæ curator datur, *arg.* §. 2. *Inſt. de curat.* qui verò curatorem non habet, rectè quidem paciſcitur, ſed læſus habet reſtitutionem in integrum, modo probet læſionem, l. 9. §. 4. ff. *de jurej.* Niſi creditor contra poſſit probare verſam eſſe pecuniam in vtilitatem minoris, l. 27. §. *ſi pecuniam.* ff. *de minor.* contra, minores ex conventione ad ſibi dandum, vel faciendum alios obligare poſſunt, l. 9. ff. *de auth. tutor. arg. pr. Inſt. eod.* [3] filiusfam. & ſervus cum patre & domino contrahere non poſſunt, propter juris fictionem, qua jure civili pro una, & non diverſis perſonis habentur; *Excipe* [1] pacta patris & filij puberis de bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus, l. 2. C. *de caſtr. pec.* l. 6. C. *de bon. quæ lib.* l. 2. ff. *de contrah. empt.* 2. pacta de illis adventitijs, in quibus filiusfam. plenam habet proprietatem, d. l. 6. *auth. ſeq. & arg.* l. 7. C. *eod.*

TH. 54. Filiusfam. & ſervus rectè quidem paciſcuntur, aſt non ſibi acquirunt, verum patri & domino, qui & naturaliter & civiliter inde obligantur, l. 17. §. 4. *& ult.* ff. h. t. l. 73. in f. de R. I. *pr. Inſt. per quas perſ. nob. obl.* l. *ult.* C. *de bon. quæ lib.*

TH. 55. Ex cauſis ſequentibus antecedentia aliquatenus examinari poſſunt. *Cauſa efficiens* pactorum propinqua eſt contrahentium conſenſus, l. 1. §. *pen.* h. t. l. 8. ff. *de accept.* l. 9. ff. *de contrah. empt.* remota lex, aut gentium, aut ciuilis, aut prætoria, quæ eiuſmodi conſenſum approbat, l. 5. 6. & 7. h. t. *cauſa* impulſiva eſt iuſta conventionis cauſa. l. 56. ff. h. t.

TH. 56. *Materia* circa quam, ſive objectum, ſunt res & facta, quæ in conventionem deducuntur, l. 3. pr. ff. de O. & A. l. 73. ff. de V. O. §. ult. Inſt. eod. res ſunt corporales, vel incorporales, præſentes, vel futuræ. Hinc *in rebus* requiritur, [1] ut ſint in rerum natura, vel actu, vel potentia, l. 46. h. t. l. 16. C. *eod.* [2] ut præter in rerum natura exiſtentiam ſint in commerio, vel *ſimpliciter*, *arg.* l. 83. §. 5. ff. *de* V. O. §. 1.

2.& 7.*Inſt. de* R.*diviſ.*vel *ſecundum quid arg.*l.11.§.16.ff.*de legat.*3.l.11. ff. *de re milit.* [3] quæ in commercio, ſed ex ſpeciali ratione conventio de ijs non eſt interdicta ſ.alienatio non eſt prohibita,*arg.*t.t.ff *&* C. *de litig.*l.41.*pr.*ff *de leg.*1.*pr.Inſt.quib.alien licet,vel non.* [2]quod *Facta* concernit,illa primo ſint *poßibilia* naturâ,l.7.h.t.l.35.pr.l.72.& 173.§.6. ff. *de* V.O. §. 5. *Inſt. eod.* l. 185. ff. *de* R. I. [2] honeſta & licita, id eſt, iure poſſiblia, quæ n. contra bonos mores ſunt, nos non poſſe facere cenſendum eſt, l. 15. ff. *de condit. inſtit.* l. 35. §. 1. l. 26. ff. *de* V.O.l. 7. §. 16. h.t. Huc refertur etiam prohibitio pacti de quota litis, l. 53. h. t. l. 5. C. *de poſtul.* l.15. C. *de procurat.* l.1. §. 12. ff. *de extraord. cognit.* item prohibitio pacti circa futuram in bonis adhuc viventis, non conſentientis ſucceſſionem, ſive [1] obtinendam l. 15. 19. *&* l. *fin.* C. *de pact.* l. 5. C. *de pact. convent.* l.61. ff. *de* V.O. l. 29. §. *fin. &* l. 30. ff. *de donat.* ſive [2] conſervandam, l.15. C. h.t. l. *ult.* ff. *de ſuis & legit. hered.* ſive [3] omittendam & repudiandam, d. l. *ult.* l.3. C. *de collat.* l. 35. §. 1. C. *de inoffic. teſtam. Moribus* tamen valent pacta de hereditate acquirenda, conſervanda, & repudianda, ſ. renuncianda c. quamvis de pact. in 6. Pactum quoque illud Opificum eſt illicitum, quo inter ſe conveniunt, ne alter impleat, quod alter inchoavit.

TH. 57. *Forma pacti* in eo conſiſtit, quod pactum ſit promiſſio ſine interrogatione; quod tamen non ita ſtrictè eſt accipiendum, qſ. in pactis non ultro citroque verba, interrogationes, & promiſſiones fiant, quia ſine mutua collocutione pacta contrahi non poſſint; ob id tamen pacta in ſtipulationem non incidunt; ſi quidem non quælibet, ſed tantummodo ſolennis interrogatio & reſponſio facit ſtipulationem, l.5. §. 1. ff. *de* V. O. quamvis verborum ſolennitas eſt ſublata ex ſtipulatione. l. 10. C. *de contrah. ſtipul. pr. Inſt. de* V. O. tamen ſolennis forma ſublata non eſt, id eſt, ut inter præſentes præcedente interrogatione, & mox ſubſequente reſponſione, ad interrogationem formata, & apta ſine ulla actus diviſione formetur ſtipulatio. l. 1. §. 1. l. 137. ff. *de* V. O. quæ forma in pactis non eſt. cum pacta, non modo inter præſentes, verum & per nuntium, vel epiſtolam, literis ultro citroque miſſis, ritè fieri poſſint. l. 2. ff. h. t.

TH. 58. *Finis* pactorum eſt, ut fiat, quod convenit, *arg.* l. 3. ff. *de* O. & A. l. 7. ff. h. t.

TH. 59. *Effectus pactorum* ratione juris naturalis, gentium, civilis, canonici, & morum hodiernorum. Ex pacto quoad *jus naturale & gentium* oritur obligatio efficax, l. 7. §. 1. hoc tit. l. 10. & 13. C. *eod.* congruum enim eſt humanæ fidei, hoc eſt juri gentium, ſive juri

naturæ pacta ſervare, & ex pacto naturaliter obligari, l. 84. ff. *de R. I.* quod clarius inde colligitur: ex pacto quod ſolvitur, repeti non poteſt, l. 21. C. *de pact.* l. 59. §. *fin.* ff. *ad SCtum Trebell.* E. neceſſum eſt, hoc naturaliter deberi; nam ubi naturalis non ſubeſt obligatio, ibi datur eius, quod ſolutum eſt, repetitio, l. 41. l. 26. §. 3. ff. *de condict. indebit.* & per conſequens etiam illo jure actio, ſ. petitio. Ex pacto ratione iuris civilis non oritur obligatio & actio; unde dicitur ex pacto non datur actio, ſed tantum exceptio, l. 7. §. 4. h. t. ratione autem juris canonici (quod hodie in ijs ſequimur) & moribus ex pacto nudo datur actio.

TH. 60. *Contraria* pactis ſunt error, l. 51. hoc tit. dolus, metus, &c.

TH. 61. Cum quis ex conventione obligetur; hac, ſi de re danda fuerit, præciſè ad eam dandam, modò eam habeat, tenetur, l. 75. §. f. ff. *de* V. O. contra ſi de facto præſtando fuerit, obligatur quidem quis, ut præſtet factum, at non præciſè ad faciendum cogi poteſt, ſed præſtando intereſſe liberatur, l. 68. & l. 72. *pr.* ff. *de* V. O. l. 13. §. 1. ff. *de re jud.*

TH. 62. Quæritur an tacens pro conſentiente habeatur? Reſp. diſting. vel de tacentis commodo agitur, vel de eius præjudicio, ſive obligatione. *priori caſu* regulariter pro conſentiente habetur, c. 43. de R. I. *in* 6. *arg.* l. 40. hoc tit. *poſteriori* caſu iterum diſting. nam aliquando intercedit aliquod factum, ex quo conſenſus elici poteſt, & tacens obligatur, ſive factum hoc interveniat à parte tacentis, ſive alterius, ut l. 18. ff. *mandat.* l. 6. C. *eod.* l. 4. §. *fin.* ff. *de fidejuſſ.* e. g. quando quis apud tacentem in ædibus eius aliquid deponit, item quando à nautis, cauponibus, ſtabularijs quid receptum, l. 1. §. fin. ff. naut. caup. ſtab. aliquando a. eiuſmodi factum non intercedit, & tunc ſilentium nudum pro conſenſu non eſt. *arg.* l. 8. §. 1. ff. *de procurat.* c. 44. de R. I. *in* 6. l. 1. §. 15. ff. *quib. mod. pig. vel hypoth.*

TH. 63. Quæritur, an ex pacto geminato nudo actio detur? Reſp. neg. quia pactum geminatum non ceſſat eſſe nudum, cum non rarò contingat, iterari promiſſionem ſimili levitate.

TITVLVS XV.

De Tranſactionibus.

Iung. t. 4. lib. 2. C.

TH. I. IMPEDIMENTVM 5. eſt tranſactionis exceptio. *Tranſactio* (Germanicè *Vertrag, vereinigung*) (a) eſt rei dubiæ, aut litigioſæ aliquo dato, vel retento, vel promiſſo, (b) conventa (c) deciſio. (d)

(a) *Vox tranſactionis* dupliciter accipitur, [1] *latè* denotat quamlibet negotij definitionem, ſive compoſitionem. l. 209. *& ſeq.* ff. *de* V. S. *tranſigere* hoc ſenſu eſt finire, terminare, conficere, expedire negotium; ſic legitima tempora dicuntur tranſacta. l. 18. §. 4. ff. *de dol. mal.* l. 46. ff. *de* R. V. (2) *ſpecialiter* ſignificat litem dubiam finire. l. 1. h. t. l. 38. C. *eod.* uti hic ſumitur.

(b) Reus enim dat, vel promittit aliquid, ut ab actione recedat actor, iuſque, quod prætendit, remittat; vel actor retinet totam rem, aut partem rei, de qua eſt controverſia.

(c) E. tranſactio non eſt ipſa conventio, ſed aliquis actus, (ſive deciſio) qui per pactum, conventionem & contractum peragitur. *arg.* l. 2. ff. h. t.

(d) l. 7. l. 17. l. 24. C. h. t.

TH. 2. Ex definitione haud obſcurè innuitur, ſententiam & iuramentum à tranſactione differre formaliter, & modo decidendi; quia tranſactio ſemper fit per conventionem, aliquo dato, retento, vel promiſſo. l. 38. C. h. t. *Sententia* per pronunciationem iudicis condemnatoriam, vel abſolutoriam. l. 1. ff. *de re iud. iuramentum* per nominis divini invocationem; hæc tamen tria nomine generis conveniunt, quod ſint deciſio.

TH. 3. Tranſactio eſt triplex, (1) pactum nudum, (a) 2. contractus nominatus, putà ſtipulatio, (b) & 3. contractus innominatus. (c)

(a) l. 2. ff. l. 15. & 17. C. h. t. ut cum nudo pacto actio remittitur.

(b) l. 2. 4. 5. ff. h. t. ut cum interveniente ſtipulatione & acceptilatione pro remiſſione aliquid promittitur. l. 2. h. t. l. 15. & 25. C. *eod.*

(c) *arg.* l. 33. C. h. t. cum aliquid fit, vel datur, ut à lite diſcedatur, aut actio acceptilatione remittitur, ut aliquid fiat, vel detur. Remittendum autem aliquid eſt ab utraque parte, nam ſi totum auferretur, *ex parte actoris*

donatio eſſet, vel repudiatio. l. 3. l. 18. C. *de donat. Ex parte* verò *rei* ſic remittentis, ſolutio & quædam compoſitio.

Th. 4. Hinc accuratè diſtinguere oportet, inter modum transigendi, & ipſam tranſactionem, quia aliud eſt modus decidendi, aliud ipſa deciſio. E. quando tranſactio in hoc tit. ff. & C. paſſim dicitur pactum, item contractus, hoc non fit propriè, ſed per metonymiam.

Th. 5. Tranſactio eſt generalis, (a) vel ſpecialis. (b)

(a) Vt cum *indefinitè* de omni re dubia, vel litigioſa tranſigitur, vel *definitè*, de re quidem certa, ſed quæ multa corpora, ſpecies, parteſque complectitur, ut eſt hereditas, tutela, negotium geſtum, &c. l. 2. 3. C. h. t. l. 9. ff. *eod.*

(b) Vt cum de re ſingulari, vel pluribus ſpecialiter enumeratis. l. 31. C. h. t. tranſigitur.

Th. 6. Vtrum autem tranſactio generalis, vel ſpecialis, ex eo eſt æſtimandum, an petitiones & deciſiones quę illas ſequuntur fuerint generales, vel ſpeciales; quia petitio poteſt eſſe generalis, & deciſio ſubſecuta ſpecialis, quo caſu tranſactio quoque eſt ſpecialis. l. 3. C. h. t. e. g. ſi pupillus cum tutore mota tutelæ actione tranſactionem inſtituat ſuper mille thaleris, & poſtea ex eadem cauſa centum modios frumenti petet; quo caſu tutor pupillo non rectè opponit tranſactionis exceptionem, ratio eſt, quia tranſactio non debet extendi ultra res in eam deductas; quapropter pupillus fundatam habet actionem, & de dolo replicare poteſt. d. l. 3. aliter res ſe habet, ubi & petitio & deciſio ſubſecuta eſt generalis, tunc & tranſactio eſt generalis. l. 29. C. hoc tit.

Th. 7. Non omnibus, qui paciſci poſſunt, tranſigere licet, ſed ijs, qui natura, vel lege non prohibentur, id eſt, qui liberam rerum ſuarum habent adminiſtrationem, permittitur. *arg.* l. 21. C. *mandat.*

Th. 8. Quæritur hîc, an Procurator tranſigere poſſit? Reſp. diſting. inter Procuratorem litis, & bonorum. *Ille* eſt, vel generalis, vel ſpecialis, & neuter horum tranſigere poteſt, quia datus eſt ad alium finem, putà ad agendum, non ad decidendum. l. 7. C. h. t. l. 60. ff. *de procurat.* niſi ſpecialiter id ipſi ſit mandatum. *Hic* vel eſt omnium bonorum generalis, & vel cum libera adminiſtratione, vel ſine libera, quorum hic, non ille, tranſigere prohibetur, l. 17. §. *fin.* ff. *de jurejur.* l. 58. 60. 63. *de procurat.* l. 60. §. 4. *mandat.* vel certorum bonorum, ſeu ſpecialis & tranſigere nequit, niſi (1) habeat mandatum ad hoc ſpeciale. d. l. 17. §. *fin. & l. ſeq.* l. 34. §. 1. ff. *de jurejur.* (2) niſi ſit procurator in rem ſuam, ſeu ceſſionarius. l. 9. C. h. t. l. 13. *in fin. ff. de pact.*

TH.9. Similiter tutores & curatores ob rei incertitudinem, & ubi de iuſtitia pupillorum valdè dubitatur, tranſigere queunt, l. 54. §. *fin.* l.56. §. 4. ff. *de furt.* l.12. C. h. t. & ſi velint de pupillorum rebus immobilibus tranſigere, tutorum voluntas non ſufficit, verum Magiſtratus decretum interveniat, oportet. l. 4. C. *de præd. min.* l.22. C. *de adminiſt. tut.* hîc ſciendum, quòd tutores & curatores regulariter tranſigere non poſſint; quia tranſactio implicitam rerum habet alienationem, *arg.* l. 38. C. h. t.

TH. 10. Quæritur, an Pater quoad liberorum bona tranſigere queat? Reſp. diſting. inter bona liberorum emancipatorum, & in patria poteſtate adhuc exiſtentium; de illorum bonis patri tranſigere non licet. l.10. h. t. quoad horum bona iterum diſting. inter bona caſtrenſia, qſ. caſtrenſia, & adventitia; de prioribus duobus pater, ſine liberorum conſenſu, & mandato tranſigere non poteſt; in poſteriori verò iterum diſting. vel *pura adventitia* ſunt, in quibus pater uſumfructum habet, vel *pleno iure* ad liberos ſpectant, in quibus idem iuris, quod in caſtrenſibus. In antecedenti membro, id eſt, puris adventitijs obſervandum; an liberi eius ætatis ſint, ut conſentire poſſint, vel non; ſi conſentire poſſint, eorum conſenſus requiritur, niſi longè abſint, l. *fin.* §. 3. & 4. C. *de bon. quæ lib.* ſi conſentire non poſſint, pater tranſigere poteſt, d. l. *fin.* §. 3. quo caſu pater & bona filij immobilia ſine Magiſtratus decreto alienare poteſt. Quòd non tantum in caſu neceſſitatis, ſed & utilitatis procedit, putà ſi poſſeſſiones ſint ſteriles, ſumptuoſæ. &c.

TH. 11. Syndici quoque & adminiſtratores civitatum, de re dubia civitatis, liteque incerta tranſigendi poteſtatem habent, modo bona fide, & non ambitiosè id faciant. l. 12. C. h. t. l. 14. ff. *de pact.*

TH. 12. *Cauſa efficiens* tranſactionis eſt conſenſus, l. 13. & 20. C. h. t. *Cauſa* impulſiva eſt dubius litis eventus, l. 51. ff. *de pecul.* qui utramque partem ſollicitam habet.

TH. 13. *Materia* ſive *objectum* tranſactionis ſunt, [1] *res dubiæ*, quæ nondum actu ſunt in lite, e. g. quando quis ob timorem, ſive metum futuræ litis tranſigit, l. 1. ff. & l. 2. C. h. t. [2] *res litigioſæ*, id eſt, in iudicium deductæ; unde patet, tranſactionem de re iudicata non poſſe celebrari, t. t. C. *de re iud.* quia de ea lis eſſe nequit, ſed jam tranſacta & finita eſt, atque ſic illa amplius tranſigi, vel finiri non poteſt, l. 2. C. h. t. privatio enim præſupponit habitum, l. 3. ff. *de injuſt. rupt. teſtam. huc refer theſes ſeqq. uſque ad* 18.

TH. 14. De controverſis ex teſtamento, aut codicillis orientibus ſpecialiter cautum, ut non niſi inſpectis & cognitis verbis teſtamenti tranſigatur, l. 6. h. t. l. 1. §. 1. ff. *quemadm. teſtam. aperi.* nec huic inſpectioni verborum teſtamenti renunciari poteſt, d. l. 6. & l. 7. §. 1. ff. *de pact.* Si tamen jurata ſit renunciatio, iure canonico, & non iure civili eſt ſervanda. Eadem inſpectio in teſtamento nuncupativo, in ſcripturam à notario redacto, & in codicillis requiritur.

TH. 15. De alimentis ultima voluntate, ſive teſtamento relictis tranſigere non licet, propter *favorem* [1] *ipſius rei*, (alimentorum ſcilicet futurorum) [2] *ultimæ voluntatis*, quæ pleniſſimum habere debet exitum. [3] ne is modico præſente contentus facilè ad tranſactionem deſcendat, l. 8. ff. h. t. Idcirco tranſactio in ijs non permittitur, niſi [1] coram Magiſtratu, & cauſa cognita fiat, l. 8. §. 8. & 9. ff. h. t. vel [2] niſi per tranſactionem melior fiat alimentarij conditio, d. l. 8. §. 6. *De alimentis* tamen *præteritis*, id eſt, in præteritum tempus aſſignatis tranſactio eſt licita, l. 8. C. h. t. idem affirmatur de alimentis, ex contractu debitis, l. 8. §. 2. h. t. quia in priori caſu deſinunt eſſe alimenta, ubi vita aliundè eſt ſuſtentata, manente puro debito; in poſteriori verò favor ultimæ voluntatis ceſſat.

TH. 16. Quæritur, an in cauſis matrimonialibus tranſactio ſit permiſſa? Reſp. diſting. tranſactio hæc vel eſt de matrimonij conſervatione, quæ iure valet, vel de matrimonij legitimè celebrati diſſolutione, quæ prohibita, c. *fin.* h. t. niſi fiat ex cauſis adulterij, vel malitioſæ deſertionis; idem de ſponſalibus de præſenti ſtatuendum.

TH. 17. Quæritur, an de delictis tranſigere liceat? Reſp. diſting. vel delicta ſunt futura, vel admiſſa; de illis nullo planè modo tranſigere eſt permiſſum, l. 27. §. 4. ff. *de pactis; circa admiſſa* verò, quæ infecta fieri non poſſunt, diſtinguendum inter *crimina*, ſive delicta *publica*, & *privata*. *Illa* ſic dicuntur, ratione cauſæ efficientis, & finis, à certis quibuſdam legibus, quibus referuntur inter iudicia publica, & quorum perſecutio cuiuſlibet eſt. Hæc iudicijs publicis non annumerantur, idcirco privatam tantum continent perſecutionem, l. 3. §. *fin.* ff. *de prævaricat.* l. 1. ff. *de publ. iud. de delictis, ſive criminibus* privatis, ſi civiliter agatur, tranſigi licet, l. 17. §. 1. ff. *de pact.* l. 56. §. 4. ff. *de furt.* l. 13. C. *eod.* ad hoc ſc. ut reus ab actione liberetur, non verò, ut iſte, ſi talis ſit actio, ex maleficio, ex qua damnatum ſequatur infamia, notam infamiæ effugiat; qui enim præſtito aliquo, ſive dato tranſigit poſt in ius vocationem, videtur confiteri in iudicio delictum, adeoque pro iudicato habetur, atque ita ex ipſa lege ſequitur infamiæ macula, etiam

cum

cum ante litis conteſtationem eſt tranſactum, l. 4. §. *ult.* l. 5. 6. §. 3. ff. *de his qui not. infam.* l. 4. ff. *de iur. fiſc. l. ult. C. de gener. abolit.* aſt ſi quis gratis pacificatur, aut pretio quidem, ſed Prætore authore, non notatur, d. l. 6. §. 3. & 4. Publica delicta dividuntur in capitalia & non capitalia. *Capitalia* ſunt vel latè, vel ſtrictè ſic dicta; *Illis* pœna capitis naturalis, vel civilis infligitur, l. 103. ff. *de* V. S. §. 2. *Inſt. de publ. iud. His* pœna mortis naturalis, ſive ſanguinis, *l. fin. C. de bon. præſc.* l. 4. ff. *de pœn.* & ita hic accipitur, *de publicis delictis capitalibus* tranſigere licet, & ante & poſt inſtitutam accuſationem, & quidem tam actori, quàm reo; nec actor incidit in talionis pœnam, aut Scti Turpilliani, licet cœptam accuſationem deſeruerit, nec abolitionem impetraverit, *arg.* l. 13. §. 1. ff. *ad Sct. Turpill.* nec in crimen concuſſionis, licet ante cœptam accuſationem pecuniâ accepta deſiſtat, l. 1. §. 3. ff. *de calumn.* nec reus confiteri crimen intelligitur, ſed ob dubium litis eventum, ratione miſerationis, præſumitur potius periculo mortis territus, quam ſceleris conſcientia pecuniam dediſſe; tum quod cuique ſanguinem ſuum quovis modo redimere liceat, & natura duce quilibet ſe ſuumque corpus tuetur, & nocitura declinat. Excipitur hic adulterium, de quo trãſactio non cenſetur licita, l. 18. C. h. t. l. 10. C. *ad L. Iul. de adult.* quia tranſactio de adulterio facta quandam lenocinij ſpeciem præ ſe fert, l. 14. *pr. ff. ad L. Iul. de adult.* gratuita tamen remiſſio valet, l. 29. §. 2. ff. *ad L. Iul. de adult. Moribus* res ſe ſecus habet, ubi de eo tranſigere licet. *Carpz. prax. crim. p. 2. q. 71. De criminibus* verò ſanguinis pœnam non infligentibus, ſive publicis, ſive privatis, (putà ſi criminaliter agatur) & ante & poſt litem conteſtatam, tranſigere non eſt permiſſum. E. in quibus obtinet pœna fuſtigationis, membri mutilationis, perpetuus carcer, iactura honoris, de ijs tranſactio non eſt licita, quamvis recenſitæ pœnæ ad capitalem quam proximè accedant, non tamen ſunt capitales. l. 2. ff. *de publ. iud.* l. 2. *pr. ff. de pœn.* quia [1] ratio miſerationis, ſeu ſanguinis redimendi utrobique ceſſat. [2] quia tranſigens pœnam concuſſionis evitare haud poteſt. l. 2. ff. *de concuſſ.* l. 1. §. *pen.* ff. *de calumn.* inde accuſator in accuſationem falſi, & pœnam Scti Turpil. incidit. Cæterum hodie de his criminibus trãſactio eſt licita. *Carpz. crim. p. 3 q.* 148. Obſervandum, quod in criminalibus tranſigi tantum poſſit ſuper poteſtate accuſandi, & iure pœnam à reo coram Magiſtratu exigendi, quod privatus contra privatum habet (pretio æſtimabile) non verò ſuper vindicta, quæ non eſt privati, ſed Reip. ideoque illa Reip. integra relinquitur.

TH. 18. *Forma tranſactionis.* Tranſactio fit, aut ſimplici pacto, aut per

ſtipulationem Aquilianam. l.3. h.t. l.4. C. *eod.* aut per contractum innominatum. Item, aut purè, aut ſub conditione, l.9. C.h.t. aut ſub modo; qui potius ſubintelligitur, quam conditio. l.6. C. *eod.* interdum quoque pœna tranſactioni adjicitur. l. 15. *& l pen.* ff. h.t. l.17. C. *eod.* aut iuramentum. l. 41. l. *pen.* C. h.t. quoad eſſentiam tranſactionis nihil intereſt, an in judicio, utrum extra illud fiat, attamen plus roboris habet judicialis, vel ſaltem à Principe, aut Magiſtratu confirmata, quia [1] horum præſentia omnem ſupplet defectum, *arg.* l.19. C. *de teſtam.* [2] omnem fraudis, ac læſionis præſumptionem excludit, c. *præſentia*, Extr. *de renunciat.* c.16. § *fin. de ſentent. & re iud.* omniaque præſumuntur recte celebrata, c. 23. § *porrò, de elect.* l. 36. ff *famil. erciſc.* l.29. ff. *de uſuc. & uſurp.* præcipua tamen forma in eo conſiſtit, ut pro remiſſione litis, aliquid contra præſtetur, aut fiat, quia tranſactio non procedit, nullo dato, vel retento, aut promiſſo. l.38. C. h. t.

TH. 19. Finis eſt, ut lites finiantur, l.1. h. t. l.10. C. *eod.* reſque dubiæ componantur, & tollantur.

TH. 20. *Effectus* non minor quam rei iudicatæ. l.20. C. h.t. aut iuriſjurandi. l. *admonendi in fin ff. de iureiur.* Hinc nec [1] reſcripto Principis tranſactio retractatur; quia Princeps contra moralia principia, à particulari juſtitia deducta ius alteri quæſitum auferre non poteſt. l.3. & 7. C. *de prec. Imp. offer.* nec [2] prætextu ſpecierum. l.19. C.h.t. aut inſtrumentorum poſt repertorum. l.29. C. h. t. retractari poteſt; ſiquidem omnia inſtrumenta per tranſactionem annullari ſolent. *Excipe*, niſi trãſactio per falſa inſtrumenta ſit facta, quo caſu per reſtitutionem in integrum reſcinditur, *arg.* l. *pen.* C.h.t. [3] quod tollat priorem actionem, & plura remedia ei ſint conſtituta.

TH. 21. Tranſactio priorem actionem, vel ope exceptionis, vel ipſo iure tollit; *illo modo*, quando nudo pacto facta eſt. l. 17. l. 19. 28. 29. l. 36. C. h. t. quia naturalis obligatio actionem ex obligatione civili tollere non poteſt. Hoc modo, cum vel ſtipulatio intervenit, ſeu ſimplex, ſeu Aquiliana cum acceptilatione, *arg.* l.4. C.h.t. vel per contractum innominatum perfecta eſt tranſactio. *arg.* l.6. l.33. C. h. t. tunc enim priſtina actione agi nequit.

TH. 22. Quoad remedia tranſactionis ſervandæ, ſequentia accuratè ſunt notanda, [1] *ſi pacto tranſactum*, vel actor non ſervat tranſactionem, vel reus, priori caſu reus priſtina actione conventus tutus eſt exceptione pacti oppoſita, *arg.* l.17. C. h. t. niſi & ipſe à placitis recedere velit. l.14. C.h.t. poſteriori caſu datur actori, non præſcriptis verbis, ſed prior actio, utpotè pacto nondum ſublata, *arg.* l.28. C. *eod.* & ſi reus ex-

cipiat de tranſactione, actor vel in factum, vel doli mali replicatione utitur, d. l. 28. & ſic quod directè per actionem conſequi non poteſt, conſequitur obliquè ſcilicet per replicationem, [2] *ſi tranſactum ſit contractu innominato*, nec impletum ab altero, quod convenit, agitur præſcriptis verbis, l. 6. 33. C. h. t. vel quod datum, remiſſumve condicitur. l. 2. 4. ff. *de condict. cauſ. dat.* [3] Si ſtipulatio intervenerit, nec ſtetur conventioni, uterque ex ſtipulatu agere poteſt. l. 17. C. h. t. aſt ſi impleta ſit conventio, & dolus interveniat, datur actio de dolo. l. 4. l. 19. C. h. t. Porrò quia moribus ex nudo pacto obligatio & actio eſt, idem erit in tranſactione, ubi pacto fuit perfecta.

TH. 23. A tranſactione pœnitendo recedi non poteſt, quia eſt actus, quo lites deciduntur, quas ſopiri publicè intereſt, ad ſimilitudinem cum re iudicata. l. 10. 30. & 39. C. h. t. *Excipe* niſi ex falſis inſtrumentis tranſactum, (de quo Th. 10.) vel mutuo diſſenſu ea diſſolvatur.

TH. 24. Quæritur, an tranſactio bona fide inita reſcindi poſſit, ex l. 2. *C. reſcind. vend.* Reſp. negando ob ſeq. rationes, [1] quia reſcripto Imperatoris ſpeciali, non reſcinditur. l. 15. C. h. t. Ergo multo minus per d. l. 2. ut reſcriptum generale [2] quia beneficium d. l. 2. tantum locum habet in contractibus b. f. [3] quia omnis tranſactio eſt de re dubia, vel lite. E. hic læſio ultra dimidium (ut in remedio inſtituto, ex d. l. 2. obtinet, ubi tempore contractus fuiſſe læſionem illam, omnino probandum. l. 8. C. *de reſcind. vend.*) nunquam probari poteſt, quoties enim de re dubia & incerta eſt quæſtio, læſio allegari nequit, cum illa certam non habeat æſtimationem. l. 75. ff. *de* V. O. quare in l. 78. § *fin. ff. ad SC. Trebell.* dicitur tranſactionem neque ob læſionem quadrupli eſſe retractandam. [4] quia res iudicata propter læſionem non eſt reſcindenda. E. nec tranſactio. l. 19. *&* 23. C. h. t. ſecundùm principia à Reip. tranquillitate deducta. *Mynſing.* 1. *obſ.* 33. Interim tamen ſi talis in tranſactione daretur caſus, ut graviſſima appareret læſio, eaque in tantum æſtimari poſſit; tranſactionem, ex d. l. 2. reſolvi poſſe, quorundam Doctorum eſt opinio per l. 5. C. *de dol.* l. 36. ff. *de* V. O. quibus alij reſpondent, (1) d. l. 5. loqui de minoris tranſactione, non b. fide, ſed dolo facta, quæ actione doli retractari poteſt, (2) ex d. l. 36. probari non poſſe; quod, ubi adeſt ultra dimidium læſio, ibi quoque dolus ex propoſito, & non ex re adſit, & conſequenter tranſactio ſit reſolvenda. *Gail.* 2. *obſ.* 70. quia in d. l. 36. hæc tantum cõparantur ſecundum quid.

TH 25. *Dolus* eſt *ex propoſito*, ſive machinatione, (a) vel *ex re*. (b)

(a) Ille contractus b. fidei reddit ipſo iure nullos, qui dicitur dolus dans cauſam contractui. l. 7. ff. *de dol. mal.*

(b) Hic contractus non reddit nullos, quia non dat contractui cauſam, ſed in contractum incidit. l.16. ff. *de minoribus.* Et hic dolus nunquam tranſactionem diſſolvit, quamvis exceptio huius doli ex re opponatur.

LIBER TERTIVS

TITVLVS PRIMVS.

De Poſtulando.

Iung. tit. 6. lib. 2. C. d. t.

TH. 1. QVOTIES lis per pacta & tranſactionem componi nequit, vocationem in ius proximè ſubſequitur litis proſecutio. In qua conſiderantur (1) *perſonæ*, an poſtulare poſſint; unde *impedimentum 6.* remotio à poſtulando. (2) cauſæ, ſive ipſæ lites.

TH. 2. Perſonæ, quando litem peragunt poſtulare dicuntur. Poſtulare (a) verò eſt deſiderium ſuum, (b) vel amici ſui in iure apud eum, qui iuriſdictioni præeſt, exponere, (c) vel alterius deſiderio contradicere. (d)

(a) Vox *poſtulare* aliquando dicitur *de cauſis criminalibus*, & ſignificat accuſare, ut poſtulare reum. l.38. §.6. ff. *ad L. Iul. de adult.* poſtulare criminis. l.41. ff. *de ſolut.* l.1. ff. *de ſuſpect. tutor.* interdum *de cauſis civilibus* dicitur, eſtque duplex, (1) *latè* ſumitur, quo ſenſu poſtulare, & advocatum eſſe, ſive advocati officio fungi, non differunt. l.2. & 3. C. h.t. *ſtrictè* ſignificat per excellentiam, uti hic definitur.

(b) Id eſt, intentionem ſuam exponere.

(c) Vnde poſtulare propriè eſt, coram Prætore, pro tribunali ſedente agere, ſive alio Magiſtratu, iuriſdictionem habente. l.4. §. 8. ff. *de damn. infect.* non verò coram iudice pedaneo cum formula. E. & coram minori Magiſtratu, in ſubſellijs ius dicente poſtulari potuit, quia & hi iuriſdictionem habent. l.29. §.7. ff. *ad L. Aquil.* & qui *exponit* deſiderium ſuum vocatur actor in civilibus, in criminalibus accuſator.

(d) Reus contradicit actoris deſiderio, ſive intentioni.

TH. 3. Quamvis poſtulare per ſe res licita ſit & honeſta, cui omnes operam dare poſſunt, quidam tamen propter dignitatem Magiſtratuum tuendam prohibentur. l. 1. *pr.* h. t.

TH. 4. Poſtulare quidam prohibentur, vel [1] Edicto Prætoris,[2] uel iure civili, vel [3] iudicis ſententia.

TH. 5. *Edicto Prætoris* alij in totum, alij in tantum, [1] in totum poſtulare prohibentur, qui non modo pro alijs, ſed ne quidem pro ſe poſtulare poſſunt, l. 1. §. 3. h. t. tales vel nequeunt ob ætatem vt minor 17. annis §. 4. *Inſt. de adopt.* l. 13. ff. *de manumiſſ. vind.* §. 5. *Inſt. quib. ex cauſ. manum.* vel ob defectum, ut ſurdus, qui juſſum Magiſtratus exaudire non poteſt, d. l. 1. §. 3. [2] in tantum prohibentur, quibus tantum pro ſe poſtulare eſt conceſſum, e. g. mulier (a) cœcus (b) muliebria ſponté paſſus, (c) capitali crimine damnatus, (d) & qui operas ſuas, ut cum beſtiis non virtutis cauſa elocarunt. (e)

(a) Quia virile eſt officium alienæ cauſæ præeſſe, intercedere, patrocinari, à quo ob pudorem ſexus mulier eſt remota, l. 18. C. *de procurat.* l. 2. ff. *de R. I.* l. 54. *de procurat.*

(b) Vtriſque luminibus orbatum Prætor repellit, cum inſignia Magiſtratus videre & revereri nequeat, d. l. 1. §. cœcus. Iudex tamen dari poteſt, l. 6. ff. *de judic.* aſt non Magiſtratus; ſi tamen hanc dignitatem antea adeptus ſit, ob viſus amiſſionem non amittit.

(c) d. l. 1. §. 6. pr. ff. h. t. ob contractam inde infamiam.

(d) d. l. 1. §. 6. *verſ. & qui capitali* &c.

(e) d. l. 1 §. 6. *verſ. & qui operas* &c. quia ſunt infames, propter levitatem animi, cum vitam morti ob pecuniam exponant.

TH. 6. *Iure Civili* prohibentur alij Scto, (a) alij conſtitutionibus. (b)

(a) Qui judicio publico calumniæ damnati ſunt, d. l. 1. §. 6.

(b) *Alij in totum* & ſimpliciter, ut qui à judice litiganti, advocatum alium non invenienti dati, pro eo ſine iuſta cauſa poſtulare recuſarunt, l. *pen.* C. h. t. vel cum quadam limitatione, ut qui Chriſtianam Catholicam Religionem non amplectuntur, poſtulare non poſſunt ut Advocati, l. *ult.* C. hoc tit.

TH. 7. *Sententia judicis* poſtulare prohibentur, cui per eam aduocatione, vel foro interdictum eſt. l. 6. §. 1. l. 9. ff. h. t. l. 6. ff. *de pæn.*

TH. 8. *Cauſa efficiens* poſtulationis eſt Prætor, ſeu ordinarius Magiſtratus, qui petentibus litigatoribus dat patronos, eorum nomine poſtulantes, l. 1. §. 3. h. t. etiam invitos, l. 7. C. h. t. quia poſtulare eſt publicum munus, l. 2. ff. de R. I. ad quod quilibet cogi poteſt, l. 1. *pr.* ff. *de adminiſt. tut.* interim tamen cogi non poteſt, ut gratis poſtulet, ſed ſumptibus petentis. ideo juſtum advocatis eſt ſolvendum ſalarium, ſive honorarium, etiamſi nihil promiſſum, l. 1. §. 10. ff. *de var. & extr. cogn.*

TH. 9. Forma ob cauſarum varietatem certa dari non poteſt. Fi-

nis,ut reverentia & dignitas Magiſtratus conſervetur,cui ignominioſum, ſi turpes & improbi ſycophantæ & infames pro eo impudenter altercentur, l. 1. h. t.

TH. 10. Advocatus eſt perſona, quæ cum ad patrocinium alienæ cauſæ præſtandum (a) idonea, (b) nec prohibita (c) ſit, ad tale officium à litigantibus electa, vel à Magiſtratu data eſt.

(a) l. 2. l. 6. §. 1. C. h. t.

(b) Vt quis Advocatus ſit idoneus, 4. requiruntur, [1] ut ſit major 17. annis, d. l. §. 1. (2) mas d. l. 1. §. §. 5. *pr.* [3] juriſperitus, l. 2. C. h. t. [4] probæ vitæ, l. 11. §. 1. C. *de Advocat. diverſ. judicior.*

(c) Qualis eſt Clericus, c. 1. *&* 2. Extr. h. t. [2] alienus ab orthodoxa Religione, l. *ult.* C. h. t. [3] qui in cauſa fuit iudex, l. *6. pr.* & §. *ult.* C. h. t. [4] infames, qui tamen pro ſe & cognatis poſtulare poſſunt, d. l. 1. §. *6.* Nec vaſſallus contra dominum poſtulare poteſt, [1] quia id liberto prohibitum; *arg.* l. 2. C. h. t. [2] propter reverentiam, quam domino debet juratam. 2. *feud 6. 7. 22.* 2. *feud.* 24. §. 2.

TH. 11. Officium Advocatorum in ſe eſt laudabile, & ſocietati hominum perquam neceſſarium, l. 14. C. *de Advoc. diverſ. iudicior.* laudatur officium ob has rationes, [1] quia eſt licitum, l. 1. h. t. c. *non licet* 11. q. 3 [2] neceſſarium, ob veritatem cognoſcendam & aperiendam. l. *laudabile* C. *de Advocat. diverſ. judic.* [3] quia Reip. utile ob inſignem operam, quam præſtant Advocati, [4] quia in defenſione bonorum animi, corporis, & fortunæ, conſpicuum, l. 4. C. *de Advocat. diverſ. iudic.*

TH. 12. Sequentia octo vitia Advocatis ſunt fugienda. [1] Aſſumere cauſam iniuſtam defendendam, ita, quod novit, eſſe injuſtam, [2] nolle, aut negligere ſcrutari merita cauſæ aſſumendæ, ſed qualiſcunque ſit cauſa, ſive bona, ſive mala, eam aſſumere tuendam. [3] proſequi cauſam injuſtam, quàm à principio putavit juſtam, quia huiuſmodi proſecutio iniqua eſt, cum adverſario inferatur iniuria; debet enim deſerere cauſam, & movere partem, ut cedat ſeu provideat. [4] Negligere ſtudere, vel ſcrutari merita cauſæ, & adhibere debita remedia; ignorantia autem tunc demum ipſum excuſat, quando & quod debuit, non omiſit, [5] tacere iniquitatem propoſitæ cauſæ ſuo clientulo, qui putat ſe iuſtam fovere cauſam, [6] docere, clientem, proponere, aut dicere falſum, [7] Exigere à clientulo pluſquam debet. Et in his omnibus caſibus intervenit peccatum mortale, quia contra iuſtitiam & charitatem fit, [8] Eſt nolle aut negligere advocare in juſta cauſa pauperis, cum ipſe advocatus poſſit, nec appareat

alius, qui advocet, & ſine cuius adiutorio pauper opprimi creditur, quo in caſu Advocatus patrocinium pauperi debet, ſicut medicus medicari tenetur, ſi in ſimili periculo eſt pauperis ſanitas; quamvis Advocati his miſerabilibus perſonis ex juſtitia aliqua commutativa non obligentur gratis patrocinari, ex charitate tamen & pietate tenentur, quia hæc eſt Advocati eleemoſina. *Exod.* 23. 4. *Matth.* 7. 12.

TITULUS II.

De his, qui notantur infamiâ.
Iung. tit. 12. lib. 2. C.

TH. 1. IN præcedenti titulo dictum, pro alijs poſtulare non poſſe infames; ideo non abs re videtur, brevibus, de illis, qui notantur infamiâ, exponere.

TH. 2. Infamia (a) eſt dignitatis læſæ ſtatus legibus ac moribus improbatus, (b) ſive exprivatio bonæ exiſtimationis.

(a) *Infamia* quatenus pro opinione accipitur, eſt, qua quis à lege, vel honeſtis, gravibuſque viris ob turpe factum virtutis præmio indignus iudicatur.

(b) *arg.* l. 5. §. 2. ff. *de extraord. cognit.*

TH. 3. Cum turpia facta quædam jus & lex expreſsè notet, quædam verò honeſtorum virorum cenſuræ relinquat; unde infamia eſt juris, vel facti *arg.* l. 2. ff. *de obſeq. parent.* l. 13. l. 19. & l. 17. C. h. t. l. 29. C. *ad L. Iul. de adul.* l. 27. C. *de inoffic. teſtam.*

TH. 4. Infamia juris eſt, quæ alicui ob turpe factum cum dolo conjunctum, & legibus notatum, irrogatur, l. 20. ff. h. t. l. 8. & 20. C. *eod.*

TH. 5. Infamia iuris, vel *immediatè* à jure, (a) vel *mediatè* per ſententiam judicis (b) irrogatur.

(a) Cum non exſpectatâ iudicis ſententiâ leges infamia notant eos, qui publicè turpiter egerunt, e. g. qui bina ſponſalia, binaſve nuptias contrahunt, qui lenocinium inſtituunt, id eſt, quæſtuaria mancipia, uxores, vel liberos quæſtuarios habent; hoc autem exercetur, vel *principaliter*, ſi quis ita profiteatur, vel acceſſoriè, per occaſionem alterius negotiationis, ut cauponæ, ſtabuli, balnei, l. 4. §. 5. ff. h. t. l. 43. §. 9. ff. *de R. nupt.* vel aliàs turpiter quæſtum quærunt, ut mulieres ſcenicæ, id eſt, quæſtus faciendi cauſa in ſce-

nam prodeuntes, l. 1. *in fin.* l. 4. §. 2. ff. h. t. l. 43. § *6. & pen.* ff. *de R. nupt.*

(b) Iſtis infamia irrogatur, qui in judicijs famoſis ſunt condemnati, & vel [1] *judicijs publicis*, l. 7. ff. *de publ. jud.* quibus accenſentur calumnia, prævaricatio, l. 1. ff. h. t. tergiverſatio deſiſtentis ab accuſatione, l. *6.* §. *3.* ff. *de decurion.* quæ aliàs publica non ſunt arg. l. 3. ff. de prævaric. l. 1. & 2. ff. *ad SCt. Turpil.* vel [2] *privatis;* delictis, ut furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, d. l. 7. ff. *de pub. jud.* &c. de dolo damnati per ſententiam, à qua non eſt provocatum. Huc pertinet quoque famoſum judicium ſepulchri violati, expilatæ hereditatis actio, quæ adverſus mulierem, quæ prægnans non eſſet, aut ex alio concepiſcet, in bonorum poſſeſſionem eſt miſſa; nota quod nullum interdictum, ut ut ſint ex cauſa delicti, ſit famoſum, l. 13. ff. *unde vi;* nec damnum iniuria datum ex L. Aquilia. vel [3] ex contractu ſimiliter quatuor proficiſcuntur judicia famoſa, e. g. pro ſocio, tutelæ, mandati, depoſiti, l. 1. l. 6. §. *pen. & ult.* ff. h. t §. 2. *Inſt. de pœn. tem. litig.* ratio differentiæ inter hos 4. contractus & reliquos eſt, in his condemnati infames non fiunt, quia in illis fides fit ſimpliciter, at in iſtis 4. in ſuper per amicitiæ ſpeciem videtur promiſſa, cum taliter condemnati ab initio inſigniter probos, nec vulgares amicos ſe nobis oſtentare ſoleant; quo amicitiæ colore mandans ſocius, deponens, pater & Magiſtratus maximè ſunt moti, ut ijs ad negotia gerenda, liberos tuendos, rem cuſtodiendam, & ſocietatem ineundam utantur, qui, ſi fraudent, perditi & nefarij meritò cenſentur.

TH. 6. Infamia facti (a) eſt, quæ alicui ob factum, jure non notatum, quod viri honeſti atque graves iudicant eſſe turpe, irrogatur. l. 13. C. hoc tit.

(a) Quædam facta ita ſunt comparata, ut per ſe adeo turpia non ſint, ut ſuperiora, unde nec digna ſunt viſa, ut in ſpecie lex ea notaret; quin potius ſufficere putavit, ſi bonorum & honeſtorum virorum cenſuræ relinquerentur.

TH. 7. Affinis eſt infamiæ levis macula, l. 27. C. *de inoffic. teſtam.* quæ eſt duplex, vel ex ſordido vitæ genere, quod exercent (a) vel ex illegitima nativitate oritur. (b)

(a) Vt ſunt excoriatores, caſtratores ſuum lictores, carnifices; communiter enim orbis Chriſtianus ſanguinem humanum crebro fundere, horrendum reputat, & ideo non ipſi ſolum carnifices levi macula notati cenſentur, verum inſuper eorum filij; nec quis filias illorum abſque ignominiæ nota ducere in uxorem poteſt.

(b) Quales ſunt ſpurius (qui ex ſcortatione, ſtupro, adulterio, inceſtu) & naturales, id eſt, concubina progeniti, *arg.* l. 5. C. *ad SCt. Orphit.* l. 12. C. *de natur liber.* hi non ſunt infames, ſed tantum levi notantur macula, quia nullum commiſerunt turpe factum.

TH. 8. Se-

TH. 8. Sequentes nec infames, nec levi macula notati propriè, & jure habentur, licet ex vulgi prava opinione tales cenſeantur, ut molitorum, textorum, chirurgorum, balneatorum, tibicinum, & paſtorum, gregem ovium cuſtodientium liberi. Policey.Ord. de anno 1577. t. 30. §. 1. nec (2) legitimati per ſubſequens matrimonium, arg. c. 14. Extr. qui filij ſint legitimi, *Carpz.* p. 2. c. 6. *def.* 12. & 13. quare ſtatuta in collegijs opificum vigentia, & contrarium foventia juri publico derogare, vel præjudicare non poſſunt. nec [3] qui bonis ceſſerunt, ſi per fortunæ adverſitatem in neceſſitatem cedendi inciderint, nec facti, nec juris infamiam incurrunt, l. 11. C. h. t. l. *ult.* C. *qui bon. ced. poſſ.*

TH. 9. Qr. an, qui notoria ſcortatione, adulterio &c. turpem degunt vitam, ipſo jure ſtatim ex facto ſint infames? Reſp. diſting. inter mares & fœminas. illi non ipſo jure, ſed per ſententiam demum judicis damnati ſunt infames, *hæ* verò ſtatim ſunt infames, modo deprehenſæ, id eſt, quamprimum conſtat de proſtrata pudicitia, licet nondum ſint damnatæ; ſi quidem lex in illis factum ſtatim notat, l. 43. §. *pen.* ff. *de Rit. nupt.* ratio eſt, quia major caſtitas ob ſeminis & familiarum confuſionem in mulieribus, quam maribus requiritur.

TH. 10. Qr. utrum condictio furtiva infamet? Reſp. neg. l. 36. ff. de O. & A. ratio eſt, quia directò non deſcendit ex furto, ſive cauſa famoſa, unde nec in ea principaliter dolus vindicatur, ſed petitur rei reſtitutio, adeoque furti & doli ibi fit mentio per accidens.

TH. 11. *Cauſa efficiens* infamiæ *in genere* eſt turpe factum arg. l. 1. §. 5. ff. *de extraord. cognit. in ſpecie* verò infamiæ juris turpe factum & lex ſeu jus notans, *arg.* l. 20. ff. h. t. notat autem, vel immediatè, vel mediatè, (ut Theſi 5. diximus) priori modo per verba iuris, e. g. legis, Scti, plebiſciti, decreti Principis; poſteriori caſu per ſententiam judicis; E. non arbiter, qui non eſt iudex, nec ſententiam ferre poteſt, infamem facit.

TH. 12. Cauſa impulſiva, propter quam infamiâ quis notatur, eſt dolus, vel ſimile crimen in dolum incidens, ut perfidia, ſtellionatus, impoſtura, perjurium. l. *furti* §. *fin.* l. 13. §. *fin.* ff. h. t. hic obſervandum, quod nulla infamia ſine dolo detur, quamvis non omnis dolus infamet.

TH. 13. Hinc qr. utrum infamia ob latam culpam quoque irrogetur? Reſp. affir. quod dolus & culpa (exceptis ſaltem cauſis capitalibus,) perpetuò comparentur, l. 1. §. 1. ff. ſi menſ. falſ. mod. dix. l. 1. §. 1. ff. de O. & A. §. 6. I. *de ſuſp. tutor.* puta ratione effectus, non autem ratione eſſentiæ.

TH. 14. *Forma infamiæ* in eo eſt conſtituta, ut Theſi 5. expoſitum.

TH. 15. *Effectus infamiæ facti* in ſeqq. eſt. [1] infamis à dignitatibus publicis excluditur, l. 2. C. *de dignit.* [2] repulſio ab hereditate teſtamento relicta, ſi vel parentes, vel liberi, vel fratres quoque conſanguinei de inofficioſo egerint, l. 27. C. *de inoffic. teſtam.* [3] infames olim repellabantur à teſtimonio; l. 3. ff. *de teſtam.* hodie tamen infames ad teſtimonium admittuntur, licet non ſint omni exceptione majores.

TH. 16. *Effectus infamiæ iuris.* hac infamia notati habentur inteſtabiles, ideo eorum teſtimonium fidem nullam facit, l. 1. C. *de ſumm. Trinit.* unde hodiè in interrogatorijs examinator rogare ſolet teſtem examinando, num aliqua juris mala laboret; hæc enim enervat omnem fidem, omnem dignitatem & honorem adimit, ita ut cum integræ famæ hominibus infames tales muneris publici non poſſint eſſe participes, d. l. 2. C. de dignit. e. g. in poſtulando, aſſidendo, l. 2. ff. *de Offic. aſſeſſ.* judicando, militando, l. 3. C. *de re milit.* Munera tamen non publica, neque judicialia, ſed privata & extra judicialia, ſuſtinere poſſunt, ne videlicet pœna liberet eos ab oneribus, quæ etiam honeſti ſufferre coguntur, l. 3. §. 2. ff. *de muner.* e. g. tutelam gerere, arbitrum eſſe &c.

TH. 17. Ad effectum quoque ſpectat, quod ea ſemel jure impoſita perpetuò duret, quia immortalis eſt hominum infamia, etiam tum vivit, cum eam quis credit eſſe mortuam. *Excipe* niſi à Principe ſit remiſſa, l. 10. h. t. l. *fin.* C. *de gener. abolit.* vel à populo, ſuperiorum non recognoſcente.

TITVLVS III.

De Procuratoribus & defenſoribus.
Iung. t. 13. lib. 2. C.

TH. 1. HAVD inconvenienter nunc progredimur, iuxta judicij ordinem, ad titulum de procuratoribus; quia etiam exceptio procuratoria (a) ad judiciorum præparatoria & impedimenta, & de procuratoris conſtitutione in litis exordio agi ſolet.

(a) Si quis nec ipſe in judicio comparere poteſt, nec procuratorem, vel defenſorem habet.

TH. 2. Qui non ſunt infames, poſtulare pro ſe & pro alijs poſſunt, & vel cum mandato, vel ſine mandato; cum mandato, vel ut tantum jus ſuggerat, vel ut litem ipſe adminiſtret; ille Advocatus, hic Procurator vocatur. Hic plenius officium habet, quia non ſaltem operam aliquam præſtat, verùm per litis quoque conteſtationem, quæ in ipſius perſona fit, dominus litis conſtituitur, l. 22. & 23. C. h. t. Ille verò ipſe non litigat, ſed tantum litiganti procuratori adſtat, & opem fert. Advocatus nobile habet officium, l. 7. *de poſtul.* contrà, Procuratoris officium cenſetur vile, quia & infames illud ſubire poſſunt, §. *ult. Inſt. de except.*

TH. 3. Procurator (*ein gevolmachtiger*) in genere (a) eſt, qui aliena negotia mandatu domini adminiſtrat. (b)

(a) Vox *Procuratoris* multifariam ſumitur, (1) latè pro eo, qui aliena negotia curat, hoc ſenſu & Curatores bonorum, l. 23. §. 2. ff. *de hered. inſtit.* Curator Reip. l. 30 C. *de curator. Reip.* Curator Cæſaris l. un ff. de offic. procur. Cæſ. negotiorum geſtores. l. 24. ff. *de negot. geſt.* & defenſores, l. 34. §. 1. l. 58. pr. ff. *de ſolut.* l. 13. & 12. ff *de petit. hered.* l. 42. §. 1. ff *de acquir. poſſ.* l. 22. §. 1. ff. *rem. rat. hab.* vocantur Procuratores, (2) magis propriè pro eo, qui ex mandatu adminiſtrat, ſive in judicio, ſive extra judicium, l. 1. pr. ff. h. t. l. 33. h. t. in quo ſignificatu hîc accipitur. (3) pro eo, qui adminiſtrat litem, ſive ab actore, ſive à reo ſit conſtitutus, l. 8. ff. h. t. (4) pro eo, qui ab actore ſaltem eſt datus in iudicio, & defenſori ſine mandato à parte rei opponitur, l. 9. §. 6. l. 34. §. 3. ff. *de jurejur.* l. 6. §. 2. ff. *de his qui not. infam.*

(b) Quatenus *adminiſtrare* de procuratore prædicatur, dupliciter ſumitur, (1) *latè*, denotans officium procuratoris, ſive bonorum, ſive litis, l. 1. l. 33. §. 1. ff. h. t. hoc ſenſu Procurator ab Advocato differt, hic litis conteſtatæ fit dominus, plenéque adminiſtrat, non ille, ſed tantum Procuratori litiganti adſiſtit, (2) *ſtrictè*, ubi adminiſtrare negotia per excellentiam ſignificat negotia extrajudicialia gerere, cui opponitur agere, quod de judicialibus prædicatur. l. 43. pr. h. t. l. 35. ff. eod.

TH. 4. Procurator eſt iudicialis, vel extrajudicialis; ita dividitur ratione objecti, cum alius eſt bonorum, alius litis.

TH. 5. Procurator iudicialis eſt Procurator litis, l. 8. §. 3. ff. h. t. qui ad lites gerendas, ſive agendum, ſ. defendendum conſtituitur, & quidem vel in utilitatem domini, vel in rem ſuam, l. 34. l. 55. ff. h. t.

TH. 6. Quivis habilis conſtitui poteſt procurator. E. ſequentes ob inhabilitatem prohibentur, (1) ob *defectum iudicij*, infans, (a) impubes, (b) furioſus, & mente captus, (c) (2) *ob morbum*, mutus & ſurdus (d) morbo ſontico laborans, (e) *ob ſtatum*, e. g. ſervus (f) *ob conditionem*

potentior, (g) fiſcus, vel Reſp. (h) miles, (i) decurio, (k) reus criminis capitalis, (l) illuſtris perſona, (m) magiſtratum gerens, (n) litium redemptores, (o) *ob ſexum* fœmina. (p)

(a) *arg.* l. 5. ff. de R. I.

(b) *arg.* l. 2. §. 1. ff. de R. I.

(c) d. l. 2. §. 1. ff. h. t.

(d) l. 43. ff. h. t.

(e) l. 54. ff. h. t.

(f) *arg.* l. 9. & 13. ff. *ſi quis caut. iud. ſiſt.*

(g) l. *un.* C. *ne liceat potent. patroc. litig.* Potentiorum enim patrocinium advocans, cauſa cadebat, quia tenuiores importunis potentiorum interceſſionibus ſæpe opprimebantur.

(h) rubr. t. t. C. ne fiſcus, vel Reſp. patroci.

(i) l. 8. §. 2. ff. l. 7. C. h. t. quia pro rei defenſione occupatus eſſe; nec ab ea diſtrahi debet; excipe niſi ſit procurator in rem ſuam, l. 9. h. t.

(k) l. 34. C. *de decur.* ubi procuratio dicitur infamoſiſſima vilitas & ſub graviſſima pœna decurionibus interdicta, quia decurionatus erat honor. l. 7. pr. l. 12. *de decur.* & dignitas, l. 6. & 12. ff. *eod.*

(l) l. 6. C. h. t. Etiam excommunicatus hic repellitur, fingitur enim mortuus C. *nemo* 21. q. 3. Pœna hæc eſt maxima, quia cum excommunicatis ne cibum quidem capiamus, prohibuit Salvator noſter. *Matth.* 18. 1. *Corinth.* 5. E. nec ad iudicia admitti queunt: excommunicatio eſt excluſio à communione ſpirituali.

(m) l. pen. C. h. t.

(n) l. 48. ff. *de judic.* l. 54. ff. h. t.

(o) Qui vel totam litem parvo pretio redimunt, vel partem victoriæ ſibi paciſcuntur, l. 15. h. t.

(p) l. 2. pr. ff. de R. I. l. 18. C. h. t.

TH. 7. Procurator habilis conſtituitur ab eo, qui Procuratorem jure dare poteſt, ut integræ famæ homo, qui mandatum rectè contrahere poteſt, inque judicio legitimè comparere & experiri ſuo nomine poteſt, l. 8. pr. l. 33. pr. ff. h. t.

TH. 8. Procurator judicialis in omni cauſa pecuniaria, ſ. civili, in qua de privato actoris commodo agitur, dari poteſt, ſive ſit privata, ſive popularis, l. *pen.* §. 1. ff. de popul. act. l. 42. pr. ff. h. t. l. 45. §. 1. ff. h. t. Aſt ſi criminaliter in cauſa civili agatur, Procurator non admittitur, l. 39. §. fin. ff. h. t.

TH. 9. In criminalibus aliter ſe res habet, hæ ſunt vel capitales, vel non, l. 1. ff. *an per alium cauſ. app.*

TH. 10. In publico iudicio capitali, (id eſt, cauſa criminali) accuſator ex jure Iuſtinianeo per procuratorem accuſare non poteſt l. *pen.*

ff. *de publ. jud.* l. 25. C. *de his, qui accuſ. non poſ.* l. 15. C. *de accuſ.* quia is, qui agit, in crimen ſubſcribere debet. Hodie in cauſis criminalibus quibuſlibet à parte accuſatoris Procurator admittitur. *Peinlich. Halsger.* O. art. 12. cogitur tamen cavere de expenſis in caſum ſuccumbentiæ, & ratione iniuriarum. ideoque poteſt dare procuratorem, ceſſante talionis pœna.

TH. 11. Contra reus in publico judicio capitali ſe per procuratorem verum plenè defendere nequit, d. l. *pen.* ff. *de publ. iudic. arg.* l. 2. C. h. t. l. 11. §. 2. ff. *ad L. Iul. de adult.* per alium tamen cauſas abſentiæ allegare, & innocentiam defendere poteſt, ne abſens innocens damnetur, l. 33. §. 2. hoc tit. licet ipſam cauſam principalem verè agere nequeat. l. 1. ff. *an per ali. appell.*

TH. 12. In iudicio criminali non capitali iterum eſt diſtinguendum, utrum pœnam habeat pecuniariam, & relegatione minorem, an non, id eſt, ex quo relegatio ſequi poteſt. d. l. 1. l. 5. ff. *de pæn.* l. 33. §. 2. ff. h. t. hinc in illis admittitur Procurator etiam à parte rei; non verò in his, *Peinliche halſgerichts ordnung*, art. 286.

TH. 13. Procurator extrajudicialis eſt, qui extrajudicialia negotia curat. l. 33. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 14. Procurator eſt, vel in rem ſuam, vel in alienam; hic propriè, ille analogicè dicitur Procurator, dicitur tamen talis ratione actionis mandatæ.

TH. 15. Procurator in rem ſuam eſt, qui negotium alienum ad ſuum emolumentum adminiſtrat. Procurator in rem alienam eſt, qui negotium alienum ad alterius emolumentum adminiſtrat.

TH. 16. Procurator in rem ſuam conſtituitur duobus modis, [1] cum dominus actionem ſuam cedit alteri in eius utilitatem, id eſt, cum dominus omne ſunm jus circa rem aliquam, iuſto titulo in alterum transfert, ut ipſe actionibus inde competentibus in ſuam utilitatem experiatur. l. 25. h. t. l. 9. C. h. t. l. 2. 6. C. de O. & A. l. 22. *in fin.* C. *de mand.* l. 18. C. *de legat.* [2] cum quis eum, à quo cauſam, & quem inde obligatum habet, procuratorem dat, ut is ſuo periculo experiatur. l. 42. §. 2. ff. h. t. l. 66. §. 2. ff. *de evict.*

TH. 17. Procurator eſt *generalis*, ſive univerſorum bonorum, vel *ſpecialis*, ſ. quarundam rerum, ſ. certæ cauſæ. l. 25. §. 1. ff. *de minor.* l. 63. h. t.

TH. 18. *Procurator generalis* ſubdividitur in eum qui eſt cum libera, vel ſine libera adminiſtratione, *arg.* l. 58. 60. & 63. ff. h. t. c. 4. *de Procur. in 6. Ille* eſt, qui liberam habet adminiſtrationem, hic, qui totorum bonorum, vel actionum habet adminiſtrationem, aſt non liberam.

Ideo hic non poteſt alienare, ut ille. l. 58.

TH. 19. Procurator ſpecialis eſt, qui eſt unius, vel plurium certarum rerum., vel litium. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 20. Iure civili ſententia in Procuratorem fertur, l. 1. C. *de ſent.* quia is fit dominus litis, (a) cujus dominij poteſtas eſt, quod in alium ſententia ferri non poſſit; ideo iure ſtricto Procuratorem judicati actio ex litis conteſtatione oriens tenet. *arg. l.* 11. §. 1. ff. *de novat. Iure canonico*, quod hodie hoc in caſu eſt æquius, ſequimur; cauſa quidem quoad alia agitur per Procuratores, ſed ſententia indiſtinctè in dominum concipitur. *Gail.* 1. *obſ.* 111.

(a) Dominus latè dicitur, quatenus, ſc. pro facultate & jure, quòd Procurator inſtar domini, lite, conteſtata, ad litem, ſive cauſam & actionem habet, ſumitur.

TH. 21. *Cauſa efficiens Procuratoris* eſt conſenſus domini conſtituentis, & Procuratoris conſtituti; iuſſus verò iudicis per accidens, quatenus quis aliàs, vel nullum poteſt habere, vel ob cauſam odioſam renuitur procuratio.

TH. 22. *Materia circa quam* ſunt aliena negotia; in proprijs namque negotijs nemo ſibi ipſi eſt Procurator. l. 42. §. *is cui.* ff. h. t. ſicut enim nemini res ſua ſervire dicitur. l. 26. *ff. de S. V. P. l.* 5. *ff. ſi uſufr. petat.* ita nemo rerum ſuarum Procurator, aut ſervus eſſe poteſt, quia hæc nomina & officia ſunt relativa, quæ ad alium dominum habent reſpectum, cum vna perſona in eodem negotio ſimul Procurator, ſeu ſervus & dominus eſſe non poſſit; differentia eſt in verbis mandatu domini, quo tanquam forma ſpecifica Procurator à defenſore, negotiorum geſtore, tutore, curatore, adminiſtratore civitatis & ſimilibus ſecernitur; negotiorum enim geſtorum & defenſor ſine mandato negotiantur; tutor verò & curator, &c. non mandatu domini, ſed publica authoritate, vel teſtatoris, vel legis, vel Magiſtratus; contra Procurator privati domini authoritate adminiſtrat.

TH. 23. *Forma* Procuratorem conſtituendi conſiſtit in conſenſu, ut per pactum. l. 1. *&* 35. ff. h. t. nuntium, literas, l. 1. *in fin. &* l. 2. ff. h. t. ratihabitionem. l. 27. l. 42. ff. h. t. conſtituitur Procurator, tam præſens & coram, quàm abſens per epiſtolam, vel nuncium. l. 1. & 5. l. 33. h. t. l. 1. ff. *mandat.* vel in *præſens*, ut ſtatim negotium gerat, vel *in diem*, ut poſt Calendas Iunij, vel *ad diem*, l. 3. ff. h. t. ut uſque ad annum, vel ſub conditione. d. l. 3. ut ſi Titius litem moverit.

TH. 24. *Finis Procurationis* eſt, ut quia domini interdum rebus ſuis

ſupereſſe, vel nolunt, vel non poſſunt, eorum negotia per alios ad id idoneos expediantur. l. 1. *in fin.* ff. h. t. ideo Procurator datur, vel ad agendum, ut in iudicio, vel adminiſtrandum ut extra iudicium.

TH. 25. *Effectus* eſt, ut, qui ſuſcepit, etiam invitus abſolvere, & exſequi mandatum authoritate Magiſtratus cogatur, quia Prætor ſe eum coacturum edicit. l. 8. §. *fin.* l. 35. §. *fin.* ff. h. t. Excipe, niſi Procurator, ob iuſtiſſimam cauſam ſe excuſare poſſit, e. g. propter valetudinem, aut neceſſariam peregrinationem, aut inimicitias capitales, poſtea inter ipſum & dominum intervenientes, aut ob alias incidentes occupationes graves, quibus alienis negotijs expediendis ſupereſſe ſine ſuo damno non poteſt; cum nec æquum, Procuratorem compelli, vt ſuis neglectis, aliena providere atque perſequi cogatur. l. 8. §. *fin. & ll. ſeqq.* ff. h. t. ne ſuum officium ei ſit damnoſum. l. 7. *pr. ff. quemadm. teſtam. aper.*

TH. 26. Notandum, diverſas eſſe cautiones, quas Procurator actoris, vel rei præſtare tenetur. *Procurator actoris* de rato (a) cavere tum demum tenetur, ſi dominus eius ſit abſens, aut dubitetur de mandato producto. l. 39. §. 1. ff. h. t. l. 1. C. *eod.* *Procurator rei* de rato non cavet, quia reus, cujus vices ſupplet, non agit, ſed excipit, & ab alio illatam ſuſcipit actionem. l. 45. §. *fin.* ff. h. t. l. 5. §. *fin.* & l. 6. ff. *de novi oper. nunt.* Præſtat verò hic cautionem de iudicato ſolvendo.

(a) Vbi cavet, dominum ſuum velle rata habere, quæ agit.

TH. 27. Defenſor eſt, qui iudicium (a) rei nomine ſine mandatu ſuſcipit, & eandem vicem, quam Reus ipſe ſuſtineret, ſubit. (b)

(a) In quo ſtandi legitimam habet perſonam.

(b) l. 51. §. 1. ff. h. t. qui non ſolum ſatisdare debet iudicatum ſolvi. l. *un. in fin. C. qui ſatiſd. cog.* §. 2. *Inſt. de ſatiſdat.* ſed etiam, ſi actio in rem ſit inſtituta, de rato cavere.

TH. 28. Licet nemo ſine mandato Procurator eſſe poſſit alterius, niſi conjuncta perſona, cui præſumitur dominus hoc mandaſſe, aliud tamen in defenſoribus obſervatur, ut etiam extranei citra mandatum admittantur, quia cauſa defenſionis eſt privilegiata, cum publicè interſit, cunctos, etiam ignorantes defendi. l. 33. §. *pen.* ff. h. t.

TITVLVS IV.

Quod cuiuſque univerſitatis nomine, vel contra eam agatur.

TH. I. HACTENVS de privatorum Procuratoribus tractavimus, ſubjicitur nunc univerſitatis Procurator, qui dicitur Syndicus.

TH. 2. Vniverſitas (a) eſt corpus populi ex diſtantibus perſonis collectum, & unitum communibus iuribus, (b) rebus & perſonis ad communem utilitatem utens. Sive eſt hominum in ſocietate civili viventium communitas. l. 1. §. 1. h. t.

(a) Vt collegium, ſocietas, civitas, municipium, &c.
(b) De rebus ad eorum artem & profeſſionem ſpectantibus.

TH. 3. Pauciores quam tres non conſtituunt collegium, quamvis illud unus retinere & conſervare poſſit. l. 7. §. *fin.* ff. h. t. & ſi omnes ex collegio ſint mortui, ius collegij in illum unum recidere ſolet, & in eo ſolo collegij nomen ſtat. d. l. 7. §. *fin.* ob id ſententia ab uno conſultore prolata valet; hic unus & ultimus collegij de bonis eiuſdem diſponere poteſt & teſtari. *Carpz. p.* 2. *c.* 6. *def.* 21.

TH. 4. Collegia in iure regulariter ſunt prohibita, ut & privata conventicula. l. 15. C. *de Epiſc. & cler.* Excipe quæ lex aut Princeps bono publico, vel patitur, vel permittit, ut ſunt collegia mercatorum, piſtorum & aliorum opificum ſingulis in civitatibus, quorum opera communitas civium carere non poteſt.

TH. 5. Collegium ab univerſitate, ut pars à toto differt, quia collegium non eſt totius univerſitatis, ſed partis: & ſicut univerſitas, ita & collegium perpetuò durat, quoad vna perſona ſupereſt. l. 7. §. 2. hoc tit.

TH. 6. Quæritur, an univerſitas delinquere poſſit? Reſp. diſting. inter delicta in omittendo & committendo conſiſtentia; prius cadit in univerſitatem, e.g. ſi teneatur aliquid facere & omittat, licet per negligentiam & culpam adminiſtratorum. l. 14. C. *de SS. Eccleſ.* In poſteriori iterum diſtinguitur; quia in cōmittendo conſiſtentia, vel tantum fieri poſſunt ab univerſitate (quæ perſona quædam ficta & myſtica, ſeu ex pluribus naturalibus intellectu qſ. abſtracta, quia ab alijs expedire nequeunt

nequeunt) ut facere ſtatuta,exercere iuriſdictionem, imponere collectas,quo ſenſu delinquere dicitur. *Auth. item nulla communitas. C. de Epiſc.& Cler.* vel non reſpiciunt univerſitatem quâ talem, ſed veram & naturalem perſonam requirunt,e.g.homicidium,dolus, inferre vim & metum,&c. eiuſmodi enim non committuntur ab univerſitate,verùm ab adminiſtratoribus civitatum, vel ſingulis. Obſeruandum,univerſitatem tunc demum delinquere, ſi ſequentia adſint; [1] ut probetur,univerſitatem illud delictum commiſiſſe, non ſingulos,[2] conſilio generali per capita domorum congregato,[3]communicato conſilio,& præcedente deliberatione, *Gail. 1. de PP.c.* 12.

TH. 7. Si quid ab univerſitate ſit ſtatuendum, vel decidendum,non præciſè eſt neceſſarium, ut omnes in univerſum conſentiant, ſufficit majorem univerſitatis partem (a) in rebus,ad univerſitatem ſpectantibus, ſua dediſſe vota & ſuffragia; plurima enim vota concludunt. l.19.ff.*ad municip.* l.2.& 45.C.*de decur.* E.Syndicus à maxima univerſitatis parte legitimè conſtitui poteſt. d. l. 19.

(a) Quæ in duabus univerſitatis partibus conſiſtit, l. 3. ff. h. t.

TH. 8. Contra in ijs, quæ ad ſingulos de univerſitate,tanquam ſingulos,non ut univerſos pertinent, majora vota non ſufficiunt, verum omnium & ſingulorum approbatio eſt neceſſaria. l. 29. ff. de R. I.

TH. 9. *Syndicus* eſt, qui univerſitatis mandato eiuſdem negotia adminiſtrat.

TH. 10. Syndicus conſtituitur ab ijs, quibus corpus collegij,ſocietatis,ſive cujuſque alterius univerſitatis habere licet.

TH. 11. Syndicus ad unam, vel aliam cauſam ſubſtituere poteſt.l.6.§. fin. ff. h.t. & ſubſtitutus vocatur actor.

TH. 12. *Cauſa efficiens* Syndici,qui conſtituitur aut à lege, ſive conſuetudine, (a) aut ab univerſitate,vel majore eius parte, (b) aut ab ordine, (c) vel ab ijs,quibus ordo conſtitutionem eius commiſit. (d)

(a) Vt cum lex,vel conſuetudo vel ſtatutum univerſitatis hanc poteſtatem concedit, l 1. h.t. e. g. ſi iubeat conſtitui maiorem natu, aut ſapientiorem, aut alium ex certo ordine, ſive familia. l. 3. h. t.

(b) Lege vel conſuetudine deficiente, conſtituitur Syndicus ab univerſitate,& quidem vel tota,vel majore eius parte,qui omnes & ſinguli ad hanc Syndici creationem ſunt citandi; quod enim omnes tangit,ab omnibus approbari debet. l. *fin. C. de author. præſt.* aut ad minimum citari,etiamſi nonnulli emaneant, reliqui concludere,actumque perficere queunt;nec intereſt qualiſnam ſit univerſitas, ſive nobilium,ſive civium, ſive etiam ruſticorum, ſive ſtudioſorum in uno collegio commorantium. l. 1. pr. h. t.

(c) Putà ordine decurionum. d. l. 3. id eſt, Magiſtratuum in ſingulis oppidis; quod haud raró obtinet, ut communitatis nomine Magiſtratus ius populi exerceat. l. 2. §. 9. ff. de O. I.

(d) Quod plerumque tribus, vel quinque committi ſolet; quia id ab ordine fieri dicitur, quod fit ab his, qui authoritatem ab ordine habent.

TH. 13. *Cauſa impulſiva* Syndicum conſtituendi eſt neceſſitas; quia abſque conſtitutione Syndici communitas nec agere quicquam, nec cum ea agi quippiam rectè poteſt. l. 7. §. 1. h. t.

TH. 14. *Materia circa quam*; conſtituitur Syndicus, tam in criminalibus, (cùm univerſitas etiam crimina committere poteſt) quàm in civilibus, aſt in criminalibus cum mandato ſpeciali. l. 3. ff. *qui accuſ. non poſſ.* quod ſecus eſt in Procuratore privato, qui ad criminalia non indiſtinctè admittitur, *de quo t. præced.*

TH. 15. Forma in Syndici creatione antiqua præ primis forma & conſuetudo obſervari debet, deficiente conſuetudine, ſecundum iuris normam progrediendum, ut ſc. omnes, à quibus Syndicus conſtitui oportet, in locum aliquem publicum convocentur, & quidem uno & eodem tempore. l. 2. C. *de decur.* per ſonitum campanæ, aut tubæ, aliudve uſitatum ſignum. Electo Syndico, inſtrumentum ſuper ea re conficiendum eſt, ut eo facilius Syndicatus probari poſſit.

TH. 16. *Finis*, ob quem is conſtituitur, eſt utilitas & neceſſitas partim univerſitatis, partim eorum, quibus lis & negotium cum univerſitate intercedit; quia univerſitas nec conveniri, nec agere commodè poteſt, niſi per Syndicum, univerſitatem repræſentantem.

TH. 17. *Effectus.* Syndicus non minorem Procuratore privato, impetrat poteſtatem. d. l. 6. §. *fin.* h. t. ob id fit dominus litis, cui rectè promittitur, omniaque agit, quæ ab univerſitate aliàs præſtari poſſunt, cum ſemper cum libera conſtitutus præſumatur, etiamſi hoc non ſit expreſſum. *Gail. 2. obſerv. 72.*

TITVLVS V.

De negotijs geſtis.

Iung. tit. 19. lib. 2. C.

TH. 1. ANTECEDENTIA de ijs, mandato alterius res alienas procurantibus, ſive adminiſtrantibus dicta ſufficiant. Sequitur h. t. is, qui ſine mandato alienas res curat, dicitur negotiorum geſtor.

TH.2. Negotiorum (a) geſtio (b) eſt qſ. contractus, (c) quo quis negotium alterius (d) ſine mandato adminiſtrat. (e)

(a) *Vox negotiorum* varias habet ſignificationes, (1) ſumitur *generaliſſimè*, quodcunque inter duos eſt actum. l. 1. §. 3. ff. *de pact.* (2) litem. l. 7. C. *de jur. & fact. ignor.* unde negotia liberalia. l. 40. C. *de liber. ca'ſ.* negotium ſtatus. l. f. C. *de ord. cognit.* (3) quemcumque contractum, ſ. conventionem. l. 48. ff. *de* O. & A. (4) ſtrictè in contractibus innominatis cauſam, ſ. dationem, vel factum. l. 15. ff. *de P. verb.* (5) *Propriè & ſpecialiter*, uti hic denotat, quod quis ſine mandato gerit, vel adminiſtrat, & eſt quaſi contractus. l. 2. l. 10. §. 1. ff. h. t. l. 13. C. *eod.* §. 1. *Inſt. de obl. quæ ex qſ. contr.*

(b) Negotium *gerere* ſumitur hic latè; ideo non tantum adminiſtrationem continuam & ſucceſſivam, ſed & momentaneam ſignificat; imò quodcumque factum, per quod alterius commodum promovetur, e. g. ſi quis pro aliquo fidejuſſerit. l. 4. *&* 5. ff. h. t. aut ſolverit. l. 39. l. 45. §. *ult.* h. t. aut in ſervum ægrotum curandum impenderit. l. 6. §. *ſi quis.* h. t. aut negotium gerendum mandaverit. l. 21. §. *ult.* l. 28. h. t.

(c) Quia inter geſtorem & alterum, cuius negotia ſuſcepit geſtor, nullus intervenit conſenſus & conventio, quæ verum conſtituit contractum; ideo ſecundum iuris rigorem nulla negotiorum geſtori adverſus dominum competit actio, cum eum ſibi non habeat ob expreſſi conſenſus defectum obligatum, ob utilitatem tamen publicam, ne res abſentium maneant indefenſæ, & non adminiſtratæ, æquitate dictante, actio datur, & alter alteri ex tacita quadam conventione obligatur, præſumitur enim dominus, ſi talem prævidiſſet caſum, haud invitus utilem hanc negotiorum procurationem conceſſurus. l. 5. §. 1 ff. de O. & A.

(d) Negotium alterius eſſe dicitur, [1] cuius cura & ſollicitudo ad me pertinet, licet aliàs ſit alterius, e. g. negotium pupilli & minoris, cum ſim tutor, vel curator, l. 6. pr. h t. [2] cum in rem alienam impendo. l. 5. §. 1. ff. h. t. [3] quod nomine alterius, qui illud ratum habet, gero. l 6. §. *item*, ff. h. t. [4] quando alterius debitum ſolvo. l. 39 ff. h. t. Hinc patet, quod non debeat eſſe negotium proprium. d. l. 6. §. 4. h. t.

(e) Quia frequenter fieri ſolet, ut eorum, qui propter ſubitam feſtinationem, nulli demandata rerum ſuarum curâ, peregrè ſunt profecti, negotia amici præſentes ſponte ſuſcipiant, ne neglecta pereant, aut ab alijs ob dominorum abſentiam poſſideantur.

TH.3. Ex hac negotiorum geſtione eſt obligatio, ex obligatione actio negotiorum geſtorum, quæ eſt actio in perſonam civilis, non prætoria, quamvis à Prętore proponatur, niſi per accidens, aliàs actio commodati, depoſiti. l. 1. ff. *commod.* l. 1. ff. *depoſ.* & quævis aliæ civiles cenſerentur prætoriæ, cum omnes à Prætore edicto proponantur. Contra, illæ ſunt Prætoriæ, quas Prætor proponit in edicto ſuo, inducendo, ſive introducendo; non verò quas profert commonefaciendo, ne cives ius commune, cui convenienter vivere obligantur, ignorent §. 3. *Inſt. de act.*

TH. 6. Actio hæc eſt [1] rei perſecutoria, (a) [2] bonæ fidei, (b) [3] ad heredes tranſitoria, (c) [4] generalis. (d)

(a) Quâ perſequitur quis id, quod propter hanc obligationem debetur, *arg.* l. 2. ff. h. t.

(b) § 28. *Inſt. de action.*

(c) l. 3. §. 7. ff. h. t.

(d) l. 38. *pr.* ff. *pro ſocio.*

TH. 7. Actio negotiorum geſtorum eſt duplex, directa (a) & contraria.

(a) Hæc dupliciter conſideratur, [1] quatenus directa opponitur utili, quo ſenſu *directa* eſt, quæ ex ipſis legis verbis deſcendit, *utilis* verò quæ ex æquitate & interpretatione datur, (2) quatenus opponitur contrariæ, in ijs ſc. contractibus, qui ab initio non utrimque obligationem pariunt, unde eſt contraria mandati, pignoratitia, tutelæ, depoſiti, commodati, quæ actiones quoque iuxta priorem acceptionem ſunt directæ.

TH. 8. Actio negotiorum geſtorum directa competit ei, cuius negotium eſt geſtum, adverſus negotiorũ geſtorem, ad id, ut geſtionis reddat rationem. l. 2. l. 8. §. 2. ff. h. t. & omne id, quod ad ipſum ex geſto pervenit. l. 8. §. 1. ff. h. t. aut quod percipere potuit. l. 19. §. 4. ff. h. t. [2] ex hac obligatione fluit, quod ſummam diligentiam in adminiſtrando adhibere debeat, præſtetque dolum. d. l. 19. §. 3. l. 11. h. t. latam, levem & leviſſimam culpam. §. 1. *Inſt. de oblig. quæ ex qſ. cont.* l. 1. §. 4. ff. *de* O. & A. l. 6. §. *fin.* ff. h. t. l. 24. C. *de uſur.* §. 2. *Inſt. quib. mod. re contr. obl.* unde uſuras præſtare tenetur, ſi pecuniam acceptam, cnm commodè & tuto poſſet, non elocaverit fœneri, imprimis ſi dominus id facere ſolitus fuerat. l. 31. l. 37. §. 1. h. t. l. 13. §. 1. ff. *de uſur.*

TH. 9. Actio contraria competit ei, qui negotium utiliter (a) geſſit, adverſus dominum, ad præſtandum quicquid eo nomine, vel abeſt, vel ab futurum eſt.

(a) Et quidem tribus in caſibus hæc utilitas eſt notanda, [1] ſi ab initio utile fuit, licet poſtea non ſucceſſerit, vel non duraverit, id eſt, ſi in rem ut bonus paterfam. impenderit, licet fortè eventus non reſponderit. l. 10. & 27. ff. h. t. e. g. ſi inſulam fulſerit, vel ægrotum ſervum curaverit, etiamſi inſula eſt exuſta, vel ſervus obijt, geſtor aget negotiorum geſtorum, (2) ſi domino ſoli fuit utile, vel [3] ſi pro utili dominus habeat. l. 9. pr. l. 10. h. t.

(b) Dominus negotiorum geſtori impenſas neceſſarias & utiles, & omne id, quod occaſione ei abeſt, ſolvere tenetur. l. 9. 28. 33. 45. ff. h. t. quia iniquum eſſet, alicui ſuum officium eſſe damnoſum. l. 45. h. t. l. 7. ff. *quemadmod. teſt. aper.* putà ſi negotiorum geſtoris culpa non acceſſerit.

TH. 10. Actio contraria geſtori non competit, vel pro parte, (a) vel in totum. (b)

(a) Putà, ſi quis aliena negotia ſui lucri cauſa geſſerit, tunc enim ſolum datur actio in quantum locupletior dominus eſt factus, d. l. 6. §. 3. ff. h. t.

(b) Nimir. (1) ſi quis inviti aut prohibentis negotia geſſerit, l. f. C. h. t. vel (2) ſi quis donandi animo & pio affectu quid impenderit, l. 27. §. 1. l. 34. l. 44. ff. h. t. l. 11. l. 15. C. *eod.* e. g. ſi quis infantibus, quos naturaliter alere obligatur, alimenta ſubminiſtraverit, l. 5. §. 1. *& ſeqq.* ff. *de agnoſc. & al. lib.* ut mater, l. 11. C. h. t. avia l. 34. h. t. Hic affectus non æquè in avunculo, & vitrico præſumitur. l. 18. C. h. t.

TH. 11. Qr. an quis mortui negotia genere poſſit, ut inde heredem habeat obligatum? Reſp. affir. l. 3. *pr.* h. t. ut ſi quis modicè, & utiliter impendat pro defuncto funerando arg. l. 13. C. h. t. l. 1. ff. *de religioſ. & ſump. fun.* vel ſi quis monumentum defuncto fecerit, l. 31. §. 4. h. t. ubi cum herede juſtè actio ob hanc negotiorum geſtionem inſtitui poteſt.

TITVLVS VI.

De Calumniatoribus.

Iung. tit. 46. lib. 9. C.

TH. 1. QVI ſuo, qui alieno nomine poſtulare queant, in præcedentibus docuimus; adjicitur nunc quomodo poſtulare debeant; animo ſc. candido, juris ſui perſequendi, & non alterius vexandi cauſa; hoc enim facientes nominantur juris calumniatores, qui per fraudes & fruſtrationes alios vexant litibus; l. 133. ff. *de* V. S. in ſpecie, in criminalibus qui falſa crimina ſcienter intendunt, l. 1. §. 1. ff. *ad SCt. Turp.* Hi juſtè poſtulantibus & procuratoribus, aliorum lites perſequentibus & defendentibus directò opponuntur.

TH. 2. Calumnia (a) eſt, qua quis pecuniam, vel aliud compendij accepit, ut alicui negotium faciat, vel non faciat, l. 1. *pr.* l. 3. l. *pen.* ff. hoc tit.

(a) Calumnia & calumniari à calvire, id eſt, decipere, fruſtari dicitur. *Latiſſimè* autem calumnia denotat quamvis malitiam, ut proœmio Inſtit. calumniantium iniquitates, hinc trahitur ad res judiciarias, & (1) *latè* ſignificat quamlibet frudulentam in judicio vexationem, ſive fiat agendo, ſive

excipiendo, ſive in criminalibus, ſive civilibus. l. 1. & t. t. ff. *ad SCt. Turpill.* (2) *Stricte,* quando acceptâ pecunia in civilibus agendo, vel excipiendo quis vexatur, l. 1. §. 2. l. 7. ff. h. t.

TH. 3. Ex calumnia datur actio, quæ eſt in perſonam (a) in factum, (b) competens illi, qui calumniam paſſus eſt, & vel pecuniam, vel aliud compendij non turpiter dedit, (c) vel eius nomine eſt data.

(a) Quia eſt ex delicto.

(b) l. 5. §. 6. *in fin.* ff. h. t.

(c) E. non datur illi, qui pecuniam dedit, ut alter vexaretur litibus, quia turpiter fecit. l. 3. §. f. h. t. neque (2) illi competit, qui dedit, ne quis alteri negotium faciat. l. 7. *pr.* ff. h. t. quia ei lis iſta non eſt mota, datur tamen huic condictio ob turpem cauſam, d. l. 7. h. t. *heredi* verò non datur hæc actio in quadruplum collata: ſed datum per condictionem ob turpem cauſam ſolummodo ei repetere licet. l. 4. h. t. ſicque heredi ſufficit eam pecuniam, quam defunctus dedit, recuperare. d. l. 4. h. t.

TH. 4. Actio ea datur adverſus calumniatorem, d. l. 1. 2. 3. pr. §. 1. & 2. ff. h. t. quemvis quæſtum ſ. lucrum accipientem, l. 178. l. 5. ff. *de* V. S. in heredem quoque competit, quatenus ad eum pervenit, l. 5. pr. h. t.

TH. 5. Datur ad id, ut calumniator pecuniam acceptam reddat, (a) vel pœnam ſolvat, intra annum in quadruplum (b) poſt annum in ſimplum. (c)

(a) l. 1. pr. ff. h. t.

(b) Quod non ut mera pœna à reo exigitur, verum ut continens rem, id eſt, ipſam pecuniam. E. in iſto quadruplo triplum tantum eſt pœna, ſimplum v. eius, quod ipſi abeſt, quoque continetur l. 5. §. 1. h. t. l. 35. ff. *de* O. & A.

(c) Id eſt, ſolam pecuniam acceptam, l. 1. pr. h. t. §. 1. Inſt. de perpet. & temp.

TH. 6. Ex Th. 5. patet, quod actione quadrupli inſtituta conſumatur condictio. è contrario, ſi condictio inſtituatur, ob id actio calumniæ non in totum, ſed tantum in ſimplum tollitur. Hinc licet quis prius condictione ſimplum, ſ. rem datam ſit conſecutus, tamen triplum, tanquam pœnam poſtea petere poteſt. d. l 5. §. 1. h. t. l. 7. §. 1. ff. *commod.*

TH. 7. Hæc actio eſt pœnalis non pura, ſed mixta, in qua ineſt rei perſecutoria, l. 5. §. 1. h. t.

TH. 8. Nullus fermè huius edicti hodie eſt uſus; interim ſi eiuſmodi calumnia accidat, intereſſe peti, & pœnam arbitrariam, infligi eſt permiſſum. *Cujac.* 7. *obſ.* 1. & 12.

LIBER QVARTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De in integrum reſtitutione.
Jung. tit. 47. lib. 2. C.

TH. 1. PERSONAS litigantes, quæ & quomodo poſtulare queunt in ſuperioribus ratione inſtituti noſtri & temporis, perſpeximus; jam ad cauſas, ſive lites ipſas deſcendendum eſt.

TH. 2 Cauſæ, ſ. controverſiæ ſunt privatæ, (a) vel publicæ. (b)

(a) Illæ ſe extendunt uſque ad tit 14. lib. 49. & tractantur, vel in prima inſtantia, vel in ſecunda ſc. appellationis, de qua à lib. 49. uſque ad t. 14. ibidem.

(b) Hæ concernunt vel [1] actus per ſe licitos, ut facta cum alio ſponte celebrata, id eſt, negotia civilia, vel [2] delicta, id eſt, actus per ſe illicitos, ut facta cum alio geſta, ita ut alter invitus patiatur. l. 52. ff. *de re jud. de quibus lib.* 47. & 48. Circa iſta negotia civilia intentatur controverſia, ſ. cauſa apud Prætorem, qui propter defectum actionis, caſu aliquo amiſſæ ex ſpeciali æquitatis cauſa reſtituit, *de quo lib. hoc* 4. hæc reſtitutio fit, vel generaliter, *uti* t. h. 1. vel ſpecialiter, *ut in & ſeqq. proponetur.*

TH. 3. In integrum reſtitutio (a) eſt redintegrandæ rei, vel cauſæ actio. (b)

(a) Id eſt, in integrum ſtatum repoſitio, vel reductio.

(b) Id eſt, imploratio officij Prætoris, qui extra ordinem ſuccurrit contra ius civile, & quod alioquin ipſo jure ſtricto valet, reſcindit; quod tamen intelligendum eſt de pactis illicitis, quæ tollit æquitas.

TH. 4. Reſtitutio in integrum eſt duplex, vel fit [1] ex gratia, vel ex juſtitia, ſ. per iudicium; id eſt, alia eſt gratiæ, alia iuſtitiæ. l. 1. §. 10. ff. *de poſtul. illa*, quâ damnati ex indulgentiâ Principis in integrum reſtituuntur, & priſtinum honorem, famam, & bona ſua recipiunt, l. 1. C. *de ſentent. paſſ.* Hæc, quæ ob læſionem bonorum ex cauſa juſtitiæ & æquitatis iudicio tribuitur; eſtque iterum duplex *civilis*, ſ. ordinaria, & *Prætoria*, ſ. extraordinaria. Civilis ex iure civili deſcendit, ut l. 33.

ff. *de re jud.* l. 31. *de jurejur.* l. 2. C. *de reſcind. vend.* l. 3. C. *ex quib. cauſ. maj.* Prætoria, iure prætorio eſt introducta; hic tantum de prætoria agitur reſtitutione.

TH. 5. In integrum reſtitutio eſt remedium extraordinarium, quod tripliciter ita dicitur, [1] *ratione proceſſus*, ſ. modi procedendi, ita actio furti, quæ civilis, ſi inſtituatur criminaliter, dicitur id fieri extraordinariè, l. *fin.* ff. *de furt.* l. *fin.* ff. *de iniur.* l. *ult.* ff. *de priv. delict.* [2] *ratione ſolemnitatis.* Sic olim omnia judicia erant ordinaria, quia fiebant ordinariè penes iudicem pedaneum; hodie coram Magiſtratu fiunt, & ſunt extraordinaria, §. *fin.* I. *de interd.* [3] *ratione cauſæ efficientis*, ſ. originis, quo ſenſu omnes actiones dicuntur eſſe ordinariæ, quæ cauſam efficientem & originem jus civlie habent, *arg.* §. 3. *Inſt. de act.* Extraordinaria verò ſunt, quæ non ex jure civili, ſed Prætorio originem habent, uti hic l. 35. ff. *de* O. *&* A. l. 14. §. 2. ff. *quod met. cauſ.* l. 16. ff. *de minor.*

TH. 6. Minores Magiſtratus & municipales in integrum reſtituere non poſſunt, l. 26. ff. *ad municip.* quia reſtitutio in integrum eſt iuriſdictionis excellentioris, quę magis in imperando, ac jubendo conſiſtit, quam in nudo iure dicendo, l. 26. §. 1. ff. *ad municip.* l. 4. ff. *de iuriſd.* Moribus verò hodiernis reſtituendi in integrum facultas omnibus Magiſtratibus, iuriſdictionem habentibus conceditur.

TH. 7. Duo ſunt reſtitutionis in integrum requiſita, [1] læſio, [2] juſta læſionis cauſa; quia Prætor ante cauſæ cognitionem, an eorum petitio iuſta; nemini hoc beneficium concedebat; cognitâ verò iuſta læſorum petitione, deceptos, ſive læſos in eum ſtatum, in quo ante deceptionem aut læſionem erant; æquitate ductus reponit, atque reducit.

TH. 8. Ob rem minimam (id eſt, 2. aureis minorem) læſus non reſtituitur in integrum; minima enim non curat Prætor, l. 4. h. t.

TH. 9. Reſtitutio intra legitimum tempus peti debet, l. *ult.* C. *de temp. in integr. reſtit.* Iure veteri tempus petendæ reſtitutionis in integrum erat annale, ſeu annus utilis, qui ex diebus utilibus, quibus experiundi iudicij copia eſt, conſtat, l. 1. ff. *de diverſ. & temp. præſcript.* jure novo Conſtantinus [1] in reſtitutione ex cauſa doli, loco anni utilis biennium ſubſtituit, l. *ult. C. de dol mal.* [2] in reſtitutione minorum Romæ, & intra centeſimum lapidem quinquennium, in Italia reliqua quadriennium, & in provincijs triennium, l. 2. C. *Theod. de in inteque reſtit.* Iuſtinianus v. conſtitutionem Conſtantini correxit, & auxit, correxit quoad differentiam locorum, auxit, quoad majores

ex

ex capite abſentiæ reſtituendos, dum & in illorum reſtitutione petenda quadriennium continuum loco anni utilis, quem hactenus à Rep. ſua ſeparatum voluit, obſervandum ſancivit.

TH. 10. Quadriennium illud eſt continuum *ratione curſus*, quia omnes dies in illud naturaliter computantur, etiam feriati, non ratione initij, quo ſuo modo utile eſſe poſſit; cum non ſtatim à tempore læſionis v. c. vſucapionis adverſus abſentem completæ, ſed à tempore ſublati impedimenti, quod eſt in minoribus dies primus anni viceſimi ſexti.

TH. 11. Cauſa efficiens eſt Prætor, l. 1. h. t. *Impulſiva*, [1] petitio, & imploratio officij iudicis, l. 24. §. f. ff. *de minor.* [2] æquitas cauſæ, ut ſi appareat alteri per alterum injuriam eſſe illatam, d. l. 1. & 2. h. t.

TH. 12. Materia ſunt res majoris momenti, non frivolæ, & levidenſes, l. 4. l. *pen.* ff. h. t. quoniam reſciſſoriæ actiones (quales ſunt reſtitutionum, quia contra jus civile dantur, l. 35. ff. *de* O. *&* A.) non temerè, nec ob res minimas ſunt permittendæ, l. 1. ff. *de dol. mal.*

TH. 13. Forma ut læſus intra légitima tempora petitionem reſtitutionis inintegrum proponat, l. 6. h. t. implorato officio judicis, vel intentata etiam actione, atque ita cauſâ legitimè cognitâ, plenéque probatâ, citatis partibus reſtitutio fiat, l. 3. & l. *fin.* ff. h. t.

TH. 14. Finis & effectus eſt, ut lapſus ætate, metu, errore, vel alia juſta cauſa in eum ſtatum, in quo læſus ante deceptionem erat, reſtituatur, l. 2. C. *in quib. cauſ. in integ.* l. 4. C. *de his quæ vi met.*

TH. 15. Poſt petitam in integrum reſtitutionem nihil eſt innovandum, ſed omnia in ſuo ſtatu manere debent, donec controverſia decidatur. l. *un.* C. *in integr. reſtit.*

TH. 16. In hoc libro 6. reſtitutionum cauſæ proponuntur, [1] metus t. 2. dolus t. 3. læſio minoris, t. 4. ſtatus mutatio, t. 5. abſentia majorum, in t. 6. eſt alienatio judicij mutandi cauſa, t. 7. Hiſce enim cauſis quis in captionem, & læſionem incidere poteſt.

TITVLVS II.

Quod metus cauſa geſtum erit.
Iung. t. 20. lib. 2. C.

TH. I. RESTITVTIONEM in integrum in genere conſideratam excipiunt reſtitutiones ſpeciales, quarum ſex, quas ordine

exponere convenit.

TH. 2. Prima reſtitutionis in integrum cauſa eſt *metus*, (a) qui eſt inſtantis, (b) vel futuri (c) periculi cauſa mentis trepidatio, (d) ſive timor majoris mali (e) contra bonos mores illatus. (f)

(a) Quem hic intelligimus præſentem. l. 9. *pr.* ff. h. t. & conſideratur dupliciter, (1) *in ſe & abſolutè*, (2) *relatè*. *In ſe* conſideratus, non quicunque, ſed majoris alicujus mali, l. 5. ff. h. t. & qui in hominem conſtantiſſimum cadit, l. 6. h. t. qualis eſt mortis, verberum, vinculorum carceris, vel alterius cruciatus corporis, l. 7 §. 1. h. t. & quæ morti ſimilis eſt, ut ſervitutis, l. 4. l. 8. §. 1. h. t. *relatè* conſideratur metus, quod ab alio debeat eſſe illatus, proprius n. & quem ſibi quiſque cauſatur, non ſufficit, l. 21. *pr.* h. t.

(b) Vt per inductionem & ingreſſum armorum in fundum, l. 9. *pr.* ff. hoc tit.

(c) e. g. ſi quis alicui minas capitales denunciet, l. 7. h. t. modo denuncians eas exſequi ſit ſolitus; unde metus potentiæ, virum aliquem potentem offendendi, vel reverentiæ metus parentibus, patronis, maritis, &c. contradicendi, ſimpliciter non ſufficit, l. 6. C. h. t. l. 22. ff. *de rit. nupt.* niſi atrocitas facti intervenerit, id eſt, quatenus quis in metum facti inciderit, quo ſenſu reverentialis metus iuſtam reſtitutionis cauſam habet, alias ſimpliciter conſideratus non item.

(d l. 1. ff. h. t.

(e) l. 5. ff. h. t. ex duobus enim malis minimum eſt eligendum, id eo metu conterritus mavult contrahere, quam interfici, vel aliud gravius malum perpeti; quapropter contractus metu factus jure civili ſtricto, qſ. conſenſu initus ſubſiſtit. l. 2. §. 5. ff. h. t. ex æquitate tamen hic reſolvitur.

(f) Cum contra ipſam ſit honeſtatem aliquem ad contrahendum metu adigere, eique quodammodo invito quid doloſè extorquere.

TH. 3. Ex hoc metu datur actio, quod metus cauſa, quæ quidem eſt actio in perſonam, (a) in rem tamen ſcripta. (b)

(a) Quia ex delicto quodam oritur, §. 31. Inſt. de action.

(b) Ita dicitur, [1] quod ſcriptura edicti ſit in rem, id eſt, generaliter concepta, l. 1. h. t. [2] ratione effectus, quod rem ſequatur, etiam apud tertium poſſeſſorem, l. 14. §. 3. ff. h t. hinc patet, hanc actionem diverſo reſpectu vocari perſonalem, & in rem ſcriptam; *perſonalis* dicitur ratione originis tantum, cum ſit ex delicto, id eſt, ratione perſonæ obligatæ; *in rem ſcripta verò dicitur*, quia non ſimpliciter eſt perſonalis, aliàs non daretur actio adverſus tertium poſſeſſorem, l. 9. §. 8. ff. h. Idcirco, ſi vim inferens rem metu ablatam poſſideat, datur contra eum actio, quod metus cauſa tam ratione delicti, l. 25. §. 1. ff. *de* O. *&* A. quàm ratione poſſeſſionis, aſt ſi rem non poſſideat, nihilominus convenitur, quod pro poſſeſſore habeatur, & dolo deſijſſe poſſidere credatur per juris fictionem: tertius verò poſſeſſor non alia, quàm ratione poſſeſſionis actione conveniri poteſt.

TH. 4. Hæc actio eſt Prætoria, quoniam Prætor edicit ſe ratum metu geſtum non habiturum. Ideo ex hoc edicto metum paſſo & actionem, (a) & exceptionem (b) ſubminiſtrat. l. 9. §. 3. h. t.

(a) Qua in integrum officio judicis reſtitui læſus petit. e. g. ſi per vim res ſit tradita, reſtituatur, deque dolo promittatur, ne fortè deterior res ſit facta; ſin per acceptilationem intervenerit liberatio, in priſtinum ſtatum obligatio reponatur, l. 9. §. 7. h. t. hac actione & fœtus pecorum & fructus non modo perceptos, ſed etiam qui percipi potuerunt, & omnem denique cauſam reſtitui oportet, l. 12. h. t.

(b) Quâ adverſus petentes is, qui metu geſſit & promiſit quid, defendatur.

TH. 5. Actio ea intra annum utilem in quadruplum, (a) poſt annum ſc. utilem in ſimplum eſt perſecutoria. (b)

(a) Quia regula juris eſt, actiones Prætorias pœnales tantum intra annum dari, l. 35. ff. *de* O. *&* A. poſtea v. finiri. Nota, quadruplum illud, non eſt mera pœna, cum & ſimplum contineat; adeoque mixta vocatur actio in quadruplum. l. 14. §. 10. ff. h. t.

(b) Simplum eſt ipſum damnum metu illatum, ſ. ipſa res, quæ abeſt, & eius fructus & omnis cauſa, l. 12. pr. l. 14. §. 7. ff. h. t. atque ſic omnes fructus tam conſumptos, quam percipiendos, metum inferens præſtare, & ſolvere tenetur, d. l. 12. pr. contra b. f. profeſſor reſtituit ſolum fructus exſtantes, & quatenus ex conſumptis factus eſt locupletior, *arg.* l. 18. ff. h. t.

TH. 6. Actio quod metus cauſa datur ei, qui iuſto metu ab alio illato compulſus eſt ad aliquid faciendum, vel etiam omittendum, quod ipſi nocet, l. 9. §. 3. h. t. competit quoque heredibus, præſertim quia rei perſecutionem habet, l. 4. C. h. t. l. 16. §. 2. ff. h. t.

TH. 7. Actio illa adverſus eum, qui metum intulit, vel ad quem res pervenit, datur l. 14. §. 3. & 5. l. 16. §. *ult.* ff. h. t. quia quod turpiter quæſitum eſt, ad compendium heredis pertinere non debet.

TH. 8. Vis & metus differunt; actio violenta eſt, cuius principium foris & contra animi noſtri inclinationem, ita, ut agens ad id nihil conferat, id eſt, actum nihil adjuvet homo, ſed habeat ſe merè paſſivè. e. g. cum tempeſtate navis ad ſcopulos allidituṛ; vel quis manibus, pedibuſque contra voluntatem conſtrictus in carcerem conjicitur, Contra actio metu peracta in ſe ultranea & ſpontanea eſt; quia ſpontaneum dicitur, quod petimus ſeu eligimus, & vel ſimpliciter, vel ob certum finem, ſeu ex metu majoris mali; eſt enim coacta voluntas etiam voluntas. l. 21. §. 5. h. t.

TH. 9. Actio hæc eſt arbitraria, quoniam patitur, ut ex bono & æquo arbitretur iudex, quod metu geſtum reſtituatur in integrum.

TH. 10. Qr. utrum in carcerem conjectus ſi quid promittat, ut dimittatur, poſſit in integrum reſtitutionem petere? Reſp. diſting. vel dignè, vel indignè carceri eſt incluſus. Priori caſu, vel quis condamnatus eſt ad aliquid dandum, vel faciendum, quod non vult præſtare, & tum Magiſtratus eum in carcerem iure conjicere, & metu carceris ad id præſtandum adigere poteſt, nec propterea locus reſtitutioni, quia Magiſtratus ſententiam latam hoc modo exſequitur, & vim iuſtam facit, l.3. ff. l.10. C. h.t. *Poſteriori caſu* reſtitutione non eſt opus, ſed factum ipſo iure eſt nullum. Aſt ſi juramento, aut etiam in literis ſecuritatis, vel vltionis conjectus in carcerem promiſit de non vindicando carcere, tunc prius petenda eſt juramenti præſtiti relaxatio, ad quam pars adverſa citari debet, & deinceps ſequitur actus annullatio. *Gail.* 1. *obſ.* 22.

TH. 11. Actio quod metus cauſa cum actione de dolo in effectu non poteſt concurrere; hæc namque famoſa eſt, illa non item, l. 1. §. 4. ff. *de dol. mal.* in eo tamen concurrunt, quod utraque ſit rei perſecutoria.

TITVLVS III.

De dolo malo.

Iung. tit. 21. lib. 2. C.

TH. 1. SECVNDA reſtitutionis in integr. cauſa eſt dolus malus, ita dictus ad differentiam doli boni, qui eſt ſolertia laudabilis, l. 1. §.3. ff.h.t. e. g. quem adverſus hoſtes, vel latrones quis machinatur, hic dolus malus ſumitur, vel latè, vel ſtrictè. *illo modo* eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum & decipiendum alterum adhibita, l. 1. §. 1. ff. h.t. *hoc modo* eſt machinatio quædam alterius decipiendi cauſa, cum aliud ſimulatur, aliud agitur. d. l. 1. §. 2.

TH. 2. Hæc diſtinctio ob hanc rationem admittitur, quod poſſit eſſe dolus etiam ſine ſimulatione, ut patet in delictis gravioribus, homicidio, rapina, &c. quæ ſæpius abſque ulla ſimulatione & diſſimulatione committuntur, dolumque continent ex propoſito, uti in primo membro accipitur, *arg.* l.7. & 10. ff. *ad L. Corn. de ſiccar.* l.2. *pr.&*

§.8. *de vi bonor. rapt.* ubi notandum, quod calliditas, fallacia, & machinatio non ſint ſynonima; quia [1] *calliditas* in dicendo verbis fit, facto ſubſecuto. l. 6. & *l. fin. ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* quomodo callida dicitur ſupplicatio. l. 22. §. 13. ff. *de repud. vel abſtin. hered.* callida repudiatio hereditatis. l. 4. C. *de SCt. Trebell.* inſtigatio ad accuſandum. l. 22. ff. *de his qui not.* orator, cuius munus in dicendo conſiſtit, & mercator callidus, [2] *fallacia* fit quidem dicendo, ſed falſum, & interim verum tacendo. l. 14. §. 9. *in fin.* l. 38. ff. *de Aedil. edict.* hinc & mendax verum reticens, aſſerendo quod falſum eſt, dicitur fallax. l. 43. §. 3. ff. *de fu t.* [3] machinatio continet dolum in faciendo opere ipſo, adeoque facto, vel verbo. l. 28. §. 1. C. *de teſtam.* l. 3. C. *de uſur. rei jud.* l. 22. §. 4. *in fin. C. de furt.* Hinc haud incommodè dicitur, quod dolus tripliciter committatur, dicendo, (ſc. contra veritatem) tacendo, faciendo.

TH. 3. Ex hoc dolo ſtrictè dicto oritur actio de dolo, quæ eſt actio in perſonam. §. 31. *Inſt. de action.* quia eſt ex delicto.

TH. 4. Actio hæc eſt Prætoria, (a) rei perſecutoria, (b) arbitraria. (c) & (4) denique famoſa. (d)

(a) Quia Prætor eam contra iuris rigorem introduxit, læſiſque eam ob aliarum actionum defectum æquitate motus promiſit. l. 1. pr. ff. h. t.

(b) Ita dicitur, quia læſus rem dolo amiſſam cum omni cauſa reſtituendam petit. l. 15. §. 2. l. 17. pr. l. 18. pr. §. 4. l. 31. ff. h. t. unde patet, ſi plures dolo fecerint, & unus rem reſtituerit, vel quanti ea res eſt, præſtiterit, cæteri liberantur, l. 17. §. 1. ff. h. t. licet omnes ex delicto hoc inſolidum obligentur, quia tantum eſt rei perſecutoria, & bona fides non patitur, ut eadem res à pluribus exigatur.

(c) Quoniam iudex primò rem reſtituere iubet, poſtea verò, reo non parente, in id quod intereſt, eum condemnat. l. 18. pr. h. t. §. 31. *Inſt. de act.*

(d) Id eſt, infamiam irrogans delinquentibus. l. 1. §. 4. ff. h. t.

TH. 5. Actio hæc datur ei, qui in ſimplicitate ſua dolo eſt circumſcriptus, (a) eiuſque heredibus, (b) putà ſi alia idonea actio non competat.

(a) Iuſtam enim Prætor ſemper attendit læſionis cauſam. E. non decipientibus, ſed deceptis ſuccurrit, ne litis malitia ſit lucroſa, & his ſimplicitas damnoſa. l. 1. pr. ff. h. t.

(b) l. 13. ff. h. t. Nota. Liberis & libertis contra parentes, vel patronos non datur. l. 11. §. 1. h. t. l. *fin.* §. 4. C. *de furt.* l. 9. ff. *de obſeq. lib. & libert.* nec humili adverſus virum magnum.

TH. 6. Actio de dolo datur adverſus doloſum, vel eum, ad quem res

pervenit, l.15. §.2. l.17. §.1. ff. h. t. ut eam reſtituat, vel ſi hoc non fecerit, reus in id quod intereſt, condamnetur. l.18. pr. h.t.

Th. 7. Olim hæc actio (cum prætoria & famoſa ſit) erat annalis, d. l. 1. jure autem novo inſtituenda & finiendaeſt intra biennium continuum, quia gravis & odioſa eſt, nec litis conteſtatione perpetuatur. l. *fin. C. de crimin. ſtellion.* actio tamen in factum, quæ ſubſidiaria eſt actionis doli, & non famoſa, perpetuò datur, tam contra heredes, quàm doloſos. l. 28. & l. 29. ff. h. t.

Th. 8. Vt actio hæc competat, ſequentia adſint requiſita, [1] ut quid dolo malo ſit factum. l. 1. §. 1. ff. h. t. quod actor probare tenetur. l. 18. §. 1. ff. *de probat.* [2] ut alia actio deficiat, quoniam Prætor non temerè actionem hanc famoſam & extraordinariam concedit, alia exiſtente. l. 1. §. 4. ff. h. t. [3] ut nihil interveniat, quod hanc actionem iuſtè excludat.

Th. 9. Dolus malus eſt duplex, [1] dolus ex propoſito, (a) & [2] dolus ex ipſa re, (b) ſive quod idem, dolus cauſam, contractui (c) dat, vel in contractum incidit. (d)

(a) Ille eſt, qui ipſo tempore, quo contractus initur, malo conſilio & propoſito intervenit. l. 36. ff. de V. O.

(b) Hic eſt, qui ipſo tempore, quo contractus celebratur, malo propoſito non intervenit, ſed poſtea ab uno ex contrahentibus aliquid fit, quod factum in ſe continet dolum. d. l. 36. l. 2. §. 3. 4. 5. & 7. ff. *dol. mal. except.*

(c) Vt ſi quis animum contrahendi non haberet, calliditate adverſarij adductus, ut contraheret, hic ſi fraudibus non fuiſſet inductus, non contraxiſſet. l. 7. pr. h. t. l. 16. §. 1. ff. *de minor.* quod fit quoties intellectui glaucoma objicitur ab alio, inque errorem inducitur, quo errore movetur voluntas, ab intellectu in omni actione dependens, ut illud in quo læditur, appetat.

(d) Dolus incidit, ubi quis nihilominus quidem erat celebraturus, ſed in negotio conficiendo decipitur, e. g. ſi quis dolo, & malo conſilio faciat, ut res pluris, vel minoris vendatur. l. 18. §. 3. *commod.* l. 13. *pr. ff. de act. empt.* vel quando res ipſa abſque facto contrahentium in ſe dolum habet. l. 36. ff. *de* V. O.

Th. 10. Diſtinctione hac præſuppoſita, quæritur, an ob dolum dantem cauſam contractui, contractus ſit ipſo iure nullus? Reſp. diſting. inter contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris. Illo caſu eſt nullus, nec opus habet reſciſione. d. l. 7. ff. *de dol. mal.* d. l. 16. §. 1. l. 3. §. *fin. ff. pro ſocio.* quia in bonæ fidei contractibus & actionibus, bona fides debet eſſe exuberantior, & qſ. partem quandam facit, cum bonæ fidei dolus directo ſit contrarius. l. 5. C. *de reſcind. vend.* quæ, ut proprietas quæ-

dam contractibus adhæret. l.5. C. *dol. mal.* hoc caſu indiſtinctè valet contractus, ubi ius magis attenditur. l.99. pr. ff. de V. O. l. 7. ff. *de negot. geſt.* interim tamen propter naturalem æquitatem reſcinditur per doli exceptionem. d. l.36. de V. O. l.5. C. *de inutil. ſtipul.*

TH. 11. Si dolus incidat in contractum, ſive b. f. ſit, ſive ſtricti iuris, ob id non declaratur nullus, ſed *incidente in b. f. contractum*, datur actio ex ipſo contractu, ad damnum dolo illatum reſarciendum. l.7. *pr. &* §. 3. l. 9. *pr. ff. h. t.* l. 13. §. 4. ff. l. 2. C. *de act. empt.* aut ſi conveniatur, qui dolum paſſus eſt, tunc purgatur dolus exceptione doli; exceptiones enim doli mali, b. f. iudicijs inſunt. l. 21. ff. *ſolut. matr.* l. 84. §. 5. ff. *de legat.* contra, *incidente in ſtricti iuris contractum*, non datur ex ipſo contractu, quia ſtricta eius interpretatio eam non admittit. l. 7. §. 3. *in fin.* ff. h. t. ubi tamen obſervandum, an dolo incidente læſus impleverit; ſi implevit, actio doli competit, ſin minus, agentem doli exceptione repellere poteſt. l. 36. ff. *de* V. O. l. 5. C. *de inutil. ſtip.*

TH. 12. Hæc actio non datur in quadruplum, ut actio quod metus cauſa, ſed tantum in ſimplum; quia infamat, qua infamia gravius punitur delinquens, quam quadruplum præſtando.

TH. 13. Remedia, quibus decepti contra doloſos utuntur, ſunt quatuor, [1] beneficium nullitatis, quo petitur contractus b. f. dolo dante cauſam contractui pro nullo declarari. *arg.* l. 7. ff. h. t. [2] Exceptio doli. t. t. ff. *de dol. mal. & met. except.* [3] Actio doli directa famoſa, l. *fin.* C. h. t. actio utilis in factum, ſive ſubſidiaria quæ datur in id, quantum quis factus eſt locupletior. l. 29. *in fin.* ff. h. t. & [4] ratione circumſtantiarum, quarum hic magna ratio eſt habenda, ut ſi tempus legitimum præterijt, vel ratione perſonæ, cui reverentia debetur, ut patri, patrono, &c. cum directa intentari non poſſit. l. 11. §. 1. h. t. vel ſi modica ſumma ſit. *arg.* l. 9. §. *fin.* l. 10. 11. & 33. ff. h. t.

TITVLVS IV.

De minoribus viginti quinque annis.

Iung. t. 22. lib. 2. C.

TH. I. TERTIAM reſtitutionis cauſam conſtituit minorum læſio; ex hac læſione datur reſtitutio minoribus viginti quinque annis, (a) ob inconſultam ætatis facilitatem lapſis, (b) & circumventis. (c)

(a) Qui nondum vigeſimum ſextum ætatis annum attigerunt. l.3. §.3. *& ſeqq.* ff. h. t. eorumque heredibus. l.6. ff. *de reſtit. in integr.*

(b) Quia fragile & infirmum eſt hujuſmodi ætatis conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, multorumque expoſitum inſidijs, Ideo prætor contra captiones minoribus auxilium hoc edicto promittit. l. 1. l.11. §.3. ff. h. t. l.2. *& 3. C. de temp. in integr. reſtitut.*

(c) L. 5. C. h. t. læſio tamen non debet eſſe modica.

TH. 2. Minor triplici caſu læditur, (1) ut quod habuit, amittat, putà donando, vendendo. l.27. §. 3. l.42. ff. h. t. (2) ut emolumentum, quod acquirere potuit, omittat, e.g. hereditatem, legatum, vel ſimile quippiam repudiando. l.7. §.6. l. 7. & 8. h. t. (3) ut ſi onus, quod non ſuſcipere licuit, in ſe ſuſcipiat, ut hereditatem adeundo, judicium ſubeundo. l. 44. ff. h. t.

TH. 3. Hoc beneficium infantibus & pupillis non competit, quia ipſo jure tuti ſunt. l.39. §. *fin.* ff. h. t. nec reſtituuntur.

TH. 4. Reſtitutio minoribus adverſus eos, qui impoſuerunt, (a) & interdum contra poſſeſſorem (b) eius rei, in qua læſi ſunt, (c) datur.

(a) Sive ſunt principales, ſive fidejuſſores; non tamen contra parentes & patronos. *l. fin. C. qui & adv. quos.*

(b) Quod extra ordinem tribus tantum in caſibus, ob æquitatem læſo conceditur, [1] ſi delinquens fortè non ſit ſolvendo, [2] ſi rem ſibi acquiſiverit tertius, non ignorando minorem eſſe læſum, [3] ſi interſit minoris, rem ipſam potius habere. l.9. & l. 13. §.1. ff. h. t.

(c) l. 13. ff. h. t.

TH. 5. Reſtitutionis beneficium durat integrum quadriennium, quod à primo die anni 26. etiam ignoranti currere incipit. *l. fin. C. de temp. in integrum reſtit.*

TH. 6. Beneficio huic non eſt locus, [1] ratione minoris ob eius factum, (a) quatuor in caſibus, [2] ratione conditionis minoris, (b) & [3] reſpectu certarum cauſarum. (c)

(a) e.g. [1] ſi doloſè majorem ſe ſimulaverit. l.1. & 2. C. *ſi minor. maj. ſe dix.* niſi concurrente dolo adverſarij hoc fiat. l.3. C. *eod.* aſt ſi minor errore ductus majorem ſe dixerit, reſtitutionis beneficium ei non denegatur. l.3. & 4. C. h. t. [2] ſi major factus id, quod minor annis 26. egit, comprobaverit, ſive ratum habuerit, l.1. & 2. C. *ſi maj. fact. rat. hab.* excipe niſi dolo fuerit inductus. l.3. §.1. ff. h. t. [3] ſi veniam ætatis à Principe impetraverit. l.1. C. *de his, qui ven. ætat. impetr.* hæc maſculis 20. annis, fœminis 18. majoribus indulgetur. l. 2. *pr. &* §. 1. C. d. t. veniam ætatis impetrantibus omnia adminiſtrare iure licet, bona tamen immobilia alienare non item, reſpectu

enim alienationis, æqualis omnium minorum eſt conditio, tam veniam ætatis impetrantium, quam non impetrantium, l. 3. C. d. t. tandem [4] ſi geſtum à minore fuerit juramento confirmatum, l. 1. & *Auth. Sacramenta puberum* C. *ſi adverſ. vendit.* etiamſi non ſit admonitus de reſtitutionis in integrum beneficio, quia contractus, vel geſtorum invaliditatem juramentum ſupplet & confirmat.

(b) e. g. ſi minor artis peritiam profiteatur, vel certam negotiationem exerceat, tunc ſi ijs in cauſis & negotijs ſe læſum dicat, non reſtituitur, ita Doctor iuris in ijs, quæ ſunt iuris, vel mercator in negotiationibus reſtitutionem licitè prætendere nequit.

(c) e.g. ſi minor matrimonium inierit, reſtitutionem petere nullo iure poteſt, cum indiſſolubile ſit vinculum, [2] datio libertatis t. t. C. *ſi adverſ. lib.* [3] amiſſio, vel remiſſio exſecutionis pœnarum. l. 37. *pr.* ff. h. t.

TH. 7. Qr. utrum fidejuſſori minoris reſtitutio competat? Reſp. negando; quia hoc eſt ſaltem beneficium perſonale, l. 3. §. 4. ff. h. t. in dolo verò & metu aliter ſe res habet, ibi eſt beneficium reale, ubi exceptio doli & metus non ſolummodo deceptis, verum & fidejuſſoribus prodeſt, l. 7. ff. *de dol. mal. except.* l. 13. §. 1. ff. *de dol. mal.*

TH. 8. Qr. an contra delictum minori concedatur reſtitutionis beneficium? Reſp. diſting. inter delictum doloſum & culpoſum, *contra illud* non reſtituitur minor. l. 9. §. 2. l. 37. ff. h. t. dolus enim ætatem ſupplet, nec decipientibus & delinquentibus, ſed deceptis hoc beneficium Prætor pollicetur, l. 44. h. t. indeque à pœna ordinaria non excuſatur, licet judex ex cauſa juſta ſententiam mitigare poſſit, d. l. 37. *Contra hoc* ſc. culpoſum reſtitutionem impetrat minor. l. 2. C. *ſi adverſ. delicta* l. 9. §. *pen.* h. t. quia delictum maximè ex dolo & proæreſi æſtimatur, l. 1. C. h. t. qui in culpoſo non præſumitur.

TH. 9. Vltimo ſciendum, reſtitutionem à Prætore demum fieri, cauſâ cognitâ. l. 1. §. 1. l. 11. §. 3. ff. h. t. quia minores non ſemper reſtituuntur, & ea, quæ cum illis geruntur, reſcinduntur, ſed ad æquum & bonum ſunt redigenda, ne magno incommodo afficiantur huius ætatis homines, & nemine cum his propter reſtitutionis metum contrahere volente, quodammodo commercium eis interdicatur, l. 24. §. 1. ff. h. t. Idcirco ea tantum, in quibus manifeſta eſt circumſcriptio, ſ. læſio, fient irrita, utpote ſi circumventi, ſuaque decepti facilitate, l. 7. *in fin.* ff. hoc tit.

TITVLVS V.

De capite minutis.

TH. I. QVARTA reſtitutionis cauſa eſt capitis, (a) diminutio, quæ eſt prioris ſtatus (b) mutatio.

(a) Vox *capitis* variè accipitur, [1] quodcunque in recenſione numerum efficit, quod Dialectici individuum vocant, e. g. grex trecentorum capitum, l. 1. §. vlt. l. 3. pr. ff. de R. V. l. 70. ff. *de vſur.* (2) *Rei principium*, ut à capite, ſive initio rationem reddere, l. 19. §. 1. ff. *de nego. geſt.* l. 16. ff. *quemad. ſervit. amit.* l. 9. ff. *de ſervit. ruſt. præd.* l. 1. §. 8. ff. *de aq. quot.* (3) ſignificat *principalem partem*, ut Roma eſt Italiæ caput, l. *inter claros* C. *de Sum. Trinit.* (4) *principale hominis membrum*, quod rationis ſedes eſſe dicitur, l. 44. ff. *de relig.* (5) *totum hominem*, inde dicitur, quod publica delicta quædam ſint capitalia, quædam non capitalia, l. 2. ff. *ſi ex noxal. cauſ.* &c. l. 1. §. 2. ff. *de privat. delict.* l. 2. ff. *de pub. del.* (6) *ſtatum*, id eſt, conditionem, ſeu qualitatem hominis liberi, ad ius conſiderati, quo in ſignificatu hîc intelligitur.

(b) *Status* denotat, vel libertatem, vel civitatem, vel familiam, l. *ult.* ff. h. t. hic veró pro familia accipitur, cui ſtatus libertatis, vel civitatis opponitur, l. 1. §. 8. ff. *ad SCt. Tertull.*

TH. 2. Cum ſtatus tripliciter mutari poſſit; ideo triplex capitis datur diminutio, [1] maxima, [2] media & [3] minima, l. ult. ff. h. t. *pr. Inſt. eod.*

TH. 3. *Maxima* (a) capitis diminutio eſt, quâ libertas & per conſequens civitas & familia amittitur. §. 1. *Inſt.* h. t.

(a) Maxima ideo dicitur, quia eſt amiſſio libertatis, quam qui amittit, is omnia, non ſolum libertatem ipſam, ſed & civitatem, ac familiam amiſiſſe intelligitur.

TH. 4. *Minor*, ſive media capitis diminutio eſt, quâ civitas amittitur, libertas tamen retinetur, §. 2. *Inſt.* h. t. quod fit per deportationem, l. 5. ff. h. t. deportationi hodiè æquiparatur imperij bannum.

TH. 5. *Minima* capitis diminutio eſt, quâ civitas retinetur & libertas, ſed familia tantum mutatur, (a) eiuſque iura amittuntur.

(a) Hæc familiæ, ſive ſtatus mutatio tripliciter intelligi poteſt, [1] ut familia eſſe deſinat, e. g. morte patris familia ea, quæ proprio iure continetur, mutatur; mortuo enim patref. quotquot capita ex liberis ei ſubjecta fuerunt,

ſingula incipiunt habere familias, l. 195. 2. ff. *de* V. *ſignif.* [2] ut familia quidem permaneat, verum ex illa eximatur perſona aliqua, e. g. in emancipatione & adoptione ab avo, vel proavo facta, [3] ut ex ſua quis in alienam recipiatur familiam, ſicut in arrogatione fieri ſolet. §. 3. *Inſt.* h. t.

TH. 6. Ex capitis diminutione minima, quæ fit per emancipationem, datur actio reſtitutoria; non verò ex maxima & media, quæ huc non ſpectant. l. 2. ff. h. t.

TH. 7. Cum quis olim per emancipationem, aut adoptionem mutaret ſtatum, emancipato debitore priores obligationes ſtricto jure perierunt, (a) quæ ei, & adverſus eum competebant, qſ. nova alia perſona conſtituta; quod de civilibus, non verò criminalibus eſt intelligendum, quia nemo delictorum pœnis per capitis diminutionem eximitur; cùm tales obligationes ſemper cum capite ambulent. l. 7. ff. hoc tit.

(a) Qui enim olim per emancipationem, aut adoptionem in alienam tranſibat familiam, is ſolenni quadam & imaginaria venditione dabatur in ſervitutem; cui nulla obligatio civilis adhæreſcere poteſt, l. 3. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 8. Prætor hunc juris rigorem, quo quis debitum amittebat iniquum ducens, actionem ſtricto jure ob emancipationem, vel adoptionem amiſſam in priorem reſtituebat ſtatum, qſ. nulla intervenisſet capitis diminutio minima. l. 2. §. 1. ff. h. t.

TH. 9. Quapropter ex capitis diminutione læſis Prætor dedit actionem reſtitutoriam, quæ eſt nova & utilis, adverſus emancipatum, cum quo ante emancipationem fuit contractum. Hinc judicium hoc eſt perpetuum, continens rei perſecutionem, quia datur creditori, ut ſuum conſequatur, & ne per capitis diminutionem damno afficiatur. Vnde & heredibus & in heredes datur, etiamſi non contraxerint, quia repræſentant defuncti perſonam. l. 2. *in fin.* ff. h. t.

TH. 10. Hodie creditores contra debitores emancipatos non indigent auxilio Prætoris pro reſtituenda actione; quoniam per emancipationem hodiè non poteſt perire obligatio, & deſcendens inde actio, utpote negatâ nunc veteri emancipationum cauſâ, ſ. ſolemnibus; h. e. emancipatio non amplius eſt capitis diminutio. *Nov.* 118. c. 4. *arg.* l. *ult.* C. *de emancip.* unde huic edicto non amplius eſt locus.

TITVLVS VI.

Ex quibus cauſis majores 25. annis in integrum reſtituuntur.

Iung. t. 54. lib. 2. C.

TH. I. QVINTA reſtitutionis cauſa eſt læſio majorum ex abſentia (a) iuſta, (b) vel ſimilis impedimenti, (c) edicto Prætoris comprehenſi.

(a) Abſentia eſt duplex, [1] phyſica, [2] juridica. *illâ* quis non eſt in loco, de quo quæritur, e. g. ſi quis hîc Pariſijs citetur, & Romæ fuerit, is phyſicè dicitur abſens. *Hac* verò quis dicitur abſens, quando pro abſente fingitur, licet corpore ſit præſens, e. g. furioſus & mente captus in judicio, & alijs actibus, ubi præſentia animi requiritur, l. 2. §. 3. ff. *de jur. codicil.* l. 124. ff. *de* R. I. Sic [2] in ſtipulatione abſentes dicuntur, qui ſe invicem exaudire non poſſunt, l. 1. pr. ff. *de* V. O. quia ſtipulatio confici non poteſt, niſi utroque loquente. quare mutus, & ſurdus, & infans ſtipulationem contrahere non poſſunt, [3] in uſucapionum materia ſunt abſentes, qui non in una eademque provincia inveniuntur. *Nov.* 4. c. 1. *Auth. præſente* C. *de fidejuſſ.* [4] abſens ille dicitur, qui eſt extra territorium, & non facile, ut ibi ſe ſiſtat, conveniri poteſt, quo ſenſu abſens hîc intelligitur.

(b) Quia iniquum foret impedito, ceu afflicto, addere afflictionem. *arg.* l. 25. C. *de nupt.* ipſive officium ſuum eſſe damnoſum, ſi videlicet juſtò impedimento prohibitus agere nequit.

(c) Impedimentum eſt quadruplex, [1] quod naſcitur à nobis ipſis iuſtâ abſentia, ex qua ſuccurritur abſenti contra præſentem, e. g. ſi rem noſtram uſucapiens, aut debitor temporali nobis obligatione obſtrictus in urbe fuit, nos verò ex iuſta cauſa abſentes, ut propter iuſtam abſentiam agere non poſſimus, atque ita interpellare, ſive uſucapionem, ſ. præſcriptionem, l. 177. l. 199. ff. *de* V. S. [2] quod ab adverſario noſtro naſcitur; ſc. adverſarij abſentia, ex qua ſuccurritur præſenti contra abſentem, ut cum nos in urbe ſumus, ille autem, qui rem noſtram uſucapit, aut debitor noſter abeſt, nec defenditur, ut nobis cum eo agendi copia non fuerit, l. 1. §. 1. ff. h. t. [3] à Magiſtratu, ſi vel eius copia non fuit, vel is per gratiam, aut ſordes ius non dixit, vel per dilationes eius effectum, ut actio eximeretur, d. l. 1. §. 1. l. 26. §. 4. Denique [4] ab ipſa natura, e. g. in aquæ ductibus, ſi fons, ubi aqua ducebatur, exaruerit per tempus, quo ſervitus amittitur, & deinceps ad ſuas venas redierit; hic enim licet ipſo iure ſervitus non recipiatur, *arg.* l. 66. §. *duorum* ff. *de leg.* 2. l. 98. §. *arcam* ff. *de ſolut.* datur tamen in integr. reſtitutio, ut ius, quod non negligentiâ aut cul-

pâ meâ amiſi, ſed quia ducere ob aquæ defectum non poteram, mihi reſtituatur. l. 35. *de Serv. R. Pr.* idque ex clauſula ultima edicti generalis, ſi qua mihi iuſta cauſa eſſe videbitur. l. 1. §. 1. h. t. quamvis hæc reſtitutio principaliter in favorem illorum, qui Reip. cauſa abſunt, ſit introducta, admittitur tamen & ob alia impedimenta, ne alicui abſentia ſua abſque eius culpa accidens ſit damnoſa. l. 21. l. 29. h. t. d. l. 140. ff. de R. I.

TH. 2. Abſentia extra territorium degentium eſt duplex, neceſſaria & voluntaria.

TH. 3. Neceſſaria abſentia eſt eorum, quos neceſſitas præcisè cogit abeſſe. (1) e. g. qui ab hoſtibus capti, vel (2) à latronibus detenti, vel (3) à Magiſtratu in vinculis detinentur, vel (4) metu deterriti, ne quid gravius patiantur. l. 1. §. 1. h. t. vel (5) qui ob delictum abſunt, ut relegati. l. 26. §. 1. h. t. vel (6) ſi hyeme, vel navigatione impediti abſint. l. 38. §. 1. h. t.

TH. 4. Abſentia voluntaria iterum eſt duplex, [1] juſta, & [2] injuſta; *Iuſta* ſubdividitur in publicam & privatam.

TH. 5. Abſentia voluntaria juſta publica eſt, ſi quis Reip. cauſa abeſt ſine dolo. l. 1. §. 1. l. 4. pr. l. 28. §. 3. ff. h. t. ut (1) Legatus à Principe, vel Republ. Rom. miſſus. l. 21. §. *fin.* ff. h. t. (2) Proconſul, (3) Tribunus, (4) Legatus municipij. l. 35. §. 7. & 8. (5) qui mittitur, ut Principi gratuletur. l. 1. ff. h. t. (6) Procurator Cæſaris. d. l. 35. §. 2. (7) Præfectus Ægypti. d. l. 35. §. 3. (8) Aſſeſſor in Provincia. l. 38. h. t. (9) Miles, qui pro patria, vel Principe militat. l. 15. §. 2. l. 34. l. 35. §. *ult.* ff. h. t. l. 3. C. *de reſtit. milit.* ad malos homines compeſcendos miſſus. d. l. 35. §. 5.

TH. 6. Abſentia voluntaria iuſta privata fit, vel (1) ob curam animi, ut ſi quis ſtudiorum cauſa ſit abſens. l. 28. pr. ff. h. t. cum non minor ſit favor ſtudiorum, quàm militiæ armatæ, vel (2) corporis, ad illud ſanandum, vel (3) rei familiaris gratia, ut cum quis mercaturæ cauſa abeſt. l. 42. ff. h. t.

TH. 7. Injuſta, ſive malitioſa abſentia eſt, ſi quis latitet, vel aliàs abſit per contumaciam, vel etiam ultra tempus, quod perficiendo negotio publico impenſum, emaneat. l. 2. §. 8. ff. *ſi quis caut. jud. ſiſt.*

TH. 8. Reſtitutio hæc datur majoribus viginti quinque annis, non defenſis & læſis contra lædentes, vel poſſidentes rem, in qua contigit læſio. l. 17. pr. l. 22. ff. h. t.

TH. 9. Intra quadriennium (a) reſtitutio eſt petenda. Hoc enim effluxo non amplius competit.

(a) Intellige continuum, quod à tempore ceſſantis abſentiæ, ſimiliſve impedimenti eſt computandum, l. *fin. pr. &* §. 1. *C. de temp. in integr. reſt.* non verò à tempore ſcientiæ currere incipit, quia hoc modo tota præſcriptionum & uſucapionum fundamenta penitus everterentur, præmiumque ferret, qui ob ſupinam & ſuperabilem ignorantiam amiſſione rei eſt punitus. Licet Gailius contrarium ſtatuat. 2. *obſ.* 48.

TH. 10. Effectus reſtitutionis majorum eſt, in eum ſtatum reſtitui, in quo ante abſentiam, vel aliud interveniens impedimentum læſus fuit.

TH. 11. Omnes eiuſmodi reſtitutiones ſtricto iure non fiunt permittente lege, ſed contra legis & iuris civilis aſperitatem, quam Prætor in caſibus, de quibus lex principaliter non loquitur, mitigat, conceſſâ reſtitutione propter probabilem & iuſtam cauſam; ſi enim lex ipſa permitteret, quorſum opus eſſet extraordinario Prætoris beneficio? l. 16. ff. *de minor.* Interim tamen probè notandum, quod Prætor in caſibus, ubi lex diſertè & expreſſim quid prohibet, nihil contra legem ſtatuere, & concedere poſſit, nec queat, cum ſit iuris civilis cuſtos. E. quoties lex nominatim prohibet in integrum reſtitutionem, ut nonnunquam fieri conſuevit, e. g. in delictis, Prætor authoritatem ſuam interponere non poteſt. l. 10. §. *fin.* ff. *de minor.* l. 10. C. *ne de ſtat. defunct.* l. 37. ff. *de minor. t. t. C. ſi adverſ. delict. t. t. C. de ſentent. paſſ.* Sed hoc poteſtati & indulgentiæ ſummi Principis, qui & ipſe nonniſi magna ex cauſa, & rarò contra leges quid concedere ſolet, eſt reſervatum. l. 11. ff. *de minor. l. pen. C. de prec. imp. offer.*

TITVLVS VII.

De alienatione iudicij mutandi cauſa facta.

Iung. tit. 55. lib. 2. C.

TH. 1. SEXTA reſtitutionis cauſa eſt alienatio (a) iudicij (b) mutandi (c) cauſa facta. l. 1. ff. h. t. quæ eſt quando quis rem, vel poſſeſſionem alienando, dolo malo moleſtum adverſarium ſuo locò ſubſtituit adverſario, vel alio modo duriorem reddit eius cauſam.

(a) *Alienare* intelligitur hîc non modo is, qui dominium in poſſeſſorem transfert, ſed & qui poſſeſſionem calumnioſè omittit. l. 4. §. 1. & 2. l. 8. §. 2. ff. hoc tit.

(b) h. e. futuri, quia iudicium præſens contra doloſum alienatorem nihilominus peragitur, ac ſi adhuc poſſideret. l.2. *& l. fin. C. de litig.* inchoato enim ſemel iudicio, & re facta litigioſa, alienatio rei litigioſæ eſt interdicta, & ſi fiat alienatio, nullius erit momenti.

(c) Mutatur hic iudicium, quando conditio actoris, vel petitoris durior redditur, (1) ob *mutationem qualitatis aduerſarij*, quę vel ob potentiam eius, (qui tamen privatus eſſe debet; nam in potentiorem, ratione officij & Magiſtratus, alienatio eſt nulla. l.2. C. *ne lic pot*) l.1.§ 1. h.t. vel ob fori privilegium, ut ſi homo ſit alterius provinciæ. l.3. h.t. vel ob vexationem, moram, & tergiverſationem novi adverſarij. l.2. ff. h.t. (2) ob *mutatam actionis qualitatem*, quæ mutatur, quando actio per diverſitatem actoris mutatur. l.3.§.2. ff. h.t (3) ob *mutationem negotij ſtatus*, quod mutatur, quando is, cui nunciatum eſt novum opus, rem alienaverit, & novus poſſeſſor fuerit opus. l.3. § 3. ff. h. t. vel tandem (4) ob *mutationem qualitatis rei* repetitæ, quæ mutatur, quando petitus ſervus manumittitur. d. l.3.§.1. vel res petita in eadem cauſa non exhibetur. l.8. pr. ff. h. t.

TH. 2. Ad hanc actionem impetrandam tria requiruntur, (1) ut alienatio rei, de qua controverſia futura erat, ſit facta. l.4.§.1. h. t. (2) iudicij futuri mutandi cauſa, h. e. ut durior adverſarius ſubſtituatur, & (3) ut dolo malo facta ſit alienatio. l.1. & l.4. h. t. quia hæc actio læſo contra doloſum & fraudatorem datur. l.4.§.3. h. t.

TH. 3. Actio hæc eſt [1] in perſonam (a) [2] prætoria, (b) & [3] rei perſecutoria, (c) non verò pœnalis.

(a) Quia ex quodam delicto, ſc. doloſa rei alienatione, in damnum adverſarij, ante inſtitutum iudicium eſt facta. d. l.4. §.1. & 3. l.7. ff. h.t.

(b) Quoniam Prætor eam introduxit, videns judiciorum exitum interdum fieri duriorem, oppoſito alio adverſario; iniquum autem eſſet, ex alieno facto cauſam noſtram fieri deteriorem. l.2. ff. *quod vi aut clam.* l. 75. ff. de R. I. ideo quoties quis alienando rem, cuius vindicationem timeret alium nobis ſubſtituit adverſarium, in factum actio competit adverſus doloſum, quanti noſtra intereſt, alium nos adverſarium non habuiſſe; nam iure civili, talibus in caſibus alienatio iudicij mutandi cauſa facta valet quoad alienantem, nec directa rei vindicatio domino dabatur, neque alienantem actione reali, vel perſonali convenire poterat, non illâ, quia mero iure civili non datur actio realis contra non poſſidentem; non hac, quia cum alienante nihil contraxerat. Hinc à Prætore, ob actionum defectum, actori datur actio in factum ad intereſſe. d. l.4. §. *pen.* h. t. & utilis rei vindicatio; quæ duæ actiones hic concurrunt, ita ut actori eligere liceat, utrum agere velit contra alienatorem. *arg.* l. 27. §. 3. ff. *de* R. V. l. 1. §. *fin. ff. de tign. iunct.* Vtilis autem hic dicitur *rei vindicatio*, non quæ oritur ex dominio utili, ſed quatenus opponitur directæ rei vindicationi, daturque ob æquitatem, hac utili rei vindicatione agitur adverſus alienantem, qſ. poſ-

ſeſſorem. d. l. 27. §. 3. ad rei reſtitutionem; actione contra in factum ad damnum & intereſſe. d. l. 4. §. 5. h. t.

(c) Vt ut hæc actio ſit ex delicto, attamen eſt rei perſecutoria, ob id in heredes non datur; quia omnes actiones rei perſecutoriæ, ex delicto deſcendentes non dantur in heredes, niſi quatenus ad eos pervenit, & inde locupletiores facti. d. l. 4. §. *ult.* l. 5. & 7. ff. h. t. l. *ult. ff. de edend.*

TH. 4. Actionem hanc læſus elapſo anno utili inſtituere nequit. l. 6. ff. h. t. l. 35. ff. de O. & A. *pr. Inſt. de perp. & temp.* annus hic computatur à die, quo facta eſt alienatio.

TITVLVS VIII.

De receptis, qui arbitrium receperunt, ut ſententiam dicant.

Iung. tit. 56. lib. 2. C. h. t.

TH. 1. ABSOLVTIS iudiciorum præparatorijs, quoad officium & iuriſdictionem Magiſtratuum, ut & litigantium poſtulationem, meritò iam ad ſecundam Pandectarum partem progrediendum, déque ijs tractationem incipiendum: verum, quia arbitria judicijs videntur ſimilia. l. 1. h. t. ideo compilatoribus, de ijs prius tractare placuit, quàm iudicia explicare.

TH 2. Arbitrij receptio impedimentis iudicij annumerari ſolet, quatenus ſc. illa iudicio impedimentum excitat, quia in arbitrum compromittentes, coram eo litigare ex mutuo conſenſu, ſive compromiſſo (a) tenentur.

(a) *Compromiſſum* eſt utriuſque litigatoris promiſſum. l. 3. §. 1. h. t. & ſtipulatio. l 32. §. 18. qua litigatores ſibi invicem ſub pœna promiſſa cavent, ſe arbitri ſententiæ velle ſtare.

TH. 3. Ad iudiciorum moras & ſumptus, cæteraque incommoda declinanda, privato alicui viro bono, aut pluribus controverſiam dijudicandam committere ſolent litigatores, ut lites eo temporius finiantur. l. 3. § *pen.* ff. h. t. l. 44. *eod.*

TH. 4. Arbiter arbitrium recipiens ſumitur dupliciter, (1) generaliter, & (2) ſpecialiter. *Generaliter* dictus quemcumque denotat, qui arbitrio ſuo, rem, de qua agitur, adminiſtrat, & moderatur, quo

ſenſu

ſenſu dominus rerum ſuarum vocatur arbiter, l. 21. C. *mandat.* & judex quoque ordinarius, ſive pedaneus, ratione actionum b. f., & arbitrariarum, in quibus non ad verba formulæ adſtringebatur, ſed ex bono & æquo, & qſ. pro arbitrio judicare poterat, l. 24. ff. *depoſ.* l. 38. *pro ſocio* l. *ult.* ff. *rem. pup. ſal.* l. 6. C. *de poſtul.* l. 6. C. *de reb. cred.* unde iudicia ipſa arbitraria vocantur. t. t. C. arbit. tutel. l. 7. C. *unde vi.* *Specialiter* appellatus ſignificat eum, qui vel à lege, ſtatuto, judice, vel privatis conſtituitur.

TH. 5. Arbiter à lege vocatur arbiter Auſtregarum, qui ex publica lege imperij, & neceſſitate inter ſtatus, & immediatos imperij electus iudicat.

TH. 6. Arbiter ſtatutarius eſt, cui ex ſtatutis lites certarum perſonarum, e. g. parentum, liberorumque, aut aliàs arcta cognatione ſibi invicem junctarum, ex non irrationabili cauſa committuntur.

TH 7. Arbiter qui à Prætore, vel iudice pedaneo conſtituitur, non ut de negotio principali, ſicut iudices dati, cognoſcat, ſed ut, ſi quid privatæ contentionis in curſu litis, aut præparatorijs iudicij diſcutiendum incidat, id expediat, e. g. an fidejuſſores idonei, l. 9. *& ſeq.* ff *qui ſatiſd. cog.* item, an cauſa recuſationis iudicis iuſta, l. *ult.* C. *de judic.*

TH. 8. Arbiter à privatis electus aut arbitriũ tantum peragit, h. e. ſimpliciter aliquid æſtimat, aut [2] lites, ſ. cauſas controverſas qſ. judicialiter determinat, l. 14. *in pr.* C. *de judic.* *Prior* non tanquam judex, ſed ut nudus mediator intervenit, cuius opiniones effectum ſententiæ non habent, eique partes nulla planè neceſſitate, nec directò, nec oblique parere tenentur; eiuſmodi ſunt, qui in tranſactionibus ineundis, aut contractibus celebrandis aſſumuntur, veluti cum ſocietas coïtur ijs partibus, quibus Titius arbitratus fuerit, l. 76. §. 1. *pro ſocio*, aut quando in locationibus aut emptionibus merces, vel pretium in tertij alicujus arbitrium confertur, l. 38. pr. ff. *locat.* l. *ult.* C. *de contrah. empt.* Poſterior tanquam iudex iudicat, & formam proceſſus per omnia ferè imitatur, unde hic vocatur *Germanicè ein Schiedes Richter*, ille verò *Schiedesman.* *Arbiter* poſterioris generis, eſt, in quem à litigantibus ita compromittitur, ut quicquid de controverſia ſtatuerit, ratum ſit, atque firmum, & pro iudicato habeatur, l. 32. §. 16. l. 37. 44. ff. h. t. qui & arbiter compromiſſarius in ſpecie dicitur.

TH. 9. Arbiter debet eſſe vir bonus, & habilis, (a) qui à litigantibus & quidem talibus, liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habentibus conſtituitur.

(a) *Habilitas* eius æſtimatur [1] ex *ſtatu*, unde ſervus non poteſt eſſe arbiter, l. 7. §. 1. l. 9. pr. h. t. [2] *ætate*. E. nec pupillus, l. 9. §. 1. h. t. nec minor 20. annis arbiter eligi poteſt, l. 41. h. t. [3] *ſexu*, ſic mulier arbitrium in ſe recipere nequit, l. ult. C. h. t.

TH. 10. Compromitti poteſt regulariter ſuper quavis cauſa. Excipe, [1] cauſas criminales, quia crimina privato arbitrio non ſunt remittenda, l. 32. §. 6. & 7. h. t. [2] cauſæ ſtatus, de libertate & ingenuitate, d. l. 32. §. 7. [3] cauſæ matrimoniales, C. *pen. de in integr. reſtit.* [4] cauſæ pupillares, aut tutelares *arg.* l. 3. pr. h. t. & [5] in genere cauſæ, quæ non ſunt privati arbitrij. c. 5. h. t. *Zoeſ.* h. n. 9.

TH. 11. Ex compromiſſo obligantur litigantes, obligatio autem ea eſt ſimplex, vel qualificata.

TH. 12. Simplex fit, aut per pactum nudum, aut per ſtipulationem, l. 27. §. *ult.* ff. h. t. l. 5. C. eod.

TH. 13. Qualificata, ſi ſtipulationi adjiciatur pœna, (a) vel jusjurandum. (b)

(a) Vt ſi promittatur certa ſumma perſolvenda, ſi arbitrio ſit contraventum, l. 5. C. h. t. Nov. 82. c. 11. quod cum fieri debeat, & ſoleat, utrinque ex mutuo ſtipulatio illa eſt dicta compromiſſio. l. 11. §. 4. l. 13. §. 1. h. t.

(b) Vt ſi litigantes jurent, ſe ſententiæ ſtaturos, vel arbiter litigantibus juret, ſe religioſè arbitraturum, l. 4. C. h. t. qui conſtituendi arbitrum modus ob perjurij metus exſolevit, d. Nov. 82. c. 2. reliqui verò adhuc vigent.

TH. 14. Hinc ſi per litigantes fuerit factum, quo minus arbiter arbitretur, pœnam is dicitur committere, l. 27. §. 4. ff. h. t.

TH. 15. Conſtituto ita legitimè compromiſſo, & officio (a) hoc ſemel ab arbitro ſuſcepto, illud expedire tenetur. Excipe, niſi juſtam excuſationis cauſam habeat arbiter, l. 13. §. 2. l. 32. §. 1. h. t.

(a) *Officium* arbitri in cauſæ cognitione, inſtar iudicis conſiſtit, l. 13. pr. & §. 1. C. *de judic.* l. 11 *pr.* l. 14. & 15. ff. h. t. Hic partibus præſentibus ſententiam (quæ arbitrium vocatur item laudum, quod vocabulum Gothicum à *lau*, lege, & *doom* iudicio, vel ſententia, h. e. legitima ſententia) dicit, qua ſententiam determinat, l. 19. §. 1. l. 21. l. 27. §. 4. ff. h. t. Obſerva, ſi plures electi ſint arbitri, & inter ſe diſſentiant, tunc majoris partis ſententia prævalet, in quo arbitri cum iudicibus conveniunt. d. l. 27. §. 3. l. 36. ff. *de re jud.* Aſt ſi horum quilibet ſingularem pronuntiet ſententiam, vel paria habeant ſuffragia, ſ. vota, neutra hoc in caſu valet ſententia.

TH. 16. Litigantes Arbitri ſententiæ parere obligantur, l. 27. §. 2. nec datur ab eius arbitrio appellatio, d. l. 27. §. 2. l. 32 §. 14. l. C. h. t. poteſt tamen pars læſa exceptione doli uti, ſi probare poſſit, ſordibus, gratia, vel inimicitia ductum arbitrum, iniquam ſententiam dixiſſe, l. 32. §. 14. h. t. l. 3. C. eod.

TH. 17. Compromiſſum [1] morte compromittentium ante laudum, ſive ſententiam pronunciatam ſecutâ, finitur, l. 27. §. 1. ff. h. t. c. 10. Extr. eod. [2] ſi dies intra quem arbiter ſententiam pronuntiare debet, compromiſſo adjecta eſt elapſa, l. 32. §. 3. ff. h. t. [3] ſi partes à compromiſſo recedant, l. 32. §. 3. *in fin.* l. 13. h. t.

TH. 18. Qr. ſi quis iuravit ſe ſtare velle arbitrio, & poſtea exinde enormiſſimè eſt læſus, an opponere poſſit exceptionem doli? Reſp. affirm. licet enim partes ſententiæ arbitri ſtare promittant, interim tamen ſemper ſub intelligitur, niſi arbiter enormiſſimè læſerit, l. 76. §. 1. ff. *pro ſoc.* l. 32. §. 14. ff. h. t. l. 3. ff. *de oper. libert.* quia enormiſſima læſio non præſumitur cogitata, cum arbitrum tanquam virum bonum elegerunt; atque ſic iuramentum ad incogitata non extenditur. arg. C. *clericus de jurej.*

TITVLVS IX.

Nautæ, caupones, ſtabularij, ut recepta reſtituant.

TH. I. NON tantum antecedens titulus de receptis agit, verum & hîc de recepto, quamvis diverſo modo tractet: ſicut enim arbitri ſuſcepto arbitrio ſatisfacere ex edicto tenentur, ita nautæ, caupones, & ſtabularij (a) ex recepto obligantur, qui res ſibi creditas cuſtodire debent.

(a) h. e. qui navim, cauponam & ſtabulum exercent, & ad quos quæſtus & reditus præcipui ex navi, caupona & ſtabulo perveniunt, l. 1. §. 15. ff. *de exercit. act.* §. 2. *Inſt. quod cum eo, qui in alien. pot.*

TH. 2. Hoc edictum propter eiuſmodi hominum improbitatem reprimendam eſt propoſitum, l. 3. §. 1. h. t. cuius edicti duo ſunt capita, alterum *ex qſ. contractu* ad reddendas res illatas in navim, cauponam, vel ſtabulum receptas; *alterum ex qſ. delicto* ad pœnam, hinc diverſæ ex diverſis capitibus oriuntur actiones. [1] eſt actio de recepto, l. 1. §. 3. h. t. [2] ex qſ. maleficio exercitoris, l. *pen.* §. 3. l. *ult.* ff. h. t.

§. *ult. Inſt. de obl. quæ ex qſ. del.*

TH. 3. Actio de recepto (a) eſt actio in perſonam, (b) in factum, (c) prætoria, ſive honoraria. (d)

(a) *Receptum* dicitur dupliciter, l. 1. §. *ult.* ff. h. t. [1] ſi res ipſis ſcientibus aſſignatæ ſint ad cuſtodiam, (2) ſi ſolum immiſſæ ſint, ipſis ignorantibus, & vtroque caſu oritur obligatio ex qſ. contractu, h. e. ficta conventione, quæ rei receptione inducitur. Excipe, (1) nautæ, ex qſ. contractu non obligantur, ſi videlicet proteſtati ſint, ſe nolle res ſervare, & conſenſerint vectores, l. ult. h. t. ſi verò vectores diſſenſerint, ex re immiſſa nihilominus obligantur. *arg.* d. l. 1 §. f. [2] licet proteſtati non ſint, & res fortuito caſu h. e. naufragio perierint, non tenentur, l. 3. §. 1. h. t. quia non ob caſum, ſed culpam propriam, ſuorumque leviſſimam obligantur.

(b) Quia eſt ex qſ. contractu, qui inducitur ex facto receptionis, ex quo exercitor navis, caup. ſtab. cenſetur tacitè promittere, ſalvas fore res receptas, l. 1. §. 2. 3. 6. ff. h. t.

(c) l. 3. §. *fin.* ff. h. t.

(d) A Prætore introducta, qua ſuccurrit viatoribus, quos neceſſe eſt plerumque hoſpitum fidem ſequi, ijſque ut ignotis res ſuas cuſtodiæ committere.

TH. 4. Actio hæc datur viatoribus & vectoribus, res ſuas, vel alienas inferentibus in navim, cauponam. l. 1. §. 7. ff. h. t.

TH. 5. Ea actio datur adverſus nautas, caup. & ſtab. ut recepta reſtituant, l. 1. *pr.* l. 3. § 1. ff. h. t. Perinde eſt, an ipſe exercitor res receperit, aut magiſter navis, aut inſtitor cauponæ, ſ. ſtabuli, ſive alius, cui rem commiſit exercitor, d. l. 1. §. 2. 3. & 5. nota; in receptione non requiritur, ut res ſpeciatim aſſignentur, ſeu cuſtodiæ exercitoris expreſsè committantur, ſed ſufficit, res eſſe immiſſas & illatas. l. 1. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 6. Ex altero capite deſcendit actio in perſonam (a) in factum, prætoria, ob damnum datum, aut furtum factum, in navi, caupona & ſtabulo, ab aliquo eorum, quorum opera exercitor utitur, competens.

(a) Quia eſt ex qſ. delicto; non autem ex ipſo delicto, cum non exercitor, ſed eius peſſimi miniſtri delinquant, ob quos aliquatenus reus eſt, dum malorum hominum opera uti, potuiſſet aſtinere. Sic etiam habitator nomine ſuæ familiæ, ſi quid dejectum fuerit, vel effuſum, tenetur ob præſumptam culpam.

TH. 7. Hæc actio datur vectoribus, vel viatoribus, quibus in navi, caup. ſtab. ab exercitoris miniſtris damnum datum, aut furum factum, l. *fin.* h. t. §. *ult. Inſt.* d. t.

TH. 8. Actio hæc competit adverſus navis, caup. & ſtab. exercitorem, ob damnum datum, vel furtum factum ab eius miniſtris, l. 6. §. 3. h. tit.

TH. 9. Actio hæc in duplum competit, quia eſt pœnalis, ideo in heredes non datur, l. 7. §. 6. h. t. contra, prior actio ex qſ. contractu non eſt pœnalis, ſed rei ſaltem perſecutoria; unde in heredes tranſit, l. 3. § *pen.* ff. h. t. Hodie ſolummodo in ſimplum datur.

PARS DIGESTORVM SECVNDA.

LIBER QVINTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Iudicijs.

Iung. tit. 1. lib. 3. C. h. t.

TH. 1. HÆc de prima parte Digeſtorum, præparatoria judiciorum comprehendente, diſſeruiſſe ſufficiat; ſubjiciuntur nunc ipſa iudicia, quæ coram competente judice, inter actorem & reum, juris decernendi cauſa exercentur.

TH. 2. Iudicium (a) eſt actus, quo coram judice (b) actor & reus litem (c) ſecundum jus conteſtantur & tractant, eamque judex cognoſcit & definit.

(a) Vox iudicij eſt æquivoca; varias continens ſignificationes, (1) denotat diſcretionem; qua res & negotia homo à ſe invicem diſtinguit. §. 1. *Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſt.* (2) opinionem, ſive credulitatem hominis e. g. hoc

ſecundùm meum iudicium habetur verum, (3) hominis voluntatem. l. 20. C. *de nupt.* & potiſſimum ultimam. l. 1. C. *de SS. Ecclеſ.* l. 4. l. *pen. ff. de confirm. tutor.* (4) actionem, e. g. in omnibus b. f. iudicijs, h. e. actionibus. l. 13. l. 41. ff. *de iud. rubr. C. de contrar. tut. iud.* ſic etiam in tribus iſtis iudicijs (actionibus) familiæ erciſc. communi divid. & fin. regund. quæritur, quis actor intelligatur, quia par omnium videtur cauſa, qui ad iudicium provocant, (5) actum, uti definivimus. *rubr. ff. & C.* h. t. (6) actus quoque eos, qui litis conteſtationem præcedunt, & in iure, non in iudicio fieri dicuntur, continet. l. 1. §. 3. l. 28. pr. ff. *de admin. tut.* l. 3. ff. *de eo, per quem fact.* l. 2. §. 2. ff. *qui ſatiſd. cog.* ut ſunt in ius vocare, contra aliquem agere, ut litem ſuſcipiat, (7) iuriſdictionem. l. 2. *in fin. ff. de iudic. l. 2. C. de libert.* (8) locum, in quo iudicium exercetur. l. 2. *& t. t. ff. ſi quis caut. iud. ſiſt.*

(b) Iudicem Pedaneum, qui de negotio cognoſcebat, dabat Prætor, nonnunquam verò ipſe cognitionem ſibi vindicabat, vel ob cauſæ gravitatem, eiuſve favorem.

(c) Olim formula concepta, & iudice pedaneo dato, litigantes abituri à Prætore, mutuò ſibi, & teſtato denunciabant, ut in diem perendinum ſe apud datum iudicem ſiſterent, & ita dicebatur fieri litis conteſtatio. Hodie verò illa fit, Rei ad actionem propoſitam reſponſione. l. 14. §. 1. C. h. t.

TH. 3. Omne iudicium his ſequentibus conſtare debet, [1] perſonis iudicium conſtituentibus, [2] cauſa in iudicium deducta, [3] forma procedendi, & [4] fine.

TH. 4. Cauſæ iudicij efficientes principales h. e. iudicium conſtituentes ſunt tres, iudex, actor, & reus. l. 62. ff. *de iud.* l. 13. §. 2. C. *de indic.* c. 10. *de* V. S.

TH. 5. (1) Iudex eſt perſona de actoris & rei controverſia notionem (a) habens.

(a) Notio eſt cognoſcendi atque pronuntiandi poteſtas. *arg.* l. 99. ff. *de* V. S. l. 74. ff. *de iudic. arg.* l. 2. C. *de ped. iudic.* Notio eſt nuda, vel non nuda; qui nudam notionem habet, iuriſdictionem non habet. l. 5. *pr. ff. de re iud.* ut pedaneus iudex. *Non nuda* eſt iuriſdictio, vel merum imperium. d. l. 99.

TH. 6. Vt quis in cauſis ſit iudex, habilitas in eo requiritur, [1] generalis, ut videlicet perſona ſit apta, ac legibus non prohibeatur eſſe iudex, [2] ſpecialis, ut in cauſa, quæ in ſpecie coram eo tractanda, non ſit ſuſpectus.

TH. 7. Generalis inhabilitas eſt in iudice ob defectum naturalem, nimirum in ſurdo, muto, furioſo, impubere. l. 12. §. 2. ff. h. t. cœcus tamen poteſt eſſe iudex in cauſis, quæ non requirunt ocularem inſpectionem. l. 6. h. t. quamvis Magiſtratus conſtitui nequeat. l. 1. §. 5. ff. *de poſtul.*

TH. 8. Specialis inhabilitas in iudice ob ſuſpicionem, ob quam repudiari poteſt eſt,[1] ſi commodum, vel incommodum ex cauſa ad iudicem pertineat. l. 17. ff. h. t. *l. un. C. ne quis in ſuis cauſ.* [2] inimicitia. l. 9. ff. *de liber. cauſ. c.* 41. *de appell.* [3] ſingularis gratia, coniunctio & amicitia. l. 10. ff. *de iuriſd.* [4] ſi iudex fuerit corruptus; ob recitatas cauſas, ſi prius adverſarius eas probaverit, iudex recuſari poteſt, quod regulariter ante litem conteſtatam fieri oportet. l. 16. C. h. t. niſi poſt emerſerit. l. 17. ff. h. t. vel ante ignoraverit. c. 2. *de except.*

TH. 9. Secunda judicij cauſa efficiens eſt actor, (a) vel accuſator. (b)

(a) Vox actoris multifariam ſumitur, [1] pro eo, qui litem in iudicio tractat, ſive actor, ſive Reus, quia & hic agere dicitur. l. 1. ff. *de except.* [2] pro advocato. l. 1. C. *ne liceat potent.* [3] pro Procuratore. l. 25. ff. *de procur.* [4] pro eo, quam tutor, vel curator ad agendum conſtituit. l. 11. C. *de procur.* l. 10. C. *de actor à tutor.* [5] pro ſyndico univerſitatis. l. 2. ff *quod cujuſque univerſ.* [6] pro eo, qui actionem tantum civilem inſtituit, & ita hic definitur; quod *Actor* ſit, qui actionem (ſc. civilem) intendit; ſive qui aliquid in iudicio petit & prior ad illud provocat.

(b) Accuſator eſt, qui accuſationem inſtituit, quod fit in criminalibus. *t. ff. de accuſ.*

TH. 1. Hinc dicitur quod omnis agere queat, niſi prohibeatur; prohibetur verò, qui legitimam in iudicio ſtandi perſonam non habet. E. ſeruus non poteſt, ſiue agat, ſive conveniatur. l. 53. *de iudic.* l. 6. *&* 7. C. *eod.*

TH. 11. Filiusfam. in patria adhuc poteſtate exiſtens regulariter nomine ſuo nullam habet actionem. l. 9. ff. *de* O. & A. Excipe (1) injuriarum actionem; & (2) ratione peculij caſtrenſis & qſ. caſtrenſis, de quibus non ſaltem invito patre agere poteſt, ſed etiam adverſus patrem. l. 4. 11. h. t. l. 7. ff. de O. & A. l. 4. §. 1. *de caſtr. pecul. l.* 2. *ff. ad SCt. Maced.*

TH. 12. Minor per ſe in iudicio ſtare non poteſt. l. 1. 2. C. *qui legit. ſtand. perſ. l.* 4 *C. de Auth. præſt.* ſed demum curatoris authoritate, ob imperfectum rationis uſum.

TH. 13. Furioſus, mente captus, infans prodigus, mutus & ſurdus agere non poſſunt; quorum tribus prioribus; ne quidem tutore autore, ob deficientem rationis uſum agere iure licet; ſequentibus contra interveniente tutoris authoritate, eſt permiſſum.

TH. 14. Nemo ad agendum, vel accuſandum invitus cogitur, *l. un. C. ut nemo invit.*

TH. 15. Tertia iudicij cauſa efficiens eſt Reus, (a) qui eſt is, cum quo agitur, (b) vel qui criminis alicuius eſt accuſatus, ſive poſtulatus. *arg.* l. 5. ff. *de publ. iud.*

(a) *Reus* à re, cuius cauſa convenitur, & de qua eſt diſceptatio, vocatur; quæ vox duplicem habet ſenſum, (1) denotat utrumque litigantem, unde Rei ſtipulandi & promittendi dicuntur, l. 1. *& t. t. ff. de duob. reis.* (2) eum, contra quem eſt actio uti hîc accipitur. l. 13. §. 3. C. *de iudic.* vel contra quem accuſatio inſtituitur. *rubr. & l. 1. ff. de cuſtod. & exhib. reor.*

(b) pr. Inſt. de except. ſive qui convenitur. l. 3. ff. *de probat.* ſeu, qui lite pulſatur. l. 8. C. *de probat.*

TH. 16. Omnis poteſt fieri Reus, ſi iure prohibitus non reperitur. Prohibitus autem eſt, qui non habet legitimam in iudicio ſtandi perſonam; E. cum ſervo nulla eſt actio, non poteſt conveniri. l. 107. ff. de R. I.

TH. 17. Nec pupillus, nec minor, ſine tutoris, vel curatoris authoritate in iudicio, ſive civili, ſive criminali conveniri queunt. l. 4. C. *de Auth. præſt.*

TH. 18. Filiusfam. ex omnibus cauſis tanquam paterfam. obligari, & *actionibus in perſonam* conveniri, imò & ſententia contra ipſum ferri poteſt. l. 39. ff. de O. & A. l. 37. ff. h. t. l. 3. §. 4. ff. *de minor.* l. 57. ff. *de iudic.* Ita tamen, ut vel res iudicata exſecutioni demum mandetur, ſi fuerit factus paterfam. vel ſi ei adſit peculium, unde iudicatum ſolvatur, & ſi peculium profectitium adfuerit, pater iudicati actione tenetur. l. 3. §. 11. *de pecul.* l. 27. *pr. ff. de minor.* *Actione* verò in *rem* cum filius convenitur, peculia ſunt diſtinguenda. Ratione peculij caſtrenſis & qſ. caſtrenſis ipſe filius rectè convenitur. *arg.* l. 4. §. 1. ff. *de caſtr. pecul.* ratione peculij profectitij pater actiones ſolus ſuſcipere poteſt. §. 1. *Inſt. per quas perſ. nob. acq.* de peculio adventitio, cuius pater habet uſumfructum, ſi agatur, pater conveniri quidem debet, requiritur tamen hic filij conſenſus in actione ſuſcipienda. *l. ult. §. 3. C. de bon. quæ liber.* aſt ſi de adventitio, cuius proprietas & uſufructus ad filium ſpectat, actio ei moveatur, ipſe filius litem ſuſcipere debet, adhibito tamen patris conſenſu. d. l. *ult.* hic patris conſenſus exigitur, non ratione acquiſitionis bonorum, vel detrimenti, ſed ratione patriæ poteſtatis, ut legitimetur filij perſona.

TH. 19. Reſpectu Rei probè notandum, quod uxor pro marito, vel maritus pro uxore, aut mater pro filio conveniri non poſſit. l. 1. 2. *& l. fin. C. ne uxor pro mar.* nec filius pro matre, neque pater pro filio, neque filius pro patre. *t. t. C. ne fil. pro patr.* l. 13. C. *ſi cert. petat.*

TH. 20. Fa-

TH. 20. Favorabiliores Rei potius, quàm actores habentur, l. 125. ff. de R. I.

TH. 21. Actori & Reo interdum tertius aliquis pro ſuo intereſſe intercedit, qui interveniens vocatur; & vel tanquam actor contra Reum venit, vel Reo contra actorem accedit; nota, hic tertius non admittitur, niſi prius de ſuo intereſſe doceat, vel ſaltem ſummariè, *Gail.* 1. *obſ.* 69. *& ſeqq. Mynſ.* 3. *obſ.* 73.

TH. 22. Accidit non nunquam, ut plures conjunctim agant, vel conveniantur, & tam hi, quàm illi vocantur conſortes, t. C. *de conſort. eiuſd. lit.*

TH. 23. Explicatis perſonis iudicij principalibus, minus principales quoque enumerari oportet, quarum quædam judici accedunt, (a) quædam litigantibus, (b) quædam in ſpecie Reo. (c)

(a) Vt Aſſeſſores t. ff *de offic. aſſeſſ.* & Apparitores, inter hos ſunt [1] Tabelliones, qui his, quæ in judicio proponuntur, ſcribendis & dirigendis ſunt propoſiti, [2] ſcribæ, qui operam in ſcribendo quodammodo vicariam præſtant, (3) pedelli, (4) nuncij, & in criminalibus quoque carnifices.

(b) e. g. Advocati, t. ff. *de poſtul.* Procuratores, t. ff. *de procurat.* interdum tutores & curatores, *de quib. lib.* 26. ff.

(c) Vt defenſor. t. ff. *de procurat.*

TH. 24. Cauſam iudicij efficientem excipit materia, quæ ſunt cauſæ, ſ. lites (a) quarum nullus neque finis, neque modus in his teterrimis temporibus, quibus, refrigerata charitate, abundat hominum iniquitas & malitia.

(a) Litis vocabulum eſt ambiguum, (1) ſumitur pro controverſia juris inter duos, pluresve, l. 1. ff. *de jurej.* (2) pro actione, ſive in rem, ſive in perſonam ſit, l. 36. ff. *de* V.S. etiam pro criminali actione, (3) pro inſtantia, l. 13. pr. C. *de judic.* & (4) omnem actum à litis conteſtatione uſque ad ſententiam definitivam complectitur, quo in ſignificatu hic accipitur.

TH. 25. Perſpectis perſonis iudicium conſtituentibus, competentia judicis conſideranda venit, quæ ex Rei perſona æſtimatur, quoniam actor Rei forum (a) ſequi (b) tenetur. l. 2. C. *de juriſd. omn. jud.* l. f. C. *ubi in rem act.* Excipitur ab hac regula iudicium diffamationis; diffamatus enim, licet Reus ſit (ratione cauſæ principalis, ſi contra ipſum proponatur) privilegium habet impetrandi citationem *ex* l. *diffamari* C. *de ingenu. manu.* in ſuo foro adverſus diffamatorem, ut veniat in hoc, & diffamationem probet, vel ſuſtineat perpetui ſilentij impoſitionem; quod procedit in diffamationis iudicio; nam in hoc diffamatus producit implorationem officij iudicis pro impetranda citatione,

atque ita, dum provocat, actor eſt. In iudicio verò principali actor eſt ipſe diffamator, cum & diffamando provocet, & proponere cauſam principalem teneatur, ideoque probare debeat. *Gail.* 1. *obſ.* 9.

(a) Per *forum* intelligimus locum, ubi judicia exercentur, quæ tam à litigantibus, quam Magiſtratu exercentur, aſt ab illis paſſive, ab hoc active.

(b) Quia actoris eſt, intentionem ſuam proponere, quod in foro ſuo facere non poteſt, ubi reus non comparebit, nec comparere tenetur, ob id non patietur executionem, niſi forum commune habeat.

TH. 26. Forum competens eſt locus iudicij, ubi quis agere, vel conveniri debet; contra, forum incompetens iudicium impedit, unde fori incompetentis exceptio.

TH. 27. Forum competens dividitur in ordinarium, & extraordinarium.

TH. 28. Forum ordinarium eſt, ubi quis ordinariè agere, vel conveniri debet, & quidem ex jure communi, vel privilegio aliquo.

TH. 29. Forum ex jure communi habet quis, vel ex perſona alterius, (a) vel ex propria.

(a) Tales ſunt, (1) Heres, qui ratione ſuæ perſonæ ibi non eſt ſubjectus; ſed reſpectu defuncti, quem repræſentat, l. 19. l. 34. ff. h. t. l. 177. ff. *de* R. I. eiuſque vicem ſuſtinet, (2) defenſor, ſive ſit voluntarius, ſive neceſſarius, ut venditor in cauſa evictionis emptoris, quem defendit, forum ſequitur, l. 49. ff. h. t. (3) Libertus ex perſona Patroni, l. 22. *pr.* ff. *ad municip.* (4) Servus ex domini perſona, l. 1. *&* 3. C. *ubi de cauſ. ſtat.* (5) mulier ex perſona mariti, quia uxor ſeparatim habitare non poteſt, ſed mariti habitationem obſequioſe ſequi tenetur, & perpetuò mariti conſortio eſt addicta, hinc illa per ſe non habet domicilium, ſed eo ipſo, quo uxor per matrimonium exit ex patris familia, & tranſit in familiam & domum mariti, huius domicilium ſequitur, l. 65. ff. h. t. l. *pen. de iuriſd.* (6) Vidua mariti forum retinet, quamdiu talis manet, l. 22. §. 1. ff. *ad municip.* l. *ult.* §. 3. *ibid.* Contra, Maritus uxoris forum nunquam ſequitur, etiamſi in domum ipſius tranſeat; aut enim hoc animo eam ingreditur, ut ibi perpetuò conſiſtat, & tunc ex propria perſona domicilium habet, aut ſaltem, ut ad tempus commoretur, & tunc vel originis, vel proprium domicilium retinet.

TH. 30. Ex perſona propria quis ſortitur forum, vel per ſe, vel per accidens. Per ſe, propter domicilium in aliquo loco conſtitutum, l. 9. §. 1. l. *ult.* ff. h. t. l. 2. C. *de juriſd.* eſtque duplex, commune, & (2) proprium. Commune domicilium eſt civitas Roma, omnibus civibus Romanis, l. 2. §. 4. *& ſeq.* l. 24. ff. h. t. l. 33. *ad municip.* in quo, tanquam in communi patria cives omnes, ſi ibi reperianrur, conveniri poſſunt, d. l. 2. §. 4. & 5. niſi ius revocandi domum habeant, ut legati,

& qui neceſſaria de cauſa, v. g. teſtimonij reddendi, tutelæ, judicandi ſunt accerſiti, d. l. 2. §. 3.

TH. 31. Proprium, ſive privatum domicilium eſt, iterum duplex, (1) naturale, (2) accidentale, ſive aſcititium. Naturale, ſive domicilium originis eſt, quod ipſa natura, ſive nativitas tribuit. Sive eſt locus nativitatis, modo & ibi pater domicilium habeat, & ortus ſit, l. 7. C. *de incol.* l. 1. ff. *ad municip.* l. 6. §. 1. l. 27. ff. h. t. E. ſi quis in tranſeundo, & per hoc, fortuito caſu in loco aliquo natus ſit, domicilium hoc ibi non conſtituitur. l. 3. C. *ad municip.* Forum hoc originis non tollebatur olim quoad onera patrimonialia, ſi deſereretur, ſed tantum quoad iuriſdictionalia. Hodiè domicilium illud ob mutatam imperij formam exolevit. *Gail.* 2. *obſ.* 36.

TH. 32. Domicilium accidentale, ſ. adſcititium eſt, quod aliunde adſciſcitur, & propria cuiuſque voluntate conſtituitur, l. 31. ff. *ad municip.* quod fieri ſolet, cum quis ſe & bona ſua, vel majorem illorum partem, in alium locum habitationis cauſa transfert, l. 20. ff. *ad municip.* l. 7. C. *de incol.* Hinc illa domicilij accidentalis fluit diſtinctio, inter domicilium habitationis & bonorum.

TH. 33. Domicilium habitationis eſt locus, ubi quis habitat, animo (a) ibi perpetuò conſiſtendi, niſi quid avocet. (b)

(a) Animus ille apparet expreſsè, vel tacitè. *Expreſſè*, quando quis ibi jus civitatis acquiſivit. *Tacitè*, ſi quis v. c. ea facit, quæ ibi cives facere ſolent, ſi uxorem ducat, domum emat, & familiam conſtituat: ſi habitet per decennium, l. 27. §. 1. *ad municip.* ex cuius lapſu animus præſumitur, prius domicilium reliquiſſe, novumque ſibi alibi domicilium conſtituiſſe, contrarium obſervatur (1) in ſtudioſis, qui ea conditione alicubi habitant, ut tantum ratione negotiorum contractorum forum ibi ſortiantur, (2) in nobilibus in civitatibus habitantibus, (3) in Syndicis & officialibus, Conſiliarijs Principum & Imperalium civitatum; quia illi aliàs ſingularem habent Magiſtratum vel Principem.

TH. 34. Domicilium habitationis ſemel animo conſtitutum conſervatur, licet quis aliquandiu ibi non habitet, l. 7. *inf.* C. *de incol.* l. 22. *inf.* ff. *ad municip.* Hinc ſi quis coactus neceſſitate, puta graſsãte peſte, vel belli periculo res, familiamque ſuam aliò transferat, nihilominus domicilium in loco, ex quo abit, ſi animum revertendi habuit, retinet, quia domicilij mutatio non præſumitur. *Gail.* 2. *obſ.* 35.

TH. 35. Domicilium bonorum eſt, ubi quis majorem partem ſuorum bonorum habet, l. *un.* C. *ubi pet. tut. vel cur.* E. ratione eorum in foro, ubi ſita ſunt, conveniri poteſt, huiuſque loci iudex, tali in caſu eſt competens.

TH. 36. Porrò per accidens (a) forum quis ſortitur 5. modis, [1] ratione contractus, [2] ratione delicti, [3] ratione rei ſitæ, [4] ratione iudicij cœpti, & [5] ratione continentiæ.

(a) Hiſce modis perſona per accidens forum ſortiri dicitur, ratio eſt, quia in hiſce caſibus perſona non principaliter convenitur, ſed quatenus, vel contraxit, vel deliquit, vel rem alibi ſitam habet, &c.

TH. 37. Ratione contractus (a) ſortitur quis forum dupliciter, [1] propter expreſſam conventionem, (b) [2] ex tacita & præſumpta voluntate. (c)

(a) Vox *contractus* hic latè accipitur, ut non modo verum contractum, ſed & qſ. contractum comprehendat, l. 19. §. 1. l. 20. ff. h. t. Vnde & tutor & curator ibi, ubi tutelam adminiſtrat, conveniri poteſt, l. 54. ff. *de procur.* & heres, ubi hereditatem adijt, vel ubi hereditas, aut maior eiuſdem pars exiſtit, l. 52. §. 3. ff. h. t. Obſervandum, contractus facit aliquem conveniri, ubi ille eſt initus, cenſentur enim contrahentes & loci legibus ſe accommodaſſe, ibique ſolutionem fieri voluiſſe, l. 1. 2. & 3. *de reb. autorit. judic. poſſid.*

(b) Illo modo per prorogationem iuriſdictionis, h. e. ſi quidam expreſſa conventione alterius iuriſdictioni ſe ſubjiciant, l. 14. l. 18. ff. *de juriſd.* c. *ſignificaſti.* Extr. *de juriſd.* hoc tamen non obtinet, niſi in cauſis eiuſdem qualitatis. E. iudex criminalis, nec ex prorogatione iudicare poteſt in cauſis civilibus; nec vice verſa, nec (2) iudex appellationis, vel (3) feudalis, vel (4) Eccleſiaſticus in cauſis ad eum non pertinentibus, planè iudicare nequit; talibus enim in cauſis ſunt incompetentes & pro privatis habentur. Nota. Hodie iuriſdictionis prorogatio, niſi conſentiente ſuperiori, non eſt permiſſa. *Gail.* 1. *obſ.* 4.

(c) Hoc modo, ſi quis ad iudicem incompetentem vocatus non opponat exceptionem fori declinatoriam, l. 1. C. *de juriſd.* l. *fin.* ff. *de except.* (2) actor quoad reconventionem, l. 14. C. *de ſent. & interloc. omn. jud.* (3) ubi quis promiſit ſe ſoluturum, l. 19. §. 4. ff. *de iudic.*

TH. 38. Locus contractus dupliciter conſideratur, negativè, (a) & affirmativè. (b)

(a) Contractus non eſt æſtimandus ab initio rei geſtæ ante concluſionem, quia contrahentes tali caſu non dicuntur contraxiſſe, ſed contrahere voluiſſe, l. 8. C. *de reſcind. vend.* nec (2) ubi inſtrumentum eſt confectum, illud enim contractum iam celebratum præſupponit, & ſolius probationis cauſa conficitur. l. 7. l. 39. ff. de O. & A. Excipe, niſi contrahentes in ſcriptis contractum celebrare voluerint, nec (3) vbi contractus eſt confirmatus, ſi is locus alius; quam ubi contractus eſt initus; confirmatio namque nihil novi addit. l. 8. h. t.

(b) Talis æſtimatur in ſolutione, in quam obligatio collata eſt. l. 21. ff.

de O. & A. ſeu ubi contractus eſt celebratus. l. 19. §. 2. l. 45. h. t. & tunc in illo reus neceſſario comparere cogitur, ſive præſens, ſive abſens ſit, aliàs alter in ipſius bona immittitur, ſi bona ibi habeat. d. l. 19. §. 1. ſin minus, tunc iuriſdictiones vicarias ſibi præſtant operas. l. 8. C. *de Epiſc. aud. c. principalis.* 23. q. 5.

TH. 39. Ratione delicti ſortitur quis forum, ubi delictum commiſit. (a) l. 1. & auth. qua in provincia. C. *ubi de crimin.* concurrunt tamen hic plura fora; quia Reus ratione criminis conveniri poteſt, [1] in loco domicilij. l. 2. C. *de iuriſd.* [2] in foro delicti commiſſi, [3] in loco deprehenſionis, ubi Reus degit. l. 1. C. *ubi de crim.* ne delicta maneant impunita, quod facilè fieret, ſi tantum in foro ei ordinario conveniri poſſet.

(a) In cuius enim territorio quis deliquit, ibi exſpectat iudicium, quia delinquendo illi ſe ſubjecit. d. l. *un.* C. *ubi de crim. agi oport.* ita ut domum revocare nequeat, omneque privilegium ceſſet auth. *quæ in provincia,* C. h. t. poteſt tamen & in loco domicilij & alibi conveniri. d. l. un.

TH. 40. Quæritur, an in loco delicti conveniri poſſit reus, ſi iſtius loci iudex ei non ſit competens & abſens ſit? Reſp. affirm. quod quoad proceſſum inquiſitorium, & accuſatorium eſt verum. l. 3. ff. *de re milit.* l. 28. §. 15. ff. *de pœn.* l. 7. §. 4. l. *fin. ff. de accuſ. Nov. 61.* c. 1. *Nov.* 134. c. 4. *&* 5. c. *fin. de foro comp.* c. *ſi peccaverit* 2. q. 1. quia in iure civili inter forum contractus & delicti non eſt differentia, nec conſideratur utrum contrahens aut delinquens in loco contractus, vel delicti reperiatur, an verò non, *arg.* l. 19. §. 1. & 2. ff. h. t. Expediri autem proceſſus poteſt, per literas requiſitoriales, quibus rogatur Iudex domicilij, vel loci alterius, quo reus latitat, ut reo injungat, in foro delicti copiam ſui exhibere, ſive ſe ſiſtere, ſicque remittitur. d. l. 7. §. *ult. de accuſ. l.* 7. *de cuſtod. reo.* hæc tam neceſſaria delinquentis ad locum delicti remiſſio hodie non requiritur, ob mutatum Reip. ſtatum; tempore enim Iuſtiniani omnes provinciæ Imperatoris erant propriæ, & per certas perſonas ab eodem pro lubitu adminiſtrabantur, quod hodie non item fit. Ideo hodie non aliter remitti ſolent delinquentes, quam precariò, & ex urbanitate, vel ſub literis reverſalibus. *Gail.* 1. *de PP.* c. 16. quibus cavetur, remiſſionem illam Magiſtratui remittenti, fraudi, aut in ſua iuriſdictione nocumento non futuram eſſe.

TH. 41. Quæritur, ſi ignoretur in quo territorio, ob territoriorum confinitatem delictum ſit perpetratum, quid iuris? Reſp. tunc utriuſque territorij domini competentes exiſtunt Iudices. *Carpz. in crim.* p. 3. q. 110.

TH. 42. Quæritur, an rei ad aſyla & Eccleſiam confugientes capi, & abſtrahi poſſint? Reſp. diſt. inter delicta majora, ut crimen læſæ Majeſtatis, &c. & minora, quoad hæc non licet. *t.t. C. qui ad Eccleſ. confug.* quoad illa contrarium ſtatuitur.

TH. 43. In delictis privatis requiritur delictum eſſe commiſſum. In publicis verò ſufficit eſſe inchoatum. *l.1. verb. inchoata. C. ubi de crimin.* quòd de iure pro completo cenſetur, e.g. ex L. Corn. ſi quis hominis necandi cauſa cum telo ambulaverit. l. 1. & l. 7. ff. *ad L. Corn. de ſiccar.* vel quod in uno territorio eſt inchoatum, in altero demum conſummatum, e.g. ſi quis in regione Dithmarſia Boreali, ad Principem Holſatiæ, Dn. Meum clementiſſimum pertinente, bombardam exoneraverit, in Auſtrali verò Dithmarſia, ad Regem Daniæ ſpectante, hominem ambulantem interemerit; quo in caſu delinquens utriuſque iudicis iuriſdictioni eſt ſubjectus.

TH. 44. [3] Ratione rei ſitæ, in eo videlicet loco, ubi res mobilis, vel immobilis eſt ſita. l. 3. C. *ubi in rem act. c. fin.* Extr. h.t. *de for. comp.* licet perſona ibi non habitet. l. *ult. C. d t.* cum major an rem, quam ad perſonam hic habetur reſpectus. l. 7. ff. *de publ. in rem act.* quia reus & de rei poſſeſſione, vel de proprietate convenitur, *t. t. C. ubi in rem act.* quapropter etiam clericus ratione ſuorum bonorum coram iudice ſeculari conveniri poteſt. *Gail. 1. obſ.* 47.

TH. 45. Forum rei ſitæ in omnibus valet interdictis, quibus agitur de poſſeſſione, ſive adipiſcenda, ſive retinenda, ſive recuperanda. l. 2. C. *de interdi. l. un. C. ubi de poſſeſſ.*

TH. 46. [4] Per accidens ſortitur quis forum, ratione iudicij cœpti, ob litis pendentiam & præventionem, (a) quamvis poſtea alium iudicem, vel ex privilegio, vel ex mutatione domicilij conſequatur, litem tamen ſemel cœptam coram Iudice priori ad exitum perducere tenetur. l. 7. & 30. ff. h. t.

(a) Ita vocatur intuitu duarum iuriſdictionum, quæ tempore in ius vocationis concurrunt, quarum alterutram, ſi actor elegerit, & ad eundem reum vocaverit, alteram præveniſſe dicitur.

TH. 47. Iudicium dicitur cœptum, vel propriè, (a) vel impropriè. (b)

(a) Vt per litis conteſtationem. l. 15. ff. *rem rat. hab.* l. 25. l. 31. ff. *de reb. cred.*

(b) Per citationem. §. *ult. Inſt. de pœn. tem. litig.*

TH. 48. [5] Ratione continentiæ, ſive connexitatis cauſarum fundatur per accidens forum, *t. t. ff. quib. reb. ad eund. jud. eatur.* Sunt autem cauſæ continentes, vel connexæ, quæ uſque adeo ſpecie conveniunt, ut commodè ſeparari, & una abſque altera plenè & liquidè cognoſci nequeat. *arg. l. 10. C. de iudic.*

TH. 49. Eiuſmodi cauſę continentes ſunt, [1] ob generalitatem actionis & cauſæ, (a) [2] ob cognatam facti iuriſque cognitionem, & [3] ob aliquod præiudicium interveniens. (b)

(a) e. g. Si propter diverſas perſonas, vel res, diverſis judicibus ſubjectas, cauſa recta coram iudice proximo, & omnium ſuperiori proponatur, & ventiletur.

(b) Secundo & tertio caſu connexitas facit, ut apud eundem Iudicem, apud quem principalis cauſa eſt cœpta, incidentia quoque & emergentia, tametſi aliàs illorum cognitionem fugiant, agantur & terminentur.

TH. 50. De foro communi hactenus diximus; de privilegiato dicendum reſtat, quod ex iure ſingulari Reo conceditur.

TH. 51. Forum privilegiatum ſortitur reus, vel ratione perſonæ, (a) vel ratione cauſæ. (b)

(a) Sic [1] *clerici* tantum conveniuntur coram iudice Eccleſiaſtico. *c. 1. c. 12. Extr. de for. compet. Auth. ſtatuimus. C. de Epiſc. & cler.* Excipe niſi ratione rei ſitæ actio moveatur. *Auth. clericus. C. de Epiſc. & cler. c. 1. de privileg. in 6. c. 6. de for. comp.* [2] Laïci nonnulli; ut Imperator coram Palatino, *Aur. B. t. 5. §. fin.* Electores & ſtatus imperij coram Auſtregis, *O C. p. 2. t. 2. & ſeqq.* [3] nec non quidam privati, ut *Profeſſores* cum tota familia, & *ſtudioſi* in Academijs coram Rectore ſuo. *Auth. habita, C. ne fil. pro patr.* [4] Pupilli quoque, viduæ, & miſerabiles perſonæ extra provinciam evocari nequeunt, & alios coram ſuo Principe conveniunt, *l. un. C. quando Imp. int. pup.* [5] Milites coram ſuo Magiſtro militum, qui in delictis levioribus & militaribus ad ſuos duces ſunt remittendi. *l. 8 pr. ff. de re milit.* l. 7. ff. h. t. l. 6. C. *iuriſd. l. 2. C. de offic. Magiſt. milit.*

(b) Vt (1) in cauſis ſpiritualibus & Eccleſiaſticis. *de iudic.* inter has referuntur cauſæ matrimoniales. c. 13. 28. *de ſponſ. c. 16. ff de offic. & pot. deleg.* Item decimarum & Patronatus. c. 16. *de decim.* d. c. 3. *de iudic.* (2) in ſecularibus quibuſdam, ut in cauſis fiſcalibus, de quibus cognoſcebat Procurator Cæſaris. l. 2. C. *ubi de cauſ. fiſc.* hodie verò de ea cognoſcit fiſcalis, eo nomine conſtitutus. O, C. p. 2. c. 20. & cauſa ſtatus. *t. t. C. ubi cauſ. ſtat.* item in feudalibus, de quibus dominus feudi, vel pares curiæ ſententiam ferunt. 2. f. 55. §. 1. tandem in cauſis Ducatus & Comitatus, ubi quidam invicem de feudo imperij litigant. *Gail. 1. obſ. 1.*

TH. 52. Forum extraordinarium eſt, in quo iuriſdictio mandata, vel prorogata exercetur, ſive prorogatio expreſsè, ſive tacitè fiat.

TH. 53. Cauſa in iudicium deducta eſt ſecularis, vel Eccleſiaſtica, illa eſt iterum, vel civilis, vel criminalis. Vnde iudicium in civile & criminale dividitur. *Civile* eſt, in quo civili actione agunt illi potiſſimum, ad quos ea res pertinet, ad ſuum intereſſe. *Criminale* eſt, quo reum alicuius criminis accuſamus, ut publicè id à Magiſtratu vindicetur, exemploque edito deterreantur, idem, vel majus ſcelus auſuri. l. *ult. ff. de privat. delict. l. ult. ff. de furt.* §. 10. *Inſt. de injur. l. ult. ff. eod. l.* 1. §. *ult. ff. de abig. l.* 3. *de expil. hered. l.* 1. *&* 2. *ff. de furt. & baln.* civilia iudicia pleraque ſunt privata, exceptis ijs caſibus, quibus popularis actio datur. *t. ff de popul. act.* criminalia iudicia ſunt, vel popularia. d. t. vel extraordinaria, quibus agitur de crimine, vel delicto privato extra ordinem. §. 10. *Inſt. de injur. l ult ff eod.* l. 42. §. 1. ff. *de procur.* vel publica in ſpecie ſic dicta. *t. t. ff. de publ. iud.*

TH. 54. Civilia iudicia ſpectant ad bonum inducendum, criminalia ad malum vindicandum. Prætoria ad utrumque.

TH. 55. Iudicia civilia actiones continent, quibus adverſus alios iure agitur. Actiones illæ deſcendunt, vel ex cauſis inter viuos geſtis, vel per ultimam voluntatem.

TH. 56. Cauſæ inter vivos geſtæ pertinent ad res, vel ad perſonas. Hinc iudicia alia ſunt realia, (a) alia perſonalia. (b)

(a) Quæ deſcendunt ex jure in re, & dantur adverſus poſſeſſorem quemcumque. l. 25. ff. de O. & A, §. 1. *Inſt. de act.* eſtque quintuplex, (1) jus hereditarium, ſive hereditas, (2) dominium in ſpecie ſic dictum, (3) ſervitus, (4) pignus, & (5) poſſeſſio.

(b) Hæc oriuntur ex obligatione & actione in perſonam.

TH. 57. Sequens ordo in cauſis in iudicium deductis eſt ſervandus, prius cauſæ præiudiciales ſunt deducendæ, quam ad cauſam principalem perveniatur. l. 2. C. *de ord. iud. l. 2. C. de ord. cogn. l. 26. ff. de adult.* (2) ſi cauſa criminalis cum civili concurrat, prius de criminali eſt cognoſcendum. *l. ult. C. de ord. iud.* l. 54. ff. h. t. (3) prius controverſia de poſſeſſione proponi, ac finiri debet, quàm alia de proprietate proponatur. l. 37. ff. h. t. l. 5. §. 1. ff. *de vi publ.* l. 10. C. *de ord. iud.* l. 13. C. *de rei vind.* l. 3. C. *de interd.* l. 14. C. *de agric. & cenſ.*

TH. 58. Forma iudicij eſt diverſorum actuum unio & ordo, & cum omnis ordo includat diſtinctionem primi, medij, & ultimi; inde actus iudicij alius primus, alius medius, & alius ultimus eſſe debet. Sive forma conſiſtit in proceſſu, qui eſt modus legitimus in iudicio, circa cauſam, in id deductam à Iudice, & à partibus vitandæ confuſionis cauſa obſervandus. c. 1. *de ſentent. & re iud. in 6.*

TH. 59. Tres

TH. 59. Tres ſunt judicij partes principales, (1) litis conteſtatio, (2) diſceptatio, & (3) ſententia.

TH. 60. Litis conteſtatio eſt iudicij utrimque accepti facta profeſſio, Germanicè *die Krieges beſtetigung.*

TH. 61. Litis conteſtationis partes ſunt duæ, (1) actoris intentio, & Rei contradictio, quæ eſt directa, (a) vel indirecta. (b)

(a) Illa eſt, cum Reus ad cauſam principalem reſpondet.

(b) Hæc eſt, cum Reus diſtinguit, vel litem à principali cauſa ad exceptionem objectam transfert; ubi reus quidem rem, ſive negotium confitetur, ſed allegat tranſactionem, aut pactum eſſe interpoſitum, vel ſubſecutam ſolutionem, &c. Hoc caſu reus non ſimpliciter negat, ſed negat prout narratur & petitur. Litis enim conteſtatio fit per narrationem negotij utrimque factam. l. 2. C. *de jurejur. prop. cal.*

TH. 62. Contradictio hæc eſt generalis, vel ſpecialis. Generalis eſt expreſſa, vel tacita. Expreſſa eſt pura, vel eventualis *illa* fit, ubi reus ſimpliciter negat, ſe debere, aut actori jus eſſe. Germanicè ita profertur, *Ich bin der Klage, immaſſen dieſelbige vorgebracht, nicht geſtandig, und ſage, das deroſelben angehangte bitte nach, nicht erkant, noch geſprochen werden ſoll, mit bitte, mich davon mit erſtattung der gerichtes Koſten zu abſolviren. Hæc* ſc. eventualis fit, quando Reus conteſtatur litem in eventum cum illa proteſtatione, ſi & in quantum exceptiones à ſe objectæ per iudicis inter locutionem rejiciantur; ut quando reus proteſtatur, ſe non animo litem conteſtandi reſpondere; talis proteſtatio proteſtantem iuvat, impeditque litis conteſtationem; quia ad litis conteſtationem requiritur animus: aſt ſi objectæ exceptiones rejiciantur, litis conteſtatio in eventum pro pura acceptatur, & partes ad progreſſum ulteriorem admittuntur. Generalis tacita fit negatione ſimplici.

TH. 63. Contradictio ſpecialis eſt, cum ad ſingula actoris narrata reſpōdetur, ut *Inſonderheit iſt beklagter dieſes, oder jenes nicht ſchuldig.*

TH. 64. Contradictio alia eſt vera, alia quaſi, cum ob rei contumaciam lis pro conteſtata accipitur.

TH. 65. Non ſolum actor & Reus ipſi litem conteſtari ſolent. l. 1. §. 1. ff. *de litig.* ſed & per procuratorem. l. 22. C. *de procur.* vel tutorem. l. 11. 22. C. *de admin. tut.* litem conteſtantur.

TH. 66. In civili & criminali cauſa litis conteſtatio regulariter eſt neceſſaria. l. 3. C. *ut intra cert. temp. crim. quæſt.* Excipe caſus, in quibus libellus non requiritur, ibi nec litis conteſtatio. c. 1. *de libel. oblat.* ut in ſummarijs cauſis, ubi ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura

judicij proceditur; hic iudex libellum neceſſario non exigit, litis conteſtationem non poſtulatus amputat dilationum materiam, litem quanto poteſt, facit breviorem,&c. *Clem.c.2.ſæpè de V.S.*

TH. 67. Partes,ſive litigantes litis conteſtationi, nec expreſsè, nec tacitè renunciare poſſunt,quia eſt de ordine ſubſtantiali iudicij,& litis principium. l. 2. C.*de jurejur.* unde finis ſine ea,tanquam ſine ſuo principio impetrari nequit. *Gail.*1.*obſ.*74.

TH. 68. Ad litis conteſtationem hodie utriuſque partis præſentia non eſt opus, quia hodie reus non ſtatim, ut olim, reſpondere tenetur.

TH.69. Reus ſola objectione exceptionis litem non conteſtatur,cum animus ad eam conteſtandam requiratur. c.1. & 2. *de lit.conteſt. in 6. l. 9.ff. de except. Mynſ.* 3. *obſ.*74.

TH.70. Litis conteſtatio ideo fit, ut actor & reus certi ſint de eo, quod inter ipſos eſt controverſum,& probandum,&(2)ut Iudex ſciat, ſuper quo cognoſcendum & ſententia ſit ferenda.

TH.71. Lite conteſtata actiones perpetuantur,tam perſonales,quam reales, in annos 40. l.24. ff.*de liber. cauſ.* l.26.ff. *de* O. & A. l.139. ff. *de* R.I. l. 3. ff. *de fer.* l. 29. ff. *de novat. l.f. C. de præſc.*30.*vel* 40.*annor.*

TH.72. Litis conteſtatione qſ. contrahitur.l.3.§.11.ff. *de pecul.*

TH. 73. Qui litem conteſtantur eius fiunt domini. l. 22. C. *de procur.*

TH.74. Litis conteſtatione excluduntur exceptiones dilatoriæ.l.19. C. *de probat.*

TH.75. Media iudicij pars eſt diſceptatio, ad quam referuntur, (1) juramentum calumniæ, (2) poſitiones,(3) reſponſiones, (4) exceptionis peremptoriæ oppoſitio, (5) probatio, (6) diſputatio, (7) concluſio, (8) prorogatio termini, (9) nullitatis exceptio, (10) Progreſſus redintegratio.

TH. 76. Facta litis conteſtatione iuramentum exigi poteſt, quod iure ciuili jusjurandum propter calumniam, (ſc.non committendam,ſive iuramentum de calumnia: iure verò canonico iuramentum calumniæ dicitur.

TH.77. Iuramentum calumniæ eſt, quo litigantes iurant ſe non calumniandi animo,ſed iuris ſui opinione ac fiducia, (a) fretos agere, vel reſiſtere.l.2. C. *de iurejur.prop.calum.Nov.*49.*c.ult.* §.1. *Inſt.de pœn.tem. litig.*

(a) Quia magis eſt opinionis,quam aſſertionis;hinc quoque vocatur iuramentum credulitatis. Ideo non poteſt perjurus dici,qui non obtinuit.

TH.78. Iuramentum calumniæ eſt duplex, generale, (a) & ſpeciale. (b)

(a) Illud proceſſum, cauſæque merita reſpicit, atque ſic ſuper tota cauſa præſtatur.

(b) Hoc in ſingulis actibus, prout quidquam in litem inciderit, & quando exigitur; præſtatur, quod ad illum unicum actum tantum ſpectat, ſoletque exigi in eo caſu, ubi præſumptio malitiæ contra aliquem eſt.

TH. 79. Iuramentum calum. generale poſt litis conteſtationem exigi poteſt. d. *Nov.* 49. c. *ult.* quod olim iure Iuſtiniani, tam ſcripto, quàm viua voce; hodie in Camera Imp. viva ſolummodo voce prȩſtari debet.

TH.80. Iuramentum calum. ſi non exigatur, id præſtari non requiritur, tacitè enim remiſſum cenſetur. c. 1. *de iuram. cal. in 6.*

TH. 81. Iuramentum calumn. exactum eſt præſtandum, aut ſi actor hoc præſtare nolit, pro calumniatore habetur, ſicque à judicio repellitur. Contra, ſi reus præſtare illud deneget, pro convicto habetur. l. 2. §. 6. *&* 7. C. h. t. *Nov.* 124. d. c. 1. & c. *fin.*

TH. 82. Iuramentum calumn. iure Iuſtin. per procuratorem Rei, & non Actoris præſtari permittitur. Iure canonico per procuratorem actoris & rei indifferenter præſtari licet, qui in animam principalis iurat. c. *fin. de iuram. cal. in* 6. quod tanquam æquius in praxi obſervatur. *Gail.* 1. *obſ.* 83. modo procurator eius rei ſpeciale habeat mandatum, aut in generali mandato præſtatio eius iuramenti in ſpecie ſit inſerta. *Gail. d. l.*

TH. 83. Procurator parti ex officio datus, ad iuramentum calumn. circa merita cauſæ præſtandum cogi nequit. *Gail.* 1. *obſ.* 88.

TH. 84. Lite conteſtatâ & iuramento calumn, ſi exactum fuerit, prȩſtito, Actor libellum articulatum, vel poſitiones (a) offert, petitque, ut reus reſpondeat. (b)

(a) *Poſitiones* ſunt pars quædam intentionis actoris, continentes id, ſuper quo ab adverſario reſponderi petit ad eliciendam veritatem. Hæ poſitiones ab actore, mediante juramento, quod Practici *iuramentum dandorum* appellant, offeruntur, ſuper quibus jurat, ſe non calumniosè, ſed iuris ſui tuendi gratia tales poſitiones exhibere, quæ toties fieri poſſunt, quoties probatio requiritur, quia ſunt loco probationum.

(b) His poſitionibus, mediante iuramento, reus reſpondere tenetur, quod iuramentum reſpondendorum vocatur. *Gail.* 1. *obſ.* 79.

TH. 85. Poſitiones eiuſmodi iure Iuſtin. fuerunt incognitæ, in praxi tamen ex uſu iudiciorum vigent, quas etiam agnoſcit ius canonicum. *Clem. ſæpè* 2. *in med. de V. S.* & Imperij conſtitutiones. O. C. *de ann.* 1512. §. 5. *&* 6.

TH. 86. Poſitiones ſequitur reſponſio adverſarij, quæ fieri debet aſ-

firmativè,per verbum credo, vel negativè,per verbum non credo.

TH. 87. Reſponſione factâ probatio proponitur, *de qua t. ff. de probat.*

TH. 88. Publicatis atteſtationibus,atque communicatis, tam ipſarum atteſtationum,quàm inſtrumentorum,aliorumque iurium probatoriorum copijs, litigantes progrediuntur ad diſputationem,quæ nihil aliud eſt,quam meritorum cauſæ exprobrationibus facta deductio.

TH. 89. Diſputatio hæc continet probationum ſalvationem, (quod fit ab actore,) & earundem infirmationem (quod fit à reo,) & probationum deductione perficitur,quod fit exceptionibus, duplicis, triplicis, &c.

TH.90. Diſputationem excipit concluſio,qua probationi & diſputationi ulteriori finis (a) imponitur.

(a) Diſputatio finitur, [1] renunciatione litigantium,vel [2] dum Iudex æquitate ductus cauſam pro concluſa acceptat; aut ſi iudici ulteriori declaratione, aut informatione opus eſſe videatur,poteſt concluſionem à partibus factam ex officio reſcindere, & quid agendum ſit ulterius, diligenter admonere.

TH.91. Poſt factam concluſionem probatio facti oblata non admittitur. Excipe,niſi adverſarius conſentiat,vel iudicem,ut eam admittat, cauſa iuſta moveat.

TH. 92. Lite conteſtatâ,exceptio peremptoria probari debet. *t.t.ff. de except.*

TH.93. Nullitatis quoque exceptio, (a) poſt litem conteſtatam opponitur,quod fit,quando ordo procedendi non obſervatur.

(a) Quæ ſi vera eſt,efficit,ut omiſſum ſarciatur; ſin veró id non fiat, ante acta caſſentur. *Vulte. lib. 2. c. 31.*

TH.94. Si alterutra partium litigantium moriatur,tunc heredes eius ad litem reaſſumendam citantur, & ante acta repetuntur; & ſi ante mortem concluſum,iterum concluditur. *Vult. d.l.*

TH. 95. Sententia, quæ eſt finis iudicij, explicatur; t.ff. *de re iud.* hæc executioni eſt mandanda,niſi ſuſpendatur appellatione, *de qua lib.* 49. ff. vel (2) alio modo, ut reſtitutione,& nullitatis via impediatur, *t. t. quæ ſent. ſin. app. t. t. C. quando prov. non eſt neceſſ.* (3) per reviſionem actorum. O. C. p. 3. t. 53.

TH.96. Partibus litigantibus ſententiæ acquieſcentibus,in rem iudicatam tranſit ſententia; unde ſi victus ultro non ſolvat, ſuccedit rei iudicatæ exſecutio; quæ eſt actus,quo per Magiſtratum id,quod per ſententiã pronunciatũ eſt,victori præſtatur. *l. pen. & ult. C. de exſec. rei iud.*

TH. 97. Ex dictis haud difficulter liquet, quinam ſit iudicij finis; quem ICti dicunt eſſe duplicem, propinquum & remotum. Propinquus, ut lis, ſive controverſia finiatur, & terminetur autoritate magiſtratus, l. 5. ff. *de re jud.* l. 1. ff. *de re iud.* (2) remotus eſt, ut ſuum cuique tribuatur.

TH. 98. Effectus, cuius in præcedentibus quoque aliquatenus & implicitè fecimus mentionem, eſt, [1] quod perpetuet actionem. l. *un.* C. *ex delict. defunc.* [2] interrumpat præſcriptionem, l. *fin.* C. *de præſc. 30. vel* 40. *unn.* [3] conſtituat in mala fide poſſeſſorem, l. *nemo* C. *de acq poſſ.* l. 2. & l. *antepen.* C *de præſc. long. temp.* [4] quod quaſi ex contractu obliget, l. 3. §. 11. ff. *de pecul.* [5] quod iudicium nullius ius deterius, ſed firmius efficiat, l. 86. & 87. ff. *de* R. I. quatenus ſc. ius eſt, nam hoc ſolum in judicijs redditur, & contra iniuriam omnem defenditur, l. 14. C. *de Iudæis.*

TH. 99. Abſolutâ iudicij tractatione generali, ad ſpecialem progredimur; ſpecialis hæc judicij tractatio iudicium ſecundum ordinem Digeſtorum dividit, diviſionumque membra ſpecialiter explicat; unde ſeqq. eius diviſiones.

TH. 100. [1] Iudicium eſt triplex; reale, perſonale, (a) & mixtum. (b)

(a) De illis & his vid. Th. 55. præcedentem.

(b) *Mixtum judicium* dicitur quadruplex, [1] ratione objecti, unde actio rei perſecutoria, pœnalis, vel mixta, § 16. & 19. *Inſt. de act.* [2] ratione modi procedendi, ubi uterque actoris partes ſuſtinet, l. 39. §. 1. *de* O. & A. [3] ratione cauſæ efficientis, quod actio partim ſit ex iure in re, & partim ex iure ad rem, quo ſenſu dicitur actio realis, perſonalis & mixta, ut actio finium regundorum, commu. divid. & fam. erciſc. § 20. *Inſt. de act.* [4] ratione effectus, quæ effectum realium, eo ipſo, quod contra poſſeſſores dantur, participant, eiuſmodi actiones ſunt in rem ſcriptæ, e. g. quod metus cauſa, actio de pauperiè, dejecti & effuſi, noxalis, ad exhibendum, aquæ pluviæ arcendæ, &c.

TH. 101. [2] Iudicium reale eſt petitorium, (a) vel poſſeſſorium. (b)

(a) Quo proprietas rei, vel iuris in re petitur.

(b) Quod intenditur de poſſeſſione, vel qſ., abſtractè à re & alio jure in re conſideratâ, ſive adipiſcenda, ſive retinenda, ſive recuperanda, t. ff. *de interd.* de hac 2. diviſione agitur in lib. 39. t. 5. ff.

TH. 102. [3] Iudicium eſt efficax, vel inefficax, de quibus lib. 44. ff.

TH. 103. [4] Iudicium eſt civile, vel criminale, *de quibus* Th. 52. *in præcedentib. diximus. & lib.* 47. ff. *tractabitur.*

TH. 104. [5] Iudicium eſt primæ, vel ſecundæ inſtantiæ, *de quo lib.* 49. ff.

TH. 105. [6] Iudicium eſt privatum, (a) vel publicum. (b)

(a) Intellige tale ratione objecti, eiuſmodi privata judicia à lib. 5. uſque ad lib. 49. t. 14. extenduntur.

(b) Puta ratione objecti, (non verò ratione cauſæ efficientis) de quo à t. 14. libr. 49. ff.

TH. 106. [7] Iudicium eſt ordinarium, vel extraordinarium, *de quo vide* t. 13. *lib.* 50. ff. *in ſeqq.*

TITVLVS II.

De inofficioſo teſtamento.
Iung. t. 28. lib. 3. C.

TH. 1. IVDICIO in genere conſiderato, eiuſque præcipuis membris recitatis, ad ipſas jam cauſas, ſive lites, indeque orientes actiones, quibus litigantes utuntur, deſcendimus.

TH. 2. De iudicijs univerſalibus (a) hîc primò agitur, quoniam univerſitas potior eſt rebus ſingulis, ſicut totum ſuis partibus.

(a) Ita dicuntur, quia nihil certi in illis ſpecialiter petitur, ſed collectim res ſimul ſumptas diverſiſſimas, à defuncto relictas deſignant, unde eius petitio per excellentiam actio univerſalis dicitur, & in hoc ab alijs actionibus, e. g. vindicatione gregis & actione dotis, quæ etiam plures res continent, differt.

TH. 3. Hereditas plurimas res, partim in corpore, partim in iure poſitas continet, l. 1. §. 1. ff. *de rer. diviſ.* de hac aut per querelam inofficioſi teſtamenti; aut petitionem hereditatis agitur.

TH. 4. Querela (a) inofficioſi (b) teſtamenti eſt actio, (c) qua teſtamenti inofficioſi reſciſio petitur, (d) & ut exheredatus ab inteſtato heres declaretur.

(a) Querela dicitur remedium extra ordinem modeſtiæ cauſa, ſic appellatum quia datur contra perſonas conjunctas, l. 2. t. 7. h. t.

(b) Cum exheredatus conqueritur, ſe contra officium & ſine juſta cauſa in teſtamento eſſe exheredatum, petitque, illud ut iniuſtum reſcindi, l. 8. §. 12. ff. h. t.

(c) l. 12. l. 15. §. 2. ff. h. t.

(d) l. 17. l. 19. *in f.* ff. h. t. *Nov.* 115. c. 3. *in f.* & c. 4.

TH. 5. Cauſa huius querelæ efficiens eſt ius hereditarium, à quo contra officium pietatis quis eſt excluſus, l. 3. C. *de petit. hered.* l. 21. §. 2. l. 27. §. 3. ff. h. t.

TH. 6. Olim L. 12. Tabb. Patribusfam. liberrima poteſtas heredes inſtituendi & legata dandi eſt conceſſa; unde dicitur, uti quiſque rei ſuæ legaſſit, ita ius eſto, l. 120. ff. *de* V. S. modo ſolennitates extrinſecæ, quæ vel in inſtitutione, vel exheredatione liberorum, in poteſtate exiſtentium conſiſtunt, abhibitæ fuiſſent: hæc libera teſtandi poteſtas poſtea eſt reſtricta, *per Nov.* 115. c. 3. ita ut demum heredem exheredare teſtator potuerit ex certis, & iuſtis cauſis, & (2) cum elogio, h. e. expreſſione cauſæ, quam heres inſtitutus probare tenetur, & ſi non poſſit, tunc teſtamentum, quo eſt exheredatus, cenſetur iniquum, l. 1. *&* 2. ff. h. t.

TH. 7. Querela inofficioſi teſtamenti datur iniquè exheredatis, vel præteritis liberis, vel parentibus, vel fratri aut ſorori; his duobus ultimis competit, quoties in teſtamento fratris, vel ſororis, turpis perſona inſtituitur, l. 27. C. h. t. aliàs non item, quia frater & ſoror, bona conſcientia alium heredem inſtituere & fratrem præterire poſſunt; cum nihil ei debeant, nec iure naturæ, nec divino, nec humano.

TH. 8. Parentibus non ſic liberorum, ut liberis parentum debetur hereditas; parentes enim ex charitate & naturali ductu ſua volunt, & vovent transferri, ac liberos ipſis ſuperſtites vivere, l. 15. *pr.* l. 7. *pr.* ff. *de bon. damn.* cum verò ad parentes liberorum devolvitur hereditas, hoc fit turbato mortalitatis ordine, quo in caſu ratio miſerationis ad bona liberorum parentes, contra ipſorum, & naturæ, aliud intendentis votum admittit, d. l. 7. Votum enim parentum eſt, ut liberi ſupervivant, quodque ordo mortalitatis eſſe ſoleat, ut illi prius moriantur, & parentibus ſuccedant; unde & vivo patre quodammodo ius rerum paternarum habere dicuntur, & qſ. domini, ob certiſſimam ſpem futuræ ſucceſſionis, l. 11. ff. *de liber. & poſthum.* Vbi verò, ut dictum, ordo iſte mortalitatis turbatur, h. e. liberi parentibus adhuc vivis moriuntur, tunc ad luctuoſam hanc ſucceſſionem ipſa naturalis ratio & æquitas parentes admittit; quia & liberi parẽtibus ob vitam, & plurima alia beneficia in ipſos collata debent hereditatem. E. contra amorem, pietatem, & reverentiam ijs debitam eos ſucceſſione, abſque iuſta cauſa in totum privant. *Nov.* 1. *præf.* §. 2. *Nov.* 115. c. 4. §. 1.

TH. 9. Illa tamen ratio naturalis, quæ ad hereditatem parentum liberos, ac viciſſim ad liberorũ hereditatem parentes vocat, haud preciſè decernit, quod omnia bona, ſive tota hereditas parentum liberis, &

liberorum parentibus relinquenda ſit,ſed indefinitè ſucceſſionis commodum; illis offert modum ſuccedendi & portionem, quæ relinqui debeat,determinationi iuris civilis committens. Ideo ad certam portionem & quantitatem iure civili potuit determinari, ut liberis quoque,ac parentibus libertas aliqua ſit,de rebus ſuis diſponendi,& alios etiam aliqua ſuorum bonorum parte adjuvandi.

TH. 10. Hæc definita quantitas vocatur legitima, quæ formaliter conſiderata iuris eſt civilis, ſive poſitivi, quapropter mutari poteſt, l. 36. §. 1. C. h. t. l. *6. pr.* C. *de ſecund. nupt. Nov.* 18. C. 1. *Nov.* 1. *præf.* §. 2. contra,materialiter conſiderata, h. e. non ut certa definita quantitate, ſed ipſa ſucceſſione ſimpliciter ſpectata, eſt iuris naturæ. d. l. 36. *Nov. 1. præf.* §. 1.

TH. 11. Quantitas legitima fuit olim quarta pars totius hereditatis, h. e. quarta portionis, quam quis aliàs ab inteſtato haberet, ſi enim unus eſt, cui debetur legitima, ſive quadrans hereditatis tunc ille ſolus in totam legitimam, ſive quadrantem ſuccedit; ſin plures, quarta illa inter eos dividitur,adeoque quilibet quadrantem portionis virilis, quam ab inteſtato ex tota hereditate haberet,capit. l. 8. §. 8. h. t. §. *ult. Inſt. eod.* l. 31. C. *eod.* l. *pen.* C. *de collat.*

TH. 12. Iure verò novo *Nov.* 18. c. 1. aucta eſt legitima,ita, ut ſit triens hereditatis, ſi 4. vel pauciores; Semis verò, ſive dimidia pars hereditatis eſt, ſi plures, quam quatuor liberi (a) exſtent.

(a) Horum tamen interdum, non capita, ſed ſtirpes numerantur, e. g. quando in ſtirpes ſucceditur.

TH. 13. Querela inofficioſi teſtamenti datur contra quemlibet heredem, teſtamento inſtitutum, l. 8. §. 2. l. *pen.* §. 1. ff. h. t. antequam verò contra hunc hæc inſtituitur actio, requiritur ut hereditas ab inſtituto ſit adita, l. 36. §. *ult.* C. h. t. l. 8. §. 10. ff. h. t.

TH. 14. Actio hæc datur ad id, ut teſtamentum tanquam in officioſum reſcindatur, & exhæredatus declaretur heres, ipſaque hereditas, quam reus, ſive inſtitutus heres tenet, cum omni cauſa reſtituatur. l. 8. §. 16. ff. h. t. l. 15. §. 2. ff. h. t. l. 21. §. 2. ff. h. t.

TH. 15. Qr. an reſciſſo per querelam teſtamento, nihilominus legata, fideicommiſſa, dationes tutelares &c. valeant? Reſp. diſting. inter ius vetus & novum. *illo iure* non valet. l. 8. §. 16. l. 28. in f. ff. h. t. *hoc* verò ſc. novo, per querelam inofficioſi ſola evertitur heredis inſtitutio, cætera ſalva manent. *Nov.* 115. c. 3. *& 4. in fin.* quia Imperatoris ſaltem fuit intentio, auferre à liberis injuriam exheredationis &

præteritionis. Idcirco voluit teſtamentum, modo quoad inſtitutionem non quoad legata, vel fideicommiſſa corruere, utpote quæ parens etiam, ſive teſtator non inſtitutis relinquere potuiſſet.

TH. 16. Legitima, quam teſtator heredi relinquit, ne de inofficioſo agere poſſit, debet eſſe ſine ullo gravamine, dilatione, vel appoſita conditione. E. ſi eiuſmodi gravamen, vel conditio fuerit inſtitutioni adjecta, pro non adjecto cenſetur, l. 32. C. h. t. *Nov.* 18. c. 3.

TH. 17. Legitimæ huius computatio (a) ita eſt inſtituenda, ut æs alienum detrahatur, l. 8. §. 9. ff. h. t. quæ detractio non realiter fieri requiritur, ſed rationes ſubducendo, & computum faciendo, ut quantum teſtatoris bona, deducto ære alieno, valeant, ſciri queat.

(a) In qua tempus mortis, non aditæ hereditatis conſiderari debet, quantum videl. tunc temporis teſtator in bonis habuerit, l. 44. §. f. ff. *de bon. lib.* l. 6. C. h. t.

TH. 18. Non ſolum in legitimam computantur ea, quæ quis ex teſtatoris hereditate, ut heres inſtitutus accepit, ſed & ea, quæ ut legatarius & fideicommiſſarius à teſtatore impetravit, l. 25. ff. l. 8. 35. *& ult.* C. h. t. computantur quoque in legitimam dos & donatio propter nuptias, l. 29. C. h. t. Excipe ſequentia, quæ computari in illam nequeunt, [1] donata per remunerationem, *Gail.* 2. *obſ.* 39. [2] prælegata, l. 12. & 13. C. *de collat.* [3] quæ in filiorum ſtudia ex pio affectu honeſtè ſunt collata, l. 50. ff. *famil. erciſc.*

TH. 19. Qr ſi quis in minima parte heres ſit inſtitutus, an de inofficioſo agere poſſit? Reſp. negand. hoc caſu datur condictio ad ſupplementum eius, quod legitimæ deeſt, l. 30. C. h. t. *Nov.* 115. c. 6. Hæc actio, ſicut hereditatis petitio, 30. demum annis exſpirat.

TH. 20. Actio de inofficioſo teſtamento non eſt perpetua, hanc ob rationem, ne perpetuæ, incertæque pendeant defunctorum voluntates. l. *fin.* ff. *comm. prædi.* ſed intra quinquennium à tempore aditæ hereditatis eſt proponenda, l. 36. §. *fin.* C. *eod.* eſt enim actio odioſa, reſciſſoria, & contra leges civiles teſtamentum, & ultimam voluntatem, cuius magnus in legibus eſt favor, impugnans: l. 10. ff. h. t.

TH. 21. Differentia inter petitionem hereditatis, & querelæ inofficioſi teſt. in his conſiſtit, (1) *illa* eſt perpetua, *hæc* quinquennio finitur, l. 8. §. f. ff. h. t. [2] *illa* tranſit in heredem, *hæc* non niſi præparata, intellige jure veteri (iure novo ad deſcendentes, ſive ſuos, ſive emancipatos, etiam non præparata tranſmittitur, l. 34. l. *pen.* l. *fin.* C. h. t. contrarium in extraneis iure obſervatur) quia eſt inſtar actionis

injuriarum, quæ non aliter ad ſuos heredes tranſit, quam lite conte-ſtata, §. 1. *Inſt. de perpet. & temp. act.* [3] *illa* datur ad ſupplementum legitimæ, hæc verò ad reſcindendum teſtamentum.

TITVLVS III.

De petitione hereditatis.
Iung. t. 31. lib. 3. C.

TH. 1. PETITIO hereditatis cum querela inofficioſi teſtamenti magnam habet affinitatem, quia utraque eſt actio univerſalis, hereditatem petens, l. 20. §. *item* ff. h. t. actio tamen de inofficioſo eſt ex petitione ſpeciali, h. e. ex cauſa inofficioſi teſtam. hæc verò hereditatis petitio eſt generalis, quę ad omnem cauſam, ex qua hereditas peti poteſt, ſpectat, & abſolutè, & maximè propriè hereditatis petitio vocatur.

TH. 2. Hereditatis (a) petitio (b) eſt actio univerſalis, (c) qua quis petit, ut declaretur heres, (d) & hereditas ſibi ab eo, qui pro herede, vel poſſeſſore poſſidet, reſtituatur, & dentur quædam.

(a) *Vox hereditatis* quadrupliciter accipitur, (1) *objectivè* pro illo, quod à defuncto relictum; quo ſenſu ſignificat univerſitatem bonorum, totum illud univerſale, & confuſum, l. 178. §. 1. ff. *de* V. S. l. 16. §. 4. l. 50. ff. h. t. augmentum recipiens & decrementum, l. 119. ff. *de* V. S. (2) *effectivè* dicitur ſucceſſio in univerſum jus defuncti, h. e. actus, quo ſucceditur; quod hîc univerſum eſt & defuncti, l. 24. ff. *de* V. S. l. 62. ff. *de* R. I. (3) denotat res hereditarias. t. t. ff. *de expil. hered.* hoc ſenſu & pecunia dicitur hereditas, (4) ſignificat ipſum ius (ſive facultas,) heredi circa defuncti bona quæſitum; hoc modo hereditas vocatur dominium, l. 37. ff. *de acquir. hered.* l. 1. ff. *de bon. poſſ.* l. 23. ff. *de acq. poſſeſ.* & heres, univerſitatem bonorum petens; dicitur ſuum petere, l. 10. §. 1. ff. h. t. meum autem, tuum, ſuum, dominium, vel aliud ius in re denotant: in hac quarta ſignificatione hîc accipitur, ſc. pro iure in re, vocatur alias ius hereditarium, ſive ius hereditatis. l. 49. ff. *mandat.* l. *ult.* §. 1. ff. *pro ſuo*, l. 5. §. 5. ff. *de his, qui effud.* l. 91. ff. *ad L. Falcid.* vocatur etiam ius mortui ſucceſſione quæſitum, l. 37. ff. *de acquir. hered.*

(b) *Vox petitionis* ſumitur (1) pro denunciatione, *arg.* l. 20. §. 11. ff. h. t. (2) pro in rem actionibus, l. 178. §. 2. ff. *de* V. S. quomodo hîc.

(c) Quia hereditas eſt univerſitas corporum, ſive jurium diverſorum, in re & ad rem, earum etiam, quæ defunctus ſaltem detinuit, l. 19. ff. h. t. l. 1. ff. *de* R. *Vind.* Hinc petitio hereditatis per excellentiam dicitur uni-

verſalis, cum hereditas ſit univerſum quid; vocatur etiam *actio mixta*, quia tam in rem, quam in perſonam eſt, l.25. §.18. ff. h. t. in perſonam ideò, quia nonnunquam falſus heres ex geſto perſonaliter obligatur, l. 22. §. *pen.* ff. *fam. erciſc.*

(d) l. 9. & 10. ff. h. t.

TH. 3. Cauſa huius actionis efficiens eſt remota, vel propinqua; remota eſt lex, & Senatuſconſultum; ideo hæc actio etiam dicitur civilis, non Prætoria, cum ſit à L. 12. Tabb. & Sctis introducta. *arg.* l.7. pr. ff. *de* I. *&* I. l. 1. ff. h. t. quamvis Prætor eam ſuo edicto proponat, quod & rei vindicationi, l. 75. ff. *de* R. V. & alijs in univerſum civilibus actionibus accidit. *Propinqua* eſt ius hereditariũ, ſive ius ſucceſſionis, quod agens habere intendit; ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ſive ex veteri iure l. 12. Tabb. ſive ex novo, l. 1. 2. & 3. ff. h. t. ſive per ſe illud habeat, ſive per alios, nam & heres heredis pro herede eſt, l. 10. C. h. t. l. *fin.* C. *de hered. inſtit.*

TH. 4. Forma petendi: duæ ſunt huius actionis partes, quarum prima eſt, ut heres declaretur, & hereditas ſit ſua l. 10. ff. h. t. altera, ut ſibi hereditas reſtituatur. Hic neceſſario requiritur, eum, de cuius hereditate quæſtio agitatur, eſſe defunctum; viventis enim nulla eſt hereditas, l. 1. ff. *de heredit. vend.* Vnde à petente hereditatem probanda eſt mors, vel (1) per teſtes, qui ſepulturam viderunt, l. 3. *&* 4. C. *de poſtlim. reverſ.* vel (2) per teſtimonium Ducis militiæ, vel (3) per coniecturas, quarum quædam à tempore, quo quis abfuit, deſumitur, quod tempus non ad annos 100. qſ. tamdiu homo vivere præſumeretur, determinandum, ſed iudicis prudentis arbitrio relinquendum, *Carpz.* 3. *Conſt.* 15. *def.* 57. quo caſu abſentis bona proximo cognato, tanquam curatori bonorum concedi poſſunt, ita tamen, ut præſtet cautionem ſub hypotheca omnium bonorum Magiſtratui, ſe bona abſentis ad cuſtodiam, vel curam recipere, & tum, ſi is, qui ob diutinam abſentiam cenſebatur mortuus, redierit, bona ipſi ſunt à cognato reddenda, rationeſque exigi poſſunt; ſi verò abſens non redeat, tradita & cuſtodita bona retinet, & hoc ex principijs cautionalibus ortum; inſigne eſt hodie remedium, ubi in bello Germanico diu aliqui abfuerunt, & revera quidem fuerunt mortui, ſed mors probari nequivit, fundatum *in* d. l. 3. C. *de poſtl. reverſ.*

TH. 5. Finis & effectus, ut actor probatâ ſuâ intentione heres declaretur, & officio judicis reſtitutio decernatur & fiat, l. 18. ff. *comm. divid.* c. *licet. de Simon.*

TH. 6. Petitio hereditatis datur heredi, (a) h. e. ei, cui ius heredita-

rium ex teſtamento, vel ab inteſtato competit, l. 1. ff. l. 10. C. h. t. datur tamen hæc actio ordine, primò enim ſcriptis datur heredibus, l. 8. h. t. l. 9. C. *eod.* poſt, cauſâ teſtamenti evacuatâ, illis conceditur, qui ab inteſtato veniunt. d. l. 8.

(a) Per hunc intelligitur etiam, qui pro herede ſaltem habetur, ut bonorum poſſeſſor, & fideicommiſſarius univerſalis.

TH. 7. In judicio hoc univerſali libellus generalis, (a) & alternativus (b) jure admittitur.

(a) Quia huius univerſalis judicij natura ita eſt comparata, ut ab initio propter rerum varietatem certo definiri, atque deſignari hereditas nequeat.

(b) Talis ab inteſtato ſuccedente formari poteſt, e. g. peto ex teſtamento, ſi quod eſt factum, & ut de hoc teſtamento verius conſtet, peto illud exhiberi, & poſſeſſorem ad jusjurandum cogi, utrum aliquod teſtamentum in bonis hereditarijs repererit (ne is callidè teſtamentum celet) vel non; ſin nullum omnino factum eſt, peto eandem hereditatem ab inteſtato.

TH. 8. Petitio hereditatis datur adverſus eum, qui pro herede, (a) vel poſſeſſore (b) poſſidet totam hereditatem, aut ius aliquod, vel rem hereditariam.

(a) Pro herede poſſidere dicitur dupliciter, [1] qui verus eſt heres, & rem non hereditariam, ut hereditariam poſſidet, e. g. teſtator moritur, quo mortuo heres occupat omnia defuncti bona, inter ea ſunt res apud defunctum depoſitæ, vel commodatæ, vel oppignoratæ, quod ignorat heres, hoc caſu res non hereditarias pro herede poſſidet, ita accipitur, *in* t. t. ff. *&* C. *pro hered.* [2] qui non eſt verus heres, aſſerit tamen ſe eſſe verum heredem, l. 11. ff. h. t. quæ acceptio huc ſpectat, dum adverſus taliter poſſidentem petitio hereditatis intentatur, priori ſignificatu pro herede poſſidere, eſt titulus habilis ad uſucapionem. t. ff. *pro hered.*

(b) Pro poſſeſſore poſſidere itidem duobus accipitur modis, [1] ſignificat omnem m. fidei poſſeſſorem, etiamſi habeat titulum. l. 33. §. 1. ff. *de uſucap.* [2] eum qui ſine titulo, ſeu cauſa poſſidet, & vel non contendit, ſe eſſe heredem, ſed interrogatus cur poſſideat, non aliter reſpondet, quam quod poſſideat, l. 9. §. 1. l. 12. ff. h. t. vel omnino per mendacium dicit, ſe eſſe heredem, e. g. ſi dicat ſe eſſe teſtamento ſcriptum, aut ſe proximum defuncto cognatum, qualis tamen non eſt, l. 12. & l. 13. ff. h. t. vel prætendit titulum, qui apertè iniuſtus eſt, & ipſo iure nullus, e. g. ſi quis à furioſo rem emit, donatum à conjuge, dotem ab impubere accipit, l. 13. §. 1. *& ſeqq.* ff. h. t. [3] Iuris interpretatione pro poſſeſſore poſſidere intelligitur, qui dolo poſſidere deſijt. l. 13. §. 14. ff. h. t. qui liti ſe obtulit, hic enim qſ. poſſidens tenetur, d. l. 13. §. 13. vel debitor hereditarius eſt, quia eſt qſ. iuris poſſeſſor, d. l. 13. §. *fin.* ff. h. t. Hic in ſecundo & tertio ſignificatu accipitur.

TH. 9. Hæc actio regulariter non datur adverſus titulo ſingulari

poſſidentem. e. g. pro empto,pro donato. l. 25. §. 1. ff. h. t. l. 4. C. *in quib. cauſ. ceſſ. long. temp. præſ.* ſi enim reus titulum ſingularem contra dominum allegare poſſit, res ipſi non eſt auferenda, ſed eius, ut poſſidentis potior eſt ratio.

TH. 10. Hinc actori prius inquirendum, quàm actionem hanc adverſus reum inſtituat,quo titulo res poſſideatur,an pro poſſeſſore,pro herede,an verò titulo ſingulari poſſideat; qui ſic interrogatus ab actore,ei reſpondere cogitur. l. 11. C. h.t. Aliter ſe res habet in ſpecialibus in rem actionibus,ubi titulum ſcire non requiritur.

TH. 11. Ex hac hereditatis petitione res hereditariæ (a) ſunt reſtituendæ.

(a) Quæ tempore mortis eius,cuius de hereditate quæritur fuerunt, vel [1] iure dominij, ſive verè, ſ. fictè; *Verè*, quæ ipſi defuncto actu,dum viueret, ſunt acquiſitæ; *Fictè*, quæ poſt ipſius mortem hereditate fuerunt acquiſitæ, quæ defuncti vicem & perſonam ſuſtinent. l. 34. ff. *de acq. rer. dom.* l. 20. §. 3. ff. h. t. vel [2] jure poſſeſſionis. l. 19. §. 2. ff. h. t. vel [3] iure defenſionis. d. l. 19. *pr.* fuerunt.

(b) In hac hereditatis reſtitutione accuratè notanda eſt diſtinctio inter b. f, & m. f. poſſeſſorem,quia b. f. poſſeſſor (qui ex iuſta cauſa hereditatẽ ad ſe pertinere æſtimat, licet errore iuris ductus. l. 25. §. 6 ff. h. t.) reſtituere cogitur eas res,quas tempore rei iudicatæ adhuc poſſidet. l. 20. § 6. l. 36. §. 4. ff. h. t. vel pretium ex rebus diſtractis redactum, & in quantum aliàs ex hereditate,eiuſque fructibus quibuſlibet,etiã conſumptis factus eſt locupletior. d. l. 20 §. 6. l. 25. §. 11. l. 40. §. 2. l. 28. & 56. ff. h. t. non verò aliàs, quamvis rem totam, vel dimidiam conſumpſerit, ſi non factus inde locupletior: ratio eſt, quoniam bon. fid. poſſeſſor non aliter exiſtimat,quam ſe eſſe dominum, ideo propter bonam fidem, inſtar domini, de rebus hereditarijs pro lubitu poteſt diſponere, eaſque conſumere. d. l. 25. §. 11. hic bon. fid. poſſeſſor poſt litem conteſtatam perinde eſt, ac ſi malæ fidei poſſeſſor eſſe incipiat. l. 25. §. 7. l. 20. §. 11. h t. quare actori vincenti ab eo id præſtandum eſt, quod habiturus eſſet, ſi eo tempore,quo petit,reſtituta eſſet hereditas. l. 40. pr. ff. h. t. ex eventu namque litis apparet, nullo jure litigaſſe poſſeſſorem, hinc imputatur ipſi,quod non ſtatim reſtituerit. l. 7. §. 5. ff. *ad exhib.* & cenſetur is cœpiſſe ſcire, ſe rem, ad ſe non pertinentem poſſidere, qui interpellatur,& poſtea per ſententiam condemnatur. l. 25. §. 7. l. 15. §. *ult. ff. de uſur.* quod m. f. poſſeſſorem (qui vel ab initio, vel ex poſt facto ſcivit, hereditatem ad ſe non pertinere. l. 20. §. 6. l. 25. §. 2. ff. h. t.) concernit, is omnia, quæcumque poſſidet, aut lucratus eſt,reſtituere tenetur. l. 28. ff. h. t. imò omnia,quæ quacumque ratione & modo percipere potuit, & poſſidere,aut exigere omiſit. l. 12. 21. 22. 20. §. 6. l. 25. § 2. ff. h. t. earumque rerum quoque fructus reſtituere obligatur. l. 20. §. 12. h. t.

TH. 12. Quæritur,an petitor ob fructus conſumptos poſſit agere, ſi

poſſeſſor eos habeat cum cauſa, ſcilicet ex bona fide? Reſp. diſting. inter bon.fid. poſſeſſorem, titulo univerſali poſſidentem, & titulo ſingulari talem; ille fructus etiam conſumptos reſtituit, ex quibus factus eſt locupletior. *arg.* l.25. §. 11. ff. h.t. l.1. C. *eod.* contra, titulo ſingulari poſſidens ſaltem extantes reſtituere tenetur. §.35. *Inſt. de* R. D. ratio differentiæ eſt, quod in iudicio hereditatis petitionis poſſeſſor etiam teneatur ex qſ. contractu, ideoque actione etiam perſonali conveniatur ratione conſumptorum, ne contra iuſtitiæ principia fiat locupletior. At rei vindicatio, cum non mixta ſit, ſed purè realis, pro re corporali extante ſaltem competit, non pro fructibus conſumptis. l.1. *& t. t. ff. de rei vind.*

Th. 13. Quæritur, an iure poſſeſſor caſum præſtare debeat? Reſp. diſting. inter bon.fid. & m. f. poſſeſſorem; non ille, cum nec culpam præſtet, quia qſ. ſuam rem negligit, ſéque re ſua abuti putat. l.31. §.1. *&* 3. ff. h.t. l.25. §.11. h.t. circa malæ fidei poſſeſſorem ſubdiſtinguimus, inter malæ fidei poſſeſſorem ſimplicem, & qualificatum, contra illum hæc actio ad caſum præſtandum inſtitui nequit, ſi eum avertere non potuerit. l 62. *pr. ff. de* R. V. l.20. §.6. l.25. §. 6. h.t. l. 18. ff. *quod met. cauſ.* l.16. §.3. ff. *de pign.* l. 26. ff. *de dol.* contra hunc, putà qualificatum, ut furem, raptorem, aut alium violentum malæ fidei poſſeſſorem datur hæc actio, ut æſtimationem ac intereſſe ſolvat. l. 46. *pr. ff de furt.* l.1. §.34. l. 35 *& pen. ff. de vi & vi arm.* l. 7. § *fin.* l. 8. *pr.* l.16. *& fin. ff. de condict. furt.* l.1. C. *de his, quæ vi & met.* eiuſmodi namque qualificati malæ fidei poſſeſſores moram ſemper facere intelliguntur. l. *fin. C. de condict. furt.* l. 8. §. 1. ff. *eod.*

Th.14. Sumptus & impenſas neceſſarias, & utiles, hereditatis nomine factas actor, tam malæ fidei, quàm bonæ fidei poſſeſſori reſtituere tenetur. l.36. §. *ult.* ff. h.t. eaſque illi deducere poſſunt. l.38. ff. h.t. quod obtinet, quatenus res redditur ijs impenſis melior: hanc tamen obſerva, inter bonæ & malæ fidei poſſeſſorem, differentiam; quod bon. fid. poſſeſſor impenſas deducere poſſit, ſive res facta ſit melior, ſive non, etiamſi planè non exſtet, in quam fecit. d. l. 38. aſt m. f. poſſeſſor impenſas deducere prohibetur, ſi res non exſtet inde melior; quia ſciens in rem alienam impendit; ideo hîc tantum ex æquitate, ſeu benignitate, ratio impẽſarum in eius perſona habetur, ne petitor ex aliena iactura locupletetur; quæ ratio ceſſat, ſi res in quam impenſum, non exſtet, aut non ſit melior. d. l.38. quod voluptuarias attinet, bonæ fidei poſſeſſor in hoc iudicio univerſali illas deducit. l.39. §.1. h.t. contra, malæ fidei poſſeſſor tantum tollit, ſi id commodè abſque ipſius rei detrimen-

to fieri poſſit, quia in rem alienam ſupervacuas impenſas collocare non debuiſſet. l. 39. §. 1. ff. h. t.

TH. 15. Petitio hereditatis eſt [1] univerſalis. l. 1. *pr. ff. de* R.V. [2] bonæ fidei. §. 28. *Inſt. de act.* & [3] præſcriptione non longi temporis. l. 7. C.h.t. ſed longiſſimi, videlicet triginta annorum ſummovetur, qua omnes actiones, tam perſonales, quam reales terminantur. l. 3. *&* 4. l. 8. C. *de præſcript. 30. ann. pr. Inſt. de perp & temp. act.*

TITVLVS IV.

Si pars hereditatis petatur.

TH. I. NON modo totam hereditatem quis petere, ſed & partem poteſt, quia non omnes ex aſſe heredes, verumetiam ex certis partibus in teſtamento inſtituuntur, vel ab inteſtato tales exiſtunt.

TH. 2. Actio hæc eſt quoque univerſalis, quia eſt ex iure hereditario. l. 1. §. 1. ff. h. t. hinc dicitur, in petitione idem iuris obſervatur in parte, quoad partem, quod eſt in toto, quoad totum. l. 86. ff. *de R. vind.* ius enim hereditatis non metitur ex eo, quòd poſſeſſor occupavit, utrum ſcilicet totam hereditatem, an partem habeat, ſed ex ſuo iure.

TH. 3. Quamvis res abſolutè conſiderata ſit particularis, eſt tamen univerſalis, ſi relatè conſideretur, ubi eiuſdem qualitatis eſt cum toto. *arg.* l. 21. ff. *de leg.* 1.

TITVLVS V.

De poſſeſſoria hereditatis petitione.

TH. I. HEREDITATIS petitio eſt duplex, Civilis, ſive directa, & Prætoria, (a) ſive utilis, (b) de illa ſuperioribus in titulis egimus; de hac agendum reſtat.

(a) Quæ vocatur bonorum poſſeſſio, eſtque ius, ſive facultas perſequendi, retinendique patrimonij, ſive rei, quæ cujuſque cum moreretur, fuit, à Prætore inductum, & conceſſum. l. 3. §. 2. ff. *de bonor. poſſ.*

(b) Quia neque bonorum poſſeſſor, neque fideicommiſſarius propriè ſunt heredes, qui tamen intantum à Prætore adjuvantur, ut in hereditatse ſuccedant. *pr. Inſt. de bonor. poſſ.*

TH. 2. Bonorum poſſeſſor eſt, qui iure Prætorio in univerſum ius defuncti ſuccedit.

TH. 3. Prætoria hæc hereditatis petitio eſt iterum duplex, poſſeſſoria, vel fideicommiſſaria, quarum illa ad hunc titulum, hæc ad ſequentem ſpectat.

TH. 4. Hereditas generaliter ſumpta bonorum poſſeſſionem continet. l. 138. ff. *de* V. S. Propriè verò, hereditas, & bonorum poſſeſſio differunt. *pr. Inſt. de bon. poſſeſſ.* quia *illa* datur heredi ex iure civili, putà Leg. 12. Tabularum, S*c*tis & conſtitutionibus. l. 1. & 3. ff. *de hered. petit.* l. 7. ff. *de* I. & I. *hæc* autem datur bonorum poſſeſſori ex iure Prætorio. l. 1. ff. h. t. unde tantundem conſequitur bonorum poſſeſſor, qui à Prætore heredis loco habetur, quantum ex iure civili heres. l. 2. ff. h. t.

TITVLVS VI.

De fideicommiſſaria hereditatis petitione.

TH 1. PETITIO hereditatis ex iure civili directa datur heredi fiduciario. Fideicommiſſaria verò ei, cui ab herede fiduciario ex fideicommiſſo hereditas, eſt reſtituta, (a) contra eum, qui pro herede, vel poſſeſſore poſſidet, competit. l. 3. §. 1. ff. h. t.

(a) Reſtitutio duplici fit modo, [1] *naturaliter* & revera, quando heres directus realiter res transfert in fideicommiſſarium. l. 1. h. t. [2] *civiliter*, verbo tantum, aut per epiſtolam, vel nuntium, ſi tertius poſſideat. l. 37. l. 63. ff. *ad Sct. Trebell.*

TH. 2. Hæc petitio fideicommiſſaria non competit adverſus eum, qui reſtituit, (a) ſed illum, qui pro herede, vel poſſeſſore hereditatem totam, vel aliquas res hereditarias poſſidet. l. 2. ff. h. t.

(a) Quia reſtituta hereditate nihil eſt, in quo reſtituens conveniri poſſit. l. 3. §. 1. h. t.

TH. 3. Hac actione petitur, ut quis heres fideicommiſſarius declaretur, hoc impetrato hereditatem conſequatur.

TH. 4. Cauſa efficiens huius actionis eſt hereditas per fideicommiſ-

ſum

ſum relicta, quæ ex Scto Trebelliano verbo eſt reſtituta. *t. t. Inſt. de fideicomm. hered.* d. l. 37. & 63.

LIBER SEXTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Rei vindicatione.

TH. I. EXPOSITIS actionibus (a) in rem univerſalibus, ſubjicitur actio in rem ſingularis, (b) ſive ſingularum rerum petitionis.

(a) Quæ ſc. ex iure hereditario oriuntur.
(b) Quæ ex dominio propriè dicto deſcendit, unde rei vindicatio. §. 1. *Inſt. de act.*

TH. 2. Rei vindicatio, (a) eſt duplex, directa & utilis; Illa eſt, quæ ex vero, pleno, vel tantum directo dominio deſcendit. *arg.* l. 33. ff. *de Rei Vindicat.* l. 25. ff. *de* V. S. hæc dicitur, quæ illis conceditur, qui non veri domini, ſed tantum utile dominium habent.

(a) Vox hæc variè accipitur, [1] pro omni reali actione. §. 15. *Inſt. de act.* l. 25. ff. de O. & A. ſic in genere omnia iura in re comprehendit, ut hereditatis petitionem, rei vindicationem propriè dictam, &c. quo ſenſu datur vindicatio univerſitatis, quæ peculiari nomine vocatur hereditatis petitio, [2] ſpecialiter rei vindicatio eſt dominij, ſive proprietatis aſſertio. §. 1. *Inſt. de act.* l. 1. §. 1. ff. h. t. l. 73. *eod.* quæ ſignificatio huc pertinet, & vindicare eſt quid ſibi aſſerere. [3] denotat actum, quo quis vim, injuriam, & omne quod nocere ullo modo poteſt, defendendo, aut ulciſcendo propulſat. l. 1. §. 2. ff. *de obſeq. par. & patr. præſt.* l. 33. ff. *de injur.*

TH. 3. Rei vindicatio directa eſt actio in rem, (a) qua dominus rem corporalem (b) ſuam eſſe dicit, (c) & ab eiuſdem poſſeſſore, (d) ſibi reſtitui (e) petit.

(a) Quia eſt ex iure in re, & non ex iure ad rem, ex hac n. obligatio, & per con-

ſequens perſonalis actio oritur. l. 1. §. 1. ff. h. t. §. 1. *Inſt. de action.*

(b) Non verò incorporalem, de qua actio aliàs competit confeſſoria & negatoria. d. §.1. l. 23. pr. ff. h. t.

(c) Perinde eſt, an res ſit mobilis, vel immobilis. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(d) Qui nullo iure domino eſt obligatus, neque ex contractu, neque delicto. ſed rem, quam ſuam eſſe dicit poſſidet. l. 9. l. 24. ff. h. t.

(e) Cum omni cauſa, h. e. utilitate. l. 17. 20. l. 62. h. t.

Th. 4. Rei vindicatio eſt actio civilis, quia ex L. 12. Tabb. eſt introducta. E. prætoria propriè appellari nequit, quamvis à Prætore, ut aliæ omnes actiones civiles edicto publicè ſit propoſita. l. 7. §. 1. ff. *de* I. & I. l. 1. ff. *commod & l. 1. ff. depoſ. arg. l.* 1. §. 3. *ff. de ſuperfic.*

Th. 5. Actio hæc eſt ſpecialis, qua quis petit ſe dominum rei controverſæ declarari. l. 1. §.1. ff. h. t. l. 7. C. *de hered. pet.*

Th. 6. Rei vindicatio directa competit ei, qui eſt verè dominus, & quidem vel plenè, vel tantum directus dominium minus plenum habens. *arg.* §.1. *Inſt. de act.* l. 33. ff. h. t. l. 25. ff. *de* V. S. eiuſmodi ſunt ſeqq. [1] dominus ſoli ſuperficiarij. *arg.* l. 1. §. 4. ff. *de ſuperfic.* [2] dominus feudi 2. feud. 8. verſ. rei autem. [3] dominus emphyteuſeos. l. 1. §. 1. ff. *ſi ager. vectig.* l. 1. *&* l. 2. C. *de iur. emphyt.*

Th. 7. In rei vindicatione requiritur exprimi cauſam proximam, quæ eſt medium concludendi, ut in rei vindicatione ſpeciali cauſa proxima eſt dominium. l. 23. ff. hoc tit. in hereditate ius hereditarium. l. 10. § 1. ff. *de hered. petit.* in confeſſoria actione ius ſervitutis. §. 3. *Inſt. de act.* In hypothecaria ius pignoris; in poſſeſſorijs ius poſſeſſionis. *arg.* l. 1. *&* 2. ff. *uti poſſid.* In genere eiuſmodi cauſa actionis realis proxima eſt ius in re, rem ipſam afficiens. §. 1. *& ſeqq. Inſt. de act.* Cauſa autem remota huius actionis eſt titulus, quo quis acquiſivit, v. c. quia res ipſi legata, vel ex vendito tradita, &c. Ita ſe habet res in actione reali. Contra, ſuper actione perſonali ſufficit in libello exprimi cauſam remotam, h. e. contractus, vel delictum, nec neceſſarium eſt indicare cauſam, id eſt, obligationem. *Gail.* 1. *obſ.* 6.

Th. 8. Rei vindicatio datur adverſus poſſeſſorem, ſive verum, (a) ſive fictum. (b)

(a) Verus poſſeſſor eſt, qui civiliter & naturaliter poſſidet. l. 9. ff. h. t. l. 5. §. *fin.* ff. *ad exhibend.*

(b) Fictus poſſeſſor eſt, qui revera non poſſidet, ſed pro poſſeſſore habetur per iuris interpretationem, qualis eſt, [1] qui dolo poſſidere deſijt. l. 27. §. 3. ff. h. t. l. 131. ff. de R. I. [2] qui liti ſe obtulit, ſeque ta-

lem per mendacium dixit. l. 7. & 25. ff. h. t. quo nomine actio utilis competit.

TH. 9. Actio hæc adverſus poſſeſſoris heredem datur, quatenus poſſideat, non quatenus eſt heres. l. 42. l. 51. & 52. ff. hoc tit. E. ſi ex pluribus heredibus unus tantum poſſideat, is ſolus tenetur. l. 55. ff. hoc tit.

TH. 10. Poſſeſſor rei vindicatione conventus reſtituere tenetur rem petitam, cum omni cauſa, ſive utilitate, quæ à re cauſatur & provenit, ut [1] acceſſio, unde alluviones, inſulæ, &c. l. 34. ff. h. t. [2] lucra, ratione rei obvenientia, [3] partus, & [4] fructus, ſive illi ex re naſcantur, & producantur naturâ, & tunc vel ea ſolâ operante, vel accedente ſingulari induſtria. l. 28. ff. *de uſur.* ſive aliàs ex uſu rerum civili obveniant. l. 29. ff. *de petit. hered.*

TH. 11. In fructibus reſtituendis obſervanda eſt diſtinctio inter bonæ fidei & malæ fidei poſſeſſorem. Bonæ fidei poſſeſſor induſtriales & naturales fructus ſibi acquirit, (a) extantes revocabiliter, (b) conſumptos irrevocabiliter. (c)

(a) Quia eos honeſtè percipit poſſeſſor, & lege pro domino, quatenus poſſidet, habetur. l. 49. ff. *de* V. S. §. 35. *Inſt. de R. D.* l. 135. ff. *de* R. I. l. 25. pr. *&* §. 1. *ff. de uſur.* l. 48. ff. *de acq. rer. dom.*

(b) Extantes tam naturales, quàm induſtriales rectè petit dominus, quia fructuum acquiſitio non aliter b. f. poſſeſſori competit, quàm prætextu bonæ fidei, ſeu probabili dominij opinione; unde ſi res evicta ſit, domini ſupervenientis jus, tanquam fortius, & in ipſa veritate fundatum, id, quod ex bona fide deſcenderet probabile, extinguit, & effectum ſuum producit. Hinc iura qſ. inter ſe colliduntur, [1] à parte poſſeſſoris militat regula iuris, quod bona fides tantundem præſtet, quantum veritas. l. 136. ff. *de* R. I. [2] à parte domini, quicquid ex re mea natum eſt, & extat, meum eſt. l. 49. ff. h. t. qua in pugna iuris fictio cedit veritati, & bona fides dominio. l. 22. C. *de* R. V. l. 48. ff. *de acq. rer. dom.*

(c) Sive inde factus ſit locupletior, nec ne, quia eos bon. fid. inſtar domini conſumpſit poſſeſſor, ideo ab eodem dominus vindicare nequit. l. 4. §. 2. ff. *de fini. regund.* l. 40. ff. *de acq. rer. dom.* §. 12. *Inſt. de offic. jud.* § 35. *Inſt. de R. D.* l. 4. §. 19. ff. *de uſucap.* aliter ſe res habet in hereditatis petitione, quæ eſt iudicium univerſale, continens quoque præſtationes perſonales. l. 1. C. *de petit. hered.*

TH. 12. Quod malæ fidei poſſeſſorem attinet, hic nullos fructus ſuos facit, ſed domino reſtituere tenetur, extantes, conſumptos, & percipiendos, h. e. qui à domino, ſi ipſe rem habuiſſet, percipi honeſtè potuiſſent, reſtituere debet. l. 33. l. 62. §. 1. ff. h. t. l. 39. §. 1. ff. *de*

legat. 1. c. *gravis. de reſtit. ſpoliat.* l. 22. C. h. t. quia negligentia poſſeſſoris domino nocere non debet.

TH. 13. Si quis bonæ fidei poſſeſſor ab initio fuit, lapſu temporis cognovit ſe rem poſſidere alienam, tunc ob ſupervenientem malam fidem ad fructus non modo perceptos, ſed & percipiendos obligatur. l. 48. §. 1. l. 23. §. 1. ff. *de acquir. rer. dom.* l. 37. ff. h. t.

TH. 14. De pendentibus fructibus, & à ſolo nondum ſeparatis affirmatur, quod tam à bonæ fidei, quàm malæ fidei poſſeſſore ſint reſtituendi, quia pars fundi eſſe habentur, cum quo ſine perſonarum diſcrimine reſtitui oportet. l. 44. ff. h. t.

TH. 15. Bonæ fidei poſſeſſor poſt litem conteſtatam omnes fructus & perceptos, & percipiendos officio iudicis reſtituere tenetur, quia poſt litis conteſtationem in mala fide conſtitutus cenſetur poſſeſſor, etiamſi ab actore, h. e. domino petiti non fuerint, l. 35. §. 1. ff. h. t. judicis enim eſt accuratam omnium rerum, poſt acceptum iudicium, habere rationem, ne quid in iudicio contra æquitatem admittat, vel pronunciet. l. 25. §. 8. ff. *de Aedil edict.*

TH. 16. Rei vindicatio eſt actio arbitraria. §. 31. *Inſt. de act.* quapropter, ſi reus iuſſui non pareat, ſequitur condemnatio, & res extans manu militari aufertur, præſtitâ inſuper adhuc omni causâ, ſive utilitate. l. 68. ff. h. t. vel ſi ea non extet, actor iurat in litem, & reus in id, quanti dominus rem æſtimat, condemnatur. d. l. 68.

TH. 17. Ne autem dominus, reſtituta per vindicationem re, & fructibus, cum alterius, putà poſſeſſoris damno fiat locupletior, ſi forſan ille quicquam in eam, vel eos impenderit, ideo brevibus impenſarum ratio hîc eſt ineunda.

TH. 18. Impenſæ ſunt, (ut tit. præcedenti iam liquet) triplicis generis, neceſſariæ, (a) utiles, (b) & voluptuariæ. (c)

(a) Illas & b. f. & m. f. poſſeſſor indifferenter deducit, rem poſſidendo. l. 38. ff. *de petit. hered.* l. 5. C. h. t. h. e. oppoſita doli exceptione, rem tamdiu retinet, donec impenſas ei dominus exſolvat. l. 14. ff. *de dol mal. except.* l 5. C. h. t. l. 7. §. 12. ff. *de acq. rer. dom.* l. 13 ff. *de condict. indeb.* l. 45. §. 1. ff. *act. empt.* Excipitur tamen m. f. poſſeſsor qualificatus, ut fur, raptor & quivis violentus poſſeſsor, quorũ m. fides ſingulariter eſt vitioſa. l. 13. ff. *de cond. furt. arg.* §. 2. *Inſt. de uſuc.*

(b) Iſtas m. f. poſſeſſor deducere non poteſt, ſed tantum tollere. l. 5. *in fin.* C. h. t. §. 31. *Inſt. de R. D.* aliud obtinet in univerſali iudicio, h. e. hereditatis petitione, ubi m. f. poſſeſſor eas etiam deducere potuit, ſi res extitit melior. l. 38. ff. *de petit. hered.* contra b. f. poſſeſſor has quoque impenſas in hoc iudicio particulari deducit. l. 48. ff. *de acq. rer. dom.* l. 30. l. 31. h. t. § 31. & 33. *Inſt. de R. D.*

(c) Has & b.f. & m.f. poſſeſſori ſaltem tollere licet l.38. h. t. l.5. C. h.t. l. 10. §.10. ff. *mandat.* ſi videl. ſine rei detrimento ſeparari queant, l.9. ff. *de impenſ. in rem dot.* l.39. §. 1. ff. *de petit. hered.* Liberum tamen eſt petitori, ſive rei domino, utrum hanc ſeparationem admittere, an verò impenſas reſarcire poſſeſſori velit. d. l. 9. & d. l. 38.

TH. 19. Vindicatio utilis, vel domino utili, (a) vel alijs ex æquitate, ſive mente legis datur. (b)

(a) Qualis eſt (1) emphyteuta, l. 1. & 2. C. *de iur. emphyt.* (2) vaſſallus 2. *feud.* 8. §. 1. 2. *feud.* 43. (3) ſuperficiarius, l. 73. §. 1. l. 74. & 75. ff. h. t. l. 1. §. 4. ff. *de ſuperfic.* his tribus relativè opponuntur dominus emphyteuſeos, dominus feudi, & dominus ſuperficiarij, directum dominium habentes.

(b) Tales ſunt (1) ceſſionarius, qui directâ actione nomine cedentis domini rectè agit; utili verò ex perſona propria, dominum qſ. repræſentante, l. ult. C. de hered. vend. l. 18. C. *de legat.* l. 1. C. *de* O. & A. (2) Pupillus, vel minor, ſi eorum pecunia res à tutore, vel curatore proprio nomine ſit empta. l. 2. ff. *quand. ex fact. tut.* (3) Eccleſia, ſi res ab eius adminiſtratore pecunia Eccleſiæ fuit comparata, l. 23. C. *de SS. Eccleſ.* (4) Miles, ſi alius eius pecunia rem ſibi comparavit, l. 8. C. h. t. (5) Vxor, ſi maritus rem pro pecunia, quam uxori antea donavit, emit. l. 55. *in* f. ff. *de donat. int. vir & vxor.* l. *un.* §. 5. C. *de rei uxor. act.* (6) Civitas, ſi Syndicus rem pecuniâ civitatis emit. *arg.* l. 3. C. *de iur. Reip.* (7) dominus tabulæ pictæ utilem etiam actionem contra eius poſſeſſorem habet, §. 34. *Inſt.* de R. D. (8) dominus adverſus eum, qui dolo poſſidere deſijt ante litis conteſtationem. l. 69. ff. *de* R. V. l. 27. §. 3. *eod.*

TH. 19. Cauſæ huius actionis, quarum implicitè jam mentionem fecimus, paucis explicandæ ſunt. Cauſa efficiens rei vindicationis duplex, propinqua & remota; illa eſt dominium propriè dictum, *arg.* l. 23. ff. h. t. quæ princeps & excellentior iuris in re eſt ſpecies; quamvis jus hereditarium valdè amplum ſit, dominium tamen reliqua iura in rem virtualiter continet; quicunque enim rerum ſuarum dominus eſt, & lege, vel naturâ alienare non prohibetur, is alterum, ſi velit, eiuſdem rei, vel [1] dominum facere poteſt. §. 41. *Inſt. de* R. D. l. 20. ff. *de acq. rer. dom.* vel (2) heredem, l. 1. C. *de SS. Eccleſ.* vel (3) eius poſſeſſionem alteri concedere poteſt, d. §. 41. l. 18. ff. *de acq. poſſ.* vel [4] ſervitutem, 2. *feud.* 8. §. *rei autem. Verſ. quid ergo*, vel (5) pignus aut hypothecam, l. 2. & 6. ff. *ſi alien. res pign.* l. 18. ff. *de pign.* remota cauſa efficiens eſt ius civile, ſive lex 12. Tabb. à qua eſt introducta, l. 75. ff. hoc tit.

TH. 20. Materia huius actionis ſunt omnes res corporales, quæ dominio alicuius contineri, poſſiderique poſſunt, l. 1. §. 1. ff. h. t. tam mobiles, quam ſoli. Hinc cõſtat, iura incorporalia rei vindicatione pe-

ti non poſſe; olim enim oportebat in iudicio exhiberi; ac qſ. manu teneri, atque aſſeri, quod vindicaretur. t. t. ff. *ad exhib.* quæ exhibitio in rebus incorpor. fieri planè non poteſt, cum in aſpectum & ſenſum non cadant, [2] vindicatio ſaltem contra poſſidentem, aut detinentem competit, l. *un.* C. *de alien. jud. mut.* aſt incorporalia propriè neque poſſidentur, neque tenentur, l. 4. §. *ſi vis* 27. ff. *de vſucap.* l. 43. §. 1. *incorpor.* ff. *de acq. rer. dom.*

TH. 21. Forma rei vindicationis olim multiplex, quæ cum reliquis formulis in deſuetudinem abijt, t. t. C. *de form. publ.* Hodiè ita eſt: actor in libello proponit, ſe eſſe dominum, vel qſ. (quia publiciana rei vindicationi adjicitur ob probandi dominij difficultatem, l. 12. C. *de probat.*) aut cauſam juris ſui exprimit, aut omne ſuum ius in iudicium deducit, prout illi commodum eſt.

TH. 22. Finis eſt, ut res ſua domino reſtituatur, & quiſque ſuum teneat, qui nervus eſt publicæ tranquillitatis.

TH. 23. Vltimò qr. ſi quis rem alienam, v. c. furtivam, b. f. comparaverit, & hic rurſus b. f., ante interpellationem domini, in alium tranſtulerit, an domino contra eum qui iterũ vendit competat actio? Reſp. rei vindicatio hic non habet locum, l. 36. pr. ff. h. t. quia pretij reſtitutio non ſuccedit in locum rei, l. 48. §. 8. ff. *furt.* Si v. rei vindicatione agere velit, eam adverſus furem, vel m. f. poſſeſſorem inſtituere debet, ex æquitate tamen datur actio in factum, qua ad id tantum tenetur talis venditor, quod ex iſta venditione lucratus eſt, ſeu quod ultra pretium quod ipſe exſolvit, conſecutus eſt, l. 32. ff. *de* R. C. *arg.* l. 52. ff. h. t. l. 106. ff *de* R. I. c. 48. *de* R. I. *in* 6. *Carpz* p. 2. *prax. crim.* q. 87. eiuſmodi enim venditor, rem b. f. alienando, nec plus pretij recipiendo, quam ipſe dedit, æquitate ipſâ ſuadente ad quicquam preſtandum obligari nequit. Aſt ſi non emptionis, ſed donationis titulo rem alienam, v. g. furtivam quis habuerit, eamque vendiderit, pretium domino reddere obſtringitur; idem ſtatuitur, ſi ipſe b. f. poſſeſſor rem conſumpſerit, ac in ſuos uſus converterit, quando inde eſt factus locupletior. *Covarruv. part.* 3. *pr. in* c. *peccatum.*

TITVLVS II.

De Publiciana in rem actione.

TH. I. POST explicatam rei vindicationem ex vero dominio ortam, ſequitur actio ex ficto dominio, quæ Publiciana di- dicitur.

TH. 2. Publiciana (a) actio eſt actio in rem, (b) ei, qui à non domino (c) b. fide, & iuſto titulo rem accepit, (d) competens, contra quemvis (e) detinentem, ut is reſtituat.

(a) Ita dicitur à Prætore Q. Publicio, à quo eſt introducta ob æquitatem.

(b) Quia eſt ex ficto dominio, §. 3. & 4. *Inſt. de action.*

(c) Si enim dominus ipſe tradidiſſet, dominum verè tranſlatum fuiſſet. l. 1. *in* f. ff. h. t.

(d) Vnde in conditione uſucapiendi fuit conſtitutus.

(e) Non tamen contra verum dominium, quia hic fortius ius habet.

TH. 3. Cauſa huius actionis introductæ eſt duplex, [1] defectus actionis ante impletam uſucapionem, (a) & [2] iniquitas huius defectus. (b)

(a) Is enim, qui ante impletam uſucapionem caſu poſſeſſionem amittebat, nullam habebat directam actionem ad eam perſequendam, cum nemo, niſi dominus iure civili dominium vindicare poſſit, l. 23. ff. de R. V. Hunc iuris rigorem Prætor tanquam ſecundarius legiſlator, medio aliquo interveniente, temperat; dum fingit poſſeſſorem b. f. uſucepiſſe, quod non uſucepit. §. 3. *Inſt. de action.*

(b) Quæ in ſeqq. conſiſtit, [1] iniquum erat, b. f. poſſeſſorem in conditione uſucapiendi conſiſtentem, reamiſsâ, non habere actionem pro re recuperanda, [2] iniuria afficiebatur b. f. poſſeſſor, ſi tertius rem accipiens cum b. f. poſſeſſoris damno locupletaretur, [3] b. f. poſſeſſor reſpectu cuiuſdam extranei fortius ius habet, & domini inſtar cenſetur, l. 138. ff. *de* R. I. l. 6. §. 6. & 7. ff. h. t.

TH. 4. Actio Publiciana tria requirit [1] ut traditio à non domino ſit facta, ſi enim res, neque verè, neque fictè ſit tradita, actio non competit. arg. l. 11. §. 1. ff. h. t. [2] iuſta cauſa, ſive titulus traditionis, e.g. emptionis, donationis, dotis &c. [3] bona fides. l. 1. pr. ff. h. t.

TH. 5. Actio hæc datur contra eum, qui nullo titulo, vel non b. fide poſſidet, l. 9. §. 5. ff. h. t. *arg. ult. eod.* quia hic infirmius ius, quam

bona fide, & iuſto titulo poſſidens habet.

TH. 6. Actio hæc datur ad id, ut res b. f. poſſeſſori, tanquam domino reſtituatur. Omnia ferè in Publiciana, quæ in rei vindicatione obſervantur, l. 7. §. 8. ff. h. t.

TH. 7. Qr. an b. fides in actione Publiciana omni tēpore requiratur? Reſp. diſting. inter ius civile & canonicum. *Iure civili* ſufficit, bonam fidem adeſſe ab initio. l. *un.* C. *de uſucap. transfor.* modo in emptione, (quod hic ſpeciale) adſit & tempore contractus & traditionis, l. 7. §. 16. ff. h. t. §. 41. *Inſt. de* R. D. *Iure verò canonico* bona fides ſemper requiritur in uſucapione. c. *fin. de præſcript.*

TITVLVS III.

Si ager vectigalis, id eſt emphyteucarius petatur.
Iung. tit. 66. lib. 4. C.

TH. I. PVBLICIANAM actionem excipit Emphyteuticaria, quæ eſt actio in rem, (a) qua rem in emphyteuſin, (b) nobis datam ab eiuſdem poſſeſſore petimus.

(a) Quia eſt ex dominio utili, h. e. iure reali, l. 1. §. 1. ff. h. t. Vnde patet, diſtinctionem dominij minus pleni, ſc. inter dominium directum, & utile eſſe utiliſſimam, quia ius tale in re habentes, vel nudam tantum proprietatem ſibi vindicare poſſunt, vel omne inde emergens emolumentum, quod habet emphyteuta, qui non modo perpetuum & pleniſſimum uſumfructum contineat, l. 1. §. 12. ff. h. t. ſed & aliquam de re diſponendi licentiam habet, l. 2. C. h. t. l. 5. C. *de diverſ. præd.* 2. *feud.* 8. §. *rei* §. *quamvis*, l. 71. §. *pen.* & l. *ult.* ff. *de legat.* 1. l. 19. ff. de damn. infect. l. 3. §. 4. ff. *de reb. eor. qui* quamvis Imperator per l. un. C. *de nud. iur. Quirit. toll.* differentiam dominij naturalis & civilis ſuſtulerit, exinde non ſequitur, priorem dominij diſtinctionem quoque eſſe ſublatam; ratio eſt, illa differentia in d. l. *un.* à cauſa efficiente erat deſumpta, hæc verò noſtra à fine & effectu; unde ex tali utili dominio actio, quæ eſt utilis emphyteucaria vindicatio, externa ratione ob utilitatem inducta.

(b) Quæ dicitur ab ἐμφυτεύω, h. e. implanto, inſero; inde emphyteumata, implantationes, & per metaphoram meliorationes, licet hæc appellatio poſtea ad loca fertilia ſit tranſlata, *Nov.* 7. *c.* 3. *verſ. ſi verò alius*, & non tantum ruſtica, ſed & urbana *auth ſi quas* C. *de SS. Eccleſ.* l. 15. §. 26. ff. *de damn. infect.* & ſeculiaria & Eccleſiaſtica. *Nov.* 120. c. 6. *Nov.* 55. c. 2.

TH. 2. Ius

TH. 2. Ius emphyteuticum eſt, quo quis re immobili, (a) ſub conditione certæ penſionis (b) in dominij recognitionem præſtandæ, uti frui poteſt.

(a) Origo huius iuris emphyt. à fundis publicis deſcendit, quos Romani bello captos non tantum militibus aſſignabant, verum etiam eos, qui propter bellum inculti ac deſerti erant, alijs pro certo & exiguo vectigali excolendos dare ſolebant; quod deinde ad agros municipum, & quarumcunque civitatum, & tandem ad privatas res immobiles eſt tráſlatum, l. 1 ff. h. t. atque ſic quod privatas res & civitatum concernit, non modo agros incultos, ſed & cultos; imò & ædificia in emphyteuſin domini directi dare ſolent.

(b) Penſio illa ex locatione municipibus præſtanda vectigal, unde agri vectigales; ex locatione verò privatorum Canon appellatus, & plerumque non magno pretio conſtare ſolet; quoniam non tam pro compenſatione fructuum, quam potius in recognitionem dominij, ne illud per tanti temporis in perſona heredum obliteretur, & tandem directis dominis plane negetur, præſtari ſolet. *arg.* §. *adeò Inſt. de locat & conduct.*

TH. 3. Ius emphyteuticum conſtituitur à domino directo, (a) vel ab eo, qui domini directi loco habetur. (b)

(a) Dominus ille eſt ſecularis, vel Eccleſiaſticus, ille eſt, vel Princeps, vel Civitas, ſ. municipium, vel privatus, §. 3. *Inſt. de locat. & cond.* l. 1. ff. h. t. Hic eſt, qui nomine Eccleſiæ rem eius alteri in emphyteuſin concedit. *Nov.* 3. c. 1. *Nov.* 120. c. 5. & 8. ut monaſterium per ſuos prælatos, rectores & curatores.

(b) Qualis eſt b. f. poſſeſſor. *arg.* l. 130. ff. *de* R. I.

TH. 4. Accuratè hîc diſtinguendum eſt inter modos conſtituendi & acquirendi emphyteuſin; conſtituitur emphyteuſis, ſive ius emphyteuticum, vel actu inter vivos, (a) vel ultima voluntate. (b)

(a) Puta per contractum emphyteuticum, ut quando id agitur, ut dominio directo retento, utile in emphyteutam transferatur, præſtito annuatim canone, d. §. *adeo Inſt.* Hîc dominus ſe obligat ad conſtituendam alicui emphyteuſin, unde oritur ius ad rem & actio perſonalis, *arg.* §. 1. *Inſt. de uſur.* §. *ult. Inſt. de ſervitut.* l. 20. C *de pact.* l. 3. ff. *de* O. & A. contra ex acquiſitione ius reale, h. e. utile dominium, unde utilis rei vindicatio.

(b) Per legatum, vel donationem mortis cauſa, e. g. quando dominus rem, ut quis in ea emphyteuſin habeat, alicui legat, aut heredem in iſta inſtituit, §. 1. *Inſt. de uſufr.* hoc ius teſtamento delatum legatarius, aut heres convenientibus actionibus perſequitur. *arg.* l. *pen.* C. *de vſufr.*

TH. 5. Ius emphyteuticum acquiritur traditione, vel patientia, (a) vel ſucceſſione (b) vel præſcriptione. (c)

(a) *arg.* l. 3. ff. *de uſufr.* Vt ſi quis præter expreſſam huius iuris conſtitutionem, poſſeſſionem rei bona f. acquiſiverit, eamque domino patiente, & admittente, ut emphyteuticam, præſtando canonem, longo tempore, nec vi, nec clam, nec precario poſſederit, *arg.* l. 10. ff. *ſi ſervit. vind. Carpz.* p. 2. c. 58. d. 15. Hîc traditio per æquipollens, ſc. patientiam cenſetur facta.

(b) quia emphyteuſis per univerſitatem cum alijs quibuſcunque rebus iure hereditario transfertur, & ſuccedunt non modò maſculi, ſed & fœminæ in emphyteuſi. *Nov.* 7. c. 3.

(c) Puta longiſſimi temporis, ſi ſolus error cauſam iſtiusmodi poſſeſſioni præſtiterit, l. 5. C. *de præſcript. long. temp.* l. 8. C. *de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* & poſſeſſio ſic acquiſita per 30. annos duraverit, 2. *feudor.* 26. §. *ſi quis*, quia poſſeſſor hoc in caſu emphyteuſin ex tacito domini conſenſu habere fingitur.

TH. 6. Emphyteuſis conſtituitur, vel in perpetuum, (a) vel ad longum tempus (b) l. 1. & 3. ff. h. t. §. 3. Inſt. de locat.

(a) Perpetuum dicitur hic dupliciter, [1] latè, quod perpetuò durat. d. §. *adeo Inſt. de locat.* Vbi canone ſoluto emphyteuſis tranſit ad quoſcunque ſucceſſores ſingulares & univerſales. [2] Strictius, quamdiu emphyteutæ, cui ius emphyteuticum eſt conſtitutum, poſteritas durat, quia inſtar feudi, emphyteuſis pro heredibus, aut liberis concedi ſolet.

(b) Non tamen ſtatim conſtituitur emphyteuſis, ubi negotium ad longum tempus eſt contractum; ſed ſi canon modicus in recognitionem pendatur, tranſlato utili dominio, *arg.* l. 66. ff. *de rei vind.* d. §. *adeo Inſt.* non autem proportionatus fructibus canon, ſive penſio, tunc enim non emphyteuſis, ſed locatio eſt. Nota. temporalitas ſaltem ex accidenti huius contractus eſt, perpetuitas contra de eiuſdem natura, quæ ſemper emphyteuſi ineſt, niſi per conventionem eximatur. l. 5. §. *fin.* ff. *de præſc. verb. arg.* l. 11. *pr.* ff. *de act. empt.*

TH. 7. Emphyteuta demortuo, eius ſucceſſores contractum emphyteuticum in dominij recognitionem renovare tenentur; qua renovatione omiſſa, arbitraria pœna affici poſſunt, proque ſcriptura, ſive inſtrumento, quod ratione renovationis conficitur, honorarium ſolvere obligantur. l. 1. & 2. C. h. t. *Carpz.* p. 2. c. 38. *def.* 20. 28. & 39.

TH. 8. Actio emphyteutica datur emphyteutæ, pro iure ſuo tuendo, adverſus quemcunque, etiam dominum directum. l. 1. §. 1. h. t.

TH. 9. Iure emphyteutico finito (a) actio emphyteutica exſpirat.

(a) Varijs modis finitur, [1] ex perſona conſtituentis, puta ſi conſtituens ad tempus tantum ſit dominus, *arg.* l. 31. ff. *de pign.* [2] conſolidatione, quæ fit ſeqq. caſibus. (primò) moriente emphyteuta, nullis relictis heredibus, quibus emphyteuſis ſaltem fuit conceſſa, (ſecundò) præſcriptione, ſive do-

minus rem debito modo, & tempore poſſidens contra emphyteutam; ſive emphyteuta dominium contra dominum, denegationi canonis per tempus legibus definitum, acquieſcentem, præſcribat. *Carpz.* p. 2. c. 13. *def.* 17. [3] renunciatione, ſive ceſſione, ſi emphyteuta ius ſuum iterum cedat domino, quæ ceſſio domino volente, non verò contradicente eſt permiſſa, quia contractus emphyteuticus ſemel perfectè initus, ab una parte contrahentium per pœnitentiam diſſolvi nequit; [4] deterioratione rei emphyteuticæ magnâ dolo aut culpa lata emphyteutæ commiſſa, *arg.* l. 3. C. h. t. *Nov.* 120 c. 8. *auth. qui rem* C. *de SS. Eccleſ.* [5] lapſu temporis, l. *fin.* ff. h. t. (6) non ſolutione canonis, quo emphyteuta iure ſuo cadit, & privatur, ut ſi in Eccleſia intra biennium, in ſeculari intra triennij metas canon non ſolvatur; mora tamen aliquando purgatur per celerem oblationem, antequam dominus declaraverit caducitatem in iudicio, cum eum propria authoritate expellere nequeat, l. 2. C. *de iure emphyt.* c. *ult. extr. de locat & cond.* (7) Alienatione, ſine domini conſenſu facta. l. 3. *in fin.* C. *de jur. emphyt.*

TH. 10. Actio hæc dicitur b. fidei, non ſtricti iuris, [1] quia contractus emphyteuticus olim comprehenſus fuit ſub locatione & conductione. E. & b. fidei erit, [2] quia omnes contractus conſenſuales, quibus hic annumeratur, ſunt b. fidei.

TH. 11. Cauſa efficiens eſt lex, §. 3. *Inſt. de locat.* & conſenſus contrahentium, quo ſolo hic contractus ex diſpoſitione legis perficitur. d. §. *adeo* 3.

TH. 12. Materia ſunt res ſoli, ſicut & in feudalibus, c. 1. §. *ſciendum.* Extr. *de feud. cognit.* in mobilibus enim, quæ uſu non meliorantur, ſed aut pereunt utendo, aut fiunt deteriores, l. 1. & 2. ff. *de uſufr. ear. rer. quæ uſu conſ.* l. 22. C. *de adminiſt. tutor.* emphyteuſis conſtitui, & utile dominium alteri concedi haud facile poteſt.

TH. 13. Forma huius contractus in contrahentium conventione conſiſtit, & ut dominium directum retineat dominus, utile verò conſequatur emphyteuta, inſuper ut hic domino quotannis exiguum canonem in dominij recognitionem pendat.

TH. 14. Finis olim fuit, ut agri ſteriles & inculti excolantur, melioreſque fiant, qui finis hodiè non idem, ſiquidem & fertiles agri in emphyteuſin concedantur.

TH. 15. Effectus cum reliquis contractibus nominatis eſt idem, cum pœnitere non liceat. d. § *adeo Inſt.* &c.

TH. 16. Qr. an ſcriptura ad huius contractus perfectionem requiratur? Reſp. negand. ſequentes ob rationes, [1] quia eſt contractus conſenſualis, *arg.* l. 4. ff. *de pign.* [2] quia per præſcriptionem ſine ſcriptura acquiri poteſt, [3] quia ex omiſſione ſcripturæ non vitiatur.

l. 3. C. hoc tit. *Nov.* 120. c. 1.

TH. 17. Qr. an emphyteuta directum dominium præſcribere poſſit, non ſolvendo canonem 30. vel 40. annis? Reſp. diſtinguendo, vel detinet ut emphyteuta, vel pro ſuo; ſi ut emphyteuta præſcribere planè nequit, quia titulo ſemper alieno poſſidet, *arg.* l. 2. l. 7. §*fin.* C. *de præſcript.* 30. *annor.* l. 25. ff. *locat.* ſi verò pro ſuo, tunc ei licet, ſi ſc. intervertat cauſam poſſidendi, titulumque alleget, de canone ſolvendo interpellatus, in quo dominus per dictum tempus acquieſcat, *arg.* l. 12. l. 18. ff. *de vi & vi armat.* l. *fin.* C. *de præſcript.* 30. *annor.* contra, idem quoque affirmatur de domino directo, quod dominium utile præſcribere poſſit ex rationis paritate.

TH. 18. Qr. utrum libertas à canone ſolvendo 30. annis præſcribi queat, manente adhuc emphyteuſi? Reſp. negand. quia canonis ſolutio eſt de huius contractus eſſentia, ut pro dominio utili canon, ſive penſio ſolvatur. E. ubi nulla per canonis ſolutionem recognitio dominij, ibi nulla eſt emphyteuſis.

TH. 19. Qr. an emphyteuta ob incidentem ſterilitatem, vel bellum à canonis ſolutione liberari queat? Reſp. neg. ſi canon, ut regulariter fieri conſuevit, eſt exiguus, & fructibus non proportionatus. *arg.* l. 1. C. h. t. quia habet utile dominium, & præter hoc omnem utilitatem & commoditatem ex re emphyteutica percipiendi, l. 1. *pr.* & §. 1. ff. h. t. Hinc haud iniquum, ut emphiteuta omnia onera ſuſtineat, tributa, collectas, reliquaſque publicas penſitationes ſolvat regreſſu nullo inde ad dominum directum habente. l. 2. C. h. t. *Carpz.* p. 2. c. 39. *def.* 18.

TH. 9. Emphyteutæ conceſſum eſt, ſervitutem aliquam, vel aliud onus rei emphyteuticæ, ſine conſenſu domini, ratione iuris, quod in rem habet, imponere; aſt non in ſui præiudicium, nam cum ius reale habeat tantum limitatum, non poteſt rem onerare ultra quam penes eum manet, qua abeunte, ſecundum regulam, reſoluto iure dantis, reſolvitur & ius accipientis.

LIBER SEPTIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

De uſufructu & quemadmodum quis utatur fruatur. Iung. tit. 33. lib. 3. C. h. t.

TH. 1. IN præcedenti libro vindicationem rerum corporalium declaravimus; proponuntur in hoc libro res incorporales, (a) quarum quoque datur vindicatio. (b) ſc. impropriè dicta.

(a) Per res incorporales hîc intelligimus ſervitutes fundi, ubi res aliena ſervit. l. 23. §. 1. ff. *de ſervit. P. R. arg. l. 5. pr. &* §. 1. *ff. ſi uſusfr. petat.* & non hominis, qui alterius dominio ſubjicitur. §. 1. *Inſt. de iur. perſon.*

(b) Vindicationem in genere ſic conſideramus, prout eſt iuris in re aſſertio, ſive actio in rem. §. 15. *Inſt. de action.* quo ſenſu vindicatio eſt, tam rerum incorporalium, quàm corporalium, omnia iura in re comprehendens; aliàs propriè ſumpta denotat dominij in ſpecie dicti aſſertionem. l. 1. §. 1. ff. *de R. V.*

TH. 2. Servitutes triplicis ſunt generis, aliæ merè ſunt perſonales, (a) aliæ merè reales, ſive prædiales, (b) aliæ mixtæ. (c)

(a) Quales præſtant ſervi, imperio dominorum ſubjecti, cum amiſſa libertate ſervitutem ſervire dicantur, quæ ſervitutes huc non ſpectant, ſed ad tractatum *De iure perſonarum.*

(b) Servitutes vocantur onera & iura, inhærentia prædio ſervienti, & debentur prædio dominanti; ſine his duobus correlativis ſtare non poſſunt; de his realibus, ſive prædialibus ſervitutibus libro ſeq.

(c) Quæ non merè ſunt perſonales, quamvis perſonæ præſtentur, & ſine perſona utentis eſſe nequeant, de quibus hoc libro.

TH. 3. Servitus (a) eſt ius reale, quo res aliena (b) corporalis, (c) præter naturam, (d) alteri perſonæ, vel rei (e) utilitatem præſtat. (f)

(a) Hinc ſervire eſt ex re utilitatem præbere alterius rei, vel perſonæ. l. 1. ff.

de ſervit. l. 5. §. 1. ff. *ſi uſuſfr. pet.* & ſervitutes nihil aliud ſunt, quàm qualitates prædiorum. Contra, ſubſtantia prædiorum eſt ipſa proprietas. l. 115. ff. *de V. S.*

(b) Non propria, quia nemini res propria ſervit. *l. uti frui. ff. ſi uſusfr. pet. l. 26. ff. de ſervit. urb. præd.*

(c) *Arg.* l. 1. ff. *de uſu & uſufr. leg.* l. 33. §. *fin. ff. de ſervit. P. R.*

(d) Quælibet enim res naturâ eſt libera. *arg.* l. 1. l. 24. ff. *de ſerv. præd. urb.* l. 8. C. *de ſervit. & acq.*

(e) Hinc communis illa diviſio ſervitutis perſonarum, (quam dixi mixtam, cum non merè ſit perſonalis) & rerum. l. 1. ff. *de ſervit.* illa iterum triplex, uſusfructus, uſus & habitatio.

(f) Ex qua enim re nulla ſperari poteſt utilitas, in ea nec ſervitus conſtitui ſolet, quoniam ſervitutis finis ibi deficit. §. 2. *Inſt.* h. t.

TH. 4. Vſusfructus, (a) eſt ius alienis rebus utendi fruendi, (b) ſalvâ rerum ſubſtantiâ. (c)

(a) Vox *uſusfructus* accipitur dupliciter, [1] materialiter, & latè pro iure re aliqua utendi. l. 58. ff. *de V. O.* l. 26. ff. *de uſufr. legat.* l. 126 §. 1. ff. *de V. O.* l. 4. ff. *ſi uſusfr. petat.* quo ſenſu uſumfructum habet dominus, ſive plenus, ſive minus plenus, ſive utilis, qui re ſua utitur iure dominij, hic uſusfructus dicitur cauſalis; [2] formaliter & propriè, pro illo diſtincto iure, quo res aliena nobis ſervit. l. 63. ff. h. t. *t. t. Inſt. ff. &* C. h. t. l. 25. ff. *de V. S.* l. 1. §. 1. 2. ff. *ad SCt. Sillan.* l. 26. ff. *de S. V. P.* l. 43. §. *fin.* ff. *de furt.* ex dictis patet, diviſionem uſusfructus in cauſalem & formalem non eſſe veram, ſed tantum vocabulum hoc æquivocum in ſua æquivocata diſpeſcitur.

(b) Voce utendi fruendi omnes fructus, omniaque omnino veniunt emolumenta, quæcumque ex feudo, aut eius occaſione percipiuntur, non modo naturalia. l. 9. ff. h. t. ſed etiam civilia, ut penſiones, uſuræ, omneſque reditus ex ædificijs, areis & fundis percepti. l. 7. §. 1. ff. h. t. Ex dictis patet, uſum ab uſufructu differre; quia uſus non plus habet, quam quantum ſatis eſt quotidianis neceſſitatibus utentis. *pr. Inſt. de uſu & hab.* uſusfructus contra non modo ad neceſſitatem, ſed & ad lucrum & voluptatem ſpectantia comprehendit. E. uſus virtualiter ineſt uſuifructui.

(c) Quoniam res, quæ uſumfructum præbent, debent eſſe habiles, ne videl. utendo fruendo abſumantur, ſed poſt uſumfructum corpore ſuo integræ permaneant. §. 2. *Inſt.* h. t.

TH. 5. Modi, quibus uſusfructus acquiritur, ſunt vel immediati, vel mediati.

TH. 6. Immediatè acquiritur uſusfructus ipſo iure, citra hominis factum interveniens, & quidem tribus caſibus, [1] vi patriæ poteſtatis in bonis liberorum, non emancipatorum adventitijs. §. 1. *Inſt. per quas perſ. cuique acq. l. 1. C. de bon. mat. l. 6.* C. *de bon. quæ liber.* Hunc uſumfructum retinet pater, etiamſi ad ſecundas nuptias tranſeat. *l. ult. C. de*

bon.quæ lib. Nov. 22.*c.* 1. *Nov.* 127.*c.* 3. *Carpz.p.* 2.*conſt.* 10. *def.* 7. Excipe; quorundam bonorum adventitiorum uſumfructum pater non percipit; ſi filiofam. quædam ab extraneo donata, vel relicta, adjectâ expreſſâ conditione, ne pater uſumfructum ſibi acquirat. *Nov.* 117. *c.* 1. *Auth. item C. de bon. quæ lib.* In Saxonia non ſolum patri, ſed & matr, mortuo patre, propter onus educationis, & alimentationis, uſusfructus acquiritur. *Landk. lib.* 1. *art.* 11. [2] Acquiritur uſusfructus patri pro præmio emancipationis in dimidia tantum parte bonorum liberorum emancipatorum. §. 2. *Inſt. per quas perſ. cuique acq. l.* 6. §. 3. C. *de bon. quæ liber.* [3] uſusfructus immediatè acquiritur matri, ad ſecundas nuptias tranſeunti in ijs bonis, quæ ex cauſa liberalitatis, & ſucceſſione liberorum, à priore marito accepit; e.g. ex ſponſalibus. l. 3. & 5. C. *de ſecund. nupt.* ex donatione propter nuptias, legatis, aut fideicommiſſis. l. 5. ff. *ad Sct. Tertull. Auth. ex teſtamento C. Auth. in donatione C. de ſecund. nupt.* Idem quoque in patre obſervatur, ſi is ad ſecunda vota tranſierit, tunc enim amiſſa rei proprietate, quæ ad liberos tranſit, uſumfructum ſaltem retinet, in ijs ſc. bonis, quæ ex cauſa liberalitatis ab uxore eſt conſecutus. *l.* 5. *C. de ſecund. nupt.*

TH. 7. Mediatè acquiritur uſusfructus per factum hominis, qui eſt vel Iudex, vel privatus.

TH. 8. Officio iudicis conſtituitur, & acquiritur uſusfructus, in iudicijs diviſorijs, familię erciſcundæ, & communi dividundo, per adjudicationem, in rebus, quę diviſionem cōmodè non recipiunt, alteri proprietatē alteri uſumfructum adjudicando. l. 6. §. 1. ff. h. t. §. 4. & 5. *Inſt. de offic. iud. l.* 6. § *pen. ff. comm. divid.* mediāte hac adiudicatione uſusfructus conſtituitur, exque iudicato ſtatim ius in re acquiritur, unde actio cōfeſſoria datur; iudicia enim diviſoria ex iure in re conſtituto deſcendunt.

TH. 9. Quòd hominem privatum, uſumfructum concedentem attinet, accuratè diſtinguendum eſt inter promiſſionem, (a) conſtitutionem, (b) & acquiſitionem. (c)

(a) *Promiſsio* de uſufructu fit, vel purè, vel ſub conditione, vel ex die, vel in diem, vel alternis annis, aut menſibus. l. 54. ff. h. t. l. 15. & 16. ff. *quib. mod. uſusfr. amit.* l. 12. C. h. t. hæc promiſſio fieri ſolet duplici modo, [1] inter vivos, (pactionibus, ſtipulationibus) h. e. contractibus ad conſtituendum idoneis, v.g. donatione, venditione, &c. §. 1. *Inſt.* h. t. l. 3. l. 7. §. 1. ff. l. 4. 5. 10. C. *eod.* Ex hac promiſſione oritur actio perſonalis, quam ſtipulans contra promittentem intentat, ut iuxta promiſſionem uſumfructum conſtituat. *l. pen. pr. C. de uſufr.* aut [2] per ultimam voluntatem, e.g. legato uſufructu. §. 1. *Inſt.* h. t. l. 4. C. *eod.* unde legatario competit actio ex teſtamento. l. 46. §. 1. h. t. l. 2. ff. *ſi uſusfr. petat.* ſic etiam heredi inſtituto in uſufructu, ante here-

ditatis aditionem, competit tantum ius ad rem ex teſtamento.

(b) Conſtitutio uſusfructus fit mediante traditione, ut res, in qua uſusfructus conſtituitur, tradatur. l. 7. *pr. ff. uſusfr. quemad. cauſ.* & quidem, vel à concedente, vel eius herede. Traditio hæc fit *propriè*, e. g. ſi res mobilis detur utenda fruenda. d. l. 7. *pr.* vel *fictè*, ut ſi quis in rem immobilem, fundum, vel ædes uſufructuarias, ratione uſusfructus, inducatur. l. 3. *pr.* ff. h. t. l. 11. §. 2 ff. *de pign.* aut [2] patientiâ, quæ traditioni æquipollet, conſtituitur uſusfructus, e. g. ſi quis patiatur, aliquem re ſua frui. d. l. 3. *pr.* l. 11 §. 1. ff. *de publ. in rem act.* Hinc patet, quod uſusfructus non prius conſtituatur, quàm traditio, vel propriè, vel fictè, vel per æquipollens ſit facta, atque ita promiſſio differt à conſtitutione. Contrarium obtinet in ſervitute reali, in qua promittens ſimul conſtituit, quia in patiendo conſiſtit, non ut uſusfructus, in faciendo, *arg.* d. l. 3. l. 15. §. 1. ff. *de ſervit.*

(c) Acquiſitio uſusfructus fit aliquando longi temporis præſcriptione, ut ſi quis rem iuſto titulo, & bona fide eſt conſecutus, eaque per longum tempus, h. e. 10. annos inter præſentes, & 20. inter abſentes, domino patiente, nec vi, nec clàm, nec precariò uſus fuerit. l. *ult. C. de præſcript. long. temp.* Aliquando verò longiſſimi temporis præſcriptione acquiritur, e. g. ſi ſolus error cauſam iſtiuſmodi præſtiterit. l. 5. C. *de præſcript. long. temp.* l. 6. C. *de præſcript. vel* 30. *vel* 40. *annor.* aut ſi quis mala f. uſumfructum rei ſibi ſumpſerit. l. 3. l. 8. C. *de præſc.* 30. *vel* 40. *annor.*

TH. 10. Circa uſumfructum acquirendum commoda & incommoda, ſive onera uſufructuarij attendenda ſunt.

TH. 11. Quod commoda uſufructuarij concernit, ſtatuitur, (1) quod fructus omnes ad uſufructuarium pertineant. l. 7. *pr. h. t.* non tamen eius fiant, niſi ab ipſo, vel eius nomine ab alio percipiantur. *l.* 12. §. *Iulianus* 5. *ff. h. t.* Fructus enim quamdiu pendent, pars fundi ſunt. *l.* 44. *ff. de R. V.* & tanquam acceſſorium quoddam fundi, ad proprietatem ſpectant. Facto itaque aliquo opus eſt, quod non qualecumque ſeparationis, ſeu ut fructus à ſolo ſeparentur, ſed perceptionis, ſeu ut colligantur, & avehantur, requiritur. l. 13. ff. h. t. ſine quo fructuarius, nec ſuos facit, nec ad heredes tranſmittit, ſi v. g. moriatur, fructibus maturis, & dicto modo nondum perceptis: in hoc uſufructuarius à bonæ fidei poſſeſſore differt, qui indiſtinctè tranſmittit, & fructus ſuos facit, utcumque ſeparati fuerint à ſolo, quiſquis etiam ſeparaverit, & quocumque nomine, etſi ipſe non perceperit. l. 28. §. 1. ff. *de uſufr. l.* 13. *ff. quibus mod. uſusfr. amitt.* ratio differentiæ eſt perſpicua, quod bonæ fidei poſſeſſor iure ſoli, & tanquam dominus, quod ius omnino continuatur à re in fructus, qui ſemel eius rei pars fuerunt, cum penderent, eos percipit. Contra, fructuarius hoc iure fructus ſuos facere non poteſt, qui ne poſſidet quidem, & ſcit rem eſſe alienam. §. *fru-*

ctuarius

ctuarius Inſt. per quas perſon. cuique l.10. ff. de acq. Rer dom. ſed tantum iure uſusfructus, qui exerceri non videtur, antequam fructus naturaliter, vel ab ipſo, vel ab alio eius nomine, aut iuſſu apprehenſi fuerint. (2) quod non ſolum ipſe uſufructuarius uti frui poſſit, ſed etiam ius percipiendorum fructuum in alium transferre, per quemcunque titulum. l. 7. ff. h. t. §. 1. *Inſt. de uſu & habitation.* quòd dum facit, non quidem ipſum uſumfructum transfert, ſed iure illo perſonali retento, in effectu per alium fruitur, vel ius potius uſurpandi res fructuarias transfert. Ex quo per mortem, vel alios modos amittendi uſusfructus, in perſona fructuarij contingentes, & in tertijs illis, qui cauſam ab illo habent, ius percipiendi fructus finitur, & ad proprietatem revertitur. l. 8. §. 1. ff. *de peric. & comm. rei vendit.*

TH. 12. Ex adverſo, quod ad onera pertinet, uſufructuarius ea ſuſtinere tenetur, & quidem (1) omnem rei curam ſuſcipere obligatur. l. 1. *in fin. ff. quomod. uſufr. cav.* rem ſc. cuſtodiendo. l. 2. ff. d. t. reficiendo, & ſartam tectam ſervando. l. 7. §. 2. & 3. l. 64. ff. h. t. l. 7. C. h. t. in locum demortuarum arborum alias ſubſtituendo. l. 18. ff. h. t. gregem ex fœtu gregis ſupplendo. §. 39. *Inſt. de R. Div. Carpz. p. 1. c. 26. def.* 9. damna avertendo. l. 1. §. *ult.* l. 65. ff. h. t. quia inſtar probi; & diligentis patrisfam. rem fructuariam rectè colere, uti oportet, ne cauſam proprietatis reddat deteriorem. l. 13. *pr. &* §. 4. ff. h. t. E. ſi ædificia vetuſtate corruant, vel caſu comburantur, ad eas reparandas non tenetur. d. l. 7. §. 3. (2) incumbit fructuario tributa, collectas, & alia onera, ſive ordinaria, ſive extraordinaria ſolvere. l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. l. 13. ff. *de impenſ. in rem dot. fact. l. 13. C. de act. empt.* quia in iſtis oneribus non perſona, ſed prædia conveniri debent, cum non quæratur, quis rei dominus, ſed quis poſſideat. His annumerantur munus, ſive onus metatorum, & ſumptus in milites inhoſpitatos impendendi. Excipe, niſi fuerint immodica, ipſos fructus exſuperantia; quod enim in illa ultra modum fructuum impenſum, refundendum à proprietario. *arg.* d. l. 7. §. 2. l. 30. §. 1. ff. *de legat. 3. Carpz. 1. Reſp.* 105.

TH. 13. Cauſa efficiens uſusfructus eſt duplex, (1) remota, ut lex, immediatè uſumfructum deferens. §. 1. *Inſt. per quas perſ. cuique acq.* (2) proxima eſt conventio contrahentium. §. 1. *Inſt. h. t.*

TH. 14 Materia in qua conſtituitur uſusfructus, eſt corpus aliquod mobile (a) movens, (b) vel immobile. (c)

(a) §. 2. *Inſt.* h. t. l. 7. l. 15. §. 1. l. 28. l. 41. ff. h. t.
(b) d. §. 2. *Inſt.* l. 25. l. 68. ff. h. t.
(c) d. §. 2. *Inſt.* h. t.

TH. 15. Forma, ut traditione, ſive patientia domini uſusfructus conſtituatur & acquiratur. l. 3. ff. h. t.

TH. 16. Finis & effectus, ut frui re aliena ad vitam tantum, & non ulterius liceat. §. 3. *Inſt. h. t.*

TITVLVS II.

De uſufructu accreſcendo.

TH. I. QVOMODO uſumfructum quis inter vivos, vel ultima voluntate conſtituere queat, & quomodo acquiratur, ſuperius enodavimus; perpendendum nunc, quomodo uſusfructus per ultimam voluntatem cuidam relictus, alteri, legatum quoque uſusfructus habenti, accreſcere & adjici poſſit. unde hic titulus cum ſequenti ad legatum uſusfructus refertur.

TH. 2. Ius accreſcendi eſt, cum duobus, aut pluribus conjunctis, altero deficiente, alteri pars deficientis adjicitur & accreſcit. l. 1. *pr.* h. t. §. 8. *Inſt. de legat.*

TH. 3. Si enim duobus, vel pluribus uſusfructus conjunctim ſit legatus, & unus vel alter portionem ſuam non agnoverit, ſed repudiaverit, tunc uſusfructus accreſcit ei, qui legatum agnovit; quod ex tacita teſtatoris voluntate elicitur, quia ille præſumitur voluiſſe, portionem deficientis conjuncto accreſcere, eo ipſo quod plures connexerit.

TH. 4 Ius accreſcendi eſt duplex, unum ex legis diſpoſitione, (a) & alterum ex voluntate hominis. (b)

(a) Illud non vult, hereditatem ſimul ex teſtamento deferri, & ab inteſtato, nemo enim pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus decedere poteſt, & hæc conjunctio dicitur legalis, ex qua in ſucceſſionibus ab inteſtato juri accreſcendi locus eſt, nec huc pertinet. l. *un.* §. 10. *verſ. in his itaque C. de caduc. toll.*

(b) Hoc ius accreſcendi vocatur conjunctio hominis, & huc ſpectat, eſtque triplex, realis, verbalis, & mixta. l. 142. ff. *de V. S.* l. 89. ff. *de legat.* 3.

TH. 5. Conjunctio realis eſt inter eos, quibus una, eademque res in ſpecie diverſis orationibus relinquitur. e. g. Titio uſumfructum fundi lego. Seïo eiuſdem fundi uſumfructum lego; utrique uſusfru-

ctus in ſolidum (a) eſt legatus, in quo legato, tam Seïus, quàm Titius re conjunguntur, licet verborum ſtructura disjungantur.

(a) *Solidum* dupliciter accipitur, [1] denotat, quod integrum, nec realiter, nec intellectu diviſum. l. 5. §. *ult. ff. commod.* [2] quod realiter non eſt diviſum, ut ſi quis totum corpus cum altero, pro indiviſo habeat, illudque in partes ſeparatas non dividat.

TH. 6. Conjunctio verbalis eſt inter eos, inter quos vnâ, eademque oratione res legata eſt diſtributa. e. g. Titio & Seïo uſumfructum æquis partibus (a) do, lego. §. 2 *Inſt. de legat.* d. l. 142.

(a) Partes hæ non corpore, & realiter, ſed intellectu tantum ſunt diviſæ; ſi enim corpore diviſæ eſſent, utique dimidiâ parte ſeparatim relictâ, nulla eſſet conjunctio. l. 34. *pr. ff. de legat.* 1.

TH. 7. Conjunctio mixta (a) eſt inter eos, quibus una, eademque res, partibus nullis expreſſis, in unâ, eademque oratione conjunctim legatur e. g. Titio & Seïo uſumfructum fundi Tuſculani do, lego.

(a) Ita dicitur quia re & verbis conjunctio fit; hîc enim verbalis conjunctio ſola non eſt, cum partes nullæ ſint expreſſæ, nec realis ſola; quia verbis iunguntur legatarij.

TH. 8. Hi mixtim legati ſimpliciter, & per excellentiam dicuntur conjuncti. *l. 89. ff. de legat. 3.* §. 8 *Inſt. de legat.* de quibus verè prædicari poteſt, quod ſinguli totum legatum ab initio habeant, ſc. ratione tituli, & quoad ſtructuram verborum, aſt ratione concurſus (a) faciunt partes, quod fit intuitu eventus, & non tituli. Contrarium obtinet in verbis tantum conjunctis, qui non ratione tituli, ſed ſaltem ratione eventus ſolidum habere cenſentur.

(a) Vox *concurſus* eſt æquivoca, ſignificat enim concurrere (1) uti iuris eſt, h. e. pro poſſe concurrere, vel (2) uti facti eſt, h. e. pro actu ipſo concurrere; *priori modo* ſtatim quis dicitur concurrere, ubi fuerit conjunctus, & poſt mortem teſtatoris legatum nondum repudiavit, tunc enim, teſtamento vires ſortiente, radicatur legatum in perſona utriuſque conjunctim, quatenus & in ignorantem legati, dominium tranſire, à mortis teſtatoris tempore dicitur. l. 27. §. 3. ff. *de legat.* 2. Poſteriori modo tunc concurrit, quando legatum agnoſcit, & inſtitutâ actione vindicat; quo caſu per concurſum, totum legatum conjunctim relictum, inter collegatarios, qui partes intellectuales tantum in re habebant, realiter dividitur.

TH. 9. Specialia circa ius accreſcendi in uſufructu ſunt ſequentia, [1] ſpeciale eſt uſuifructui, quod etiam poſt concurſum realem, diviſo

iam uſufructu, nihilominus pars ab altero poſtea amiſſa, non veniat ad proprietatis dominum, ſed ad collegatarium. l. 1. §. 3. ff. h. t. ſecus ſe res habet in proprietate legata, quæ ſaltem ab initio, antequam acquiritur, accreſcit, nunquam autem poſtea, ubi portio iam ſemel fuit acquiſita. d. l. 1. §. 3. *verſ. ſed in uſufr.* [2] ſpeciale eſt in uſufructu, quod uſusfructus accreſcat etiam illi, qui partem ſuam iam amiſit, vel alienavit. l. 10. ff. h. t. quod uſusfructus non rei, ſed perſonę cohęreat, eique accedat, ideo portio vacans non accreſcit portioni, ſed perſonæ. d. l. 10. l. 33. §. 1. ff. *de uſufr.*

TH. 10. Ius accreſcendi ceſſat, (1) quando initio ſolidum non eſt relictum, ſeu tota res conjunctim non legata; ſed unicuique uſusfructus partis rei eſt relictus. l. 7. ff. *de legat. 2. l. 1. pr. ff. h. t. l. 2. ff. quemadm. uſusfr. amitt. l.* 38. §. 2. *ff. de legat.* 3. (2) ceſſat, quando uſusfructus duobus eſt legatus alternis annis: hoc caſu, teſtator initio diviſit uſumfructum inter legatarios, ita ut conjuncti non ſint. l. 2. ff. *quib. mod. uſusfr. amitt.*

TH. 11. Singulare hic eſt, quod dies uſusfructus legati ab adita demum hereditate cedat.

TITVLVS III.

Quando dies uſusfructus legati cedat.

TH. 1. QVIBVS modis uſusfructus conſtituatur, ſupra notavimus; dicendum reſtat, quando conſtitutus acquiri poſſit.

TH. 2. Vſufructu legato dies eius cedit, h. e. incipit deberi (a) uſusfructus non à morte teſtatoris, ut reliqua legata, (b) ſed ab aditâ demum hereditate. (c)

(a) l. 213. ff. *de V. S.* unde legatum cedere, eſt legatario deferri, ſeu legatum ad eum pertinere.

(b) l. 5. §. 1. ff. *quando dies legator.* hæc enim ad heredes ſunt tranſmiſſibilia. Contra uſusfructus, uſus & habitatio non ſunt tranſmiſſibiles. l. 3. & 9. ff. *quando dies legat.* quia perſonæ legatarij ita adhærent, ut cum illo extinguantur. l. 2. 3. ff. *eod.*

(c) l. *un.* §. 2. ff. h. t. l. 2. ff. *quando dies legat.* putà ſi uſusfructus iure ſit legatus; quando veró ex die legatus, non antę cedit, licet adita fuerit hereditas, quàm dies venerit. d. l. *un.* § 3. ff. h. t. aſt ſi in dies ſingulos, in menſes & annos, uſusfructus ſit legatus; tunc uſusfructus cedit per certa tempora, cum non unum, ſed plura ſint legata. l. 22. *pr.* C. *de caduc. toll.* E. uſusfructus non cedit ſimul, ſed per ſingulos annos, menſes, &c.

TH. 3. In hiſce legatis ideo dies non ſtatim à morte teſtatoris cedit, ne, mortuo uſufructuario, ante diei adventum, obligatio ſemel nata (quæ non nata eſt) veniat ad heredem, quod contra uſusfructus naturam, l. 3. ff. *quand. dies legat.* nam ante diei exiſtentiam nihil debetur, proinde nulla obligatio, exque obligatione actio ei competit.

TH. 4. Ex adverſo, quando fundus legatur, actio jam nata eſt, & diei adjectio non ceſſioni, ſed petitioni moram facit; hinc legata eiuſmodi, moriente teſtatore, ad heredes tranſmittuntur. l. 21. §. *item* ff. *quand. dies legat.*

TH. 5. Dies in legatis cedere dicitur reſpectu trium effectuum. [1] quoad transmiſſionem, l. 1. ff. *quand. dies legat.* [2] quoad obligationem, l. 213. ff. *de* V. S. Vbi dicitur cedere diem, eſt incipere deberi [3] quoad tranſlationem dominij, de quo infra ad tit. ff. *quand. dies legat. vel fideic.*

TITVLVS IV.

Quibus modis vſusfructus, vel uſus amittitur.

TH. 1. NE per omnia proprietates rerum ſint inutiles, abſcedente ſemper uſufructu, ideo ab Imperatore ſalubriter eſt conſtitutum, ſervitutes uſusfructus certis modis extingui. §. *uſusfructus Inſt. de uſufr.* l. 3. l. 5. 6. ff. *eod.*

TH. 2. Acquiſitus uſusfructus amittitur, ſive finitur [1] morte, (a) [2] capitis diminutione, (b) [3] interitu, (c) [4] ceſſione, (d) [5] conſolidatione, (e) [6] non utendo, (f) & [7] tempore. (g)

(a) Morte ſc. uſufructuarij naturali, quia uſusfructus eius perſonæ cohæret & contra uſusfructus naturam eſt, ut ad heredem tranſmittatur, l. 3. §. *fin.* ff. h. t. § 3. *Inſt. de vſufr.* Excipe niſi expreſsè actum, ut ad primos non verò ulteriores heredes tranſeat. l. 14. C. *de uſufr.* l. 36. §. 1. ff. *eod.*

(b) Puta maxima, & media, d. § 3. & l. 1. ff. h. t. etiam minima de jure veteri. l. 1. §. 3. ff. h. t. ut emancipatione & arrogatione, l. 82. §. 2. ff. *de legat.* 2. l 8. ff. *de ann. legat.* ratio eſt, quia, dumper illam mutatur perſona, conſequentiâ quadam uſusfructus quoque perſonæ cohærens mutatur. Iure novo minima hic non attenditur. l. *pen*, C. *de uſufr.* ſed reliqua duo genera, propter quæ huius iuris fit incapax.

(c) Interitu *rei totius*, e. g. ſi ædes incendio conſumptæ, vel terræ motu, aut vitio corruerint, §. 3. *Inſt. de uſufr.* Speciale eſt in uſufructu, quod is reſtitutâ domo collapſa non redintegretur, ff. h. t. l. 36. ff. *de uſufr*, con-

trarium in ſervitutibus realibus obtinet, quæ reſtituuntur. l. 20. §. 2. ff. *de ſerv.* V. P.

(d) Videlicet domino facta, qua id agitur, ut omne ius ab uſufructuario, ſive cedente abeat in dominum, cui creditur, ceſſio eſt ſpecies alienationis. Ceſſio autem iſta in extraneum, proprietatem non habentem fieri planè nequit, (intellige quoad ius uſusfructus perſonale, non verò quoad reale, quod poteſt) quia perſonæ cohæret uſusfructus, l. 15. ff. *famil. erciſc.* d. §. 3. *Inſt.*

(e) Quando uſufructuarius ſibi proprietatem acquirit, d. §. 3. ff. h. t. l. 4. ff. *uſufruct. quemad. caveat*, quo caſu uſusfructus amplius ſervitus appellari non poteſt, quia res ſua nemini ſervit.

(f) & vel ob ſolam negligentiam, per tempus definitum; *jure* quidem veteri, ſi res immobilis erat in uſumfructum data, biennio, ſi mobilis anno, l. *pen.* C. *de uſufr.* iure novo, ex Iuſtiniani Imp. conſtitutione indiſtinctè, ſi uſufructuarius in eadem provincia præſens, decennio; ſi abſens vicennio amittitur, ſive res mobilis, ſive immobilis ſit, d. l. *pen.* §. 2. Nota. Non ſolum uſusfructus amittitur, ſi quis tota re per definitum tempus non uſus fuerit, ſed ſi ex parte aliqua non uſus ſit, quoad partem ipſam fit uſusfructus amiſſio, l. 14. & 24. ff. h. t.

(g) Si tempus, ad quod uſusfructus erat legatus, ſit elapſum.

TH. 3. Quæritur, utrum fructus ultimi anni ſint uſufructuarij, an verò proprietarij? Reſp. diſting. inter fructus ultimi anni naturales & civiles. Naturales, vel percepti ab uſufructuario, vel non ſunt percepti, §. 37. *Inſt. de* R. D. Perceptos ad heredes tranſmittit, ſive illi naturales ſint in ſpecie ſic dicti, ſive induſtriales, l. 13. ff. h. t. Contra nondum percepti ad proprietarium pertinent, propter rationem, l. 44. ff. *de* R. V. quales ſunt [1] ab alio ſeparati, [2] pendentes, [3] ſati & occati, l. 58. ff. *de uſufr.* Neque hoc videtur iniquum, licet in theſi æquum ſit, ut hæres uſufructuarij impenſas, quas uſufructuarius in fundo fecit, conſequatur; attamen hic illud fallit, eam ob rationem, quoniam ex adverſo fructus illi, qui ſunt tempore, quo dies uſusfructus legati cedit, pendentes & maturi ad fructuarium pertinent, l. 27. *pr.* ff. *de uſufr.* Contrarium obſervat ius Saxonicum, quod non inſpicit, utrum fructuarius perceperit fructus, vel non, ſed ſolius culturæ rationem attendit, [2] civiles fructus quod attinet, ſunt uſuræ, penſiones, cenſus, reditus, quæ omnia pro rata temporis ad heredem uſufructuarij pertinent.

TH. 4. Quæritur, an uſusfructus extraneo cedi poſſit? Reſp. diſting. inter ius uſusfructus perſonale, & reale; illud non poteſt, cum oſſibus fructuarij inhæreat, *arg.* l. 3. C. *de Novat.* hoc verò poteſt, quod ſolum in utendo fruendo conſiſtit, l. 66. ff. de iure dot. quia hoc

ius perceptionis, ſive commoditas illa percipiendi qſ. extra perſonam uſufructuarij conſiſtit; ideo non inconvenienter ad alium per locationem, vel oppignerationem transferri iure permittitur, l. 11. §. 2. ff. *de pign.* l. 8. pr. ff. *de auctor. iudic. poſſ.* l. 12. §. 2. l. 36. 39. 67. ff. *de uſufr.* ita tamen, ut uſufructuarius maneat ille, qui transfert, quouſque vivit, eoque mortuo ceſſionarius deſinat percipere commoditatem utendi fruendi; ſoluto enim iure datoris, ſolvitur & ius acceptoris, l. 31. ff. *de pignor.*

TITVLVS V.

De uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur, vel minuuntur.

TH. I. VSVMFRVCTVM proprium, qui eſt rerum, quæ uſu non conſumuntur, conſideravimus. Sequitur iam qſ. uſusfructus, qui eſt rerum, quæ uſu conſumuntur. *rubr.* h. t. quæ ſunt objectum huius uſusfructus.

TH. 2. Olim res quæ uſu conſumi poterant, ut vinum, oleum, frumentum, pecunia, uſumfructum non admittebant, nec inter vivos, nec per ultimam voluntatem teſtamento; [1] non inter vivos, quia tunc revera mutuum contrahitur, quod ab uſufructu differt; [2] non teſtamento, quia dum res illæ uſu abſumuntur, proprietas ſalva manere nequit, aut ab uſufructu ſeparari non poteſt, quæ duo, ſc. ut proprietas ſalva maneat, & uſusfructus à proprietate ſeparari queat, in omni verò uſufructu requiruntur. Interim cum teſtamento nonnunquam eiuſmodi qſ. uſusfructus fiebat, Sc̃to fuit confirmatus, quatenus teſtamento, non verò quatenus inter vivos fieret, ne in mutuum incidat. l. 1. ff. h. t.

TH. 3. Ad hunc qſ. uſumfructum conſtituendum cautio erat neceſſaria, dum uſufructuarius re, quæ uſu conſumitur, vel minuitur, utens promittit, ſe idem genere, quantitate & qualitate, finito uſufructu reſtituturum, aut etiam eius æſtimationem, l. 1. 2. 7. *& ult.* ff. h. t. §. 2. *Inſt. de uſufr.*

TH. 4. Hic qſ. uſusfructus eſt ius utendi fruendi re, quæ uſu conſumitur, vel minuitur; competens ei, qui cautionem de re in eadem bonitate reſtituendi præſtitit. *arg.* §. 2. I. *de uſusfr.* l. 1. ff. h. t.

TH. 5. Ex antecedentibus conſtat, quod non ſaltem res fungibiles, quorum uſus conſiſtit in momentaneo, vel celeri abuſu, ſed & ve-

ſtimenta & ſimilia, quæ non ſtatim, ſed paulatim, & cum tractu temporis aliquo atteruntur, & imminuuntur, intelligantur, modo ut quantitas, h. e. finito uſufructu, non reddatur eadem ſpecies, ſed quantitas, puta alia veſtimenta eiuſdem generis, & bonitatis legentur. l. 15. §. 4. ff. *de uſufruct.* §. 2. *Verſ. veſtimenta, Inſt. de uſufr.*

TH. 6. Non modò qſ. uſusfructus, verùm & proprius conſtitui poteſt uſusfructus in veſtimentis, ſi non ſicut quantitatis, ſeu ut æſtimatio eius reſtituatur, ſed ſicut corporis, h. e. in ſpecie reſtituendi, uſusfructus concedatur, l. 6. ff. de R. V. l. 5. §. 8. ff. *commod.* l. 85. ff. *de legat.* 3. Vt ſi veſtes pretioſiores, ſcenicæ, lugubres &c. ob rariorem uſum notabiliter ab uſufructnario non atteruntur, l. 15. §. 4. & 5. ff. *de uſufr.* l. 5. §. 10. ff. *commod.* quamvis enim hæc longiſſimo quoque uſu atterantur, tamen unius uſufructuarij rarior uſus illa vix notabiliter atteret; attritio verò, quæ ſenſim ac latenter fit, ſi plures diuturniori tempore utantur, proprio uſufructui non officiet; quia attritio præcedentis, aut ſequentis non eſt conſideranda ſimul cum præſentis uſufructuarij attritione, nec huiuſmodi modica attritio eſt attendenda, quæ rem non conſumit, vel minuit. l. 9. §. 3. ff. *uſufr. quemad. cav.*

TH. 7. Differentia inter verum, & qſ. uſufructum in eo eſt poſita, quod hic tantum fructuarij morte, vel capitis diminutione extinguatur, l. 7. ff. *uſufr. quemad. cav.* reliqui proprij uſusfructus finiendi modi huc aptari nequeunt, quia in talem uſufructuarium dominium plenè tranſit, cum non rem in ſpecie, ſed in genere eiuſdem bonitatis & qualitatis reſtituere obligetur. d. l. 7.

TITVLVS VI.

Si uſusfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur.

TH. 1. EXPOSITA uſufructus naturà, eiuſque requiſitis; actiones inde deſcendentes perpendere neceſſe eſt; quibus, contra quos, & ad quid dentur.

TH. 2. Omnibus ſervitutibus eſt commune, quod duplex ex ijs oriatur actio, [1] confeſſoria, & [2] negatoria; vel enim ſervitus vindicatur ab illo, qui eandem ſibi deberi confitetur; unde prior; vel negatur ab illo, qui prædium ſuum liberum eſſe contendit; unde actio poſterior. *rubr.* & l. 1. ff. h. t.

TH. 3. Actio confeſſoria eſt actio in rem, (a) qua ille, qui agit, ius quod

quod ſibi adeſt, confitetur. (b)

(a) Quia eſt [1] ex iure reali, [2] ratione rei competit, & [3] dicitur vindicatio ſervitutis. l. 9. ff. *de nov. oper. nunc.* §. 2. *Inſt. de act.*

(b) Aſſerit namque, uſumfructum ſibi iure deberi. l. 2. l. 5. §. 1. ff. h. t.

TH. 4. Actio hæc confeſſoria, propriè non poteſt dici rei vindicatio, ſi quidem formaliter ab illa differt, hæc enim datur pro re corporali petenda, §. 1. *Inſt. de act.* t. t. ff. *de* R. V. illa verò non competit pro re corporali, ſed iure vindicando, quod non res, ſed rei qualitas. l. 3. C. *de præſcript.* 30. *ann.* l. 36. ff. *de* V. S.

TH. 5. Actio hæc ufructuario ob uſusfructus conſtitutionem (quæ huius actionis eſt cauſa) datur. l. 5. pr. ff. h. t.

TH. 6. Actio confeſſoria datur non modò contra dominum, qui ſervitutem debet, ſed contra quemvis poſſeſſorem, vel eum, qui quovis modo uſumfructum impedit, ſeu non patitur uti frui. l. 1. l. 5. §. 7. l. *ult.* ff. h. t. l. 10. §. 1. ff. *ſi ſervit. vind.*

TH. 7. Actione confeſſoriâ petit quis, ut iudex declaret, uſumfructum ſibi competere, l. 5. §. *ult.* ff. h. t. & ut condemnet adverſarium, ut rem, ſi ipſe poſſideat, reſtituat cum omni cauſa, d. l. 5. §. 5. aut ſi non poſſideat, ut caveat, ſe impoſterum uſufructuarium non impediturum. l. 7. l. 12. ff. *ſi ſervit. vind.* c. *fin. Extr. de reſtit. ſpoliat.*

TH. 8. Actioni huic opponitur actio negatoria, quæ eſt actio in rem, qua dominus prædij libertatem aſſerit, negatque uſumfructum, quem quis indebitè uſurpat. §. 2. *Inſt. de act.*

TH. 9. Negatoria hæc actio in ſolis ſervitutibus locum habet, E. in rei vindicatione non obtinet, d. §. 2. hæc enim datur ſolummodo non poſſidenti, d. §. 2. quia poſſidenti ſufficere debet, quod poſſideat rem. l. 1. §. 6. ff. *uti poſſid.* illa verò, ſc. actio negatoria, ſive vindicatio ſervitutum datur tam non poſſidenti, quam poſſidenti; illi, ſi deiectus huic, ſi turbatus. l. 6. §. 1. ff. *ſi ſervit. vind.* l. 5. §. f. ff. h. t.

TH. 10. Actio hæc datur domino etiam poſſidenti, ob prædij libertatem. Ideo non tenetur, in prædio ſuo aliquid pati, aut alteri concedere. l. 5. pr. §. f. ff. h. t. l. 8. C. *de ſervit.* l. 9. §. 2. ff. *de damn. infect.*

TH. 11. Actio negatoria datur adverſus uſumfructum ſibi arrogantem, & quemvis alium, qui dominum prædij in libertate impedit. l. 10. *in fin.* ff. *ſi ſervit. vind.* l. 5. §. *ult. in fin.* ff. h. t.

TH. 12. Actione hac negatoriâ petit actor, ſive dominus, ut iudex declaret, prædium ſuum ab uſufructu eſſe liberum, iubeatque adverſarium præſtare cautionem, ne impoſterum ullum ſervitutis ius uſur-

pet, vel uſurpare prætendat; & quanti intereſt, præterito tempore, non fuiſſe uſurpatum, ut id ſibi reſarciat, fructuſque, ſi poſſederit, reſtituat. d. l. 5. §. ult. ff. h. t. l. 4. §. *pen.* ff. *ſi ſervit. vind.*

TH. 13. Dominus actionem negatoriam inſtituens non tenetur probare, rem ſuam eſſe ab uſufructu liberam, & non ſervire; quia quodlibet prędium in naturali ſua libertate conſtitutum tamdiu præſumitur, donec contrarium probetur. Ideo ſufficit dixiſſe, ſe eſſe dominum, vel oſtendiſſe, ſe proprietatem rei unà cum uſufructu poſſidere. *Mynſing.* 1. *obſ.* 19.

TITVLVS VII.

De operis ſervorum.

TH. I. CVM uſufructu non ſimpliciter, ſed ſecundum quid comparantur operæ ſervorum, l. 3. l. 5. ff. h. t. quæ in actu, h. e. miniſterio & officio conſiſtunt. l. 1. ff. h. t.

TH. 2. Hæ ſervorum operæ ſunt ſervitus perſonalis, qua omnem utilitatem ex operis ſervorum alienorum quis percipit. l. 1. ff. h. t.

TH. 3. Illa utilitatis perceptio ex ſervorum alienorum operis non eſt propriè uſusfructus, ſed qſ. uſusfr. quia [1] uſusfructus ſervi eſt iuris, operæ v. ſervi ſunt facti, h. e. eiuſmodi operæ in actione hominum conſiſtunt, nec priùs in rerum natura ſunt, quam ab ijs præſtantur, l. 9. ff. *de oper. libert.* [2] ille eſt plenior, omneque illud ad uſufructuarium ſpectat, quod ex re uſufructuaria pervenit, hic verò reſtrictior, illud tantum continens, quod ex operis ſervorum (quæ vel inter vivos, vel ultima voluntate conſtituuntur) acquiri poteſt. l. 1. §. 9. ff. *ad L. Falcid.* l. 1. & 4. ff. h. t.

TH. 4. Quoniam ſervorum operæ perſonis eorum inhærent; idcirco ſervitus hæc non morte illius, cui debetur, nec capitis diminutione amittitur, l. 2. ff. h. t. l. 2. ff. *de uſufr. legat.* Hinc quamvis quid accidat in perſona, cui debetur hæc ſervitus, ea nihilominus ſubſiſtit: contrarium in uſufructu obtinet, l. *un.* ff. *quand. dies uſufr.*

TITVLVS VIII.

De uſu & habitatione.

TH. I. PRIMAM ſervitutum perſonalium ſpeciem, puta uſumfructum perſpeximus, progrediamur itaque ad reliquas duas, uſum ſc. & habitationem, quæ ſpecies non uſque adeo plenæ, ut antecedens, hæc enim virtualiter reliquas continet. l. 1. ff. h. t.

TH. 2. Vſus eſt ſervitus perſonalis, qua uſuarius ex re aliena commodum tantum ad neceſſitates ſuas percipit, ſalva tamen rei ſubſtantia, l. 1. l. 19. 21. ff. h. t. §. 1. *Inſt. eod.*

TH. 3. Vſus quædam cum uſufructu habet communia, (a) quædam propria. (b)

(a) Vt ratione conſtiturionis & amiſſionis, quod ijſdem modis conſtituatur & amittatur, quibus uſusfructus, & quod uterque ſit perſonalis; h. e. perſonam non egrediatur.

(b) Ratione uſurpationis, in quo maximè ab uſufructu differt, in hoc enim omnis rei utilitas complexa eſt, in illo non item, ſed ea tantum quæ ad neceſſitatem, & vitæ ſubſidia pertinent: quapropter ſi pecorum, vel ovium uſus ſit legatus, tunc nec lac, nec agni, nec lana ad uſuarium pertinent. §. 4. *Inſt.* h. t. Tantum tamen ex iſtis fructibus ſumere poteſt, quantum ad quotidianum & neceſſarium, uſum habet opus, l. 12. §. 2. ff. h. t. pecoribus his ad agrum ſtercorandum ei uti licet. §. 4. *Inſt.* h. t.

TH. 4. Vnde conſtat uſum non omne omnino continere emolumentum, quòd quoquo modo ex re percipi poteſt, ſed tantum, quantum ad victum utenti, cui uſus eſt conſtitutus, eſt opus. Æſtimatur autem uſus ex dignitate & conditione perſonæ uſuarij. l. 12. §. 4. ff. h. t.

TH. 5. Habitatio eſt ſervitus perſonalis, qua ædes alienas inhabitare licet. §. 5. *Inſt.* h. t.

TH. 6. Habitatio differt ab uſufructu, hic enim omnem ædium utilitatem comprehendit; h. e. quicquid ex ædibus ulla ratione, etiam tabernis, locis ſubterraneis, & ſimilibus percipi poteſt; illa verò commodum ſaltem inhabitandi. E. uſu ædium legato, ædes uſuarius alteri locare, aut concedere habitationem ſine ſe nequit, l. 8. & 10. ff. h. t. Sed ipſi cum conjuge, familia & parentibus inhabitare ædes tantum permiſſum cenſetur; inquilinum quoque, qui cum ipſo cohabitat, recipere poteſt, l. 2. 4. *pr.* & l. 8. ff. h. t. Interdum tamen ædes ad

uſuarij commodum relictas locare poteſt, ſi colligi poſſit, concedentem hoc voluiſſe, aut ex legatarij conditione, ſi forſan aliàs uſuarius nullum inde commodum percipere queat. l. *pen.* §. 1. ff. h. t. l. 13. C. *de uſufr. & habit.*

TH. 7. Habitatio finitur morte eius, cui eſt conceſſa, non verò per non uſum, l. 10. pr. ff. h. t. aut per capitis diminutionem, l. 10. ff. *de capit. minut.* ratio eſt, cum tale legatum in facto potius, quàm in iure conſiſtat. d. l. 10. ff. *de capit. minut.*

TITVLVS IX.

Vſufructuarius quemadmodum caveat.

TH. 1. OMNIBVS ſervitutum perſonalium ſpeciebus, tam plenis, ut uſufructui, quam minus plenis, ſervitutibus perſonalibus, ut uſui & habitationi eſt commune, quod à parte acquirentis ſervitutem requiratur cautio. l. 5. §. 1. *&* 2. ff. h. t.

TH. 2. Cautionem illam præſtat uſufructuarius, vel uſuarius, &c. proprietario, l. 8. ff. h. t. datis fideiuſſoribus. *arg.* l. 5. §. 1. ff. l. 13. *pr.* ff. *de uſufr.* l. 4. C. *eod.*

TH. 3. Cautione iſta promittit uſufructuarius, (1) ſe re uſurum boni viri arbitratu, h. e. ſe cauſam uſusfructus deteriorem non facturum, omniaque facturum, quæ in re ſua faceret, l. 1. *pr.* §. 3. §. 6. ff. h. t. & (2) cum uſusfructus ad eum pertinere deſinet, ſe reſtituturum, quod inde exſtabit.

TH. 4. Hinc ſi res per uſufructuarij negligentiam interierit, tenetur rei in uſumfructum datæ æſtimationem præſtare. l. 1. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 5. In qſ. uſufructu cavet uſufructuarius, ſe rem in eodem genere, non verò in ſpecie reſtituturum, aut ſi rem ipſam reſtituere in genere nolit, eius æſtimationem finito uſufructu ſolvere obligatur. §. 2. *Inſt. de uſufr.*

TH. 6. Aſt ſi uſufructuarius ex inopia, nec fideiuſſores, nec pignora habere poſſit, quæritur utrum ad juratoriam cautionem ſit admittendus? Reſp. diſting. inter eum, qui eſt bonæ vitæ, & bona poſſidet, & eum, qui talis non eſt. Priori caſu ad juratoriam cautionem admittendus eſt. l. 1. §. 2. C. *de aſſert. toll.* Poſteriori caſu, reſtricto iure, ſi proprietarius cautionem remittere nolit, privatio uſufructus locum habet, quia talis cautionem idoneam præſtare nequit, *arg.* §. 2. *Inſt. de uſufr.* Miſſo iſto iuris rigore benignius & æquius eſt, ut dominus

proprietatis prædium ad ſe recipiat, & uſufructario, loco uſusfructus, aliquid ſolvat. *Mynſ. 6. obſ.* 48.

TH. 7. Non poteſt melius & accuratius cognoſci, utrum fructuarius rem fecerit pejorem, poſtquam ea frui incepit, & finito uſufructu reddidit, necne. Si videlicet rem uſufructuariam, ſive bona iſta, quorum uſumfructum habet, in inventario ſtatim conſignaverit. l. 1. § 4. ff. h. t. contra ſi nullum factum ſit inventarium, heredi ab uſufructuario reſtituendum eſt, quod probari poteſt, in uſumfructum eſſe datum. Interdum & iurata ſpecificatio à poſſeſſore erit danda. *Carpz. p. 2. conſt.* 10.

TH. 8. Cautionem hanc neceſſariò præſtare tenetur uſufructuarius, ſi exigatur. *l.* 13. *pr.* §. 1. *&* 2. *ff. de uſufr. l.* 7. *pr. l.* 9. §. 1. *l.* 11. *ff. h. t.* E. ſi eam præſtare nolit, non prius fructus, quos percipit, facit ſuos, quam cautionem præſtiterit. *arg.* l. 1. §. 2. ff. *ut in poſſ. leg. ſerv.* ſemper enim uſumfructum petenti objicitur exceptio, quod prius ſatisdare debeat. Nota. Cautio hæc non eſt de uſusfructus eſſentia, ideo ſi non exigatur, omitti poteſt, & datur actio L. Aquiliæ furti. l. 13. §. 2. ff. *de uſufr.* & finito uſufructu rei vindicatio. l. 3. §. *ult. l.* 7. *pr. & l. ult. ff. h. t.*

TH. 9. Ex cautione prædicta deſcendit actio ex ſtipulatu, quæ datur domino proprietatis (vel eius heredi) qui ſtipulatus eſt, contra uſufructuarium (ſi ipſe pignus dedit, vel iuravit,) vel fidejuſſorem eius, [1] ad æſtimationem eius, in quo uſufructuarius cauſam uſusfructus, aut rem fecit deteriorem, [2] ad reſtitutionem rei, uſufructu finito. *arg.* l. 1. §. 6. ff. h. t.

TH. 10. Quæritur, an teſtator uſumfructum legans, poſſit remittere fructuario cautionem? Reſp. negand. per *l.* 7. *C. ut in poſſeſſ. legator.* quia remiſſa hac ſatisdatione anſa præberetur uſufructuario, damnum rei alienæ inferendi, quod fieri non licet. *arg. l.* 27. §. 3. ff. *de pact.*

TH. 11. Cautionem hanc fructuariam leges remittunt Patri fructuario, ratione bonorum adventitiorum. l. 6. §. 2. C. *de bon. quæ liber.* *Carpz. p. 2. conſt.* 11. *defin.* 5.

LIBER OCTAVVS

TITVLVS PRIMVS.

De Servitutibus.

Iung. tit. 34. lib. 3. C. h. t.

TH. I. SERVITVTES perſonales excipiuntur à realibus, ſive prædialibus, quæ à prædijs, quibus inhęrent, vel quibus debentur, nomen mutuant; unde etiam nonnunquam vocantur ſervitutes rerum, vel prædiorum. Hæ ſervitutes propriè & abſolutè ita appellantur, ut ex inſcriptione hujus tituli, *& l. 8. ff. h. t.* liquet.

TH. 2. Servitus realis eſt privatio libertatis prædij (a) alieni, (b) ad prædij dominantis (c) utilitatem (d) introducta.

(a) Contra, libertatem prædij habet, qui in eo ex libero arbitrio aliquid facere, vel non facere, pati, vel non pati poteſt. l. *quoties.* ff. h. t. hic obſervari oportet, naturale, & non ſubſtantiale eſſe, quod l. 15. §. 1. ff. h. t. dicitur, ſervitute in eo conſiſtere, ut quis patiatur, vel non faciat, non verò, ut faciat, ob rationes ſeqq. [1] quia ſervitus altius tollendi revera eſt ſervitus, per quam tamen quis tenetur aliquando facere, ædificare. l. *2. pr. ff. de S.V.P. §. æquè 2. Inſt. de action.* [2] quia debens ſervitutem oneris ferendi, cogitur non modo pati, ut ædificium meum in eius pariete recumbat, ſed & parietem illum, aut columnam reficere, collapſamque reſtituere teneatur. l. 33. ff. *de S.P.V.* [3] quod pacto poſſit induci, quo aliquid in ſervitute fiat, neque hoc eſt contra ſervitutum genera. l. 8. §. 2. ff. *ſi ſervit. vindic. Subſtantialia* ſervitutum in eo conſiſtunt, [1] ut prædio præſtent utilitatem. d. l. 15. pr. [2] non ſint ſine prædio. l. 1. §. 1. ff. *comm. præd.* [3] cauſam habeant continuam, ſive perpetuam.

(b) In proprio enim prædio ſervitus à domino conſtitui haud poteſt, quia nemini res propria ſervit. l. 26. ff. *de ſervit. urb. præd. l. 5. ff. ſi uſufr. petatur.*

(c) In ſervitutibus realibus duo requiruntur prædia, alterum dominans, alterum ſerviens, quorum hoc dominanti utilitatem & ſervitutem præſtare

debet; ſicut enim eſt dominus ſupra ſervum, ita & prædium dominans ſupra prædium ſerviens.

(d) Quod enim prædio dominanti utile eſſe non poteſt, de eo ſervitus prædialis conſtitui nequit. e. g. ſi ſtipuler, ne per fundum tuum eas, aut ibi conſiſtas, aut mihi concedas, ius tibi non eſſe, illo fundo uti frui, nihil agitur. d. l. *quoties in pr.* ff. h. t. unde conſtat ſervitutem ad voluptatem conſtitui non poſſe, ut ſpatiari in alieno fundo, cœnare, &c. Nota. Prædio dominanti debet eſſe utilis ſervitus actu, vel potentia, in theſi, h. e. potentia ſemper debet eſſe utilis, quamvis non in hypotheſi, ratione circumſtantiarum, quod ex accidenti fieri poteſt. *arg.* l. 7. §. 1. ff. h. t. l. *pen. ff. de ſervit.* l. 55. ff. *de uſufr.*

TH. 3. Servitutes reales inhærent prædijs, ut qualitates, unde ſervitutes non ſunt in bonis, nec extra bona, per ſe enim non ſubſiſtunt, ſed prædium, cui adhærent, ſequuntur, ſuntque qualitates jure circa bona productæ, & nobis, ratione bonorum, iure competentes. E. ſine prædijs eiuſmodi ſervitutes conſtitui non poſſunt. l. 15. ff. h. t. l. 1. §. 1. ff. *comm. præd.*

TH. 4. Non ineptè hîc quadrat, quod Cicero in Topic. ſcribit, definitionum duo eſſe genera, unum earum rerum quæ ſunt, (a) alterum earum, quæ non ſunt. (b)

(a) Illa ſunt, quæ cerni tangique poſſunt, ut fundus, ędes, parietes, navis, homo, mancipium, oves, boves, &c.

(a) Hæc ſunt, quæ realiter cerni, tangi aut oſtendi non poſſunt; cerni tamen animo, atque intelligi poſſunt. e. g. ſi uſucapionem, agnationem, poſtliminium, tutelam, vel ſervitutem definias, quarum rerum nullum ſubeſt qſ. corpus, eſt tamen quædam conformatio inſignita, & impreſſa intelligentia, quam notionem voco.

TH. 5. Servitus realis eſt prædiorum urbanorum, (a) vel ruſticorum. (b)

(a) Prædium urbanum eſt, quod uſum habet urbanum, qui uſus inhabitando, recreando, mercando, &c. conſiſtit.

(b) Prædium ruſticum eſt, cuius uſus eſt ruſticus, qui uſus in fructus colligendo, agros colendo, pecora recipiendo conſiſtit. l. 16. C. *de præd. minor.*

TH. 6. Vrbanum prædium, vel ruſticum non locus, ſed materia facit. l. 198. ff. *de V. S.* hinc conſtat, omnia illa prædia, quæ in urbe ſunt, quoad locum eſſe urbana; contra quæ ruri, quoad locum eſſe ruſtica; aſt ratione uſus & qualitatis, illud eſt urbanum, quod uſum præbet urbanum, ſive in urbe, ſive ruri poſitum; & illud ruſticum, ſive in urbe, ſive ruri ſitum, quod uſum præbet ruſticum. Si itaque prædium

aliquod in urbe poſitum, uſum præbeat rureſtrem, rectè vocatur ruſticum, & vice verſa.

TH. 7. Servitus alia eſt dividua, (a) alia individua. (b)

(a) Solus uſusfructus dividi poteſt, quia in ſe continet utilitatem, ex fructibus perceptam, quæ facilè diviſionem admittit.

(b) Vt reliquæ omnes ſervitutes, quæ tantùm in commodo neceſſitatis conſiſtunt, his enim ſervitutibus utimur integris. Ideo via pro parte legari, vel adimi non poteſt. l. 11. ff. h. t. uſufructu verò pro parte; imò nunquam ſimul utimur toto. l. 1. §. 9. ff. *ad L. Falcid. Bachov. ad Treutl. tit. de uſufr.*

TH. 8. Cauſa efficiens ſervitutis eſt contrahentium conſenſus, dominus enim prædij ſervientis ſervitutem in ſuo prædio concedere debet domino prædij dominantis. l. 1. l. 6. *pr.* l. 8. ff. *commun. præd.*

TH. 9. Materia, ſive ſubjectum in quo exiſtunt ſervitutes, ſunt prædia aliena, quorum vel in ſolo conſiſtunt, ut ſervitutes ruſticorum prædiorum, vel in ſuperficie, id eſt, in eo, quòd ſolo ſuſtinetur, e.g. ædibus, ut pleraque ſunt urbanorum prædiorum. l. 3. ff. h. t. item vel in toto fundo, vel qualibet eius parte conſtitui poteſt. l. 6 ff. h. t. in qua æquè tota ſervitus retinetur, ac ſi in toto fundo eſſet conſtituta.

TH. 10. Forma ſervitutis conſtituendæ in eius promiſſione, conſtitutione, & acquiſitione conſiſtit. Licet promiſſio & conſtitutio in ſervitute perſonali ſint diſtinctæ, non ſui naturâ tantum, ſed & tempore atque actu; hîc tamen in ſervitutis realis conceſſione & tranſlatione concurrunt. Conceditur ſervitus, vel facto iudicis, vel privati; facto judicis in judicijs diviſorijs. l. 22. §. 3. ff. *famil. erciſc.* ut ſi quis fundum confinibus undique prædijs non ſervientibus circumdatum habeat, eumque adire nequeat, tunc compellet iudex proximum confinem, ut aditum concedat. l. *pen. de S. V. P.* l. 15. §. 1. ff. *de uſu & uſufr. legat. arg. l. pen. ff. ſi ſervit. vind. l.* 44. §. *fin. ff. de legat. 1.* [2] Facto privati, h. e. voluntate concedentis per promiſſionem, conſtitutionem, & acquiſitionem. Hæc enim tria facta, ſive actus etiam in ſe, & ſui natura diſtincti ſunt, quamvis duo priora hic concurrant.

TH. 11. Promittitur, vel inter vivos, per conventionem pactis, ſc. & ſtipulationibus, vel ultima voluntate: utrumque vel purè, vel non purè, ſive ſub cõditione, (e.g. ſi futuro ędificio promittatur ſervitus, ſi aquam quærere liceat, & inventam ducere) ex die, ſive tempore, vel ad diem, ſive tempus. *arg.* l. 4. ff. h. t. l. 98. ff. *de V. S.* l. 23. §. 1. ff. *de S. V. P.* l. 10. l. 33. §. 1. ff. *de S. R. P.* l. 25. §. 11. ff. *famil. erciſc.*

TH. 12. Promiſſa ſervitus conſtituitur per patientiam, quæ hic loco traditionis

traditionis eſt. l. *ult.* ff. h. t. l. 11. §. 1. ff. *de publ. in rem act.* ex hac ſervitutis promiſſione purè facta oritur actio realis confeſſoria, atque ſic promiſſio, & conſtitutio tempore, & actu concurrunt, quia promittens ſervitutem, eo ipſo patitur aliquid fieri, aut non facit, ideoque eo ipſo ſervitutem conſtituit. d. l. *fin.* ff. h. t. ubi verò promiſſio ſub conditione, vel in diem facta eſt, non ſtatim oritur actio realis, ſed tantum obligatio, & actio perſonalis ad ſervitutem per patientiam conſtituendam, aſt exiſtente conditione, vel veniente die, confeſſoria actio, & ius in re naſcitur. l. 25. §. 10. 11. ff. *famil. erciſc.* l. 3. §. 2. ff. *act. empt.* E. ſi quis in tali caſu ſervitutem ſtatim vindicet, exceptione repellitur. l. 4. ff. *de ſervit.*

TH. 13. Quomodo ſervitus realis promittatur & à domino conſtituatur, ex præcedentibus intelligitur; ſimul ac ita conſtituta eſt, conſequenter etiam ab altero, cui conceditur, acquiritur, expreſſa domini prædij ſervientis conceſſione. Contra ſi non verus dominus, & bon. f. poſſeſſor ſervitutem realem conſtituerit, aut alius non vi, nec clàm, nec precariò ſervitute hac utatur, domino, vel bonæ fidei poſſeſſore patiente, vel prohibitioni, qua vicinus ob utilitatem ſui prædij ei interdicit, ne aliquid faciat in re propria, acquieſcente; tunc utroque caſu continuato illo uſu, & in hoc conſiſtente qſ. poſſeſſione, per longum tempus præſcriptione acquiritur ſervitus. *l. ult. in fin. C. de præſcript. long. temp.* quæ acquiſitio eſt ex tacita & præſumpta conventione. Nonnunquam tamen longiſſimi temporis præſcriptio requiritur, ſi ſolus error cauſam iſtiuſmodi qſ. poſſeſſioni ſervitutis dederit. l. 5. C. *de præſcript. long. temp.* l. 8. C. *de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* aut ſi mala fide quis ſervitutem ſibi ſumpſerit. l. 3. 8. C. *de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* Nota. Servitutes olim uſucapi non poterant, quia res incorporales poſſideri nequeunt. l. 3. *pr. ff. de acquir. poſſeſſ. l.* 43. §. *de acqu. rer. dom.* quod Imperator Iuſtin. correxit, ſtatuens, res incorporales, ut ſervitutes æquè uſucapi poſſe, ac res corporales. *l. ult. in fin. C. de præſcript. long. temp. l. un. C. de uſucap. transform.* quia ratione præſcriptionis conſiderantur ut res immobiles, quibus inhærent. l. 2. C. h. t.

TH. 14. Finis ſervitutis, ut alter qui prædium ſerviens habet, quid patiatur, aut non faciat. l 15. ff. h. t. ſicque prædio dominanti utilitatem præſtet.

TITVLVS II.

De Servitutibus Vrbanorum prædiorum.

TH. I. SERVITVS vrbana eſt, quæ prædio uſum urbanum habenti, (a) à prædio vicino, (b) alieno debetur. *arg. l.* 1. *ff. comm. præd.* §. 1. *Inſt. h t.*

(a) Ædificia urbana prædia vocantur. d. §. 1.

(b) Vt eiuſmodi ſervitus conſtituatur, prædiorum vicinitas neceſſariò requiritur. Vicinitas autem hæc non ex prædiorum contiguitate, ſive continentia, ſed ex uſu & utendi commoditate æſtimatur, ut ſc. intermedius locus, tum demum ſervituti noceat, ſi liberum illius exercitium, vel ex toto, vel ex parte impediat. l. 9. §. *ult. l. ult. ff. de S. R. P. l.* 17. *de S. V. P.* Contiguitas igitur non in omnibus, ſed certis tantum ſervitutibus requiritur, ut in ſervitute immittendi, oneris ferendi, ſtillicidij, protegendi, projiciendi. l. 7. ff. *commun. præd. l.* 1. *ff. de ſervit. V. P. l.* 14. §. *fin. ff. de ſervit.*

TH. 2. Servitus urbana propter commoditatem prædij urbani eius, cui debetur, eſt conceſſa.

TH. 3. Commoditas illa, vel aliunde augetur, (a) vel quæ iam in ædibus eſt, retinetur & conſervatur.

(a) Quando quid ex ædibus noſtris in alienum, aut ex alieno in noſtras ædes derivamus, illud fit in ſervitute oneris ferendi, tigni immittendi, projiciendi, protegendi, ſtillicidij, fluminis, hoc verò fit in ſervitute luminis, altius non tollendi, & ne luminibus officiatur, &c.

TH. 4. Servitus oneris ferendi eſt, qua vicini paries, vel columna ſuſtinere debet onus noſtrarum ædium, & vicinus ædificium, vel columnam reficere tenetur. l. 1. l. 33. ff. h. t. l. 5. l. 6. §. 2. *ſi ſervit. vind.* Irregulare eſt, & contra ſervitutis naturam, ut vicinus ædificare, vel collapſum reparare iure ſervitutis cogatur, quià in omnibus ſervitutibus, exceptâ hac oneris ferendi, is reficere tenetur, cui ſervitus debetur; ob id non eſt de ſubſtantia ſervitutum, ut quis patiatur, nec faciat.

TH. 5. Servitus tigni generalis eſt, plures ſpecies continens, ut tigni immittendi, (2) projiciendi, & (3) protegendi.

TH. 6. Servitus tigni (a) immittendi eſt, qua vicinus pati cogitur, ut ex ædibus vicinis tignum in parietem ſuum immittatur, (b) idque in eo requieſcat. l. 2. l. 20. l. 25. ff. h. t. l. 242. §. 1. ff. *de V. S.*

(a) Voce tigni, quæ à tegendo deſcendit, omne genus materiæ, ex qua ædificia conſtant, non ſaltem trabes, ſed & ligna, lapides, calx, &c. continetur, l. 62. ff. *de V.S. l. 1. §. 1. ff. de tign. junct.*

(b) Immittere autem tignum in alienum parietem non licuit abſque domini conſenſu. l. 25. ff. h. t. Lege enim 12. Tabb. quoties quis convictus eſt, ſe, domino ædium non conſentiente, tignum in eius ædes immiſiſſe, in eum dabatur actio in duplum. *t. t. ff. de tign. juncto.*

TH. 7. Servitus projiciendi eſt, qua vicinus pati cogitur tignum in ſuum ita immitti, vel immiſſum haberi, ut tantum prouehatur, nullibi verò requieſcat; ut quando ſine tegumento projicitur quid in alienum, qualia ſunt mœniana, quæ ſunt extra parietem producta, vel ædificata ſpectandi cauſa. §. 1. *Inſt. de ſervit.* l. 2. h. t. l. 6. l. 8. §. 1. l. 20. ff. *ſi ſervit. vind.*

TH. 8. Servitus protegendi eſt, qua vicinus pati cogitur tignum in ſuum ita immitti, tegendi tantum cauſa; ut ſi tectum ædium protendatur, & prouehatur in alienum, aut parieti noſtro ita affigatur tabulatum & tegumentum protuberans, ut in alienum extendatur, huc pertinent ſuggrundia, ſive ſuggrundæ, quæ ſunt quælibet projecta, quæ tuentur ædes ab injuria imbrium.

TH. 9. Servitus ſtillicidij auertendi, (a) & recipiendi (b) eſt, qua vicinus in aream, vel ædes ſuas recipere cogitur aquam ex ædificio vicino guttatim cadentem. l. 2. l. 20. §. 2. l. 21. ff. h. t.

(a) Ita dicitur reſpectu prædij dominantis, quod aquam hanc à ſuis ædibus in alienas avertat, & derivet.

(b) Ita vocatur ratione prædij ſervientis, quod ſtillicidij ſervitutem recipere cogatur.

TH. 10. Servitus fluminis avertendi, vel recipiendi eſt, qua vicinus aquam pluviam per tectum noſtrum in canalem collectam, cum impetu inſtar fluminis profluentem, in tectum, vel aream, vel cloacam ædium ſuarum recipere cogitur. *l. fin. §. 4. ff. quod vi aut clàm.*

TH. 11. Servitus fumi eſt, quâ vicinus patitur fumum ex noſtro in ſuum recipere. l. 8. §. 1. ff. *ſi ſervit. vindic.*

TH. 12. Quomodo quid ex ædibus noſtris in alienas derivemus in præcedentibus Theſibus eſt declaratum, reſtat nunc, quomodo ex alienis in noſtras commoditatis cauſa derivare liceat. Veluti lumen, ut vel de novo præbeatur, vel quod nobis iam competit, non imminuatur.

TH. 13. Servitus luminis eſt, quâ vicinus pati cogitur, ut vel in noſtrum proprium, vel communem, vel ſuum parietem feneſtram immittamus: obſerva, quamvis in proprio pariete quis invito quoque vicino

feneſtras facere poſſit. l.12. §.3. C. *de ædific. privat.* l. 8. §.5. ff. *ſi ſervit. vindic.* Attamen vicinus, ſervitute non conſtituta, lumina noſtra recipere jure non obligatur, ſed ea ædificando in ſuo poteſt obſtruere. l.9. ff. h.t. Imò in ſuo, aut communi pariete feneſtras fieri, prohibere & impedire poteſt, intellige, ſi ſervitus hac in re non ſit conſtituta. l. 40. ff. h.t. l. 8. C. *eod.*

TH. 14. Servitus, ne luminibus officiatur, eſt, qua vicinus non poteſt facere quicquam, quo in ædibus vicinis ullo modo luminibus officiatur. E. nec arborem, luminibus officientem ponere poteſt. l. 16. 17. l. 4. h. t.

TH. 15. Servitus altius non tollendi eſt, quâ vicinus ædes ſuas altius tollere nequit, ſed depreſſas habere cogitur, ne vicini ædes obſcurentur.

TH. 16. Servitus altius tollendi eſt, quâ vicinus pati cogitur, ut ædes noſtras altius tollamus. Etſi iure naturalis libertatis, unicuique ædificare liceat in infinitum, & ad cœlum uſque. l. 24. ff. h. t. l. 8. C. *de ſervit. & aqu.* atque ita ſupervacua videri poſſit hæc ſervitus, per quam & poteſtas hæc domino ædificij concedatur, & actione confeſſoria adverſus turbantem defendatur. §. 2. *Inſt. de action.* quia tamen, vel per ſtatutum altitudo ædium ad certum modum determinari, vel etiam per pactum inter vicinos, de non altius tollendo interpoſito reſtringi poteſt, illâ maximè opus fuit quæ poſteriori caſu, ſc. per pactum vicinorum protinus acquiritur, ubi contrario pacto à vicino, cui ſervitutem altius non tollendi debebam, mihi facultas hæc permiſſa fuerit. *arg.* l.21. ff. h. t. l. 20. ff. *de ſervit. præd. ruſt.*

TH. 17. Quæritur, utrum is, qui habet ſervitutem altius tollendi ædes ſuas, habeat quoque ſervitutem altius non tollendi? Reſp. diſting. Iuxta principia actionum humanarum, inter id, quod directò agitur, & quod exinde ſequitur. Directò & formaliter in ſervitute altius tollendi agitur, ut mihi liceat altius tollere; per conſequentiam verò paſſivè, & materialiter hoc intenditur, ne vicinus contra altius ædificet, quo reſpectu mihi cenſetur eſſe in ipſius ędibus ius, altius non tollendi; ſi enim vicinus vellet contra ædificare, impediretur ius altius tollendi, mihi conſtitutum.

TITVLVS III.

De Servitutibus ruſticorum prædiorum.

TH. I. PRÆDIA ruſtica ſunt, quæ non in continentibus ædificijs, ſed ruri fructuum potiſſimum colligendorum gratia conſtruuntur, l. 4. ff. *in quib. cauſ. pign. vel hypoth.*

TH. 2. Servitus ruſtica eſt, quæ prædio, uſum ruſticum habenti à prædio vicino alieno debetur. §. 3. *Inſt.* h. t.

TH. 3. Per ſervitutem ruſticam, commoda quædam ex alieno fundo in noſtrum attrahimus, (a) vel incommoda quædam ex noſtro in alienum derivamus atque exoneramus.

(a) Quod fit, [1] acquirendo acceſſum ad fundum noſtrum; ut in itinere, actu, via. [2] Sumendo aliquid ex vicini fundo, quod accidit in aquæ ductu, aquæ hauſtu, pecoris ad aquam appulſi, iure paſcendi, iure calcis coquendæ, jure arenæ fodiendæ, cretæ eximendæ, lapidis eximendi, pedamenta ſumendi: hæ ſervitutes ſunt ruſticæ quatenus ad commodum ruſtici prædij faciunt, l. 5. 6. ff. h. t. quatenus veró ad prædij urbani utilitatem faciunt, ſunt urbanæ.

(b) Aquam ſulco aperto in vicini fundum educendo, l. 29. ff. h. t. fructus in vicini villa cogendo, l. 3. ff. h. t. lapides provolvendo in vicini fundum, indeque exportando. d. l. 3.

TH. 4. Iter (a) (*Germanicè ein fuſſſteich*) eſt ius (b) eundi, (c) ambulandi (d) hominis (e) per vicinum prædium ad ſuum, ipſius prædij cauſa.

(a) Quod ab eundo dicitur; hic non indicatur quodvis in genere iter, per fundum alienum, ſed illud tantum quod fit in prædij commodum; quia datur quoque iter quoddam, quod eſt ſervitus perſonalis, l. 2. §. 2. ff. *ſi ſervit. vindic.* l. *pen.* ff. *de ſervit. legat.*

(b) Quod non eſt genus proximum, ut ſervitus ruſtica, ſed remotum. ICti non ſolent ſemper genus proximum in definitionibus exprimere, ſed populariter rem demonſtraſſe, ipſis ſufficere videtur.

(c) Ire hic generaliter accipitur, ſive pedes, ſive æques quis eat, aut lectica, aut ſella portetur. l. 7. l. 12. ff. h. t. poteſt quoque cum alio quis ire, ſi comitatus alterius ſpectet ad prædij utilitatem, cui iter debetur; E. mercenarios in fundum inducere poteſt, l. 11. §. *fin.* ff. h. t. Obſerva, Servitutem hanc habenti non licet per mediam vineam, vel agrum pro arbitrio ire, ſi alibi minori cum prædij ſervientis diſpendio & incommodo ire poſſit; &

ut hæc incommoditas vitetur, ſolent plerumque contrahentes de modo itineris conſtituendi convenire, aut arbitro dato id determinare, quo facto reliquæ agri partes ſunt liberæ.

(d) Ambulare, & ire in hac definitione ob perſpicuitatem ſolummodo conjunguntur, ad diſcrimen vehiculorum, quæ dicuntur ire, agi: ita etiam in definitione tutelæ dicitur vis ac poteſtas diſtinctionis ergo. Ambulare licet ad prædij utilitatem, non verò voluptatis & ſanitatis gratia, ut fieri aliàs ſolet, quia ſervitus hæc non hominis voluptatis, ſed prædij utilitatis cauſa eſt introducta.

(e) Per hominem hîc non intelligimus quemlibet indifferenter, ſed eum ſaltem, ad quem fundus, cui ſervitus conſtituitur, ſpectat; huic enim ſervitus uſque adeò adhæret, ut eam nec alteri locare poſſit, l. 44. ff. *ad locat.* quamquam per ſervos, colonos, fructuarios, alioſque, eius nomine poſſidentes, ſervitute uti poſſit. l. 20. ff. *quemad. ſervit. amit.* l. 22. ff. *quib. mod. uſusfr. amitt.*

TH. 5. Actus (*Germanicè ein trieb*) eſt jus agendi (a) jumentum, vel vehiculum per prædium alienum ad ſuum.

(a) *Agere* propriè ad animalia pertinet, l. 235. ff. *de* V. S. hæc enim dicuntur agi, h. e. cogi ut progrediantur.

TH. 6. Actus latius patet, quam iter, quia iter habens, actum non habet, ne quidem per conſequentiam; contra actum habens, iter habere dicitur, non quidem formaliter & proprietate verbi, ſed materialiter per conſequentiam, & iuris interpretationem, l. 4. §. 1. ff. *ſi ſervit. vind.* qua illi, cui plus licet, ut iumentum agere, etiam id, quod minus eſt, licere debet, ut ſolum ire. l. 12. ff. h. t. l. 9. §. *ult.* ff. *de novat.*

TH. 7. Via (*ein fahrweg*) eſt ius eundi & agendi & ambulandi hominis ad prædij ſc. utilitatem.

TH. 8. Sicut itineris proprium eſt ire, ambulare, & actus proprium ire, agere; ita viæ proprium eſt & ire & agere; l. 9. ff. *ſi ſervit. vindic.* via, iter & actum eſſentialiter comprehendit, quod etiam ex copulativa & bis in definitione poſita clarè conſtat, l. 13. §. 1. ff. *de acceptil.* l. 1. §. 2. 4. 7. ff. *de itin. act. privat.*

TH. 9. Iter ad duos pedes, actus ad 4. in porrectum, ad 8. verò in anfractum, at ſi de viæ latitudine nihil convenit, legitima latitudo debetur, quæ ex L. 12. Tabb. eſt octo pedum in directum, & ſexdecim in anfractum, hoc eſt, ubi via flectitur, l. 8. l. 13. §. *latitudo* ff. h. t.

TH. 10. Ad ſumendum quid ex vicini fundo refertur, [1] ſervitus aquæ ductus (*Germanicè waſer leitung*) eſt ius aquæ ducendæ, (a) per fundum alienum, ad prædij dominantis (b) utilitatem. (c)

(a) Hic aquæductus non quovis modo indifferenter, ſed quatenus eſt con-

ſtitutus fieri debet, l. 17. ff. *de aqua & aqu. pluv.*

(b) Sc. prædij ruſtici, non urbani, l. 11. §. 1. ff. *de public. in rem act.* E. non in perſonæ utilitatem principaliter conſtitutum, quod eſt ſervitus perſonalis, l. 37. ff. *de ſervit. præd.*

(c) Puta [1] ad irrigandos agros, pecoris aquandi, vel amœnitatis gratia, l. 1. ff. h. t. *pr. Inſt. de ſervit.* l. *pen.* ff. *eod.* l. 3. *pr.* ff. *de aqua quotid. & æſtiv.* vel [2] ad aquam ex prædio dominanti abducendam.

TH. 11. Aquæ hauſtus eſt (*Germanicè waſſerſchopfungsgerechtigkeit*) eſt ſervitus ruſtica, (a) quâ vicinus pati cogitur, ut ex flumine, fonte, vel puteo ſuo aqua hauriatur ad fundi utilitatem. (b)

(a) Quâ conceſsâ, iter quoque ad puteum, fontem, vel flumen, & omne id, ſine quo commodè uti nequit, conceſſum intelligitur, l. 3. l. 11. §. 1. ff. *commun. præd.*

(b) Ideo etiam in fundo laborantibus, aquæ hauſtus iure permittitur; vergit enim & hoc in prædij utilitatem.

TH. 12. Pecoris ad aquam appulſus, (*Germanicè die Viehetranck*) eſt ſervitus ruſtica, quâ vicinus pati cogitur, ut ad eius aquam pecus (a) aquandi cauſa appelletur. (b) l. 4. & 5. ff. h. t.

(a) Voce *pecoris* omnes quadrupedes, quæ gregatim habentur, & paſcuntur, comprehenduntur e. g. oves, capræ, boves, muli, aſini, equi. l. 2. §. 2. ff. *ad L. Aquil.*

(b) Majorem tamen pecorum numerum ad aquam alterius appellere alicui non licet, quam de quo conventum eſt; nec oves, vel capræ, aut aſini appelli queunt ſi modò equos & boves appellere expreſſe eſt conſtitutum; quoniam ſervitutibus aliter uti, quam initio conventum, legibus non permittitur, l. 13. *pr.* l. 20. *pr.* ff. h. t.

TH. 13. Ius paſcendi (*Germanicè die trifftgerechtigkeit, weide*) eſt ſervitus ruſtica, quâ vicinus pati cogitur, ut in eius fundo pecus paſcam, *pr. Inſt.* h. t. l. 15. §. 1. ff. *de ſervit.* Notanda hic ſunt duo, [1] quod dominus fundi ſervientis, ſua quoque pecora, una cum eo, cui ſervitutem paſcendi conceſſit, in ſuo fundo paſcere queat; intellige, ſi ſufficiat paſtura, nec aliter ſervitus hæc ſit conſtituta, l. 13. §. 1. ff. h. t. [2] quod ius paſcendi habens non poſſit paſcere pecora morbida, ne alia contagione afficiantur.

TH. 14. Differunt tres proximè præcedentes ſervitutes inter ſe, tanquam magis & minus. Servitus pecoris ad aquam appulſi eſt plenior ſervitute aquæ hauſtu, ſicut actus eſt plenior itinere, l. 1. §. 8. ff. *de aqu. quot. & æſtiv.* Ius paſcendi eſt plenius ſervitute pecoris ad aquam appulſu, ſicut via eſt plenior actu; per illud enim & edere, & bibere pecoribus noſtris in alieno, ius eſt. His omnibus plenior eſt

ſervitus calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, &c. quia per has ſervitutes non modo gramen ex ſuperficie, ſed & quid ex ipſo ſolo ſumitur. l. 5. l. 6. §. 1. ff. h. t.

TH. 15. Supradictę ſervitutes poſſunt eſſe modò perſonales, modò reales. Perſonales ſunt, quatenus principaliter in perſonæ, non verò prędij emolumentum conſtituuntur & vergunt, e. g. ſi quis jus aquæ hauriendæ ex fonte, vel puteo alieno habens, utatur ad potum, vel cibos coquendos, l. 14. §. *ult.* ff. *de alimen. legat.* vel ſi unum, vel alterum pecus habens, prædia ruſtica non poſſideat, tunc eſt perſonalis, quia ſervitus prædialis & ruſtica ſine fundo eſſe nequit: hic enim tantum pecus eo fine in alterius prædio alit, vel aquatum ducit, &c. ut perſonam ſuam ex pecorum fructibus ſuſtentet, d. l. 14. Reales & ruſticæ, quando principaliter, & non per conſequentiam ſpectant prædiorum ruſticorum utilitatem, l. 4. ff. h. t. licet per conſequentiam perſonæ, cuius dominio res, cui ſervitus debetur, ſubjecta eſt, utilitatem præſtet. Hinc colligi poteſt, earum naturam facilè mutari poſſe, l. 12. 22. & 23. ff. *de uſu & habit.* l. 14. *de alim. legat.*

TH. 16. Referuntur hic quoque ſequentes ſervitutes, quatenus ſunt ruſticæ, h. e. ad ruſtici prædij utilitatem directò pertinent. l. 5. & l. 6. ff. h. t.

TH. 17. Ius calcis coquendæ eſt ſervitus ruſtica, (a) quâ alius pati cogitur, ut ex fundo ſuo calcem coquam ac parem ad prædij mei utilitatem §. 2. *Inſt de ſervit.* l. 1. §. 2. h. t. d. l. 5. *&* 6.

(a) Quatenus ſcil. non ad urbani, ſed ruſtici prædij commodum refertur, e. g. ædificandi eius gratia, quod in fundo eſt. d. l. 6.

TH. 18. Ius arenæ fodiendæ eſt ſervitus ruſtica, quâ quis pati cogitur, ut in fundo ſuo arenam fodiam & tollam, ædificandi eius gratia, quod in fundo eſt. d. l. 1. §. 1. & d. l. 6. §. 1.

TH. 19. Ius cretæ eximendæ eſt ſervitus ruſtica, quâ quis pati cogitur, ut in fundo ſuo terram cretoſam eximam, ad prædij mei vicini uſum neceſſarium. l. 5. §. 1. ff. h. t.

TH. 20. Ius lapidis eximendi eſt ſervitus ruſtica, quâ quis pati cogitur, ut ex fundo ſuo lapidem eximam, ad ædificandum, quod in meo fundo eſt. l. 6. §. 1. ff. h. t.

TH. 21. Ius pedamenta ſumendi eſt ſervitus ruſtica, qua vicinus pati cogitur, ut ex prædio ſuo, vel ſylva pedamenta (a) ſumam, ad prædij mei (b) utilitatem.

(a) Hæc ſunt adminicula vitium, vel arborum (*Germanicè ſtutzen.*)

(b) Videlicet vineæ. d. l. 6. §. 1.

TH. 22. Ius

TH. 22. Ius cogendi fructus ſuos in vicini villa eſt ſervitus ruſtica qua quis pati cogitur, ut in fundo ſuo fructus mei cogantur, coactique habeantur, ad prædij mei utilitatem. l. 3. §. 1. ff. h. t.

TH. 22. Ius lignandi eſt ſervitus ruſtica, propter quam alius pati cogitur, ut in ſylva ſua ligna ſecem ad uſum domus meæ.

TH. 23. Ius uvæ in alieno torculari exprimendæ eſt, quâ vicinus pati cogitur, ut uvas vineæ meæ in ſuo torculari exprimam.

TH. 24. Ius lapidis provolvendi eſt, quâ vicinus pati cogitur, ut ex fundo meo ruſtico lapides in ſuum fundum ruſticum provolvam, ibique poſiti habeantur, indeque exportentur, l. 3. §. 2. ff. h. t.

TH. 25. Omnes ſervitutes, quarum h. t. mentionem fecimus, naturâ ſuâ & origine ſunt ruſticæ, ex uſu tamen poſſunt fieri urbanæ, l. 20. §. 1. ff. *de S. V. P.* l. 17. ff. h. t. l. 11. §. 1. ff. *de public. in rem act.* Contra, quæ naturâ & origine ſunt urbanæ, poſſunt aliquando fieri ruſticæ. l. 2. ff. h. t.

TH. 26. Servitus dividitur etiam in affirmativam, (a) & negativam. (b)

(a) Ex hac quis aliquid vel [1] in alieno prædio facere poteſt, ita ut id dominus pati cogatur, l. 15. §. 1. ff. *de ſervit.* vel [2] quis aliquid in ſuo ſolo facere tenetur, e. g. in ſervitute oneris ferendi, columnam, vel parietem collapſum reparare obligatur, quod contra ſervitutis naturam, & communem ſervitutum regulam. l. 6. §. 2. ff. *ſi ſervit. vindic.*

(b) Ex qua quis aliquid in ſuo prædio non facere tenetur, e. g. ædes altius non tollere, &c.

TITULUS IV.

Communia prædiorum, tam urbanorum, quam ruſticorum.

TH. I. SERVITUTES urbanæ & ruſticæ quædam habent communia, [1] ratione conſtitutionis, (a) & [2] ratione conſervationis, (b) & amiſſionis. (c)

(a) Quod omnes ſervitutes tam inter vivos, quàm teſtamento per ultimam voluntatem conſtitui poſſint. l. 16. ff. h. t. *de qua, theſi* 11. 12. *& ſeqq.* t. *de ſervitut.* diximus.

(a) Servitutes reales conſervantur per actionem confeſſoriam.

(c) Quod ſervitutes longo tempore præſcribantur, ſi non vi, non clam, non precario poſſiderantur, l. *ult. in fin.* C. *de præſcript. long. temp.* de qua vid. theſin. 14. t. *de ſervitut.*

TH. 2. Commune etiam eſt quod ſervitutes reales ſine prædijs, puta dominanti & ſervienti planè conſtitui non poſſint. §. 3. *Inſt. de ſervit.* l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 3. Communia ſunt & illa, quæ ſequentibus Theſibus proponuntur. Servitutes ipſo jure neque ex tempore, neque ad tempus, neque ſub conditione, neque ad certam conditionem; e. g. quamdiu volam, conſtitui poſſunt, l. 4. ff *de ſervit.* ratio eſt, poſtquam ſemel conſtitutæ prædijs cohærent, cum illis etiam poſſideri intelliguntur. Idcirco ut prædia ipſa ad tempus, vel conditionem dari, vel deberi nequeunt, ita nec ſervitutes; ſub conditione tamen ſervitutes promitti poſſunt, quia ſervitus omnis per ſtipulationem, quæ conditionem recipit. l. 7. ff. *de rebus cred.* promitti poſſit. l. 17. ff. *de ſervitut.*

TH. 4. Servitutes reales ſunt individuæ, l. 4. §. 4. l. 25. §. *an ea* ff. *famil. erciſcund.* l. 72. ff *de verbor. oblig.* l. *ult.* ff. *de ſervit. legat.* ob id dicitur, quod ſervitutes pro parte conſtitui haud poſſint, l. 11. ff. *de* S.R.P. l. 8. §. 1. ff. *de ſervit.* retineri verò queant, l. 30 §. 1. ff. *de* S. V. *Præd.*

TH. 5. Servitutes reales habent cauſam perpetuam, ſive continuam, (a) quamvis non poſſeſſionem continuam. l. 28. ff. *de ſervitut.*

(a) Continua cauſa dicitur duobus modis, (1) ſimpliciter, quæ continuam, ſive perpetuam cauſam habet, h. e. quæ ſemper eſt in uſu, & actualiter, & potentionaliter, ut ſervitus aquæ ductus, altius non tollendi, &c. (2) non ſimpliciter, quæ qſ. perpetuam cauſam habere dicitur, quæ videl. continuò potentialiter, non verò actualiter eſt in uſu, ut eſt ſervitus ſtillicidij, aquæ ductus, ex cœlo cadentis, l. 28. ff. de S. V. P. in ſervitute continua ſimpliciter non ſemper requiritur hominis factum ad eius uſum, licet initio requiratur; in ſervitute continua non ſimpliciter factum hominis non requiritur, & quamvis non ſemper actu exerceatur, apta tamen ad exercendum, ut in itinere, actu, via.

TH. 6. Omnis ſervitus regulariter utilis eſſe debet, licet interdum ratione circumſtantiarum deficiat. l. 55. ff. *de uſufr.* l. *pen.* ff. *de ſervit.*

TH. 7. Servitus ſervitutis non datur, l. 1. ff. *de uſu & uſufr. legat.* quia [1] qualitas qualitatis, aut accidens accidentis non ſubſiſtit. [2] qui non eſt dominus prædij ſervitutem non rectè conſtituit.

TITVLVS V.

Si Servitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur.

TH. I. VT Servitutes reales, tam urbanæ, quam ruſticæ conſerventur, actio confeſſoria eſt neceſſaria, quæ ex conſtitutis, & acquiſitis ſervitutibus oritur. Contra, ubi ſervitus non purè eſt promiſſa, ſed ad diem, vel conditionem, competit actio perſonalis.

TH. 2. Actio confeſſoria eſt actio in rem, qua is, cui ſervitus eſt conſtituta, ſervitutem ſibi competere affirmat. (a)

(a) In hac actione petitori non ſufficit affirmaſſe, ſervitutem ſibi competere, ſed demonſtrare tenetur, quia quælibet res præſumitur libera, *arg.* l. 9. C. *de ſervit. & aqu.* Hinc præſumptio hæc tamdiu contra ipſum militat, donec eam, contrarium probando, eluat. *arg.* l. 16. C. *de probation. Excipe* ſi in poſſeſſione (non veró in qſ. poſſeſſione) prædij dominantis ſit, probare dominium non gravatur, ſed ex eo ipſo, quod poſſideat, uſque dum res fuerit evicta, pro domino habetur.

TH. 3. Actio confeſſoria eſt directa, vel utilis.

TH. 4. Actio confeſſoria directa competit illi, cui ſervitus eſt conſtituta, ut domino prædio dominantis, §. 2. *Inſt. de action.* l. 2. §. 1. ff. h. t.

TH. 5. Actio confeſſoria utilis competit emphyteutæ, ſuperficiario, l. 1. §. *ult.* ff. *de ſuperfic.* l. 16. ff. *de ſervit.* l. 16. §. *ult.* ff. *de pignor. act.* creditori, l. 9. ff. *de novi. oper. nunci.* d. l. 16. Vaſſallo, 2. *feud.* 8. §. *rei.*

TH. 6. Actio hæc confeſſoria directa inſtitui poteſt non tantum adverſus vicinum, qui ſervitutem debet, l. 6. *pr.* §. 4. h. t. ſed adverſus omnes, qui ſervitutis uſum impediunt, l. 10. §. 1. ff. h. t.

TH. 7. Ex hac actione confeſſoria per iudicis ſententiam declaratur, ſervitutem actori competere, reumque condemnari, [1] ad intereſſe actoris, quatenus videl. is in ſervitute eſt impeditus, l 4. §. 2. l. 6. §. 5. ff. h. t. [2] ad præſtandam cautionem, quod neque ipſe, nec ſucceſſores eius eum in ſervitute impedituri ſint. l. 7. l. 12. ff. h. t.

TH. 8. Actio negatoria priori opponitur, eſtque actio in rem, qua dominus alteri ſervitutem in re ſua competere negat. §. 2. *Inſt. de action.*

TH. 9. Actio hæc competit ex libertate naturali, qua dominus in

re ſua non tenetur aliquid pati, vel non facere, ſed pro libitu omnia licitè agere poteſt, l.8. C. *de ſervit. & aq.* l.32. §.1. ff. *de* S.V. *Præd.* l.4. §.7. l.13. ff. h. t. hæc actio in ſervitutibus & rebus incorporalibus ſaltem datur, aſt non in rebus corporalibus.

TH. 10. Actio negatoria competit domino, qui libertatem prædij ob præſumptionem libertatis probare non tenetur. l.8. & 9. C. *de ſervit.*

TH. 11. Datur [1] adverſus eum, qui ſervitutem in re noſtra prætendit, l.8. §. 5. l. 17. *pr.* ff. h. t. [2] adverſus eum, qui ſervitute alio, quam debet, modo utitur, l. 11. ff. *comm. prædior.*

TH. 12. Actione hac negatoria petitur, ut judex declaret, rem meam à prætenſa ſervitute eſſe liberam, l. 4. §. pen. ff. h. t. fructus & quanti intereſt, d. l. 4. §. 2. adjudicet, cautionemque à reo exigat, l. 7. ff. h. t.

TITVLVS VI.

Quemadmodum ſervitus amittatur.

TH. I. AMITTVNTVR ſervitutes reales, [1] reſolutione, (a) [2] confuſione, (b) [3] interitu, (c) [4] remiſſione, (d) [5] non utendo. (e)

(a) Quando ius illius, qui ſervitutem conſtituit, ceſſat, e. g. ſi heres, pendente conditione, rei legatæ, aut vaſſallus fundo feudali ſervitutem impoſuit, & conditio poſtea exiſtat, aut feudum domino aperiatur, tunc ſervitus ea extinguitur, l. 11. §. *ult.* ff. h. t. 2. feud. 8. reſoluto enim iure datoris, reſolvitur ius accipientis.

(b) Quando idem utriuſque prædij, tam dominantis, quam ſervientis, & quidem totius dominus eſſe cœpit, l.1. h. t. l. 30. ff. *de* S. V. P. l. 9. & 10. ff. *commun. prædior.* ſive hoc fiat acquiſitione univerſali per ſucceſſionem, ſive particulari per contractus, quia res propria nemini ſervit, nec quis ſibi ipſi in rebus ſuis ſervitutem conſtituere poteſt, l. 5. ff. *ſi uſusfr. petat.* Si verò non totum prædium, ſed pars acquiratur, tota ſervitus retinetur, l. 8. §. 1. ff. *de ſervit.* quia dividi non poteſt, & in parte prædij etiam ſervitus tota reſidet; hinc cum dicitur in l. 30. §. 1. ff. *de ſervit.* V. P. l. 34. ff. *de* S. R. P. ſervitutem pro parte retineri poſſe, hoc ratione fundi, & non ratione ſervitutis eſt intelligendum.

(c) Prædij, vel dominantis, vel ſervientis, l. 14. ff. h. t. horum alterutro deficiente, deficit ſervitus, debent enim duo eſſe prædia, dominans, & ſerviens. Prædium ſerviens interit, e. g. ſi locus, per quem via, iter, aut actus debebatur, impetu fluminis occupetur, atque ſic ex agro alveus eſt factus, d. l. 14. l. 24. ff. *quib. mod. uſusfr. amitt.*

(d) Quando dominus prædij dominantis vicino permittat, ut in prædio ſerviente aliquid faciat contrarium, aut aliud aliquid, quo facto ſervitus impediatur. l. 6. §. 1. l. 8. ff. h. t. l. 32. ff. *de ſervit. urb. præd.* Si duæ ſervitutes ab eodem prædio debeantur, e. g. altius non tollendi, & ſtillicidij recipiendi, una remiſſa, nihilominus remanet altera. l. 20. *pr. ff. de S. R. P.* adeò, ut ſi per remiſſionem alterius altera ſervitus impediatur, (e.g. ſi conceſſerim tibi jus altius tollendi ædificia tua, & altius ijs ſublatis, ſtillicidia mea cadere in ea non poſſint) remiſſio iſta effectum habere nequeat, quia remiſſio alterius ſervitutis ſemper ita fieri cenſetur, ut tamen altera retineatur, ſc. ut ea ratione altius vicino tollere liceat, qua non impediuntur ſtillicidia. l. 20. *pr. ff. de S. R. Prædior.*

(e) Non utendo amittit (per negligentiam) ſervitutem ruſticam is, cui hæc debetur; quod fit tripliciter, ſi [1] omnino non utatur, neque per ſe, neque alios, ſive ſint ſocij, ſive fructuarij, ſive ſervi, ſive liberi, ſive bonæ, ſive malæ fidei poſſeſſores, ſive amici, ſive coloni, &c. *l. ult. C. de ſervit.* neque per partem, vel ſignum aliquod utitur. l. 2. ff. h. t. l. 20. ff. *de S. V. P.* l. 10. l. 18. ff. h. t. *l. pen. & ult. ff de ſervit.* vel [2] non jure ſervitutis conſtitutæ, ut ſi quis utatur quadam viâ, ſed ut publicâ. *l. fin. h. t.* vel [3] non debito & præſcripto modo, *l. 18. pr. l. ult. ff. h. t. l. 1. § 6. ff. de itin. actu priv.* ut quando quis aquam nocturnam, aut certis horis ducere poteſt, alio autem tempore, putà interdiu, vel alijs horis id facit. l. 10. §. 1. l. 11. ff. h. t. quod in hac ſervitutis amiſſione, interdum tempus, intra quod per non uſum amittitur, duplicatur; ubi attendendum utrum ſervitus quotidiana, vel non quotidiana, h. e. quæ per intervalla menſium, vel annorum competat, alternis menſibus, vel annis; de priori ſtatuitur, ſc. quotidiana quod longo tempore per non uſum amittatur, ſive præſcribatur, h. e. inter præſentes decennio, inter abſentes viginti annis. *l. pen. C. de ſervit.* [2] ſi non quotidiana, ſed per intervalla temporum, quod tunc tempus duplicetur, intellige tempus illud ratione decennij, non autem vicennij. l. 7. ff. h. t. *l. ult. C. de ſervit.* quæ temporis duplicatio fit ob favorem libertatis, & odium ſervitutis.

TH. 2. Per longum tempus non utendo amittuntur tantum ſervitutes ruſticorum prædiorum, licet præſcribens libertatem nihil faciat: contrarium in ſervitutibus prædiorum urbanorum obſervatur; in his enim præter non uſum requiritur, ut ſervitutem debens, per idem tempus, aliquid contra ſervitutem alij conſtitutam faciat, putà impediat dominum prædij dominantis, ſervitute uti volentem; ſicque libertatem rei ſuæ uſucapiat, e. g. ſi ædes tuæ meis ædibus debeant ſervitutem tigni immittendi, quamvis tignum non habeam immiſſum in tuas ædes per 10. vel 20. annos, tamen ſervitutem non amittam, niſi tu foramen, unde tignum eſt exemptum, obturaveris, & ita per longum tempus habueris. l. 6. & 7. *ff. de ſervit. l. 18. §. ult. ff. h. t. l. 4. §. ult. ff. de uſucap.*

TH. 3. Servitutes reales morte & capitis diminutione non amittuntur. l. 3. ff. h. t. nec ob fundi, ſive dominantis, ſive ſervientis publicationem. l. 13. §. 2. ff. *de Servit. ruſticor. præd.* ratio in eo eſt fundata, quoniam ſervitutes hæ ipſi rei adhærent, illamque ſemper ſequuntur.

LIBER NONVS.

TITVLVS PRIMVS.

Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.

TH. I. HACTENVS explicavimus judicia verè & propriè realia, in libro 5. 6. 7. & 8. propoſita, deſcendimus nunc ad ea, quæ ſecundum quid (a) ſunt realia, h. e. realibus finitima; qualia ſunt [1] de damno & pauperie, [2] de damno injuria dato, [3] de effuſione & dejectione, [4] poſito, aut ſuſpenſo, & [5] de noxia.

(a) Ratione videlicet effectus, quia dantur adverſus poſſeſſorem rei, noxiam committentis, ut noxa vindicetur. Contra, reſpectu originis ſuæ ſunt perſonales, quatenus ex delicto, vel quaſi oriuntur.

TH. 2. Actio de pauperie (a) eſt, quâ ob damnum (b) à quadrupede manſueta, vel alio animali (c) irrationali, contra naturam generis ſponte commoto illatum convenitur dominus (d) iſtius animalis, ut, aut animal, quod nocuit, dedat, aut æſtimationem noxæ ſolvat. *l. pr. & §. 1. Inſt. h. t. l. 1. pr. ff. h. t.*

(a) Pauperies eſt damnum ſine injuria facientis datum. l. 1. §. 3 ff. h. t. animal enim tale intellectu carens injuriam committere nequit. l. 3. §. 1. ff. *de injur.*

(b) Damnum ab animali variè infertur; hinc diverſæ etiam propter illud illatum dantur actiones, aut enim ſecundùm naturam nocet animal, aut contra naturam; ſecundùm naturam damnum infert, depaſcendo fruges

alienas, quo in caſu conveniunt manſueta & fera animalia, quia utraque hoc ſecundùm naturam faciunt; in animalibus tamen feris nulli actioni eſt locus, niſi ſint in dominio, ut ſc. manſuefacta paſcantur. l. 5. §. 5. ff. *de acquir. rer. domin.* contra naturam nocet, ſi feritatem aſſumat, quod fit, [1] ob culpam tertij, & non læſi præcedentem, hinc actio deſcendit legis Aquiliæ, l. 1. §. 4. 5. 6. ff. *ſi quadrup. paup. feciſſ.* ſi verò ipſe læſus cauſam læſioni præbuerit, nulla ipſi actio competit, ſed ſibi imputet. l. 2. §. 1. ff. h. t. [2] ſi nullius culpa præceſſerit, ſed proprio motu ex laſcivia, pavore, aut feritate animal damnum dederit, actio de pauperie datur.

(c) Quod hic non tantum denotat quadrupedem, quæ pecudum numero eſt, ſicut in L. Aquilia, verùm etiam aliam quamcumque, ut canem, qui momordit, equum, qui calce percutit, &c. l. 1. §. 4. ff. h. t.

(d) Non tamen ſicut de facto proprio, ſed alieno, uti hic & in actione noxali ex delicto ſervi.

TH. 3. Iuri naturæ quoque haud inconveniens eſt, dominum ob damnum ab animali, vel ſervo illatum obligari; poſtquam enim introducta eſt poſſeſſio, & rerum diviſio, ius naturale per appropriationem rerum non eſt ſublatum, quod jus unicuique ad reſarciendum damnum, ab aliquo, ſive bruto, ſive ſervo paſſum, competit. Hinc ſi quis damnum ab animali eſt paſſus, ipſum animal ipſi iuxta valorem damni manet obligatum, & quoniam brutum non habet aliunde, quam ex ſe ipſo, ipſius venditione, vel retentione reparatur illatum damnum. Idem de ſervo affirmatur. Ex dictis per bonam conſequentiam deducitur, dominum teneri ad damni reſtitutionem, non quidem ratione ſui, vel ratione culpæ, ſed quia natura ſua animal, aut ſervus ſuus non eſt capax obligationis, & ſicut quicquid affert utilitatis, eſt domini, ita & damni; unde obligatio illa ad reſtituendum damnum, cujus non eſt capax animal, aut ſervus, eſt ipſius domini.

TH. 4. Actio de pauperie eſt duplex, directa, (a) & utilis. (b)

(a) Illa ex verbis L 12. Tabb. ob pauperiem à quadrupede manſueta, contra omnium ſui generis animalium naturam proprio motu, & non culpa ullius hominis factum datur. l. 1. *pr.* §. 4 *&* §. 10. ff. h. t. unde liquet, ſi alia quadrupes, aliam concitavit, dominum concitantis, & non concitatæ quadrupedis obligari, quia feritate contra naturam commotâ damnum dedit quadrupes concitata. l. 1. §. 9. ff. h. t. idem affirmatur de arietibus & bobus, ſi aggreſſus aggredientem occidat, ceſſat actio, quia aggreſſus non proprio motu, ſed concitatus, defenſionis gratia damnum dedit; contra ſi non provocatus, & aggreſſus eſt occiſus, vel læſus, actio competit. l. 1. §. 11. ff. h. t.

(b) *Hæc* eſt ex legis mente, ut [1] ſi animal ſit bipes. l. *pen.* ff. h. t. & [2] ſi ferum quidem naturaliter, at per aſſuefactionem manſuetum &

cicuratum. l. 5. §. 5. ff. *de acquir. rer. dom. l.* 2. §. *fin. ff. ad L. Falcid.* modò tale ſit animal, quod per manſuefactionem, qſ. feritatem exuat. d. l. 2. §. *fin.* E. hæc actio in ijs animalibus, quæ ob genitalem feritatem cicurari nequeunt, ut leones, urſi, &c. quamvis in cuſtodia habeantur, non habet locum. § 1. *Inſt.* h. t. l. 1. §. 10. ff. *eod.* ſi tamen eiuſmodi animalia, negligentius aſſervata damnum cuidam intulerint, cuſtodiens dominus ex ædilitio edicto convenitur. l. 40. *& ſeqq. ff. de ædilit. edict.*

TH. 5. Actio de pauperie, ſive ſit directa, ſive utilis datur [1] ei, qui damnum ab animali eſt paſſus, vel [2] ei, cuius intereſt, damnum non fuiſſe datum, eiuſque heredi. l. 2. *pr. &* §. *fin. ff. h. t.*

TH. 6. Datur hæc actio contra quadrupedis dominum, (a) aut eum, qui pro domino poſſidet, (b) tempore inſtitutæ actionis.

(a) Qui talis revera eſt. l. 1. §. 12. ff. h t. vel ſe dominum per mendacium dicit, ſeque liti offert. l. 7. & 8. ff. *de interrog. in jur. faciend.* & ſi plures ſint domini, ſinguli in ſolidum obligantur. l. 1. §. 14. ff. h. t. unius tamen ſolutione cæteri liberantur; ipſe verò ſolvens, quod ultra ſuam præſtitit partem, à reliquis actione pro ſocio repetere poteſt. *arg.* l. 3. & 4. ff. *de his qui dejec. vel effud.*

(b) Qualis cenſetur is, qui dolo malo poſſidere deſijt. *arg.* l. 12. 21. 24. ff. *de noxal. action.*

TH. 7. Datur etiam contra heredes, non quatenus tales, ſed quatenus domini ſunt; noxa enim ſemper ſequitur caput. E. qui vult animal retinere, actori, ratione damni illati, ſatisfacere cogitur. l. 1. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 8. Actio hæc datur ad id, ut animal noxæ dedatur, aut æſtimatio damni offeratur. l. 1. *pr.* l. 1. §. 11. 14. ff. h. t. §. 1. *Inſt. de offic. iudic.* quod intelligendum de quadrupede, vel ſervo læſo, aut occiſo. Aſt ſi liber homo vulneratus fuerit à quadrupede, hoc in caſu habetur ſaltem ratio impenſarum, in curationem factarum, atque operarum amiſſarum, quas impoſterum amiſſurus eſt, inutilis factus, non verò aliter, quoniam liberum corpus æſtimari nequit; ideo nec ob deformitatem, inde ortam, æſtimationem admittit, l. 3. ff. hoc tit.

TH. 9. Si feræ, quas circumforanei ſecum ducunt, nocuerint, actio, hoc eſt, accuſatio extraordinaria contra eos datur. *l. ult. ff. de extraord. crimin.*

TH. 10. Conſtitutiones quoque criminales Caroli V. Imperatoris pœnam extraordinariam criminalem admittunt in eum, qui animal, quod nocuit, ſciens eius ferocitatem, ibi habuit, qua vulgò iter fit,

nec

nec prius removit quam damnum intulit. *art.* 136. *&* 150. *Carpz. prax. crimin part.* 3. *q.* 131.

TH. 11. Porrò non ſolum de pauperie, ſed & de paſtu & damno dato actio eſt. l. 14. ff. *de Præſcript. verb.*

TH. 12. Si animal ſecundùm naturam depaſcendo fructum, in alieno, ultro & proprio motu depaſcit, actio de paſtu datur contra animalis dominum, ut damnum depaſcendo datum reſtituat, aut animal noxæ dedat. d. l. 14.

TH. 13. Ex adverſo; ſi animal non proprio motu, ſed culpa alterius in alienum agrum, pratum, vel fruges alienas immittatur, datur actio utilis L. Aquiliæ, contra eum, cujus culpâ eſt immiſſum. *l. ult. C. ad L. Aquil. c.* 4. *Extr. de injurijs.*

TH. 14. Si fruges alienæ in meum fundum deciderint, eæque ab animali meo depaſtæ fuerint, competit domino actio in factum, ſive ſubſidiaria. l. 14. §. *fin. de præſcript. verb.*

TH. 15. Iure civili animal, quod nocuit, includere non licet, donec ſatisfiat. l. 39. §. 1. l. 40. *in fin. ff. t. ſeq.* iure namque Cæſareo mandata ſine clauſula dantur contra includentes. *Gail.* 1. *obſ.* 8.

TH. 16. Contra iure Saxonico includere animal, quod damnum dedit, eſt permiſſum. *Landrecht lib.* 2. *art.* 47. *&* 48. conſuetudine etiam Germaniæ generali ferè pignorationes pecudis alienæ permittuntur, donec de damno dato ſatisfiat. vide *Magnific.* D*n. Mevium ad Ius Lubec. lib.* 3. *tit.* 11.

TH. 17. Sciendum ultimò, quod ſi ante litem conteſtatam deceſſerit animal, extincta ſit actio. l. 1. §. 13. ff. h. t. quia dominus convenitur tantum ratione animalis, quod habet, quo extincto, ſive caſu, ſive culpa fiat, extinguitur actio; ſi verò dolo eius animal moritur, poſſidere videtur. l. 12. l. 21. ff. *de noxal. act.* idem affirmatur, ſi poſt litem conteſtatam animal culpâ eius intereat, tunc in æſtimationem noxiæ condemnabitur. *arg.* l. 1. §. 1. §. 14. §. 16. ff. h. t.

TITVLVS II.

Ad Legem Aquiliam.
Iung. tit. 35. lib. 3. C. h. t.

TH. I DE damno, quod à quadrupede abſque injuria committitur, in ſuperiori titulo egimus, in hoc agendum reſtat de damno per injuriam à libero homine commiſſo; atque ita hic titulus cum titulo de pauperie, & noxa, quæ in genere damna dicuntur, ratione damni, habet affinitatem.

TH. 2. Actio Legis Aquiliæ (a) eſt actio in perſonam, (b) debitum ex damno injuria (c) dato (d) perſequens.

(a) Dicitur ab Aquilio Tribuno, qui legem hanc à populo rogavit, ut lex Aquilia ſit plebiſcitum. l. 1. §. 1. ff. h. t. §. *Illud palàm Inſt. h. t.* Lex hæc Aquilia poſt legem Hortenſiam latam, vigorem legis accepit, id eſt, cives omnes obligavit, quod legis eſt eſſentiale.

(b) Quia eſt ex delicto, l. 5. §. 1. ff. h. t. l. 32. ff. h. t.

(c) Injuria hic eſt omne illud, quod non iure fit.

(d) Proxima hujus actionis cauſa eſt damnum injuria datum. E. damna injuria non facta huic actioni aſſignari nequeunt, qualia ſunt damna, quæ quidem ex propoſito, ſed iure fiunt, ut [1] cum Magiſtratus ratione officij delinquentem iuſtè punit. l. 29. §. 7. ff. h. t. aliud obtinet, ſi Magiſtratus non ex lege, neque iure aliquem damno afficit, tunc enim hac lege tenetur. d. l. 29. §. *pen.* vel [2] cum quis ex neceſſaria, & iuſta defenſione, tam ratione perſonæ, quam rei, alteri damnum infert. *Priori caſu*, ſi adverſus aggreſſorem moderamine inculpatæ tutelæ utatur. l. 3. ff. *de I. & I.* l. 4. l. 45. § 1. ff. h. t. l. 12. §. 1. ff. *quod met. cauſ. Peinliche Halsgerichts Ordnung. Carol. V. art.* 140. ad duellum tamen provocatus, ſi provocantem occiderit, moderamine inculpatæ tutelæ exceſſiſſe, iure dicitur, quapropter L. Corneliæ de ſicc. locus eſt; quia nemo in propria cauſa eſſe debet iudex, ſed iniuriam illatam legibus vindicare decet, ad quod & milites obligati ſunt. *Imp. Maximilianus II. Articuls brief. art.* 29. *&* 31. *Poſteriori caſu*, putà ratione rei, ut ſi quis, exiſtente incendio, ædes vicini diruat ſuas ut ab incendio liberet. l. 49. §. 1. ff. h. t. l. 3. §. 7. ff. *de incend. ruin. naufrag.* eiuſmodi damnum, neque dolo, neque culpa, ſed caſu fortuito committitur, §. 3. 4. 5. 6. 7. *&* 8. *Inſt. h. t. l.* 39. §. *pen. ff. eod.*

TH. 3. Damnum injuria datum eſt delictum privatum, (a) quo qui,

dolo, (b) vel culpâ (c) patrimonium, ſive rem alienam diminuit, citra eiuſdem amotionem. (d)

(a) *Arg. pr. Inſt. de obligat. quæ ex delict.*

(b) Si quis dolo malo occidat, non modo *civiliter*, lege Aquilia, ſed etiam *criminaliter* judicio L. Corneliæ de ſicarijs tenetur. l. 23. §. 7. ff. h. t. §. *liberum*, *Inſt. h. t.*

(c) Per culpam hic intelligimus, latam, levem, imò leviſſimam. l. 44. ff. h. t. ſive committendo, ſive omittendo ſit commiſſa. l. 8. l. 27. §. 9. h. t. e. g. ſi quis canem, vel adverſarium petens, alium prætereuntem læſerit. l. 45. §. 1. ff. h. t. vel ſi medicus, aut obſtetrix ignorantiâ ægrotum, vel puerperam occidat, vel ignorantiâ quis hominem necet. l. 8. l. 9. l. 31. ff. h. t.

(d) §. 1. & §. 13. *Inſt. h. t. arg. l. 3. ff. de damn. infect.*

TH. 4. Lex Aquilia tria in ſe continuit capita, quorum primum, & tertium ſuperſunt, ſecundum non amplius extat. In primo agitur de damno per occiſionem hominis, vel quadrupedis alienæ, quæ pecudum numero eſt, ſeu quæ gregatim paſci ſolet. §. 1 *Inſt h. t.* In ſecundo de damno per non impoſitas ſervitutes, aut impoſitas quidem, ſed non ritè exercitas, vicino dato cautum fuiſſe, cenſet Cujacius *in C. ad h. t.* In tertio agitur de omni damno præter occiſionem contingente, & non ſaltem de homine, quadrupedeve, ſed omnibus alijs animalibus etiam feris beſtijs, imò & in rebus animo carentibus contingit. §. 13. *Inſt. h. t.* l. 27. §. 5. ff. *eod.* hoc differt à primo capite, quod tantum de homine, & quadrupede, occiſis, (a) non verò vulneratis, ut hîc, tractat.

(a) Occiſum accipere debemus, ſive gladio, ſive fuſte, vel alio telo, vel manibus, vel alio modo, l. 7. §. 1. ff. h. t.

TH. 5. Actio Legis Aquiliæ eſt triplex directa, utilis, & ſubſidiaria, ſive exemplaris.

TH. 6. Directa ex legis verbis deſcendit, & datur domino rei, (eiuſve heredi) cui damnum injuriâ fuit datum. l. 2. *pr.* l. 11. §. 6. ff. h. t.

TH. 7. Actio hæc directa datur contra eum, (a) qui corpore ſuo in corpus dedit (b) damnum. l. 51. l. 56. ff. h. t.

(a) Si plures damnum dederint, omnes tenentur inſolidum, & quod unus pœnæ loco prętat, alterum non relevat. d. l. 11. §. 2. h. t.

(b) Quia hæc actio eſt pœnalis, in heredem non datur, nec is corpore dedit damnum; quatenus autem ex damno dato locupletior eſt factus, datur. §. 9. *Inſt.* h. t. l. 23. §. 8. ff. h. t.

TH. 8. Directa hæc actio datur ad præſtandam damni æſtimationem, quę non ſolum ex tẽpore damni dati, verumetiam retro, quanti res, ſe-

cundùm diverſos caſus, vel eo anno, vel 30. diebus præcedentibus proximis plurimi fuerit. §. 9. §. 14. *Inſt. h. t.*

TH. 9. Sic ex primo capite tanti æſtimatur res, quanti aliquo tempore anni retrorſum computato, plurimi fuerit; hæc clauſula æſtimationem habet damni, quod datum eſt. l. 21. ff. h. t. nec tantum veri damni dati, ſed etiam aliquando longè majoris. e. g. ſi quis hominem, qui hodie mancus, claudus, aut debilitatus eſt, occiderit, qui in eo anno integer, aut pretioſus fuerat, hic tali in caſu non conſideratur, quatenus debilis, ſive ægrotus eſt, ſed quatenus pretioſus eo in anno antea fuit; item ſi pretioſo pictori, aut ſcribæ pollex fuerit præciſus, & intra annum, quo præcideretur, fuerit occiſus, in actione L. Aquiliæ eo pretio æſtimabitur, quanti fuit, priuſquam artem cum pollice amiſiſſet. l. 23. §. 3. ff. h. t.

TH. 10. Ex tertio legis Aquiliæ capite tanti æſtimatur, quanti aliquo dierum triginta proximè elapſorum plurimi fuerit. §. 14. *Inſt.* h. t. l. 29. §. *fin* ff. h. t. unde apertè conſtat, pœnalem eſſe huius L. Aquiliæ actionem; quoniam non ſolum tanti quiſque condemnatur, quantum damni dedit, ſed aliquando longè pluris. §. 9. *Inſt.* h. t. æſtimatur in hac quoque actione omne illud, quod ob rei interitum nobis aliunde contingere cœpit. §. 10. *Inſt. eod.* e. g. ſi ſervus heres ab aliquo inſtitutus, antequam adire iuſſus ſit, occidatur, non ſolum occiſi fiet mentio, ſed etiam hereditatis. Item ſi ex equorum quadrigis unus interficiatur, ſupra pretium interfecti equi id quoque computabitur, quanti depretiati ſint, qui ſuperſunt. Æſtimatio autem, non iuxta ſingulorum affectionem, ſed ut communiter æſtimari ſolet, fieri debet. Moribus hodiernis aliud obtinet; æſtimatur enim res, quanti fuit eo die, quo damnum eſt datum.

TH. 11. Actio L. Aquiliæ utilis eſt, quæ ex legis mente, ſive ſententia datur; quoties enim actio ex legis verbis directa deficit, toties ex benigna legis interpretatione, actio utilis à prætore datur. l. 21. ff. *de præſcript. verb.*

TH. 12. Actio Legis Aquiliæ utilis datur ob qualitatem perſonæ, ſimile jus habentis, uſufructuario, b. f. poſſeſſori & creditori. d. §. 10. *Inſt.* l. 23. §. 3. l. 30. §. 1. ff. h t.

TH. 13. Actio hæc datur adverſus eum, qui quidem in corpus damnum dedit, ſed non corpore. §. *fin. Inſt.* h. t. l. 9. l. 11. §. 1. l. 29. § *pen.* ff h. t. vel ſi quis liberum hominem læſit. l. 13. ff. h. t. qui directam actionem inſtituere non poteſt ob læſionem, quoniam rei læſæ. h. e. membrorum ſuorum non eſt dominus. d. l. 13. ideo utilem tantum

actionem inſtituere poteſt; & ſicuti ſic ob læſionem, ſive vulnus iure agere poteſt, ita heredes eius, aut legatarij, ſi occidatur, utiliter agunt, l. 14. ff. h. t.

TH. 14. In hanc actionem veniunt impendia in medicos facta, & quicquid lucri interverſum, aut damnum per vulnus, ac cædem eſt datum, ob operas amiſſas, &c. l. *ult.* ff. *de his*, *qui dejec. vel effud.* l. 7. *pr.* l. 27. §. 17. ff. h. t.

TH. 15. Quoties nec actio directa, nec utilis competit, exemplaris, ſive ſubſidiaria à Prætore ſubminiſtratur, ad ſupplendum legis defectum, eſtque actio in factum, quæ nec ex verbis, nec ex legis mente, ſive ſententia deſcendit, ſed ſaltem ad exemplum, iuſta Ictorum interpretatione eſt recepta. l. 33. §. 1. ff. h. t.

TH. 16. Actio hæc datur adverſus eum, qui occaſionem quidem præbuit, ut damnum in re noſtra daret; aſt nec corpore, nec in corpus damnum dedit §. fin. Inſt. h. t. e. g. ſi quis miſericordia ductus alienum ſervum compeditum ſolverit, ut fugeret; licet neque corpore ſuo, neque corpori nocitum, quia tamen alteri per alterum iniquam conditionem inferri, haud permiſſum; in ſubſidium actioni huic in factum eſt locus.

TITVLVS III.

De his, qui dejecerint, vel effuderint.

TH. 1. PRÆCEDENTIBVS actionibus noxalibus ex iure civili ortis, duæ ex Prætoris edicto deſcendentes annectuntur, quarum prima damnum jam factum vindicat ex prima edicti parte, poſterior autem quæ damnum infectum, ſive nondum factum amovet, eſtque ex altera edicti parte.

TH. 2. Quia damna ſæpiſſimè, dejectione, vel effuſione præter ambulantibus inferuntur; Prætori æquiſſimum eſt viſum, in id incumbere, ut per vias, & itinera publica, tutò, ſine metu atque periculo commeare liceat; Ideò de his, qui dejecerunt, vel effuderunt, hoc edictum propoſuit. Si in eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in quo conſiſtitur, dejectum, vel effuſum quid fuerit; quantum ex ea re damnum datum, factumve erit, in eum, qui ibi habitaverit, in duplum iudicium dabo. Si eo ictu homo liber perijſſe dicetur, 50. aureorum judicium dabo. Si vivet, nocitumque ei eſſe dicetur, quantum ob eam

rem æquum judici videbitur, eum, cum quo agetur, condemnari; tanti judicium dabo. Si ſervus, inſciente domino feciſſe dicetur, in judicio adjiciam, aut noxam dedere. l. 1. *in pr.* ff. h. t.

TH. 3. Actio hæc de effuſo (a) & dejecto (b) eſt actio in perſonam, (c) in factum. (d)

(a) *Effuſum* intelligendum eſt de liquore.

(b) Dejectum accipe, ſi corpus ſolidum dejiciatur, lapis, tegula &c.

(c) Quia eſt ex qſ. delicto, præſumptio enim delicti adverſus inhabitatorem eſt, culpaque penes eum reſidet, quod non meliorem curam familiarium habuerit, l. 1. §. 4. ff. h. t. culpa hæc in omittendo conſiſtens non attenderetur, niſi ob publicam fieret utilitatem, quâ expedit, per itinera & vias ſine periculo & metu commeari. l. 1 §. 1. *&* 2. ff. h. t.

(d) Quia inhabitator ob alterius factum condemnatur. l. 1. §. 4. l. 5. §. 4. ff. h. t.

TH. 4. Actio illa datur ei, qui damnum in corpore, vel veſtimentis ſuis ex effuſione, vel dejectione eſt paſſus, l. 1. §. 6. ff. h. t. datur etiam ipſius heredibus, actione ſc. rei perſecutionis, non verò pœnæ, h. e. in duplum, l. 5. §. 5. ff. h. t. *de oblig & act.* quia hæc actio eſt perpetua, & in æſtimabilibus in duplum, in quo & res ineſt, competit.

TH. 5. Si dejectione hac liber homo perijt, cuivis de populo agere volenti, non autem heredi (a) competit. l. 1. *pr.* d. l. 5. §. 5. h. t.

(a) Heredi, ſc. quâ heredi non competit, ſed ut alij, de populo eâ experiri licet, cum ſit popularis, damnumque corpori libero illatum, iure hereditario ad ſucceſſores tranſire non debeat, aliàs defuncti corpus liberum reciperet æſtimationem, quod abſurdum. l. 3. ff. *ſi quadrup. pauper. feciſ. dica.*

TH. 6. Actio hæc adverſus eum, qui inhabitavit (a) eo tempore, quo dejectum, vel effuſum eſt, datur. l. 1. *pr. &* §. 4. ff. h. t. non verò contra heredem. (b)

(a) E. non in dominum ædium, ſi non ipſe, ſed alius ædes inhabitet, l. 1. §. 4. ff. h. t. quia culpa penes habitatorem eſt, qui ſuorum culpam præſtare obligatur. l. 5. l. *pen. in fin.* ff. h. t. hæc etiam datur contra ſtudioſos in Academijs ætatem degentes, ſi quid ex ſuis Muſæis conductis dejiciant, vel effundant, quia & illi cenſentur inhabitatores.

(b) Quoniam eſt pœnalis. l. 5. §. 5. ff. h. t. §. 1. *Inſt. de perpet. & temp. act.* l. 111. ff. *de Reg. iur.*

TH. 7. Priuſquam actio hæc, ad quid competat, proponi poteſt, diſtinguendum eſt circa rem, quæ damnum accepit; vel enim ea eſt æſtimabilis, (a) vel inæſtimabilis. (b)

(a) Si damnum in rebus æſtimabilibus fuit datum, actio in duplum competit, l. 1. *pr.* ff. h. t. cui etiam ſimplum ineſt, in quo gravior eſt, quàm actio L. Aquiliæ, quæ ſui natura in ſimplum eſt, per accidens ſaltem in duplum propter inficiationem.

(b). e. g. quando homo, vel occiſus, vel ſolum læſus eſt, quia res, id eſt homo æſtimari nequit, ideò, ſi homo eſt occiſus, datur actio ad pœnam 50. aureorum, l. 1. *pr.* & §. 5. ff. h. t. poſteriori verò caſu, ſi homo modo læſus, datur ad æſtimationem curationis, & operarum amiſſarum, quibus caruit, aut cariturus eſt, ob id, quod inutilis eſt factus, §. *ult.* ff. h. t. Nulla tamen cicatricum, aut deformitatis eſt æſtimatio, quia liberum corpus æſtimari nequit. d. l. ult.

TH. 8. Priori actioni ſimilis eſt actio de poſito, aut ſuſpenſo, quæ eſt actio in perſonam, (a) in factum.

(a) Quia eſt ex qſ. delicto in omittendo conſiſtente, quo quis quid poſitum, aut ſuſpenſum habet ſupra eum locum, qua vulgo iter fit, inve quo conſiſtitur, quod poteſt, ſi ceciderit, alicui nocere. §. 1. *Inſt. de obligat. quæ ex qſ. delict.* l. 5. §. 6. ff. h. t.

TH. 9. Actio hæc eſt popularis, (a) cuivis è populo competens, potiſſimum autem ei, cuius maximè intereſt, eiuſque heredi, l. 5. §. 13. ff. h. t. eſt etiam annalis, quia eſt pœnalis.

(a) Quia publicas vias eſſe ſecuras, atque ab omni periculo liberas, cuiuſlibet intereſt. l. 5. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 10. Actio hæc datur contra eum, (a) qui quid periculosè in ſuggrundâ, vel protecto poſitum, aut ſuſpenſum haberi (b) patitur, & non prohibet.

(a) ſive inquilinus fuerit, ſive ædium dominus, etiamſi ædes non inhabitet. l. 5. §. 8. & 11. ff. h. t.

(b) Aſt ſi ſuſpenſum ceciderit, actio ex L. Aquilia competit adverſus eum, qui poſuit, l. 5. §. 12. ff. h. t. & non contra eum, qui habitauit, & non poſuit. d. l. 5. §. 12.

TH. 11. Datur ad pœnam 10. aureorum. l. 5. §. 6. ff. h. t.

TITVLVS IV.

De noxalibus actionibus.
Iung. tit. 41. lib. 3. C. d. t.

TH. 1. SICVTI habitator ſuorum culpam præſtat, ita dominus, ſi ſervus deliquerit, eius nomine conveniri poteſt, ſervus enim ipſe in judicio, cum legitimam in eo ſtandi perſonam non habeat, conveniri nequit, l. *ſervus* C. *de judic.* l. 53. ff. *eod.* habetur pro mortuo, h. e. nullo, caput (puta civile) non habente, l. 32. ff. *de* R. I. Inſuper ſervus nihil proprij poſſidet, unde damnum, ſi quod inferat, reſarciri poſſit. l. 12. §. 1. ff. *de accuſat.* Prætori æquum videbatur, dominum ex noxâ, h. e. maleficio ſervi privato (a) noxalibus actionibus (b) conveniri, ut, cui emolumenta, & fructus acquiruntur, ad eundem & detrimenta culpâ ſervi contracta pertinerent; ne delictum ſervi maneret impunitum, & ut conſuleretur ei, cui damnum erat datum.

(a) Vt furto, rapina, damno, injuria, ex quibus dicitur damnum oriri pecuniarium, ſi dominus ſervum noxæ dedere noluerit. In publicis verò delictis ſive maleficijs noxalis actio non habet locum, quia in illis liberorum & ſervorum nulla eſt differentia, nullus reſpectus, ſed omnes ſine diſcrimine ſontes ad vindictam, & in aliorum exemplum corporali ſupplicio afficiuntur. l. 2. C. *de accuſat.* l. 4. C. *ad L. Iuli. de vi.*

(b) Noxalis actio nihil aliud eſt, quam qualitas actionis ex delictis privatis deſcendens; Eiuſmodi actiones per ſe non ſubſiſtunt, nec cæteris actionibus ſunt contradiſtinctæ. §. *ſunt autem Inſt.* h. t.

TH. 2. Actio noxalis ex ſervi delicto proveniens datur damnum paſſo, contra ſervi dominum, (a) vel poſſeſſorem. (b)

(a) Quod ita obtinet, [1] ſi ſervus domino ignorante, vel ſciente quidem, ſed prohibere non valente, damnum alteri intulit. l. 2. 3. 4. ff. h. t. aliàs ſi iubente domino nocuit, vel non prohibente, cum prohibere poſſet & deberet, dominus in ſolidum, tanquam ex ſuo proprio delicto tenetur, d. l. [2] ſi ſervus interea, antequam agatur, non ſit manumiſſus, manumiſſione enim extinguitur noxalis actio; interim tamen datur adverſus manumiſſum directa ex delicto actio. l. 4. C. *ne ſerv. pro ſuo fact.* §. 5. *Inſt.* h. t. hoc in caſu differunt delicta à contractibus, ex quibus in ſervitute celebratis, nulla eſt adverſus manumiſſum actio, l. 1. & 2. C. *ne ſerv. pro ſuo fact.* Ratio diverſitatis eſt, quia dum cum ſervis contrahimus *volentes*, non poſ-

ſumus

ſumus videri reſpexiſſe caſum & eventum libertatis inſecuturæ; Damnum contrà *inviti* patimur, igitur quoquo modo illud reſarciri, æquum eſt.

(b) Sive bonæ fidei, ſive m. f. poſſeſſor fuerit, quia *noxa* (h.e. delictum) *caput* (ſc. ſervi delinquentis, non autem domini) *ſequitur*, hoc eſt obligatio ex delicto ſemel contracta inhæret ſervo, & eum, quocunque eat, ad quemcunque dominum comitatur, §. 5. *Inſt.* h.t. l. 20. l. 37. l. *pen.* ff. h.t. quamdiu E. ſervus ſub eiuſdem domini poteſtate manet, dominus convenitur; ſi verò in alterius poteſtatem veniat, alter conveniri poteſt. Vnde emptores ſibi cavere ſolent ſtipulationis clauſulâ, ſervos venditos noxis eſſe ſolutos, ut regreſſum eo nomine contra venditorem habeant. l. 1. §. 1. *ff. de ædilit. edict.*

TH. 3. Actio hæc noxalis alternativè inſtituitur, ſecundum quam ſententia etiam fertur, ut aut ſervum noxæ dedat (a) dominus, aut litis æſtimationem præſtet. l. 1. ff. h. t. l. 6. §. 1. ff. *de re judic.* l. 21. pr. ff. h. t.

(a) E. dominus præciſe ad litis æſtimationem cogi nequit propter ſervi nequitiam, l. 1. ff. h. t. quia iniquum eſſet, nequitiam ſervi domino eſſe damnoſam, ultra deditionem; hæc deditio damnum paſſo ſaltem ex æquitate conceditur, cum ſervus neque bona habeat, neque conveniri poſſit, l. *fin.* C. h. t. ne aliàs delictum maneret impunitum.

TH. 4. Hodiè cum Chriſtiani non ſervis propriè talibus, ſed liberis hominibus pro miniſtris utantur; ideò actioni noxali in illis non eſt locus *arg.* §. 3. *Inſt.* h. t. ſed pœnæ ſuos autores tenere debent. l. 26. ff. & l. 22. C. *de pœnis.* l. 33. §. 1. C. *de inoffic. teſtam.* ipſique ex delictis proprijs conveniuntur.

LIBER DECIMVS

TITVLVS PRIMVS.

Finium regundorum.

Iung. t. 39. lib. 3. C.

TH. 1. A LIBRO quinto ad hunc uſque librum agunt Compilatores de iudiciis realibus, quæque illis ſimilia ſunt; hic verò de iudicijs mixtis tractare incipiunt, antequam ad iudicia perſonalia, quæ in perſonam ſunt, deſcendant.

TH. 2. Iudicia mixta (a) ſunt triplicia: in primo actiones finium regundorum, in ſecundo familiæ erciſcundæ, & in tertio communi dividundo instituuntur.

(a) Mixta dicuntur, quia tam in rem, quàm in perſonam, §. 20. *Inſt. de act.* competunt, magis tamen in rem, quam in perſonam, cum dominium ſemper præſupponant, intellige rerum confuſarum, & communium; obligationem tunc demum præſupponunt, ubi fructus ab altero, vel percepti, vel expenſę ſunt erogatę, vel ſimile factum prętationis perſonalis intervenit. l. 1. *&* 4. ff. *commun. divid.*

TH. 3. Actio finium regundorum (a) eſt actio mixta, (b) quæ datur inter eos, qui confines (c) habent agros, ut fines ritè diſcernantur, & ſi quid damni nobis ex hac terminorum confuſione emergat, reſarciatur. (d)

(a) Fines *regere* eſt, eos diſtinguere, diſcernere; regit, ſive dirigit iudex fines, vel ordinariè, vel extraordinariè, [1] *Ordinariè*, ſi terminos in antiquam formam reſtituat, adeoque id, quod ante confuſum erat, diſcernit, ut quod ultra iuſtos fines quiſque habet non retineat, aut amplius poſſideat, ſed reſtituat; hoc, ut legitimè fiat, iudex ipſe oculis ſuis loca, quorum termini confuſi, ſubjiciat, vel menſores mittat, qui parte utraque pręſente, vel alterâ per contumaciam abſente, pręſtito iuramento, & ex animi ſui ſententia agrum,

vel locum controverſum metiantur, l.3. C. h. t. & ut iudici limites ab agrorum menſoribus eo accuratiùs demonſtrentur, ichnographiam (*Germanicè ein abriſſ.*) conficere ſolent. *Maſcardus de probat. concluſ.* 399. Hos menſores iudex, vel ex voluntate partium, vel illis diſſentientibus, ex officio conſtituet. In Camera Imperiali ſolent decerni Commiſſarij cum agrimenſoribus. [2] *Extraordinariè* judex dirigit, ſi, dum, vel omnino non, vel non commodè poteſt veteres fines dirigere, ſive diſtinguere, adjudicatione & condemnatione controverſiam dirimat, quod fit, dum per aliam regionem agrorum fines ponit, partem ex unius domini agro detrahendo, & alterius agri domino adjiciendo, l. 2. §. 1. ff. h. t. § *pen. Inſt. de offic. iudic.* quę adiudicatio cęteris quoque iudicijs diviſorijs eſt communis.

(b) Ita vocatur, quod partim ſit ex iure in re, ſive dominio, partim ex iure ad rem, ſ. obligatione, quę ex delicto, vel qſ. contractu deſcendit §. 20. *Inſt. de action.* l. 4. §. 5. *&* 9. l. 12. ff. h. t. ex jure in re eſt ob rationes ſeqq. quia [1] dicitur pro vindicatione eſſe, hoc eſt pro reali actione, l. 1. ff. l. 1. C. h. t. *arg.* §. 15. *Inſt. de action.* [2] quia petitur ſuum reſtitui, l. 8. ff. h. t. [3] quia ex dominio ęſtimatur, vel alio iure in re, l. 4. §. 9. ff. h. t. quod iudex in iudicando attendere debet, ideoque & agens ſe in eo fundare, l. 4. ff. h.t. Ex iure ad rem eſt, (1) quia datur in perſonam, §. 20. *Inſt. de action.* l. 1. 3. ff. h. t. (2) quia ex turbatione terminorum eſt, l. 11. ff. h. t. quę vel dolo fit, ut ſi termini à confine dejecti, vel exarati, & tum obligatio eſt ex vero delicto, l. 4. §. 2. ff. h t. vel ſi caſu & errore, e. g. irruptione fluminis &c. & tunc obligatio eſt ex qſ. contractu, quia alter alteri tacitè qſ. eius, quod intereſt, fines non fuiſſe turbatos, d. l. 4. §. 1. pręſtationem promittere cenſetur. Nota, dominium, & obligatio ſunt huius actionis cauſę uti ſupra conſtat.

(c) Confines agri dicti ſunt ratione confinij, confinium eſt ſpatium, ſ. interſtitium 5. pedum, inter vicinorum prędia quoad latitudinem ex L. 12. Tabb. conſtitutum, quo ſine alterius incommodo quis ire agri colendi gratia, aratrumque circumduci poſſit. l. 3. ff. *de termin. mot.* Spatium illud dicitur aliàs gradus, non tamen ſimplex, qui pedes habet duos cum dimidio, ſed geometricus 5. pedibus conſtans, d. l. 3. quod uſucapi non poterat.

(d) Quod fit, quando (1) fructus reſtituntur, poſt litem conteſtatam percepti, l. 4. §. 2. ff. h. t (2) Impenſę ſolvuntur, d. l. 4. §. 1. (3) pretium portionis adiudicatę refunditur, (4) pœna ex delicto turbatorum finium, vel ex contumacia ſolvitur. §. 6. *Inſt. de offic. iudic.* l. *pen.* ff. *famil. erciſcund.*

TH. 4. Actio finium regundorum eſt directa, vel utilis.

TH. 5. Directa actio ex legis verbis deſcendens competit domino, prædia ruſtica confinia (a) habenti. l. 4. *pr.* l. 8. *pr.* l. 12. ff. h. t.

(a) Vrbana non ſunt confinia, ſed magis vicina dici poſſunt, quoniam parietibus ſunt diſtincta, l. 4. *fin.* h. t. & licet ędificia in agris ſint poſita, huic actioni non eſt locus, ſed actioni confeſſorię, aut negatorię, aut alicui interdicto. Nec agri ſunt confines, ſi via publica, vel flumen interveniat. d. §. f. *&* l. 5. ff. h. t.

TH. 6. Datur adverſus eos invicem, qui fines ſuorum agrorum habent confuſos (a) vel malitioſe turbatos poſſident. §. *pen. Inſt. de offic. Iudic.*

(a) d. l. 4. §. *fin.* l. 5. *&* 6. ff. h. t. l. 2. §. 1. l. 11. §. *fin.* ff. *de jurisdiction.*

TH. 7. Actio hæc finium regundorum directa non datur contra tertium, qui non eſt vicinus, ſive confines agros non habet; ſi hîc terminos, ſive limites ejiciendo, dominum agrorum turbet; competit tamen contra eiuſmodi turbatorem accuſatio criminalis. l. 1. *&* 2. ff. *de termin. mot.*

TH. 8. Vterque confines agros poſſidentium, tam actoris, quam rei partes ſuſtinere poteſt, unde duplex oritur iudicium, l. 15. §. 1. ff. *de procurat.* & qui prius ad iudicium provocat eſt actor, qui probare cogitur, fines ſuos à confine eſſe turbatos. l. 10. ff. h. t. l. 2. §. 1. ff. *commun. divid.* l. 13. ff. *de iudic.*

TH. 9. Termini agrorum, ſive limites probantur ſequentibus modis, [1] per lapides antiquos finales, [2] foſſas, [3] arbores, [4] per teſtes præſertim ſenes, [5] inſtrumenta, [6] libros cenſuales, [7] per exercitium iuriſdictionis. d. *Maſcard. de probat. concluſ.* 393.

TH. 10. Actio hæc ad id datur, ut termini officio iudicis in priſtinum ſtatum reſtituantur, vel ſi hoc commodè fieri non poſſit, ob perplexam terminorum perturbationem, dirigantur novi, ſecundum iuſtam agrorum proportionem, l. 4. *pr.* l. 7. *&* 8. ff. h. t. quod valdè neceſſarium, ad pacem conſervandam, rixaſque & arma inter vicinos ſopienda.

TH. 11. Actio utilis finium regundorum ex legis mente, ſ. ſententia oriens datur utilibus dominis, ut emphyteutæ, uſufructuario & creditori, (qui iure pignoris poſſidet) l. 4. §. 9. ff. h. t. propter ius, quod in re habent; datur hæc actio contra eoſdem, quia iudicium hoc eſt duplex, uterque enim in hac actione aliquid petit.

TH. 12. Vtilis hæc actio conceditur etiam, ut in urbe de hortorum latitudine experiatur. l. 4. §. *fin.* h. t.

TH. 13. Actio finium regundorum longiſſimo tempore (a) præſcribitur, factâ computatione à die, quo fines fuerunt confuſi. l. *ult.* C. h. t.

(a) Non longo; ratio eſt, quia actio finium regundorum non modò in rem, verumetiam perſonam competit, ob id, non poteſt longo tempore, ſicuti actiones in rem ſimplices, preſcribi. l. 3. C. *de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* l. 7. C. *de petit. hered.* l. 1. § 1. C. *de annal. except.*

TITVLVS II.

Familiæ erciſcundæ.

Iung. tit. 36. lib. 3. C. d. t.

TH. 1. QVOMODO agri, quorum termini ſunt confuſi, probè diſcerni, inque priſtinum ſtatum reponi queant, expoſuimus, ſequuntur nunc iudicia, quibus res communes dividuntur.

TH. 2. Iudicia illa ſunt, vel univerſalia, (de quibus h. t.) vel particularia (de quibus titulo ſeq.) prout res, quæ dividi debet, vel univerſalis, vel particularis eſt.

TH. 3. Actio familiæ (a) erciſcundæ (b) eſt actio mixta. (c)

(a) Vox familiæ eſt æquivoca, quæ & ad perſonas, & ad res referri poteſt. l. 195. §. 1. ff. *de V. S. Ad perſonas*, vel [1] ſingulares, ut patrisfam., vel [2] plures, qui certum corpus conſtituunt, & patrisfam. poteſtati ſubſunt. *Ad res* relata hereditatem denotat, ut in L. 12. Tabb. e. g. ſi ſuus heres non extet, proximus agnatus familiam habeto. §. 1. & 3. *Inſt. de teſtam. ord.* & ita hic accipitur; ubi pro rebus hereditarijs accipitur, & non ſignificat modum ſuccedendi.

(b) h. e. dividendæ; erciſcere enim antiquum eſt verbum, & ſignificat dividere; unde actio familiæ erciſcundæ eſt actio hereditatis dividendæ. l. 3. l. 18. C. h. t.

(c) Quia eſt [1] ex iure in re, h. e. hereditate, & iure ad rem, ſive obligatione, h. e. qſ. contractu, reſpectu perſonalium præſtationum. l. 12. §. *pen.* ff. h. t. e. g. accepti commodi, vel incommodi, fructuum, expenſarum l. 18. & 19. ff. h. t. Quia [2] in hoc iudicio duplici, unuſquiſque heredum, & actoris, & rei partis ſuſtinet, cum uterque in eo quid petat. l. 2. §. 3. l. 45. §. 4. ff. h. t. quamvis ob ordinem iudiciorum ſervandum, is actoris vice fungatur, qui prius ad diviſionem hereditatis provocat. l. 13. ff. *de indic.*

TH. 4. Actio familiæ erciſcundæ ex iure hereditario (a) deſcendens datur inter heredes, quorum quilibet hereditatis communis diviſionem, invitis etiam coheredibus (b) petere poteſt, l. 43. ff. hoc tit.

(a) Quod eſt huius actionis cauſa efficiens. l. 22. §. 4. ff. h. t. materia verò ſunt res hereditariæ, forma ex Theſi 12. ſeq. eſt petenda; finis, ut hereditas inter heredes officio iudicis dividatur, & quilibet ſuam hereditatis partem ſolus poſſideat.

(b) Quia communio diſcordias ut plurimum excitare ſolet; l. 77. §. *dulciſſimis ff. de legat.* 2. idcirco aliquem in hereditatis communione detinere invitum, leges vetant. *l. fin. C. commun. divid.*

TH. 5. Actio hæc eſt [1] civilis, (a) [2] univerſalis; (b) & [3] bonæ fidei. (c)

(a) Quia ex L. 12. Tabb. originem trahit. l. 1 ff. h. t.

(b) Quia univerſæ res hereditariæ in eam deducuntur, adeò, ut Iudex nihil indiviſum relinquere debeat, & ſic de omnibus commodis & incommodis hereditatis, hoc iudicium competit. l. 25. §. 20. ff. h. t. unde in illud & preteriti temporis fructus veniunt. l. *pen.* ff. h. t. item ea, quę vel dolo, vel culpa coheredis, aut amiſſa, aut deteriora ſunt reddita. l. 25 §. 16. ff. h. t. huc quadrat, quod Vlpianus, iudicium, inquit, ex duobus conſtare, rebus videl. quæ dividi petuntur, & præſtationibus, quæ alij ab alio, ratione fructuum, doli, culpæ, ſumptuum, &c. ſunt præſtandæ. l. 22. §. *pen.* ff. h. t. ut ſi quis impenſas neceſſarias, vel utiles in res hereditarias poſt mortem teſtatoris fecit, reputari & deduci poſſunt. l. 6. §. 2. l. 25. §. 15. ff. h. t.

(c) Quia ex civili, bonæque fidei iudicio oritur §. *actionem, Inſt. de action.* ut laxior ſit iudicis in adjudicationibus, ex bono & æquo faciendis, poteſtas.

TH. 6. Actio familiæ erciſcundæ eſt directa, vel utilis.

TH. 7. Actio directa datur heredibus iuris civilis, qui vel directò in teſtamento inſtituuntur, vel ab inteſtato ſuccedunt. l. 1. *pr.* l. 2. *pr.* l. 36. ff. h. t.

TH. 8. Datur de rebus hereditarijs, adhuc communibus dividendis, quas defunctus, vel iure dominij, vel poſſeſſionis, vel in defenſione habuit. l. 9. 10. 11. 12. & 44. *pr.* ff. h. t.

TH. 9. Ad hoc iudicium, ut res communes hereditariæ officio iudicis dividantur. l. 26. ff. h. t. tum demum perveniri ſolet, cum neque ex teſtatoris, neque heredum voluntate hereditas eſt diviſa. Tunc enim partitio, ſive diviſio, quæ privatâ conſenſione iniri nequit, Iudicis authoritate explicatur & perficitur, quâ peractâ, res amplius non ſunt hereditariæ & univerſales, ſed ſingulares, cuilibet videl. heredi, ob hanc adjudicationem, propriæ; quare ſi lis poſtea inter coheredes, de rebus diviſis oriatur, non actio familiæ erciſcundæ, ſed communi dividundæ ipſis ſubminiſtratur. l. 20. §. 4. ff. h. t.

TH. 10. In iudicium hoc non veniunt [1] nomina. l. 4. ff. h. t. quia ex L. 12. Tabb. ſine ullo iudicio inter heredes pro portione hereditaria ſunt diviſa, ut aliter dividi nequeant. l. 25. §. 1. ff. h. t. l. 6. C. *eod.* l. 2. C. *de hered. act.* [2] quæ furto, aut alio crimine acquiſita ſunt, quæ dominis, aut quibus debentur, reſtitui oportet. d. l. 4. [3] per-

vitioſa, h. e. venena, mala medicamenta, libri improbatæ lectionis, &c. qui à bono judice ſtatim ſunt corrumpendi, [4] quæ ſpeciali titulo, e.g. pro donato, pro empto, &c. à coherede poſſidentur. l. 25. §.7. ff. h. t. univerſalia enim iudicia adverſus ſpeciali titulo poſſidentem non datur. l. 45. ff. h. t. l. 25. §. 7. *&* 8. ff. *eod.*

TH. 11. Actio utilis datur illis, qui iure civili non ſunt heredes, ſed vicem heredum repræſentant, ut bonorum poſſeſſoribus, fideicommiſſarijs. l. 40. ff. h.t. vel arrogatis. l. 2. §. 1. ff. h.t.

TH. 12. Modus dividendi res hereditarias eſt talis, iudex res dividendas conſignari curat, eaſque nonnunquam adhibitis peritis, & juratis æſtimatoribus æſtimat, quo facto eas in tot partes, quot requiruntur, iuxta heredum numerum dividit, & ſingulis heredibus ſuas adjudicat, & addicit portiones. l. 22. §. 1. 2. ff. h. t. vel ſi res hereditariæ commodè dividi nequeant, ut heredes ſinguli portionem ex aliquo corpore. e. g. prædio, ſive ædibus capiant, fiat, prout iudici commodiſſimum videbitur, adjudicatio, ut ſcilicet per modum qſ. permutationis, alteri Tuſculanum, alteri Cornelianum addicat. *arg.* l. 20. §.3. ff. h.t. vel uni proprietatem, alteri uſumfructum adſignet. §.4. *&* 5. *Inſt. de offic. iudic.* l. 6. §. 1. ff. *de uſufr.* l. 22. §. 1. ff. h. t. vel inſtar emptionis venditionis, alteri rem, alteri certam pecuniam, videlicet pretium proportionatum, quod ipſi ratione partis hereditariæ debetur, adjudicet. *l.* 1. *C. comm. utri. iudic.* §. *fin. Inſt. de offic. iud.* Et ne iudex parti uni plus, quam alteri favere videatur, ac ſi rem magis huic, quam illi adjudicare velit, res iuxta receptum uſum, ſorti committi ſolet. *Carpz. p.* 3. *conſt.* 15. *defin.* 1.

TH. 13. Quoties iura incorporalia quæ per naturam individua, ut ſervitutes reales, iuriſdictio, ius patronatus inter res hereditarias dividendas veniunt, tunc illis in caſibus diviſio conceditur, non tamen ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; quæ diviſio fit [1] per uſum alternum, e. g. quando iudex heredibus uſum rerum incorporalium alternis annis, menſibus, &c. adjudicat. l. 7. §. 10. ff. *commun. divid.* l. 16. §. 2. ff. h.t. [2] uni heredum commoditas locatur, qui penſionem inter omnes dividendam præſtat. Priori modo, Duces Luneburgenſes, & Brunſwicenſes alternis annis utuntur Rectoratu, ſive Directorio Academiæ Helmſtadienſis, ſive Iuliæ, alternis quoque temporibus utuntur iure Patronatus, & conferendi Profeſſiones.

TH. 14. Si res hereditariæ heredibus, iudicis authoritate diviſæ, atque adjudicatæ, ab uno vel altero evincantur, alter alteri evictionem præſtare obligatur. l. 14. C. h. t. quapropter iudex curare ſolet, ut de

evictione cautionem præſtent heredes illi, cui rem adjudicat. l. 25. §. 21. ff. h. t.

TH. 15. Res hereditariæ communes ab uno heredum ſolummodò, per 30. annos poſſeſſæ præſcribuntur, atque ita alter, per tot annorum decurſum non poſſidens, ab hac actione excluditur. l. 1. §. 1. C. *de annal. except.* Contrarium verò obtinet, ſi heredes omnes hereditatem communem per 30. annorum ſpatium poſſederint. l. 70. ff. *pro ſocio.* l. 14. §. 2. ff. *comm. divid. l. fin. C. eod.*

TH. 16. Quæritur ultimò, an ſumptus ſtudiorum in filium à patre collati in hoc iudicium veniant? Reſp. negando, quoties non conſtat, patrem eos expendiſſe credendi animo. l. 50. ff. h. t. quia ne quidem in collationem veniunt ſumptus ſtudiorum, multo minus. E. in diviſionem, de quo ad t. ff. *de collat. bonor.*

TITVLVS III.

De Communi dividundo.
Iung. t. 37. lib. 3. C. d. t.

TH. I. EXPLICATO familiæ erciſcundæ iudicio univerſali ſubjungimus, iuxta Digeſtorum methodum, iudicium communi (a) dividundo particulare; quod ideò ita dicitur, quia regulariter eſt de rebus particularibus; interim tamen poteſt interdum & de univerſalibus eſſe, e. g. ſi ſocietas omnium bonorum, tam præſentium, quàm futurorum inter ſocios ineatur, l. 1. §. 1. l. 5. ff. *pro ſocio.*

(a) Vox hæc eſt æquivoca, varias admittens ſignificationes, [1] *communio* ſecundùm ius naturæ eſt, qua omnia ubique communia eſſe dicuntur; & in hoc ſenſu iterum dupliciter accipi poteſt, vel quod ab initio ſint communia antequam ab alio occupentur, vel quod etiam poſt occupationem communia maneant & omnibus ex æquo liberè uſurpanda ſint expoſita; [2] iuxta ius civile publicum, ſi tale hodie nobis daretur, quod aliјs ſomniantibus fingitur, ut videlicet nemo privatum quid poſſideat, ſed omnia omnino bona, certis perſonis publicè conſtitutis, in ſingulos cives, pro cuiuſque conditione & neceſſitate diſpenſentur, qualis communio ſub initio naſcentis Eccleſiæ Hieroſolymis inter fideles fuit, & hodie ab Anabapriſtis urgetur, & à Platone in libris de Republ. defenditur. Ariſt. 2. polit. 3. [3] reſpectu conventionis privatæ, vel caſus fortuiti fit communio, ſi eadem res in duorum

rum vel plurium dominio ita ſit,ut in eadem re ibi domini partes magis habeant intellectu,quam corpore , adeoque dominium totum in qualibet parte etiam minima; acceptio hæc tertia eſt huius loci, non veró duæ antecedentes.

TH. 2. Actio communi dividundo (a) eſt actio mixta, (b) qua illi, quibus res particularis eſt communis,inter ſe agunt de re iſta dividenda,commodis,& incommodis (c) communicandis.

(a) Dividere hic denotat id,quod ante commune erat, proprium efficere.
(b) Quia ex iure in re, h. e. dominio, & ad rem, h. e. obligatione & qſ. contractu datur.
(c) Sive damnis dolo,lata,& levi culpa datis, alioque intereſſe.

TH. 3. Actio hæc communi dividundo eſt duplex,directa, & utilis.

TH. 4. Datur actio directa eis, qui rem particularem ex juſta aliqua cauſa, ſeu titulo habent communem. (a) l. 12. §. 1. ff. *de furt.* l. 7. §. 4. 5. & 9. ff. h. t. ſive poſſideant, ſive non modò conſtet, rem eſſe communem, quia actor ſe ſemper fundat in jure in re conſtituto,licet non poſſideat. § *fin. de act.*

(a) Sive iſta communio ex contractu ſocietatis,ſive alio modo, nimirum emptione, legato, donatione, &c. ſit.

TH. 5. Vtilis actio ex æquitate datur domino utili, fundum vectigalem poſſidenti, & publicianam habenti. l. 7. *pr.* & §. 1. ff. h. t. aut ex alia juſta cauſa, (a) pro ſuo uſurpanti. d. l. 7. §. 4.

(a) E. non competit [1] prædonibus, [2] precario, aut clàm poſſidentibus, nec [3] colonis; nullam enim habent iuſtam poſſeſſionis pro ſuo cauſam; ſed vel injuſtè, vel alieno nomine poſſident. d. l. 7. §. 4. & 11.

TH. 6. Datur hæc actio, in genere domino vero, utili, uſufructuario, creditori ratione pignoris, &c. contra eoſdem etiam vice verſâ dari poteſt, quia judicium hoc eſt duplex, in quo uterque & actoris, & rei perſonam ſuſtinet. l. 2. *in fin.* ff. h. t.

TH. 7. Datur ad id,ut res ſingulares communes dividantur, & præſtationes perſonales fiant, h. e. impenſas in rem communem neceſſario,vel utiliter factas alter exſolventi pro parte reſtituat, ad quas alter alteri ex qſ. contractu communionis eſt obſtrictus. §. 3. *Inſt. de obligat. quæ ex qſ. contr. l.* 4. §. 3. *l.* 6. §. *1.&* 2. *ff. h. t. l.* 4. *C. h. t. l. 11. ff. eod.*

TH. 8. Origo hujus actionis eadem eſt,quæ familiæ erciſcundæ, putà,quod ſit ex L. 12. Tabb. ſi non ex legis verbis,ut directa actio,tamen

ex eiuſdem ſententia, ut utilis actio, quæ fuit, neminem in communione rerum hereditariarum, propter rixas & diſcordias, quæ inde oriri ſolent, permanere, teneri. l. 77. §. *dulciſſimis ff. de legat. 2.*

TH. 9. Hæc actio communi dividundo in iure noſtro non eſt ſuperflua, ſed æquè neceſſaria, ac actio familiæ erciſcundæ, ac pro ſocio; poſterioribus enim illud non poteſt intentari, & effici, quod illa præſtatur; quia actio familiæ erciſcundæ ſaltem inſtituitur [1] de rebus hereditarijs, non alijs de cauſis communibus, [2] ſemel tantum competit, non amplius, nec ſi res aliquæ etiam hereditariæ caſu quodam communes permanſerint, amplius intentari poteſt. l. 20. §. 4. ff. *famil. erciſcund.* Quod actionem pro ſocio attinet, illa ſolum inter ſocios locum habet, & ad res dividendas non pertinet, ſed magis ad præſtationes perſonales. l. 1. ff. h. t. quoniam actio pro ſocio tantum eſt in perſonam, contra petitio diviſionis eſt ſpecies vindicationis, quo reſpectu iudicia hæc vocantur mixta in rem eſſe.

TH. 10. Si unus ſociorum rem communem ſolus poſſideat, per 30. annos, præſcriptio admittitur. l. 1. §. 1. C. *de annal. except.* ſi verò rem communem omnes ſocij poſſideant, etiamſi per 30. & plures annos poſſederint, præſcriptioni nullus eſt locus, ſed actionem communi dividundo inſtituere, iure eſt permiſſum, quia quilibet eorum ius ſuum, continuâ rei communis poſſeſſione conſervavit.

TITVLVS IV.

Ad Exhibendum.

Iung. tit. 42. lib. 3. C. eod.

TH. 1. PERSPECTIS judicijs verè realibus & mixtis, ad acceſſoria iam progredimur, quæ principalibus pro adminiculis ſerviunt, vel præparando, vel id, quod in ſuperioribus libris dictum fuit, explicando.

TH. 2. Accedunt realibus actionibus [1] actio ad exhibendum; & omnes actiones in ſequenti libro propoſitæ. Hæc acceſſio fit, vel ad actionum realium præparationem, (a) vel informationem, ſive explicationem. (b)

(a) Præparatorium iudicium dupliciter conſideratur, [1] in actione ad exhibendum, [2] in actionibus interrogatorijs; ideò vocantur præparatoria,

quia realibus actionibus viam præparant, iiſque ancillantur.

(b) Explicatorium iudicium facit ad declarationem, vel explicationem eorum, quæ in præcedentibus libris ſunt propoſita; & ſpectant, [1] vel ad ad iudicia mixta, vt finium regundorum, familiæ erciſcundæ, & communi dividundo; vel [2] ad actionem L Aquiliæ, vel [3] ad rei vindicationem. De hoc explicatorio iudicio agetur lib. 11. titulo 2. de quibus cauſis ad eundem iudicem eatur, & titulis ſeqq.

TH. 3. Actio ad exhibendum (a) eſt actio in perſonam, (b) exhibitionem ex æquitate (c) debitam perſequens.

(a) Vox *exhibere* variè ſumitur [1] pro ſiſtere, ut in edicto Prætoris de iudicio ſiſtendo. *l. 1. pr. ff. ſi ex noxal. cau. l.* 10 *pr. ff. ſi quis caut. in iudic. ſiſt.* ſeu præſentiam corporis quocumque modo præbere. l. 22. ff. *de V. S.* [2] aliquando efficacius accipitur, ut in publicum producere, & videndi, tangendique facultatem præbere, ſic ſumitur in Prætoris edicto, de homine libero exhibendo, vel de tabulis exhibendis, [3] quatenus exhibere h. t. conſideratur, duplicem involvit ſenſum, [1] exhibitio conſideratur ſimpliciter & in theſi, quatenus iudicio ad exhibendum eſt actum, vel conſideratur in hypotheſi, ſeu cum certa limitatione, & non ſimpliciter; *illo modo* exhibitio conſiderata definitur in l. 2. ff. h. t quod ſit, facere in publico poteſtatem, ut ei, qui agit, experiundi ſit copia, non actione ad exhibendum, ſed actione principali, putà rei vindicatione, cuius actio ad exhibendum eſt præparatoria. l. 3. §. 3 ff. h. t. quæ acceptio magis propria, & hîc optimè quadrat. *Poſteriori modo* conſiderata definitur in l. 9. §. 5. ff. h. t. quod ſit, rem in eadem cauſa præſtare, in qua fuit, cum iudicium acciperetur, ut quis copiam rei habens, poſſit eam perſequi actione, qua deſtinavit (intellige principali) in nullo caſu læſa.

(b) Ratio eſt, quia (1) actioni huic non competunt requiſita actionum realium; in ea enim non quæritur de dominio, aut iure aliquo in re. (2) quoniam eſt ex obligatione, ſc. naturali, qua æquum eſt, vindicare rem ſuam volenti, eam exhibere, quod illi plurimum profuturum ſit, nociturum nemini. l. 2. §. 5. ff. *de aqua pluv. arcend.* Obligatio illa non eſt ex conventione aliqua, ſive facto externo contractus, vel qſ. contractus, nec ex qſ. delicto, aut contumacia non reſtituentis, quæ quidem hic aliqua ſubeſſe poteſt; attamen non eſt cauſa hujus actionis, quia illa demum poſt actionem intentatam contrahitur; idcircò immediatè ex naturali æquitate, ſeu juſtitia benigna proficiſcitur. *arg.* l. 3. §. 3. 9. 14. ff. h. t. *arg.* l. 1. & 10. ff. *de oblig. & action.* l. 16. § 4. ff. *de fidejuſſor.* ob id dativa, non nativa eſt.

(c) Æquitas in eo præprimis eſt conſtituta quod exhibitio rei agenti proſit, nec exhibenti ullo modo noceat. d. l. 2. §. 5.

TH. 4. Actio ad exhibendum eſt in rem ſcripta; quia non datur adverſus certam perſonam, ſed poſſeſſorem. l. 3. §. *ult.* ff h. t. ſive [1] verè poſſideat, qualis eſt poſſeſſor, qui civiliter, vel naturaliter poſſidet, ſi modo reſtituendi facultatem habeat. d. l. 3. §. *ult.* l. 4. l. 5. *pr.* ff. h. t.

ſive [2] pro poſſeſſore habeatur, qui dolo poſſidere deſijt. d. l. 5. ff. l. 5. C. *eod.* ideo de nummis mala fide conſumptis ad exhibendum agitur. §. 2. *Inſt. quib. alien licet, vel non,* non eo fine, actio ad exhibendum, contra eum, qui dolo poſſidere deſijt, inſtituitur, ac ſi res præcisè exhibeatur, ſed ut in litem iuretur. l. 5. §. 2. ff. h. t.

TH. 5. Actio hæc datur ei, cujus intereſt, (a) quamvis dominus non ſit.

(a) Non quovis modo, l. *pen.* ff. h. t. ſed peculiariter, h. e. ex iuſta cauſa juris in re, vel ad rem, putà ratione rerum, ſive bonorum ad nos pertinentium, vel ratione obligationis. l. 1. l. 3. § 3. & *pen.* ff. h. t. l. 9. §. 1. *eod.* ſi nimirum quis rem adhuc extantem condicturus ſit. §. 26. *Inſt. de R. D.* requiritur autem hic, ut utroque tempore, (1) litis conteſtatæ, & (2) ſententiæ ferendæ, actoris interſit. l. 7. §. *fin.* ff. h. t. Hinc iudicis eſt, prius ſummatim cognoſcere, an actoris interſit; quare ab eo probationem aliquam exigere ſolet. l. 3. §. 9. & 13. ff. h. t.

TH. 6. Actio ad exhibendum datur adverſus poſſeſſorem, (a) rei mobilis, (b) vel qui eam tantum detinet. (c)

(a) Qualis ille ſit, ex ſuperiori Theſi 4. percipies.

(b) Hæc actio datur de omnibus in univerſum rebus mobilibus, videl. homine, ſervo, animali, & qualibet re inanimata. l. 3 § *fin.* l. 5. l. 6. ff. h. t. contra de rebus ſoli non datur. l. 56. ff. *de Procurator.* quia per ſe patent, hominumque oculis, abſque vlla exhibitione ſubjiciuntur, nec latere poſſunt. *l. 2. C. quando & quib. quart. pars.*

(c) Quales ſunt commodatarius, depoſitarius, conductor, & ſimiles, quos recenſet. l. 3. §. *ult.* & l. 4. ff. h. t.

TH. 7. Datur ad id, ut res mobilis exhibeatur. l. 2. h. t. l. 6. C. *eod.* petit enim actor, rei mobilis ſibi in publico copiam fieri. Ideo exhibitio rei in eadem cauſa, (a) in qua tempore litis conteſtatę fuit, eſt facienda. (b)

(a) h. e. res exhiberi debet cum omni utilitate, fructu, partu, &c.

(b) Si hoc non fiat, ſed deterior exhibetur, in hanc actionem, quod actoris intereſt, venit, quòd iudex in condemnatione obſervat. l. 9. §. 3. & 5. ff. h. t.

TH. 8. Res exhibenda eſt ibi, ubi fuit, cum lis conteſtaretur. l. 11. §. 1. ff. h. t. adeoque ſi alio loco res, quam ubi actum ſit, exiſtat, periculo & ſumptibus actoris res eo, ubi agitur eſt perferenda, niſi data opera, doloque malo alibi ſit à reo tranſlata. d. l. 11. § 1.

TH. 9. Qr, an actio ad exhibendum poſſit rei vindicatio dici? Reſp. negand. quia hæc actio non eſt directa ad rem vindicandam, & reſtituendam; ſed ſaltem per accidens res vindicatur, præparando & muniendo rei vindicationi viam. l. 1. ff. h. t. ſic gemma mea alterius annulo incluſa prius à me vindicari non poteſt, quam actio ad exhibendum præparatoria inſtituatur. l. 6. ff. *ad exhibend.* rectius dicitur perſonalis, licet non propriè ex obligatione civili oriatur. l. 3. §. 3. ff. h. t.

TH. 10. Qr. an ſtudioſus virum aliquem eruditum bibliothecâ egregiâ inſtructum iure cogere poſſit ut librum unum, vel alterum ſibi exhibeat, quo eos perlegat, atque inde doctior evadat. Reſp. negand. *ex Th. præcedenti* 5. *lit.* a. quia ſtudioſi ex iuſta cauſa iuris in re, vel ad rem nihil intereſt. d. l. 1. l. 3. §. 3. l. 9. §. 1. l. *pen.* ff. h. t.

TH. 11. Hodiè actio ad exhibendum inſtitui poteſt per mandatum compulſoriale, quo iudex petente actore exhibitionem præcipit; hic procedendi ad exhibendum modus longe expeditior.

LIBER VNDECIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

De interrogationibus in jure faciendis, & interrogatorijs actionibus.

TH. 1. SECVNDVM judicium præparatorium reſpicit interrogationes in iure faciendas, quæ actioni ad exhibendum aliquatenus ſunt ſimiles; ſicut enim exhibitio rei deſideratur, ut quis commodius agere poſſit, ita interrogationes in iure fiebant, ut ſciret actor, an, & ex qua parte poſſet actione in rem, vel in perſonam ſibi competente, aliquem convenire, l. 1. 2. 3. 5. 8. ff. h. t.

TH. 2. In actionibus in rem interrogabatur utrum aduerſarius titulo univerſali, an ſingulari poſſideret. Si titulo univerſali poſſidebatur, intentanda erat hereditatis petitio; ſin particulari, rei vindicatio. Si verò adverſarius negabat ſe poſſidere, & tamen poterat convinci, quod poſſideret, immiſſio ſtatim peti poterat. l. 9. 36. *& fin.* ff. *de* R. V. *Nov.* 18. c. 10. Interrogationes quoque obtinebant in actionibus perſonalibus, ut ex L. Aquilia, de quadrupede, ut ſi ei, cui damnum, datur per ſervum, non ſatis conſtaret, an is, contra quem vult experiri actione noxali, ſit dominus ſervi, qui damnum dedit; l. 7. 8. 9. ff. h. t. ne actor plus petendo quid damni ſentiat. l. 1. *pr.* ff. h. t.

TH. 3. Actio interrogatoria eſt actio in perſonam, (a) ex reſponſione

ad interrogationem in iure facta competens.

(a) Vt, ſi reus confiteretur, quod erat interrogatum, ex confeſſo erat obligatus. l. 11. §. 8. l. 13. ff. h. t. & conſequens actio fundebatur; ſin negabat, aut contumaciter in jure tacebat, ob mendacium, vel contumaciam commiſſam in ſolidum conveniebatur, atque condemnabatur, d. l. 11. §. 1. 2. 3. ff. h. t. ratione actionis intentandæ, propter quam interrogationes in iure ſunt factæ. d. l. 13.

TH. 4. Quod interrogationes attinet, diſtinguendum eſt inter ius vetus & novum. Iure veteri interrogationes illæ fiebant in iure, h. e. apud Magiſtratum populi Romani, vel Præſides provinciarum, vel alios Iudices; ius enim eum locum denotat, ubi iuris dicendi, & iudicandi gratia, Magiſtratus conſiſtat. l. 4. §. 1. ff. h. t. dicitur iudicandi, Iuſtiniani temporibus accommodatè, quo mos dandorum iudiciorum, ab uſu iam receſſerat, ſed non temporibus Vlpiani, qui eſt autor huius legis, ubi aliud erat ius dicere, quod tantum in iure fiebat, aliud iudicare, quod tantum in iudicio.

TH. 5. Actio interrogatoria (a) datur in iure interroganti, contra reſpondentem (b) ad id, ut actio fundetur; vel mentiens puniatur.

(a) Formula interrogationis fuit talis; quando te in iure conſpicio, poſtulo, an ſis auctor litis, h. e. an ſis ille, à quo ius meum perſequi debeam; vel ut clarius hæc formula exprimatur. Ex L. Titij hereditate 100. mihi debentur, quando te in iure conſpicio, poſtulo, an ſis auctor. Cui quidem interrogationi, ſive reſpondebat reus, ſive tacebat, utrobique actio interroganti naſcebatur, & reus perinde qſ. ex confeſſione ſua obligatus erat. l. 11. §. 7. h. t. *plura vide Th. 3. præced. lit. a.*

TH. 6. Poſtquàm ſucceſſu temporis Prætori, alijſque ius reddentibus iniquum eſt viſum, quod quiſquam de ſuo iure ante iudicium reſpondere cogatur. l. *cogi* ff. de petit. hered. l. *fin*. C. *de rei vind.* c. 1. *Extra de probat.* & quod ſatius ſit, actorem domo adferre intentionem, inſtructumque venire oportere, quàm à reo confeſſionem, quaſi gladium ad ſe iugulandum exigere, l. 7. C. *de teſtib.* l. 1. C. *de edend.* quapropter etiam Vlpiani temporibus interrogatoriæ actiones iam minus frequentari, & ſenſim in deſuetudinem abire cœperunt, l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 7. Hodiè interrogationes non amplius obtinent; quia differentia inter in ius vocationem, & iudicium eſt ſublata, ſicque in iure interrogationes haberi nequeunt, cum non entis nullæ ſint qualitates, ſed in

iudicio poſitiones, quæ interrogationibus haud diſſimiles, (*die frage ſtucke*) poſt litis conteſtationem exhibet actor, iuxta iuris communis proceſſum.

TH. 8. Poſitiones hæ ad eliciendam à reo veritatem in puncto probatorio adhibentur; quodcunque mediantibus his ab adverſario per propriam confeſſionem elicitur, actorem ab onere probandi relevat; quod aliàs, ſi reus ipſe non confiteretur, per articulos probatorios productos cum nominibus teſtium, aut per inſtrumenta alioquin totum erat ſubeundum.

TITVLVS II.

De quibus rebus ad eundem iudicem eatur.

TH. 1. HIc de iudicijs explicatorijs, quorum mentionem fecimus, *titulo* 4. *ſuperiori*, *Th.* 5. *lit.* b. tractare incipimus.

TH. 2. Iudicia, quæ ad actiones mixtas referuntur, hoc titulo proponuntur, ubi in ſumma hoc dicitur; quod, ſi plures agere velint, vel finium regundorum, vel familiæ erciſcundæ, vel communi dividundo, vel ſi res hereditariæ, vel coheredum perſonæ, quæ conveniuntur, ſint diverſi fori, vel ſub diverſis iuriſdictionibus, omnes illos ad eundem iudicem eſſe citandos; qui videl. omnium eſt ſuperior, ne continentia cauſæ, quæ talis eſt, vel ratione rerum, vel reſpectu perſonarum, vel aliorum modorum dividatur, & apud plures iudices ventiletur, quod uno, eodemque iudicio terminari poteſt. l. 10. C. *de iudic.* fruſtra enim fit per plura, quod per pauciora præſtari poteſt. l. 1. ff. *quod met. cauſ.*

TH. 3. Iudicium cauſarum continentium, (a) eſt earum, quæ ita ſunt connexæ, ut ſimul finiri debeant, quapropter idem judex ſuper illis cauſis eſt adeundus.

TH. 4. Quare hoc iudicium cauſ. contin. ſit introductum, ex ſequentibus percipe rationibus, (1) ne partes invitæ diverſis in judicijs litigare cogantur, (2) ut eo facililius de cauſa cognoſcatur, cum judex jam antea de cauſa, quam movent in iudicio decidendam, ſit inſtructus, & (3) ut eo temporius omnes lites tranſigantur & finiantur.

TH. 6. Quando plures actiones ſe ſe non conſumentes ex uno negotio prodeunt, inter eas eſt continentia; talis continentia eſt inter actiones familiæ erciſcundæ, & commumi dividundo; hinc ſi illa

eſt actum, hac poſt priorem inſtitutam, agi poteſt.

TH. 7. Quando aliquid incidit, quod principale negotium ita afficit, ut ei præjudicare poſſit, id, vel impediendo, vel nullum reddendo, vel poſt latam ſententiam exceptione rei judicatæ tollendo, eiuſmodi ſunt actiones præiudiciales, de quibus iudex incidenter cognoſcit; l. 1. C. *de ord. judic.* l. *pen.* ff. *de noxal. action.* nemo enim actionem principalem prius intentare poteſt, quam præjudicialis eſt ſublata; unde continentia cauſarum inter præiudicialem, & principalem actionem eſſe dicitur.

TH. 8. Qui cauſarum continentiam doloſè dividebat, in pœnam causâ cadebat. Hæc cauſarum continentium cumulatio fuit neceſſaria; hodie non item, quoniam actori integrum cauſas dividere velit, nec ne. *Gail.* 1. *obſ.* 32.

TITVLVS III.

De Servo corrupto.

Iung. tit. 2. lib. 6. C. eod.

TH. I. PROPOSITVS hic titulus annumeratur quoque ludicijs explicatorijs; cum ad L. Aquiliæ explicationem quodammodo faciat.

TH. 2. L. Aquiliâ vindicatur tantum corporis læſio, ideo directò huc non pertine. Et ne læſio hæc, quæ quoad ſervi animum commiſſa, ob actionum defectum maneret impunita, propoſuit Prætor edicto ſuo actionem de ſervo corrupto, (a) qua is, qui ſervum deteriorem animo reddit, à domino convenitur, ut ob damnum datum in duplum (b) condemnetur.

(a) *Corrumpere* hic eſt, ſervum alienum non modò moribus, mente & animo deteriorem facere, verumetiam eundem fugitiuum recipere, l. 1. ff. h. t. Illud fit verbis perſuaſorijs, ſi nimirum ſervo perſuadeatur, ut iniuriam vel furtum faciat, vel fugiat, vel ſervum alienum ſollicitet, uel ut peculium intricet, aut amator exiſtat, vel erro, vel malis artibus ſit deditus l. 1. §. *fin.* ff. h. t. l. 2. ff. *eod.* & in univerſum ad aliquid faciendum, vel cogitandum improbè perſuadeatur, hæc perſuaſio cum dolo malo conjuncta eſſe debet; l. 1. §. 3. ff. h. t. *Recipere* verò eſt propriè refugium abſcondendi cauſa ſervo præſtare, vel in ſuo agro, vel in alieno loco ædificiove, d. l. 1. §. 2. quo facto non minus ſervi animus deterioratur, & ad mala cogitanda,

atque

atque perpetranda confirmatur, quam verbis ipſis, imo tanto magis, quanto delicto admiſſo ſervo refugium certius patet.

(b) Actio L. Aquiliæ ob corporis læſionem datur in ſimplum, hæc veró actio de ſervo corrupto ob animi læſionem in duplum, propter hanc rationem; quia animus nobilior eſt corpore; ideo quanto animus corpore eſt nobilior, tanto pœna quoque æſtimanda eſt gravior.

TH. 3. Actio de ſervo corrupto eſt duplex directa, & utilis.

TH. 4. Directa eſt actio prætoria (a) in perſonam (b) competens.

(a) Quia Prætor eam, ob actionum civilium defectum, æquitate motus introduxit. l. 1. *pr.* ff. h. t.

(b) Quia datur ex delicto. l. 1. §. 3. ff. h. t.

TH. 5. Datur ſervi domino contra eum, qui ſervum illius corrupit; (a) vel corrumpere conatus eſt, l. 9. §. 1. ff. h. t. l. 2. 3. 5. ff. *eod.* §. 8. *Inſtit. de obl. quæ ex delict.*

(a) Tales corruptores & ſeductores furantur qſ. mentem ſervo, quem ita decipiunt, & bonis animi officiunt, unde hic titulus ex moralibus principijs, puta iuſtitiæ particularis dependet.

TH. 6. Actio hæc directa datur quanti ea res erit in duplum, h. e. in duplum omnis damni, quod ob ſervum corruptum, vel receptum domino, eo, quo corrumpitur tempore, obvenit; ſicque & res omnes, quas ſervus abſtulit, in hoc iudicium veniunt; l. 9. §. 3. l. 11. ff. h. t. l. 4. §. 6. & 9. ff. *eod.*

TH. 7. Actio hæc cum pœnalis (a) ſit, in heredem non datur, heredi tamen competit.

(a) Licet non merè pœnalis, comprehendit enim & rei perſecutoriam, *arg.* l. 11. §. 2. l. 13. ff. h. t.

TH. 8. Actio de ſervo corrupto utilis datur [1] parentibus pro liberis corruptis, (a) [2] domino hodiè pro famulis corruptis, [3] marito pro uxore corrupta, & [4] uſufructuario ſervi, [5] creditori, & locatori. l. 14. §. 3. 4. & 7. ff. h. t.

(a) Puta ſi filius, vel filia corrumpatur. Si ille, tunc officio iudicis fit æſtimatio operarum amiſſarum, e. g. quatenus non amplius ad ſtudia, vel artificia eſt utilis. Si hæc ſit corrupta, h. e. ſtuprata, extenditur æſtimatio ratione amiſſæ virginitatis; quam ſtupratores ſolvere tenentur. Hæc corruptio eſt cauſa, cur meretrices, vel inhoneſtæ mulieres à vicinis, ex vicinia expelli poſſint, ne bonæ & honeſtæ virgines, aut matronæ corrumpantur, *Nov.* 14. c. 1. §. 1.

TITVLVS IV.

De fugitivis.
Iung. t. 1. lib. 6. C. d. t.

TH. 1. IN antecedente titulo ſervos corruptos in genere conſideravimus, in ſequentibus duobus titulis corrupti ſervi ſpecialiter conſiderantur, in hoc t. ſi quis ſervo fugere ſuaſerit, *tit. ſeq.* ſi ei aleâ ludere ſuaſerit, l. 26. *pr.* ff. *de injurijs.*

TH. 2. Actio de ſervis fugitivis datur ex ſpeciali Senatuſconſulto, ne ſervi fugitivi ſcienter admittantur, aut protegantur, ſed reddantur & exhibeantur. Qui verò ſervum fugitivum, (a) aut erronem (b) recipit, & à domino requiſitum celat, lucri faciendi gratia, actione hac ſpeciali ſervi corrupti tenetur, ac furti accuſatur, l. 1. *pr. &* §. 1. ff. h. t. l. 17. *pr. &* §. 14. ff. *de ædil. edict.*

(a) Fugitivus eſt, qui extra domum domini fugæ cauſa eſt, ſive qui ea mente à domino diſcedit, ne ad eum redeat.

(b) Erro eſt, qui frequenter, & ſine cauſa vagatur, & temporibus in res nugatorias conſumptis, ſerius, ſive tardius domum redit. d. l. 17. §. 14.

TH. 3. SCtum hoc ſpeciale hodie aliquatenus accommodatur [1] ad aliarum rerum furtivarum inquiſitionem; [2] ad Monachos & filios fam. *Perez in Codic. h. t. man ult.*

TITVLVS V.

De aleatoribus.
Iung. tit. 43. lib. 3. C. eod.

TH. 1. QVIA alea eſt peſſimum prodigalitatis inſtrumentum, quo haud pauci per inconſultam temeritatem ad incitas redacti, in Deum ſolent eſſe blaſphemi, & peſſima quæque facinora, furta, homicidia, latrocinia &c. ſuſcipere non verentur, l. *fin. in pr.* C. *de relig. & ſumpt. fun.* l. *ult.* C. h. t. *Nov.* 123. c. 10. meritò in id incumbendum, ne ludo tam noxio ulla ratione indulgeatur, ſed potius omnem hunc abuſum tollere; intereſt enim Reip. ne quis re ſua abuta-

tur, §. *ult. Inſt. de his, qui ſunt ſui vel al.* Et cum receptatores huic peſſimo luſus abuſui occaſionem dederint, domumque ad ludendum præbuerint. Prætor æquitatem ſecutus, de illis receptatoribus (non verò de aleæ luſu) edictum propoſuit, e. g. Si quis eum, apud quem aleâ luſum eſſe dicetur, verberaverit, damnumque ei dederit, ſive quid eo tempore eius ſubtractum eſt, iudicium non dabo.

TH. 2. Idcirco Prætor in odium flagitioſi hoſpitij præbiti ſuſceptorem aleatorum verberatum, ac ubicunque, & quandocunque occaſione ſc. ludi, iniuria affectum, vel damnum paſſum non vindicat, adeo ut furtum domi eius, eo tempore, quo luditur, impunè fiat, atque ita denegatur illis non modo actio criminalis, ſed & civilis, l. 1. §. 3. ff. hoc tit.

TH. 3. Aleatores ſunt, qui exercent luſum prohibitum; prohibitus autem luſus eſt, in quo non virtus & ars, ſed fortuna ſola, ſive caſus dominatur. *arg.* l. 1. 2. C. h. t.

TH. 4. Ex propoſitis conſtat, luſus alios eſſe permiſſos, (a) alios prohibitos. (b)

(a) Illi ſunt, qui virtutis, & gloriæ cauſa fiunt, & in quibus ars, induſtria, & dexteritas prævalet; e. g. ſi quis certet haſta, aut pilo jaciendo, vel currendo, ſaliendo, (quod præſtatur dupliciter, [1] ſi quis conto ſuffulſus ſalit, [2] ſine conto) luctando, pugnando. l. 2. *&* 3 ff. h. t.

(b) *Hi ſunt*, in quibus ſors, fortuna, ſive caſus ſola, vel magis prævalet; qui nomine aleæ indigitantur. Vbi notandum; vocem aleæ dupliciter accipi, [1] *generaliter* pro omni luſu prohibito, uti hic, [2] *ſpecialiter*, ubi teſſeris, & talis tantum luditur.

TH. 5. Prohibitio aleæ pertinet, vel ad ludentes, ſive aleatores ipſos, (a) vel ad eum, qui aleatores ſuſcepit. (b)

(a) Et eſt, vel prohibitio ſimplex, vel pœnalis; illa concernit in luſu victum, eſtque talis, quod victus eo nomine conveniri non poſſit, tametſi iure naturali in ludo victus ſolvere teneatur, quod perdidit, quoniam luſus non eſt iure eo prohibitus; jure tamen poſito aliud obtinet; nulla enim ad ſolvendum poteſt eſſe obligatio, cui ad ſoluti reſtitutionem competit actio, & exinde parata quoque eſt exceptio. *arg.* l. 199. ff. *de* R. I. & ſi ſponte ſua ſolverit, tunc vel ipſe, vel pater, vel dominus eius, vel heredes repetere exſolutum poſſunt, l. 1. 2. 3. C. h. t. l. *ult.* §. 1. ff. h. t. His omnibus ceſſantibus, ſive non repetentibus, quilibet alius, imprimis autem primates, & defenſores civitatis repetere, & in opera publica expendere poſſunt, d. l. 1. C. h. t. Hæc, ſc. pœnalis reſpicit alterum, qui alium ad ludendum coëgit; quæ coactio, vel ab initio eſt commiſſa, dum nolentem ad ludendum vi adigit

vel ex poſt facto, dum invitum à ludo diſcedere volentem retinet; hunc violentum aleatorem afficit Prætor mulctâ aliquâ pecuniariâ, aut in latumias, h. e. lapidicinas, vel publica vincula detrudi iubet, aut aliàs arbitrariè punit, l. 1. *in fin. pr.* ff. h. t.

(b) Suſceptoribus omnis actio (ut ſupra expoſuimus) ſive rei perſecutoria, ſive pœnalis, ut ſi vel iniuriam, vel damnum, vel furtum, vel rapinam, &c. eo tempore, quo luſum eſt, domi ſuæ paſſus ſit, denegetur, l. 2. *pr.* & §. 2. 3. ff. h. t. Inſuper domus, in qua luſum, juxta conſtitutiones Imp. publicabatur, l. *ult.* C. h. t. Vt ut ipſi colluſores omni iuris remedio indigni cenſeantur, attamen hic juris rigor ad ipſos non extenditur. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 6. SCtum vetuit in pecuniam ludere, l. 2. §. 1. ff. h. t. aſt non ſimpliciter, ſed virtutis cauſa ditioribus ſolido in ſingulos uno, pauperioribus pecuniâ minori ludere licuit. l. 1. §. *ult.* C. h. t. In ijſdem ludis, puta permiſſis & virtutis cauſa ſuſceptis, & ſponſionem (a) facere, conceſſum eſt, quamvis aliàs in ludicris certaminibus, quæ ex temeritate, & non virtute fiunt, ſponſiones prohibeantur.

(a) Vox *ſponſionis* eſt ambigua, denotans [1] quamcunque promiſſionem, l. 7. ff. *de* V. S. l. 6. §. 12. ff. *de pact.* l. 1. ff. *de legib.* [2] refertur ad certamen, quod fit ſpondendo (*Germanicè wetten.*)

TH. 7. Sponſiones ſunt mutuæ de re, cuius dubius eſt eventus, ſtipulationes conditionales, e. g. Titius Caïo præſtet 100. ſi Auguſtus Rex fuerit creatus; ex adverſo Cajus Titio totidem, ſi Auguſtus Rex non fuerit electus; huic ſententiæ non contrariatur, l. 3. ff. h. t. loquens de immodicis ſponſionibus. *Carpz.* p. 2. c. 19. *def.* 18.

TH. 8. Quoties ſponſio hæc eſt de rebus honeſtis, ſive in ludis *arg.* l. 3. ff. h. t. ſive extra ludos, l. 17. §. *fin.* ff. *de præſcr. verb.* illa valet, undecunque etiam eius cauſa dependeat, l. 63. l. 99. l. 129. ff. *de verb. oblig.* de quocunque tempore ſit, *arg.* l. 37. ff. *de reb. credit.* l. 39. ff. *de jurejur.* ſive interſit ſpondentium, ſive non. Contra de illicitis ſponſio nihil operatur. *arg.* l. 123. ff. *de verbor. obligat.*

TH. 9. Sponſio hæc licita in ludis fit per pactum; extra ludum, [1] per contractum nominatum ſtipulationis, *arg.* l. 24. ff. *de cond. & demonſt.* l. 57. ff. *de* V. O. vel [2] per innominatum, ut cum v. g. uterque ſpondentium apud tertium aliquem, futurum ſponſionis arbitrum, rem aliquam deponit, ut is tradat ei, qui victor extiterit. Hinc ſequentes exoriuntur actiones, ſi per pactum fiat ſponſio; datur hodie ex tali pacto, condictio ex moribus; ſin ſtipulatione interveniente celebretur, competit inde actio ex ſtipulatu; ſi verò pignus eſt depoſitum, actio præſcriptis verbis datur. *arg.* l. 17. §. 1. ff. *de præſcript. verb.*

TH. 10. Quæ de luſu aleæ, aleatoribus, eorumque ſuſceptoribus diximus, Moribus hodiernis non obſervantur, cuilibet enim ſive virtutis, ſive lucri cauſa ludat, ludere eſt permiſſum. Præprimis hîc Pariſijs ubi non modò divites, & nobiles pecuniâ & lucri, & animi relaxandi gratia, ludunt, verum etiam ipſi Principes, & Primores regni ubicunque locorum idem faciunt; & ſi caſu contingat, ut illorum quis, cui fortunâ minus proſperâ, præter argentum & aurum, quo ad ludendum inſtructus venit, aliquot centum, imò aliquot aureorum millia perdat, ad eorum exſolutionem etiam invitus & nolens jure cogi poteſt. Quod in Germania de ludis hodie obtineat, videatur, cui volupe eſt. *Carpz. prax. crim. p. 3. q. 134.*

TITVLVS VI.

Si menſor falſum modum dixerit.

TH. I. ACTIONI finium regundorum ſubſervit hic titulus & actio, (a) ſi menſor falſum modum dixerit, quæ eſt actio in perſonam (b) in factum, ex falſa & doloſa renunciatione (c) debitum perſequens.

(a) Eſtque qſ. pediſſequa actionis finium regundorum, quia in nulla quæſtione frequentius utimur agrimenſoribus, quam cum de finibus diſceptatur.

(b) Quia eſt ex delicto, ubi agrimenſor doloſè falſum modum renunciat. l. 1. §. 1. ff. h. t. ſicque mendacium in alterius præjudicium & maximum detrimentum committit. Nota. Obligatio hæc ex delicto, non eſt ex iure civili, quia actio contra eum deficit, ſed ex iure Prætorio, quod hunc juris civilis defectum ſupplet. l. 1. *pr.* ff. h. t.

(c) Eiuſmodi renunciationes ab agrimenſoribus fieri ſolent, [1] ſi fortè de finibus controverſia ſit, vel [2] emptor aut venditor ſcire velit, quot iugerum ſit ager venditus, vel vendendus.

TH. 2. Ideo hanc actionem propoſuit Prætor, quia veteres non crediderunt inter agrimenſorem, & eum, cujus ager metiebatur, locationem & conductionem ſubſiſtere, ſed magis operam ab agrimenſore gratis, & beneficij loco præberi, & id, quod datur ei, ut honorarium, ad remunerandum, non ut mercedem propriè dictam, offerri; quoniam abſque ulla de mercede conventione, quæ in locatione & conductione eſt neceſſaria, honorarium menſori agrorum dari ſolebat.

TH. 3. Actio hæc eſt duplex, directa, & utilis.

TH. 4. Actio directa competit ei, cujus interfuit falſum modum non fuiſſe renunciatum, (a) vel cui renunciatio obfuit. (b).

(a) Si forſan ipſi cum alio de agrorum finibus lis & contentio fuerit, vel emptor ſcire voluerit, vel venditor, cuiuſmodi ager veneat. d. l. 1. *pr.* h. t.
(b) l. 3. §. 1. ff. h. t. aut eius heredibus. d. l. 3. §. 5.

TH. 5. Datur adverſus menſorem (a) agrorum, qui falſum modum, & menſuram dolo, vel culpa, (b) renunciavit. l. 1. ff. h. t.

(a) Sive unum, ſive plures, & quidem in ſolidum, quia dolus omnes in ſolidum obligat, una tamen ſolutione actio contra omnes tollitur. l. 3. *pr.* ff. h. t. quoniam eſt rei perſecutoria ratione eorum, quorum intereſt, non verò ratione menſoris agrorum.
(b) Intellige latam, (non levem) quæ dolo proxima, hanc enim in omnibus fermè cauſis civilibus pro dolo haberi. l. 32. ff. *depoſiti*, affirmat.

TH. 6. Hæc actio datur etiam ſecundariò, & minus principaliter contra illos, qui alterius rei, quam agrorum ſunt menſores, ut vini, frumenti, olei, &c. l. 5. §. 2. ff. h. t. l. 6. ff. *eod.*

TH. 7. Datur ad id, ut ſolvatur id, quod intereſt [1] litigatoris, qui ob renunciationem de iudicio minus tulit, vel [2] emptoris, qui minus accepit, quam renunciatum, vel [3] venditoris, qui plus dedit.

TH. 8. Actio utilis eſt, quæ datur contra eum, qui menſor non fuit, (a) in modo tamen fefellit. l. 7. §. 1. ff. h. t.

(a) Eiuſmodi ſunt architectus, machinarius, qui non decempeda, ſed machina, ſive inſtrumento Geometrico, & architectonico in metiendo utitur, faber, cœmentarius, arbitratores, ſive æſtimatores ædium, tabularij, ſive calculatores, qui in computatione fefellerunt. l. *ult.* ff. h. t. & ſimiles. *arg.* l. 7. §. 2. h. t.

TH. 9. De menſoris agrorum officio ſequentia proferuntur. In iudicando menſor virum bonum, & iuſtum agere debet, neque ulla ambitione, aut ſordibus moveri; totum hoc iudicandi officium, & hominem, & artificem exigit egregium; quidam enim per imperitiam, quidam per imprudentiam, imò quidam datâ operâ in dimetiendis agris peccant.

TH. 9. De nobili agrimenſorum arte acutè diſſerit Caſſiodorus, agrimenſori, inquiens, finium lis orta committitur, ut contentionum protervitas abſcindatur. Iudex eſt utique artis ſuæ, forum ipſius ſunt agri deſerti, fanaticum credis, quem tortuoſis ſemitis ambulare conſpexeris. Indicia ſiquidem rerum inter ſilvas aſperas, & dumeta

perquirit; non ambulat iure communi: via illa eſt ſua lectio, oſtendit, quod dicit, probat, quod didicit, greſſibus ſuis concertantium jura diſcernit, & more vaſtiſſimi fluminis, alijs ſpatia tollit, alijs rura concedit.

TITVLVS VII.

De Religioſis & ſumptibus funerum, & ut funus ducere liceat.

Iung. tit. 44. lib. 3. C. & tit. 28. lib. 3. Extr. *De ſepulturis.*

TH. 1. REI vindicationem, & actiones rerum, quæ ſunt humani juris ſuperius tradidimus; ſubnectuntur nunc duo Prætoris edicta, quæ ad res religioſas, & divini juris quietè tuendas, atque conſervandas ſpectant; unde actiones de religioſis deſcendunt.

TH. 2. Actiones de religioſis ad rei vindicationem explicandam pertinere videntur, ſunt enim ſimiles rei vindicationi, (a) & dominio, conſiſtenti in jure habendi, perſequendi & fruendi.

(a) Non autem ipſa rei vindicatio, quia de rebus ſacris, ſanctis, & religioſis, tanquam divinis rei vindicatio, aut alia iudicia, quæ humana ſunt, non dantur. l. 23. §. 1. ff. *de Rei vindic.* Idcirco extra ordinem factum eſt, ut per edicta atque interdicta ſequentia in rebus ſanctis, religioſis, &c. ſubventum fit.

TH. 3. Locus religioſus (qui dicitur ſepulchrum) eſt portio fundi, (a) ubi corpus, oſſave hominis, (b) aut reliquiæ ſunt conditæ, ut ibi perpetuò recubent.

(a) His vocibus demonſtratur, quod non totus fundus, in quo corpus humanum ſepultum eſt, ſit religioſus, ſed quatenus corpus eſt humatum; ſic etiam locus alienus, in quem mortuus eſt illatus vindicari non potuit, eatenus: ſc. quatenus à cadavere eſt occupatus, vindicari nequit, quoad cæteras autem fundi partes nihil obſtat, quo minus vindicari poſſit. l. 4. l. 9. C. h. t.

(b) Verba hæc diſtinctionis cauſa apponuntur; atque ita differt à monumento, quod memoriæ ſervandæ gratia extructum eſt. l. 2. §. 6. ff. h. t. l. 42. ff. *eod.* hoc accuratè loquendo, locus eſt purus, in quem nondum

mortuus eſt illatus; unde & vendi & donari poteſt. l. 6. §. *ult.* ff. h.t. quamvis ante pro religioſo haberetur. l. 6. §. *ult. de rer. diviſ.* cæterum religioſus locus fit, non modo illatione totius corporis. §. 9. *Inſt. de rer. diviſ.* l. 6. §. 1. ff. *eod.* verumetiam membri principalis, puta capitis, cujus imago ſit, inde cognoſcitur. l. 44. ff. h. t. l. 17. C. *de pœn.* E. reliqua membra, ubicumque locorum ſint ſepulta, locum religioſum illatione non efficiunt. *Cujac.* 21. *obſ.* 4. unius enim cadaveris ſepultura plura ſepulchra conſtituere non poteſt. Tametſi hic in Gallia moris ſit, ut cor Regis, vel Reginæ defunctæ in alio loco, à corpore ſeparato ſepeliatur; (ſicut adhuc me præſente, ante duorum menſium lapſum Pariſijs ſummâ cum Pompâ & maximis ſolemnitatibus factum, ubi Potentiſſimi & Chriſtianiſſimi Regis Galliæ Ludovici XIV. Mater Regina, glorioſiſſimæ memoriæ; tali modo ſepulta, nimirum corpus ſancti Dioniſij, ubi omnium Regum Galliæ ſplendida, & magnifica ſunt ſepulchra, & cor à Vallum Gratiæ, terræ mandatum,) hæc tamen ſeparatio cordis & corporis diverſa ſepulchra illatione non facit.

TH. 4. Actiones ad loca religioſa ſpectantes ſunt duæ. Prior actio, eſt actio perſonalis in factum, (a) ex illatione mortui in locum alienum purum, (b) vel ſepulchrum alienum ſepulturæ cauſa facta, competens.

(a) Quia eſt ex facto eius, qui contra jus, locum alienum religioſum facere molitur.

(b) Cadavera demortuorum ſepeliebant Romani, in locis privatis extra urbem. l. 12. C. h. t. per hanc humationem & illationem reliquiarum locus fiebat religioſus, qui propter manes religioni, h. e. piæ cuidam reverentiæ eſt dicatus. §. 9. *Inſt. de rer. diviſ.* l. 1. §. 2. & 5. ff. h. t. l. 10. C. *eod.* Purus dicitur, qui neque ſacer, neque ſanctus, neque religioſus dicitur, ſed ab omnibus hujuſmodi nominibus vacare videtur. l. 2. §. 4. ff. h. t.

TH. 5. Actio hæc ex illatione mortui (a) datur domino, (b) in cujus locum purum, vel alienum mortuus illicitè fuit illatus.

(a) Cauſa hujus actionis eſt delictum, conſiſtens in illegitima mortui illatione. l. 2. §. 2. ff. h. t.

(b) l. 1. §. 1. ff. h. t. datur etiam eius heredi. l. 7. *pr.* l. 31. ff. h. t.

TH. 6. Datur adverſus eum, (a) qui mortuum in locum alienum intulit, vel inferre curavit.

(a) d. l. 1. §. 1. competit & contra eius heredem, quia hic quoque ex iſta illatione aliquod commodum percipere videtur. l. 7. *pr.* l. 9. ff. h. t.

TH. 7. Datur ad id, ut inferens tollat, quod intulit, aut loci pretium præſtet. d. l. 7. *pr.* licet iſta cadaverum illatio non conſtituat iuſtum ſepul-

ſepulchrum. l. 43. ff. h.t. attamen domino loci, in quem illatum eſt cadaver, ſine Pontificis decreto humatum effodere non licet. l. 8. *pr.* ff. h.t. quapropter hæc præſens actio requiritur.

TH. 8. Actio hæc eſt in factum, rei perſecutoria, (a) & perpetua.

(a) Ideo heredi, & in heredem conceditur. l. 2. §. 1. l. 7. ff. h. t.

TH. 9. Actio poſterior ex prohibitione priori eſt contraria, quæ eſt actio perſonalis in factum, quâ quis prohibetur mortuum inferre in locum, quo ei inferendi jus non eſt. l. 8. §. 5. l. 9. ff. h. t.

TH. 10. Actio hæc competit ei, qui ipſe, vel cuius Procurator, mortuum inferre eſt prohibitus.

TH. 11. Datur adverſus prohibentem, ad id, quanti intereſt, prohibitum non eſſe. l. 9. ff. h. t.

TH. 12. Cum hodie ſepultura non ita pro arbitrio cujuſlibet privati, ut olim, ſed in publicis cœmeterijs, vel templis conſtituatur & fiat, ideo hæc actio de religioſis parum utilitatis & uſus habet, niſi in ſepulchris noſtris, quæ in cœmeterijs, aut templis habemus, familiaribus, & hereditarijs, ubi ſi alius mortuum ſepeliendum curat, utilis actio [1] in factum competit. *arg. l. 7. 8. 39. ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* [2] actio injuriarum. *d. l. 8 l 1.* §. 4. *& 6. l.* 27. *ff. de injur.* [3] actio de ſepulchro violato. *l. 3. l. ult. ff. de ſepulchr. viol.*

TH. 13. Porrò dantur certæ perſonæ, quibus hodie honeſta ſepultura denegatur, quas ob hanc denegationem, extra cœmeteria ſepelire ſolent, aut ad minimum, ſi illis in cœmeterijs concedatur locus, ſolemnitates, & ceremoniȩ, quas parentes, proximi, cognati, aut amici in ultimum eorum honorem adhibere ſolent, omittũtur; Nonnullis verò non modo honeſta, ſed omnis omnino ſepultura propter perpetrata maxima facinora denegatur, *de his t. ff. de cadav. punit.* Prioris generis ſunt ſeqq. [1] excommunicati. *c. 12. Extr. de ſepult. c.* 8. *de privileg. in 6. c. 2. Extr. de hæretic. c.* 11. *de pœnit.* [2] Heretici. *c.* 2. *&* 12. *Extr. de ſepultur. Carpz. Iuriſpr. conſiſt. l. 2. def.* 283. *& ſeq.* [3] divini verbi, & Sacramentorum contemptores. *Carpz. d. l. 2. def.* 382. [4] qui in torneamentis illicitis pereunt. *c. un. Extr. de torneam.* [5] uſurarij & ſimiles. *c. 3. de uſur. c. 2. de uſur. in* 6. [6] αὐτόχειρες, non tamen omnes indifferenter, ut melancholici, & furioſi, ſed qui ex malitia, aut ob crimen commiſſum ſemetipſos interficiunt. *l. 2. C. qui teſtam fac. poſſ. l.* 11. §. 3. *ff. de his qui not. infam. cauſ.* 23. *q. 5. c.* 12.

TH. 14. Altera tituli pars eſt de ſumptibus funerum & actione inde competente.

TH. 15. Actio funeraria eſt actio in perſonam, (a) ſumptus (b) funeris cauſa factos perſequens.

(a) Quæ eſt ex qſ. contractu, ſicut enim viventis negotia, ſine mandato gerens, obligat ſibi dominum, t. t. ff. *de negot. geſt.* ita & qui propter funus aliquid impendit (qui interdum prius ſepeliendus eſt, quam aliquis ei heres exiſtat. l. 4. ff. h. t.) contrahere cum defuncto videtur. l. 1. ff. h t. atque ſic negotiorum geſtori ſimilis eſt.

(b) Sumptus hîc regulariter, & in theſi, debent (1) eſſe neceſſarij, h. e. funeris tantum cauſa impenſi, non voluptuarij. l. 14. §. 3. *& ſeqq.* ff. h. t. hinc fit, ut ſumptus exſolvens non tantum recipiat, quantum eſt impenſum, ſi nimirum ſumptus fuerint immodici, non obſervata facultatum ratione, quamvis ipſe teſtator ita voluerit. d. l. 14. §. 6. (2) ut animo contrahendi expendantur, quod conteſtari oportet, quia aliàs funeraſſe quis ſolius pietatis & miſericordiæ cauſa, adeoque donaſſe cenſetur. d. l. 14. §. 7. h. t. contra *in hypotheſi* ſumptus ex defuncti dignitate, alijſque circumſtantijs ſunt æſtimandi, adeo, ut nec pro ſumptu modico facto in contumeliam hominis locupletis & egregiæ dignitatis, detur repetitio. d. l. 14. §. 6. *&* 10. unde & veſtes lugubres, pretium loci, (ſi quod pro illo exſolvendum requiritur) ubi defunctus ſepelitur, Sarcophagi vectura. l. 14. §. 3. *&* 4. l. 37. ff. h t. pepla, ſive faſciæ ſericæ, quas funus portantibus & comitantibus, proximiſque cognatis dant, ſumptuum nomine veniunt, quod veró in convivia impenditur, ſumptuum nomine non venit, niſi conſuetudine contrarium obſervetur, vel dignitas defuncti neceſſarió requirat. Idem affirmatur de illo, quod in morbum defuncti ultimum, putà, in Pharmacopolia, Chirurgos, Medicos, eſt collocatum. l. 3. C. h. t. *arg. l.* 3. §. *4. C. de hered. petit. l.* 22. §. 9. *C. de jur. deliber l.* 17. *ff. de reb. author. jud. poſſid.*

TH. 16. Actio hæc datur ei, qui per ſe funerare non erat obligatus, & tamen aliquid impendit (a) propter funus, vel qui alteri funerandum mandavit. l. 14. §. 15. ff. h. t.

(a) Intellige qui animo repetendi, & non donandi, vel pietatis cauſa, ſumptus funeris fecit.

TH. 17. Datur contra eum, qui funerare debebat, h. e. ad quos funus pertinet, videlicet contra heredes, vel bonorum poſſeſſores, aut reliquos ſucceſſores. l. 12. §. 2. l. 14. §. *ult.* l. 15. §. 21. 31. ff. h. t. *Carpz. part.* 3. *conſt.* 25. *definit.* 49. ita maritus defunctam uxorem ſepeliri tenetur ratione facultatum, ſi uxor dotem non habeat, eiuſque heredes tenuioris ſint fortunæ.

TH. 18. Actio hæc funeraria datur ad id, ut ſumptus ratione facultatum & dignitatis defuncti factos recuperet, d. l. 12. §. 2. hoc tit.

TH. 19. Hæc actio eſt prætoria, (a) & ſubſidiaria, (b) & privilegiata. (c)

(a) Quam Prætor, ob actionum civilium defectum, ex bono & æquo introduxit. d. l. 12. §. 2. h. t. ob id tamen non eſt bonæ fidei, nam aliud eſt ex æquo & bono oriri, id eſt, ſuggerente æquitate; aliud eſt bonæ fidei; hoc enim caſu datur judici facultas ex bono & æquo judicandi, non etiam priori.

(b) Quia extra ordinem ei tantum, qui funerari non obligabatur, conceſſa eſt; hinc ſi alia actione heres familiæ erciſcundæ, vel mandati, ſumptus repetere poſſit, ceſſat ſubſidiaria. l. 14. §. 12. *&* 14. ff. h. t. eſt enim regula iuris, quod ad actiones extraordinarias deſcendere non liceat, ubi ordinarijs eſt locus. l. 16. ff. *de minorib.*

(c) Quia hujus actionis tantus eſt favor, ob religionem, ne cadavera maneant inſepulta, ut ſumptus funeris omne creditum, cum bona ſolvenda non ſint, antecedant. l. *pen.* ff. h. t. etiam dotem mulieris. *teſte Bachov. ad Treult. diſput. 24. Th. 7. lit. b, & q.*

TH. 20. In fine huius tituli iuxta ultima rubricæ verba agitur de funere licitè ducenda; quo tendit Vlpiani reſponſum, in l. 38. ff. h. t. officium, inquientis, eſſe præſidis, providere, ne corpora, aut oſſa mortuorum detineantur, néve quis prohibeatur, quo minus via publica cadaver transferre, aut ſepelire poſſit. l. 38. ff. h. t. Quare ne quidem ob æs alienum inhiberi ſepultura, aut arreſtari cadaver poteſt; ſecus facientes debitâ pœna afficiuntur. *l. fin. & Auth. ſeq. C. de ſepulch. viol. Nov.* 60. *c.* 1. *Nov.* 115. *c.* 1.

TH. 21. Moribus hodiernis obtinet, ut ſi parens funus defuncti filij ſui, aut alius velit cognati cadaver in alio territorio mortui, in locum habitationis transferre, facultas hæc liberè transferendi, ei iure non permittitur, niſi indicet magiſtratui eius loci, viamque tranſportationis impetret; quod videtur fundamentum habere in l. 1. §. 4 *ff. de ſepulchr. viol.* ubi dicitur, quod transferens, ſine denunciatione pœnam quidem non incurrat, poſſit autem tranſportatio prohiberi.

TITVLVS VIII.

De mortuo inferendo, & ſepulchro ædificando.

TH. I: CIRCA rem religioſam dantur duo interdicta. Prius eſt de mortuo inferendo, quo Prætor vetat, ne ei vis fiat, qui mortuum infert in locum, quo, altero invito, ei inferendi, & ſepeliendi ius eſt. l. 1. *pr.* & §. 1. ff. h. t.

TH. 2. Actionis hujus cauſa eſt vis & injuria, ei facta, qui mortuum ob prohibitionem, vel impedimentum alterius ſepelire nequit. l. 28. l. 43. ff. *de religioſ. & ſumpt.*

TH. 3. Hoc interdictum, ſive actio inde deſcendens competit domino proprietatis, qui ius inferendi iure habet. l. 1. § 2. ff. h. t.

TH. 4. Datur adverſus prohibentem, aut impedientem, eſt igitur interdictum prohibitorium, quo Prætor vetat ne ei vis fiat, vel aliud impedimentum objiciatur. d. l. 1. §. 1.

TH. 5. Interdictum poſterius eſt de ſepulchro ædificando, quo vetat Prætor vim fieri ædificanti in loco ſuo ſepulchrum. l. 1. §. 5. ff. h. t. illud edictum ideo propoſuit Prætor, quoniam religionis intereſt, monumenta exſtrui, atque exornari. l. 1. §. 6. ff. h. t.

TH. 6. Hoc interdictum datur adverſus prohibentem ædificare & impedientem. d. l. 1. §. 8. ad id, ne vis fiat. l. 1. §. 5. ff. h. t.

TH. 7. Obſervandum, quod in cauſis ſepulturam concernentibus ſummariè procedatur. *arg. l.* 43. ff. *de religioſ. & ſumpt.* & appellatio, ſi moram res haud patiatur, non ſit admittenda. *Carpz. Iuriſp. conſiſtor. lib. 2. defin.* 394.

PARS DIGESTORVM TERTIA.

LIBER DVODECIMVS

TITVLVS PRIMVS.

De rebus creditis.
Cod. lib. 4. tit. 2. *Si certum petat.*
Cod. 4. t. 30. *de non num. pecu.*

Th. I. IN parte Pandectarum ſecunda, quam ad hunc uſque librum ſe extendentem explicavimus, agitur de iudicijs realibus, tam principalibus, quam acceſſorijs, quæ quidem ex nullo contractu deſcendunt, exemplo tamen realium iudiciorum, ad rem perſequendam inſtituuntur.

Th. 2. Iam in tertiâ Pandectarum parte ab hoc libro ad viceſimum uſque progrediente ſubjiciuntur ea, quibus non tantum res noſtræ, verumetiam nobis debitæ ſunt præſtandæ; quibus autem actionibus debita convenienter, & licitè exigi debeant, ex libris ſequentibus percipietur.

Th. 3. Iudicia perſonalia propriè dicta, & per ſe talia oriuntur ex negotio aliquo civili inter vivos, vel ultima voluntate, h. e. omnia hæc iudicia perſonalia deſcendunt ex contractu vero, vel quaſi, ex delicto, vel qſ.

Th. 4. Contractus ſunt, vel principales, (a) vel acceſſorij. (b)

(a) Vt in libro 12. uſque ad 20. proponuntur.

(b) Quales in lib. 20. 21. 22. exhibentur.

TH. 5. Principales ſunt nominati, vel innominati.

TH. 6. Nominati ſunt reales, conſenſuales, literales, & verbales; quorum duo priores tantum uſque ad libr. 20. nobis explicantur; tertius verò contractus principalis nominatus, ſc. literarum obligatio hîc omittitur, quia Ictorum tempore, ex quorum ſcriptis Pandectæ ſunt conſarcinatæ, non videtur fuiſſe in uſu: de quarta verò huius contractus ſpecie, e. g. verborum obligatione, ſive ſtipulationibus libro 45. tractatur.

TH. 7. Contractus quidam reales, quidam conſenſuales dicuntur, non quod illic conſenſus, hîc res non requiratur; quinimo omnium contractuum verorum cauſa efficiens eſt conſenſus, ſine quo tractatus eſt nullus, l. 1. §. 1. de pact. Sicut nec ſine re, quod de emptione, potiſſima ſpecie conſenſualium contractuum nominatim dicitur in l. 8. *de contrah. empt.* ſed ideo, quod in quibuſdam contractibus, ut mutuo, commodato, depoſito & pignore, ad perficiendam obligationem nudus conſenſus non ſufficiat; ſed vt ea naſcatur, oportet inſuper accedere rei traditionem. In quibuſdam contrà ſolus conſenſus ſufficiat, nec ad perfectionem opus ſit actuali rei interventu. Omnes contractus requirunt rem aliquam; ſed quidam conſenſu nudo, quidam non niſi præter illum rei traditione perficiuntur, hoc eſt ad pariendam obligationem civilem habiles ſunt.

TH. 8. Contractus reales vel condictionem pariunt, vel ſimplicem actionem in perſonam, inter hæc enim multum intereſt, quia omnis condictio eſt actio in perſonam, ſed non omnis actio in perſonam eſt condictio, quamvis nonnunquam confundi ſoleant, l. 25. *de* O. *&* A. §. 15. I. *de act.*

TH. 9. Condictiones ſunt ex iure, eoque civili, (a) vel Prætorio. (b)

(a) De illis in lib. 12. & 13. t. 1. & 2. agitur.

(b) De his lib. 13. tit. 3. 4. 5.

TH. 10. Condictiones ſunt regulares, (a) vel irregulares. (b)

(a) Eiuſmodi ſunt omnes *in libr.* 12. *&* 13. t. 2. 3. 4. 5. tractatæ.

(b) Talis eſt condictio furtiva, *lib.* 13. t. 1. exhibita.

TH. 11. Condictio ſumitur, vel generaliter, (a) vel ſpecialiter. (b)

(a) Illo modo, quævis actiones in perſonam condictiones vocantur. d. l. 25. pr. l. 4. §. 2. & fin. h. t.

(b) Hoc modo denotat eas actiones in perſonam, quibus non dominus intendit ſibi dari (vel etiam quis factum ſibi, locove eius intereſſe præſta-

xi, l. 13. ff. *de re iud.* l. 72. *in fin. pr. de* V. O.) oportere. d. §. 15. I. *de action.* in hac ſpeciali ſignificatione dividitur ratione objecti.

TH. 12. Condictio dividitur in condictionem certi, (a) vel incerti. (b)

(a) Illa eſt, qua non dominus petit rem certam ab eo, qui ad eam dandam ex quavis obligatione tenetur. l. 9. l. 24. h. t.

(b) Hæc eſt, qua incertum quid petitur. l. 15. §. 2. ff. *de procurat.*

TH. 13. Condictio certi (a) eſt actio in perſonam, (b) qua certum (c) aliquid nobis dari petimus.

(a) Dicitur talis ratione materiæ, & propter certitudinem, quæ quidem eſt in alijs contractibus, ſed hic exuberanter *arg.* l 6. *&* 9. ff. h. t. hæc uberantia inde originem trahit, quod beneficio numeri, ponderis & menſuræ exactè ſciri poſſit, quomodo res mutuata æqualiſſimè ſecundum principia iuſtitiæ ſit reſtituenda, ne alteri injuria fiat, & mutuans exiſtat pluris uſurpator; quo ipſo etiam liberior rerum uſus promovetur, ut nobis non eadem res, ut fit in commodato & precario, ſed ut uſus conceſſæ rei ſit laxior, alia, quæ eiuſdem eſt quantitatis, reſtituatur.

(b) §. 15. *Inſt. de act.* l. 9. *pr.* §. 3. ff. h. t. l. 24. *eod.*

(c) Quod ex ſua natura & pronunciatione hominis (ſive verbis, ſive literis, ſive demonſtratione fiat) apparet, quid, quale & quantum ſit. l. 74. *& ſeq.* ff. *de* V. O. l. 6. ff. *de reb. credit.* e. g. aurei 10, fundus Tuſculanus, Tritici Africani modij optimi 100.

TH. 14. Condictio hæc certi comprehendit tanquam genus omnes actiones, quibus certum petitur, ſeu datur in genere ex iſtis obligationibus, quibus certa ſpecies aut quantitas debetur; & tot ſunt conditiones certi, quot contractus, quibus certum debetur. *pr. I. quib. mod. re cont. ob.* l. 3. 24. ff. h. t. l. 5. §. 4. ff. O. & A.

TH. 15. Condictio incerti eſt actio in perſonam, quâ incertum petimus. d. l. 15. §. 2. ff. *de procurat.* Hæc datur ex omni cauſa, ex qua incertum petitur, quando videlicet non apparet, quid, quale, quantumque ſit id, quod debetur. l. 75. ff. *de* V. O.

TH. 16. Condictio ſpecialiter ſic dicta, ex contractu reali orta eſt condictio certi ex mutuo, (a) quæ interdum per excellentiam dicitur res credita, (b) ut ut creditum à mutuo, ut genus à ſpecie differre dicatur, ubi verba de rebus creditis ſunt generalia, ita ut ad totam tertiam Pandectarum partem pertineant.

(a) l. 2. §. 1. & 3. ff. h. t. l. 1. ff. *de* V. S.

(b) *Creditum* tripliciter accipitur, (1) *latiſſimè* pro quovis debito, ſive ex contractu, ſive ex delicto, l. 10 & 12. ff. *de* V. S. etiam ratione realis actionis. *pr. I. de act.* l. 1. ff. *de compenſ.* (2) *latè*, quando quis alterius fidem ſequitur, l. 1. h. t. l. 2. §. 3. *eod.* l. 11. ff. *de* V. S. & hoc ſenſu creditum genus

eſt mutui, hoc illius ſpecies, & qui deponit, dicitur rem ſuam credere amico, (3) *ſtrictè* creditum ſumitur pro ipſomet mutuo, l. 2. §. 1. ff. h. t. quod in hoc contractu maximè alterius fidem ſequamur, tranſlato ſtatim dominio. *Mutuum* verò iterum capitur dupliciter, (1) pro re datâ in mutuum, quomodo dicimus dare, accipere mutuum. l. 2. h. t. (2) pro actu mutuandi, quo res mutuo data fit accipientis ut tantundem reddatur, qui eſt hic contractus, *pr. I. quib. mod. re cont. obl. &* §. *ult. I. de oblig.*

TH. II. Mutuum eſt contractus realis, (a) quo quantitas (b) datur, (c) ut alia (d) eiuſdem generis, & qualitatis (e) reddatur. (f)

(a) *Pr. I. quib. mod. re contr. obl.* l. 1. §. 2. ff. *de* O. *&* A. l. 2. §. 3. ff. h. t.

(b) Quæ eſt objectum mutui & denotat res, pondere, numero & menſura conſtantes, l. 2. §. 1. l. 6. ff. h. t. l. 95. ff. *de legat.* 3. l. 19. §. 1. ff. *de auro & arg. leg.* dicitur etiam fungibilis, d. l. 2. §. 1. id eſt, quæ alterius loco & vice fungitur, ſeu quarum altera alterius locum ſupplet.

(c) Ita ut fiat accipientis, eaque datio numerando, metiendo, aut appendendo perficitur. d. *pr. Inſt. &* d. l. 2. §. 2.

(d) Non verò eadem in ſpecie intellige regulariter.

(e) d. *pr.* I. *&* d. l. 2. §. 1. *&* l. 3. ff. h. t. E. non licet equum pro frumento, librum pro vino reddere.

(f) Licet aliquando per accidens fieri poſſit, ut eadem ſpecies puta pecunia, quam debitor à creditore accepit, & forte non expendit; id tamen contingit præter contrahentium intentionem, & non ſolvitur, ſive redditur eadem ſpecies, tanquam ſpecies, ut in depoſito & commodato fieri eſt neceſſe, ſed ut res eiuſdem generis.

TH. 12. Duobus modis res in mutuo traditur, vel verè, ut, ſi pecunia verè alteri, mutuum petenti adnumeretur, l. 2. §. 3. h. t. vel per fictionem, (a) quam vocant brevis manus, l. 4. 3. §. 1. ff. *de iure dot.* l. 3. §. 13. ff. *de donat. int. vir. & vxor.*

(a) Illa revocatur ad tres modos, (1) quæ fit in una perſona, ut ſi pecuniam, quam ex cauſa mandati mihi debes, vel ut depoſitum habuiſti, iam crediti nomine retineas, ac videatur mihi data pecunia, & à me ad te profecta, l. 15. h. t. l. 9. §. ult. l. 10. ff. depoſ. (2) quæ in duabus fit perſonis, e. g. ſi Titio dem lancem, ut vendat, & nummis utatur, l. 11. h. t. l. 9. ff. P. V. ubi iterum fingitur, pecuniam ex lancis venditione redactam, domino fuiſſe traditam, & ab ipſo rurſus debitori mutuandi cauſa numeratam. (3) quæ in tribus conſiſtit perſonis, e. g. ſi debitorem meum iuſſero, dare pecuniam ei, qui à me mutuam rogavit. l. 15. h. t. l. 34. *pr.* ff. *mandat.*

TH. 13. Ad definitionem mutui melius intelligendam, ſequentia probè ſunt intelligenda & diſcernenda, ut puta ſpecies, (a) genus (b) & quantitas, (c) hæc tres voces ſunt termini iuridici, quorum explicatio

catio maximoperè deſideratur, cum ſæpiſſimè in iure occurrant.

(a) Illa [1] in iure noſtro ſignificat idem, quod aliàs Philoſophis individuum, ut ſtichus; & genus contra idem, quod illis ſpecies ſpecialiſſima, ut homo, l. 32. *de cond. indeb.* l. 54. *pr.* & l. 75. §. 1. ff. *de* V. O. [2] ſignificat idem quod corpus, & opponitur uſu iuris quantitati. l. 34. §. 3. l. 30. *pr. de legat.* 1. l. 19. §. 2. *de condict. indeb.* quamvis enim & quantitates ſint corpore præditæ, d. l. 30. l. 34. §. 4. ff. *de legat.* 1. ut & res corporales ſint quantæ, l. 95. ff. *de legat.* 3. tamen, dum quantitatibus utimur, à materia eas abjungimus; & ſolius quantitatis rationem habemus; quocirca dicuntur functionem recipere in ſuo genere *in* l. 2. §. 1. h. t. id eſt, dum iis fungimur, ſive utimur, non tam corpus, quam generalem quantitatem ſpectamus; poſtquam ut de pecunia ait Vlpianus in l. 1. ff. *de contrah. empt.* ita ſunt comparatæ, ut uſum & dominium præbeant, non tam ex ſubſtantia, quam ex quantitate & valore, & ob hoc una in alterius locum ſubeat, & illius vice fungatur, ut licet revera alia ſpecies reddita ſit, idem ipſum tamen, quod acceptum eſt, redditum videatur.

(b) Iſtud non ſaltem hîc denotat ſubſtantiam, ut hominem, ſicut aliàs, præſertim in materia legatorum, verumetiam quantitates, d. l. 2. §. 1. propter paulo ante dictam rationem, quod & in illis res in locum rei, ut aliàs in genere omni fieri amat, ſubeat, & una alterius vice fungatur.

(a) Hæc verò *latè* ſumitur, & ſignificat res omnes, quæ pondere, numero & menſura conſtant. l. 85. §. 2. ff. *de legat.* 2. l. 6. C. h. t. *modò ſtrictè* pro pecunia ſaltem numerata, l. 10. ff. *de compenſ.* l. 1 *de penu legat.* quia illa non ſaltem functionem recipit in ſuo genere, ſed inſuper in hoc inventa eſt, ut eâdem res aliæ omnes æſtimentur, quo ſenſu & rem omnem, quæ in commercio eſt, aliàs denotat. l. 3. ff. *de* V. S. & ita genus quoque ſit aliorum generum. Prima conſideratio quantitatis huius loci eſt, quia mutuum non tantum in pecunia, ſed etiam cæteris rebus fungibilibus, ut frumento, oleo, auro, argento, ſtanno, pice, cera & ſimilibus locum habet; quæ res ideo in numero, pondere & menſura conſiſtere dicuntur, non quod numerari & ponderari poſſint; hoc enim & aliis rebus commune eſſe poteſt, ſed quod ipſarum quantitas numerando, ponderando & menſurando quaſi determinetur, & in hoc à corporibus diſtinguatur. Determinatio autem illa inde deſcendere videtur, quod rerum illarum uſus in abſumptione conſiſtat, quo reſpectu & fungibiles dicuntur; unde quidem, poſtquam conſumptæ in ſpecie reddi non poſſunt: neceſſario, ſi obligationi ſuæ debitor ſatisfacere debet, aliud pro alio ſolvendum, & à creditore, qui nullum alium uſum fore ſcivit, accipiendum eſt; adeoque non tam affectionem aliquam peculiarem ad ipſam rem, quam dedit, ut in ſpeciebus fieri ſolet, quàm potius ad numerum, menſuram, vel pondus, ut ſub eiuſdem æquali ratione reſtitutio fiat, creditor habere poteſt: quod ſecus eſt in ſpeciebus, vel dari promiſſis, ut in ſtipulationibus, vel reſtitui debitis, ut in commodato & ſimilibus, quæ quia perdurant, præciſè præſtandæ ſunt, nec alia pro alia invito creditori obtrudi poteſt.

TH. 14. Contractum hunc ineunt mutuò dans & mutuò accipiens debitor. In mutuo dante, cum dominium rerum creditarum in debitorem hoc in contractu transferendum ſit, duo ſequentia requiruntur, [1] ut nummi accipientis fiant. [2] creditorem eſſe rei dominum, quam mutuo dat. l. 2. §. 4. h. t. vel quæ nomine eius mutuo datur, l. 4. C. h. t. Hinc ſi quis ſuo nomine alienos nummos, tanquam ſuos credendi animo dederit, accipientis non facit; adeoque nec mutuum contrahitur, dabitur tamen huiuſmodi criditori actio ex ſtipulatu, ſi ſtipulatione ſibi caverit, l. 2. C. h. t. ſin hoc non intervenerit, conſumptis nummis condictio naſcitur, l. 13. *pr.* h. t. hæc autem condictio non aliâ ratione datur, quam quod facto eius, qui rem alienam dedit, intelligitur ad eum, qui accepit, mutuo verè haud inito, ſine iuſta cauſa perveniſſe, quam propterea ipſi reddi æquum eſt. l. 19. §. 1. h. t. Dominum porrò ipſum iſtius rei, à non domino mutuo datæ quod attinet. Diſting. eſt, aut res e. g. pecunia adhuc exſtat apud accipientem, & datur rei vindicatio, l. 11. §. ult. h. t. aut conſumpta eſt, & quidem, vel dolo, & datur actio ad exhibendum, vel b. fide & locus erit condictioni ſine cauſa. *arg.* l. 32. h. t. 2. *requiritur* ut mutuo dans poſſit res ſuas adminiſtrare & alienare, §. 2. I. *qb. ali. lic. vel non.* hinc ſi furioſus, pupillus, aut minor (curatorem habens) ſine tutoris & curatoris autoritate & conſenſu det pecuniam, ea itidem non fit accipientis; adeoque nec mutuum contrahitur, d. §. 2. I. d. l. 19. §. 1. Ideoque vindicari res e. g. nummi poſſunt, ſicubi exſtant, ijs verò ab eo, qui accipit, m. fide conſumptis, ad exhibendum de his agi poteſt; ſi b. f. condictio ſine cauſa locum habet. d. § 2. I. l. 11. §. *ult.* l. 19. §. 1. h. t.

TH. 15. Ex hoc contractu ei competit condictio, qui mutuum dedit, d. *pr.* I. l. 2. §. 2. *&* 4. ff. h. t.

TH. 16. Ex ea paterfam. mentis compos & pubes, qui recepit mutuum, conveniri poteſt. l. 13. l. 15. C. *ſi cert. petatur.*

TH. 17. Actio hæc ad id datur, ut ſolvatur tantundem, id eſt, res eiuſdem generis, naturæ & bonitatis, l. 3. ff. h. t. licet fortuito caſu apud debitorem perierit, lt 11. C. h. t. ratio adæquata in eo conſiſtit, quia debitor eſt dominus pecuniæ mutuatæ, & non debetur ſpecies, ſed quantitas & genus, quod interire nequit.

TH. 18. Mutuum eſt contractus ſtricti iuris, l. 6. ff. *de eo quod cert loc.*

TH. 19. *Cauſa efficiens mutui* eſt conventio & conſenſus contrahentium, ut mutuantis & mutuatarij. *arg.* l. 18. ff. h. t.

TH. 20. Cauſa materialis res pondere, numero & menſura conſtantes; earum enim datione mutuum contrahere poſſumus, l. 2. § 1. h. t. ſic

ratione ponderis in mutuum veniunt aurum, argentum, panis; aſt non liber, & veſtis, ratione numeri ſunt nummi, non grex, neque iumentum: ratione menſuræ vinum, triticum, hordeum, &c.

Th. 21. ***Forma*** in eo eſt conſtituta, ut res fungibilis tradatur & acceptetur, ita ut accipiens ea uti queat, eiuſque fiat. *pr.* I.h.t. l.2.§.16. l.*pen.eod.* Sicque de meo tuum fiat; ſubſtantiale enim mutui eſt dominij translatio. Hinc accipiendo quis obligatur ad reddendum idem genus, in eadem quantitate & qualitate; unde liquet, [1] non novum vinum pro vetere eſſe reddendum, licet idem ſit genus. [2] nec plus, quam acceptum, e.g. ſi 10. ſint mutuo dati, 12. reddi non debent, quia hoc contra mutui eſt naturam. l. 11. §. *pen.* h. t.

Th. 22. ***Cauſa finalis*** eſt, ut res ad neceſſitatem vitæ opportunæ quarum in conſumptione uſus eſt, inter homines communicentur, alijſque aliorum beneficijs, atque auxilio benignè gaudeant, atque fruantur.

Differentia contractuum realium.

Th. 23. Contractus reales, (de quibus hic agitur) diſtinguuntur à fine. Vel [1] in ijs agitur, ut res accipientis fiat, & tantundem reddatur, ut in ***mutuo***; vel ut [2] uſus tantum concedatur, ut in commodato; vel ut [3] concilietur cuſtodia, e.g. in depoſito; vel denique [4] ut acquiratur poſſeſſio v. c. in pignore. l. 55. ff. *de* O. *&* A.

Th. 24. Contractus reales verſantur circa res objectivè, circa perſonas verò ſubjectivè.

Th. 25. Superius iam explicatum eſt, tria ad tollendam mutui obligationem requiri, [1] ut in eodem genere reddatur, [2] in eadem quantitate, id eſt, tantundem, [3] ut in eadem qualitate.

Th. 26. Hinc quæritur, an pro aureis nummis datis, argentei, vel moneta in alia forma, minuta ſcil. pro integra rectè ſolvatur? Reſp. affirm. cum non certum genus pecuniæ, ut genus certum frumenti, e. g. triticum, ſed certa pecuniæ quantitas (v. g. 100. floreni) mutuo detur, quæ ſi in æque proba moneta, (*Germanicè an guter gangbahrer muntze*) licet non eiuſdem materiæ, aut formæ externæ, reddatur, eiuſdem generis res & eadem bonitate ſolvitur, prout mutui natura requirit, l. 2. l. 3. h. t. neque enim in pecunia, modò materia ſit proportionata, ſeu æquivalens, corpus, ſed quantitas attenditur, l. 1. *de contr. empt.* l. 99. ff. *de ſolut. Muntz ordnung de anno* 1559. §. 3. *die ietzgemelten.* Vnde & rebus incorporalibus nummi accenſentur, l. 95. *in fin.* ff. *de legat.* 3. l. 34. *de leg.* 1. l. 94. §. 1. *ſolut.* l. 24. *depoſ.* l. 68. *ad SCt. Trebell.* Aliud verò obtinet, [1] ſi, ut ſpecialiter certum genus, ſeu ſpecies pecuniæ aliquando reſtituatur, fuerit conventum (*Germanicè wan*

ſtuck vor ſtuck vel e. g. *reichſthaler in ſpecie wieder zu geben vorſchrieben.*) *Carpz* p. 2. c. 29. *def.* 4. item [2] ſi creditor damnum ex ea re ſit paſſurus, d. l. 99. *de ſolut.* Vnde hodie creditor, cui ſumma aliqua ſolvitur, ultra 25. florenos in minuta pecunia accipere nõ tenetur. *Carpz* d. l.

TH. 27. Res ut ut eiuſdem ſit generis, quoad qualitatem & bonitatem variare poteſt; vnde ſi quid mutuum dederimus, æque bonum nobis eſt reddendum, e. g. vetus vinum pro vetere; non autem novum pro vetere, nec acidum pro ſuavi.

TH. 28. Hinc quæritur quid obtineat (ſi ſc. in mutuo de certa pecuniæ ſpecie reddenda non conventum) mutata pecunia, ſive moneta? hic prius explicanda eſt pecuniæ qualitas, ſive bonitas, quam quæſtio reſolvi poſſit: bonitas illa eſt duplex, intrinſeca, & extrinſeca, quæ autoritate publica ſuperveniens ita vocatur, *arg.* l. 1. C. *de veter. num.* Intrinſeca in duobus, [1] in materiæ pretioſitate (quæ aurum, vel argentum eſt) & [2] in pondere conſiſtit. Extrinſeca itidem in duobus [1] in valore impoſititio, ſive æſtimatione, & [2] in ſigno, charactere, ſive iuſta forma nummi. Iam reſp. non ſufficere, pecuniam in eadem quantitate, eiuſdemque generis reſtitui; ſed etiam opus eſt, iuxta mutui naturam in eadem, tam intrinſeca, quàm extrinſeca qualitate, ſive bonitate, qua data eſt, ſolvatur, d. l. 3. adeoque non ſecundum tempus ſolutionis, ſed ſecundum bonitatem, quæ fuit tempore contractus, quo data eſt mutuo pecunia, reſtituenda. c. *cum canonicis* 26. *de cenſib.* c. *olim cauſam* 20. *eod.*

TH. 29. Quando itaque ſumma, ſive quantitas pecuniæ mutuo data, ac interea dum reſtituitur pecunia, ea fuerit mutata in ipſa materia & pondere, (quæ eſt bonitas, ſive qualitas intrinſeca) moneta ad eam, quæ fuit tempore contractus, bonitatem reducenda; e. g. ſi 100. floreni crediti in reproba moneta, tot floreni in proba moneta tempore ſolutionis exiſtente reſtituendi, quot reſpondent iſtis 100. in depravata moneta olim datis (ut ſi pro dimidia parte ære nummi ſint contaminati, 100. reprobis æquivalentes ſunt 50. floreni in nummis purioribus) quamvis enim tunc non idem florenorum numerus ſive eadem quantitas, ut aliàs eſſentia mutui requirit, videatur reſtitui, id tamen propter contingentem in materia mutationem fit per accidens; & nequit tali caſu identitas quantitatis ſimpliciter iuxta numerum attendi, ſed ſecundum analogiam & æquivalentiam; variata enim moneta, & pretia rerum variari, æquitati haud inconveniens. Licet in poteſtate Principis videatur eſſe, materię nummorum quid detrahere, atque nihilominus eundem valorem perinde ac ſi nihil deceſſerit, ijs

imponere; id tamen non poteſt vergere in detrimentum eorum, qui ante hac probam dederunt monetam. *Carpz. 5. reſponſ. 95. & ſeqq.*

TH. 30. Similiter quoque bonitate extrinſeca (ſalvâ omnino intrinſecâ) mutata, ille quando de reſtituenda pecunia agitur, attenditur valor, qui fuit nummorum, in quibus pecunia data tempore contractus; ita nimirum, ut, ſive imminutus, ſive auctus fuerit iſtorum valor, tantam ſummam debitor reſtituere teneatur, quantam computatione iuxta valorem nummorum, tempore contractus datorum inſtituta accepit; adeoque ſi auctus ſit valor, & idem fortè nummorum genus ſolvatur, debitor deducere poſſit incrementum, quod veteri acceſſit æſtimationi; ſin verò minutus, debeat ſupplere, ut ſumma credita conficiatur & reſtituatur, aliàs namque ſi tot nummos, quot accepit, non conſiderato augmento ſuperveniente, reſtituere teneretur, plus, non verò ſpectato diminuto valore, poſt accidente; minus redderet, v. g. ſi 200. aureos ungaricos, ſive ducatos mutuo quis dederit eo tempore, quo unus eorum fortè valuiſſet 36. groſſos, hodie ſolvens ducatos, non ducentos, ſed 150. tenetetur reddere, vel thaleros 300. in alia moneta. Sin verò hodie 150. ducati eſſent mutuo dati, & poſt minueretur eorum valor, ita ut unus eorum conſtaret 36. groſſis; tunc reſtituendi eſſent 200. ducati, vel thaleri 300. in alia moneta. *Mynſ. 4. obſ. 1.*

TH. 31. Limitantur antecedentia, [1] ſi nec creditor, nec debitor damnum incurrat, licet in alia bonitate moneta reddatur; e. g. licet pravam monetam acceperit debitor, eam tamen ut probam impenderit, tunc is probam tempore ſolutionis exiſtentem reddere debet; [2] ſi pecuniæ reddendæ qualitas à contrahentibus eſt expreſſa, tunc illa ſecundùm tenorem obligationis attenditur, quicquid mutationis acciderit; ut ſi verba de currente moneta concepta.

TH. 32. Superiora vera ſunt, quando genus eſt in obligatione, ſeu ſumma, & quantitas pecuniæ in genere, non determinatâ certâ ſpecie monetæ, in quâ ea ſit reſtituenda.

TH. 33. Quæritur, quid obtineat, ſi de certa monetæ ſpecie conventum? Reſp. diſting. aut mutata eſt bonitas intrinſeca, & ſolvitur quidem eiuſmodi ſpecies, ſed ratione eius bonitatis, quæ fuit tempore contractus; aut extrinſeca bonitas eſt mutata; ac quando ſimpliciter certa monetæ ſpecies, (v. g. *reichſthaler* in ſpecie *ſtuck vor ſtuck*) mutuo data, non attenditur auctus, vel imminutus valor. Sin verò valor adjectus, & ſpecies æſtimato data, tunc non ſolvenda illa certa ſpecies, aucto fortè poſtea, vel imminuto eius valore, ſed ſufficit æſtiᵹ

mationem in contractu expreſſam in alijs nummis probis præſtare. *Frantz. Exercit.* 9.*q*. 2. 3.

TH. 34. Quæritur, quid iuris, ſi illud genus monetæ, quod mutuo datum non amplius exſtet, aut à debitore præſtari nequeat? Reſp. tunc rectè ſolvitur alia moneta creditis nummis in bonitate intrinſeca conveniens & æquivalens. *arg.l*.71.§.3. *de legat* 1. *Nov*.4.*c*.3. *Gail*.1.*obſ*.73.

TH. 35. Quæritur, quid obtineat, ſi rerum fungibilium, quas quis mutuo accepit pretium ſit mutatum? Reſp. in eodem genere & bonitate ſunt reſtituendæ; quia non conſideratur, quando ſuo loco ac tempore reſtituuntur, an earum pretium, ſive æſtimatio tempore contractus, ac tempore ſolutionis ſit idem, an diverſum; ſed & aucti pretij commodum, & diminuti incommodum ad creditorem pertinet. l. 22. h. t. quippe æſtimatio extra rem eſt, eiuſque mutatio, licet eadem ſit rerum bonitas, proficiſcitur ex copia & inopia, alijſque circumſtantijs.

TH. 36. Quæritur, an mutuum uſurarium ſit permiſſum? Reſp. ius canonicum illud, ut illicitum & damnandum rejicit, quod ſequuntur Receſſus Imperij, non permittentes Chriſtianis uſurariam mutuationem per ſtipulationem; ſed Iudæis tantum eſſe permiſſum ſtipulari 5. pro 100. *Pol. ordn. de anno* 1577. §. *damit: aber.* Nonnulli tamen Icti ſummæ æſtimationis eum, in ſe ut rem licitam eſſe permittendam, affirmare audent, ſeqq. ob rationes, [1] quia ſine commercijs nulla hominum conſeruari poteſt communitas. l. 2. ff. *de nund.* quæ commercia commodè ſervari nequeunt, niſi mutuum uſurarium, quod in ſe, præprimis Proteſtantes autumant bonum, permittatur; hinc etiam in inferioris Germaniæ provincijs ſtipulatio uſurarum mutuo adjecta in vigenti adhuc eſt uſu. [2] ſi nihil quicquam lucri ex tali mutui datione danti ſit percipiendum, nulli ſanè, aut admodum rari mutuo accepturis pecuniam tempore neceſſitatis ſubminiſtrabunt. Quotus enim divitum egenti mercatori, vel alij deſideranti mutuo daret pecuniam, ſi mutuatarius inde ſolus perciperet commodum, nihil verò ad mutuantem redundante. [3] nec hoc juſtum foret, ut alter mutuantis cum damno locupletaretur. [4] contra ſi uſuram hanc omnes indiſtinctè, ut rem licitam admitterent, nulla mutuo accipiendi pecuniam eſſet difficultas, quilibet ultro eam mutuo dando offerret, atque ſic tam mutuatario, quam mutuanti conſuleretur.

TH 37. Quæritur, an actio ex mutuo (unde datur condictio certi) ſit condictio generalis, vel ſpecialis? Reſp. eſſe generalem (quamvis hæc actio haud magni eſt ponderis, cum hodie actionis expreſſio non

eſt neceſſaria,) quia certi condictio eſt genus, (ceu actio perſonalis) quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus. E. & hanc ex mutuo continebit, ut generalis. §. 15. *Inſt. ff. de action.* cum condictio in genere eſt actio perſonalis, ſicut enim rei vindicatio in genere dicitur de omni actione in rem, ita & condictio in genere de omni perſonali. d. §. 15. Specialis nominata eſt, vel innominata, ſive præſcriptis verbis, vel condictio in ſpecie. l. 7. §. 1. *de pact.* At actio ex mutuo non venit nomine condictionis in ſpecie, ut eſt condictio indeb. ob. cauſ. &c. ſed ex ſpeciali nominato contractu appellationem ſuam nominatam ſortitur. E. ſi condictio dicenda ſit actio ex mutuo, erit generalis, quatenus ſpeciale condictionis nomen non habet.

TH. 38. Mutuum à nonnullis Ictis dividitur in verum, (de quo ſuperius dictum) & præſumptum, ubi pecunia, vel alia res fungibilis non numeratur, vel non datur, l. 14. C. *de non num. pecun.* ſed tantum ſcribitur, ut in literarum obligatione, quæ conſtituit proprium & ſingularem juris civilis contractum; non verò mutuum, niſi analogicè, ſive impropriè dictum *pr. Inſt. de lit. obl.* quia traditio, quæ hic deeſt, rei fungibilis eſt de mutui propriè dicti eſſentia *pr. Inſt. quib. mod. re contr. obl.*

TH. 39. Contractus chirographarius eſt, quo quis literis, ſive cautione ſcripta & alteri data obligatur ei ad rem fungibilem ſolvendam, quam quis accepiſſe, & inde debere ſe ſcripſit.

TH. 40. Ineunt hunc contractum creditor & debitor, qui vel pecunia, e. g. verè numerata, vel ſaltem ſpe numerandæ cautionem ſcripſit, & creditori tradidit.

TH. 41. Celebratur hic contractus ſuper rebus fungibilibus. *t. t. C. de non num. pec. t. t. Inſt. de lit. obl.* quippe quæ perinde, ut in mutuo ſolum ſunt habiles, ut de ijs, in eodem genere reſtituendis, (effluxo temporis ſpatio ad mutui dationem conſtituto) cavere poſſimus.

TH. 42. Forma eius in eo conſiſtit, ut qui literis ſe rem accepiſſe exprimat, eiuſque reſtitutionem in eodem genere & bonitate promittat, & ſicut ſtipulatio præcisè verbis, ita hic contractus literis initur. Neque quoad ipſum hunc contractum, ſeu eius eſſentiam refert, an quis acceperit rem, e. g. pecuniam, an non acceperit. *pr. Inſt. de lit. obl. &* § *ult. Inſt. de obligat.*

TH. 43. Obligatur igitur ex ipſa ſcriptura, qui chirographum ſcribit (a) ad reddendam in eodem genere ac bonitate pecuniam, aliamve rem fungibilem, quam ſe accepiſſe literis expreſſit; & datur inde condictio certi ex chirographo d. l.

(a) Scribens obligatur quoad actum primum confeſtim, cum effectu verò poſt biennium. *l. 8. in fin. l. 14. pr. C. de non num. pec.*

TH. 44. Quoniam verò huic contractui, qui literis fit, ſimiliter ac ſtipulationi, quæ verbis celebratur, cauſa debet ſubeſſe. *arg. l. 2. §. 3 ff. de dol. mal. except. §. 2. Inſt. de except.* datio nim. rei; ſeu numeratio pecuniæ. Ideo eliditur illa obligatio & actio, qua ipſo iure pecuniam petere poſſum, per exceptionem non numeratæ pecuniæ. d. §. 2. *Inſt. de except.* Non ſolum autem agenti ex chirographo opponitur iſta exceptio, ſed etiam per modum actionis de pecunia non numerata, quæri poteſt, qui chirographum ſpe futuræ numerationis dedit. *d. t. Inſt. de liter. obl. l. 7. 8. 14. l. fin. C. non num. pecun.*

TH. 45. Atque huic querelę & exceptioni proponendæ pręſcriptum eſt à Iuſtiniano Imp. biennium continuum à die dati chirographi computandum. *d. l. 14. pr. C.* ita nimirum, ut ſi intra illud biennium proponatur, iure ſingulari privilegiata ſit, ut petitor teneatur probare pecuniam eſſe numeratam. *l. 3. C. d. t. l. 10. C. eod.* contra lapſum iſtius biennij minoribus & ſimilibus reſtitutio in integrum conceditur. *d. l.* 14. §. 1. C.

TH. 46. Quòd ſi creditor debitorem probationibus ſuis convicerit, pœna in hunc falſo negantem eſt iure Iuſt. ſtatuta, *Auth. contra qui propriam C. d. t. Nov.* 18. *c.* 8. quæ tamen hodie vix obtinet, licet aliquando pro judicis arbitrio talis puniri poſſit debitor. *Perez. in d. t. n. ult.* conceditur autem creditori ſuper facta numeratione iuramentum deferre debitori. *d Nov.* 18. *c.* 7. *verſ. hæc autem.*

TH. 47. Poſt elapſum biennium ſecundùm cõmunem DD. ſententiam non denegatur hęc exceptio debitori, modo poſſit probare pecuniam ſibi numeratam non eſſe; aliàs enim quod in favorem debitoris, qui ſæpius pecuniæ indigus, ſpe futuræ numerationis cautione accepiſſe fatetur pecuniam, quam planè non accepit, eſt introductum, in eius damnum tenderet, ſi hæc exceptio ad biennium eſſet abſolutè reſtricta, cum aliàs reo exceptiones perpetuò competant. *l. 5. §. ult. ff. de dol. mal. & met. except. Carpz. 2. reſp.* 91.

TH. 48. Hæc querela & exceptio adverſus eum, cui data eſt cautio, eiuſque heredem datur illi, qui literis confeſſus eſt, ſe accepiſſe pecuniam, eamque debere; ac ſi hic intra definitum tempus nullâ querimoniâ uſus defunctus eſt, reſiduum tempus eius heres habebit. Sin autem queſtus eſt, heredi perpetuo competit. l. 8. C. d. t.

TH. 49. Non admittitur hæc querela & exceptio, [1] ſi poſt ſcrip-

tam

tam cautionem quis denuò agnoverit totum debitum, vel ſolutione portionis eius. *l.* 2. C. *d.t.* vel confeſſione alio tempore repetitâ, ſive judiciali, ſive extrajudiciali, *arg.l.*4.*l.*14.§.1.C. *d.t.* niſi fraus creditoris probetur. *arg.l.* 9. *pr.* C. *d. t.* [2] ſi iteratò iſti exceptioni renunciaverit; ſic enim quis agnoſcit debitum, & veram traditionem. *arg.l.* 4. C. *d.t.* illa verò renunciatio, quæ fit initio contractus non obſtat: Eadem namque facilitate, eademque ſpe illectus, qua ſcripſerat ſe accepiſſe, renunciaſſe intelligitur. *arg.l.*22. C. *ad SCt. Vellej.*

TITVLVS II.

De jurejurando, ſive voluntario, ſive neceſſario, ſive judiciali. Iung. libr. 4. tit. 1. C.

TH. I. AD mutuum, ſive res creditas probandas, æſtimandas, & reddendas ſæpius jurejurando eſt opus, quia homines alijs mutuò dantes pecuniam ob pudorem ſæpiſſimè contenti ſunt fide, quam amicis habent, quibus ſine teſtibus crediderunt. Amici verò ſi fallant, neceſſario deveniendum eſt ad jusjurandum. *Nov.*73.*c.*4. Ideo hic conjunguntur duo tituli de rebus creditis & jurejurando. Antequam igitur aliæ contractuum ſpecies exponantur, poſt t. præced. de R. cred. de jurejurando hoc & ſequenti titulo agitur.

TH. 2. Iusjurandum eſt invocatio Dei, (a) qua petimus, ut is ſit teſtis aſſertionis legitimæ, & nos ultrò ad pœnas, ſi fallamus, obligamus. (b)

(a) c.26. *jurejur.* cum ſit omniſcius & cordis ſcrutator.

(b) Comprehendit iuramentum devotionem ſui, ſi falſum aſſeveret iurans, ad æternum exitium.

TH. 3. Quæritur, an omne iuramentum ſit illicitum? Reſp. neg. quia ipſe Deus per ſe iuravit, *Geneſ.* 22. *v.* 16. 17. extant etiam piorum iuramenta, *Geneſ.*14.*c.*22. *Ioſ.*14. *v.*9. & paſſim in ſacris; mens enim Chriſti non eſt, ut quis omnino non juret ob fidem faciendam, ſalutem publ. noſtrum aut proximi commodum, cum talibus in caſibus iuramentum licitè conceditur, ſed ne in caſſum & vanum iuremus.

TH. 4. Cauſa effic. jurisjur. eſt conventio litigatorum, qui deficientibus probationibus extra judicium. l.17. h. t. conveniunt, ut res jure-

jurando dirimatur, aut illud invicem in judicio deferunt, quod omnino præſtandum, aut referendum, aliàs *authoritas judicis*, qui in defectum, ſupplementumque probationis, jurandi neceſſitatem alterutri litigatorum imponit. l. 1. h. t.

TH. 5. Materia circa quam, ſunt res honeſtæ & licitæ, quia juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis, ſicut nec obligatorium eſt contra bonos mores præſtitum.

TH. 6. Forma juramenti eſt ſubſtantialis, (a) vel accidentalis. (b)

(a) Illa conſiſtit in teſtatione religioſa, vel obteſtatione Dei, ſeu divini Numinis, *Ierem* 12.16. l. 1. h. t. l. 6. C. *eod.* quare arceantur hinc iuramenta, [1] quæ fiunt per falſum Numen, aut aliud, quod Numen non eſt. l. 5. §. 3. h. t. ut Turcarum, per ſuum Mahomet. Ethnicorum per ſidera, creaturas, genium Principis, c. 26. *jurejur.* etiam Angelos, aut Sanctos, qualia & in iure civili reperiuntur. l. 13 §. *fin.* h. t. *Nov.* 8. *in fin.* l. 41. C. *de transact.* l. 2. C. *de R. Cred.* [2] excluduntur, quæ fiunt per fidem humanam, quia formali iuramenti, ſcil. obteſtatione religioſa deſtituuntur, qualia ſunt Germanicè *an eides ſtat, by Furſtlichen, Graſlichen, adlichen ehren, treu und glauben, bey Chriſtlichen treuen und guten glauben*; aſt quæ Dei invocationem implicitè continent, iuramenta ſunt, e. g. Germanicè *bey Got, bey dem vvorte der evvigen vvahrheit, ſeiner ſeelen ſeligkeit.*

(b) Hæc conſiſtit in ſolennitatibus iuramento præſtando adhiberi ſolitis, lege vel moribus, ut quod *mares* erectis duobus digitis primis; *fœminæ* apposita ad pectus ſiniſtrum dextera iurent, idque fiat quandoque apertis ianuis, feneſtris, nudatis capitibus eorum, qui adſunt, & ſtantibus iiſdem; ſicque præſtitum iuramentum dicitur corporale. l. 1. C. *ſi adv. vend. ein Corperlicher gelahrter eidt.* Hæ ſolemnitates iure civili & moribus ideo adhibentur, ut religio injiciatur hominibus per externa, quæ in ſenſus incurrunt, ut ſic à perfidia magis abſterreantur. His etiam annumerari ſolet prævia admonitio de pœna perjurij, tam temporali, quàm ſpirituali.

TH. 7. Finis iurisjur. eſt veritatis teſtandæ, tollendarumque controverſiarum gratia, quod fit ad Dei gloriam, atque hominum commoditates.

TH. 8. Effectus iurisjur. adverſus iusjurandum non ſolum denegatur actio, ſed ex ipſo iurejurando actio in factum & exceptio datur. l. *nam poſtea.* §. 1. h. t. perinde atque ex re judicata. *l. actori. C. de R. Cred.*

TH. 9. Quæritur, an iuramentum contractus, ſive actus iure invalidos firmet? Reſp. diſting. inter ius civile & canonicum. *Illo* non confirmantur. l. 7. §. 16. ff. *de pact.* l. 112 §. *fin. ff. de leg.* 1. l. 5. C. *de legib.* ſic non valet donatio inter virum & uxorem mediante iuramento fa-

ēta, donatio 500. ſolidos excedens. l. 34. C. *de donat. Hoc* (iure Canonico) juramentum contractus etiam iure civili invalidos confirmare poteſt, exque eo obligatio producitur. *c.quamvis de pact. in* 6. eo enim jure non inſpicitur, utrum iure civili valeat contractus, ſed utrum id, quod promiſſum, iuri naturæ & divino haud ſit contrarium, (a) atque ſic ſervari queat ſine æternæ ſalutis diſpendio. *c.cum contingit, Extr.de jurejur.* e.g. ſi quis coactus latroni juret, ſe velle ei rem ſuam vendere, vel pro vita redimenda 100. ducatos ſolvere, iure canon. & in foro conſcientiæ eſt ſervandum. *c.ſi aliquid* 22.*q*.4. à quo tamen, ob coactam voluntatem, abſolutionem (b) impetrare poteſt, ſi velit *c. iuratos* 15. *qu.* 6.

(a) Si enim promiſſum non tantum jure civili, ſed & gentium & divino iure ſimpliciter ſit illicitum, ſervare illud non tenetur, proindéque nec abſolutio requiritur, quia tale iuramentum duplicem patitur defectum, [1] ab objecto, [2] à cauſa efficiente, putà conſenſu coacto, hinc eiuſmodi promiſſionem implere & ſervare, nihil aliud, quàm Deum graviter offendere foret.

(b) Hæc abſolutio eſt, cum Magiſtratus ex juſtis cauſis vim obligandi, quæ revera ſuberat, aufert, tollit. Per Magiſtratum autem hic ICti non intelligunt Eccleſiaſticum, ſed ſecularem, [1] quia ad eundem antiquis temporibus ſpectabat iuramenti executio, & perjurij punitio, [2] quia Romæ olim Imperatores fueruut Pontifices Maximi. [3] quia Deus eſt Author Magiſtratus politici, qui Dei Vicarius: hic cum remittit, Deus remittere intelligitur; ſubeſt enim in omni iuramento obligatio directa & ad hominem, & ad Deum. Licet Pontifex poſtea ſibi poteſtatem tribuerit. *c. novit. de judic. c. venerabilem de elect. c. cum contingat. h. t.* poſtmodum tamen ad iura antiqua reditum eſt. Vnde Camera Imperialis à juramento abſolvere poteſt, ad effectum agendi. *O.C. p 1.th.* 24. *Gail.* 2. *obſ.*42. Idemque reformatæ religionis Principibus ius eſt, *Gail.* 2. *obſ.* 25. eo magis, quod iuriſdictio Pontificia ibi ſit ſuſpenſa, illique ſimul & Principes Imperij ſint & Epiſcopi. *Rec.Imper.anno* 1555. *und ſollen die jenigen, &* §. *und ſollen in dieſen beiden verordnung.*

TH. 10. Quæritur, an perjurium committens iure civili poſſit aliqua affici pœna? Reſp. affirm. quia in l. 13. § *fin.* ff. h.t. pœna perjurij eſt fuſtigatio, ubi per genium aut venerationem Principis iuratum. Hinc à minori ad majus argumentari licet. E longè gravior eum, qui in divinum Numen eſt perjurus, affliget pœnâ (cum pietatem, religionem, conſcientiam, & animam miſerrimè lædit) *arg. auth.Gazaros, C.de hæret.& Manich. l.* 28. *ff. de dol. mal. l.* 41. *C.de tranſact. l. pen. C. de dignit. l.*1.§.1. *ad L.Corn.de ſicar.* quę pœnam habet exilium, dignitatis privationem & infamiam. Iure verò canonico pœna perjurij eſt excõmunicatio. *c.infames.*6.*q.*1. Hodie relegatio, carcer, mulctæ, aliquando

truncatio digitorum, quibus iuratum; hoc ultimum pœnæ genus in duobus tantum caſibus obtinet, [1] ſi quis, antequam perjurium committat, ſatis de perjurio fuerit monitus, hic etiam dignitate privatur, & fit infamis, *Conſtitutio criminalis, Germanicè Peinliche Halsgerichts ordnung. art.* 107. [2] ſi quis Vrphedam, vel cautionem juratam de non redeundo, (ubi ſc. eſt relegatus) aut de non ulciſcendo carceris injuriam, fregerit. *Peinl. Halsger. ordnung. art.* 108. Interdum quoque eſt ſimilitudo ſupplicij. *d. art.* 107. ubi dicitur, quod is, qui ſuo perjurio alium ad pœnam capitalem fecerit damnari, eandem pœnam ſuſtinere debeat, quam perjurio ſuo alteri intentavit. Eandem & ille pœnam ſuſtinebit, cuius dolo malo perjurium ab alio eſt commiſſum.

TH. 11. Iusjurandum eſt de re non controverſa, (a) vel controverſa.

(a) Illud eſt, [1] *Aſſertorium*, quo rei geſtæ, vel eius, quæ geritur veritas ex conſcientia aſſeveratur, [2] *Promiſſorium*, quo fide religiosè datâ quid promittitur, quale eſt iuramentum fidelitatis (ſc. vaſſalli) item homagium Germanicè *die Huldigung*. [3] Confirmatorium, quod pactionibus actibuſque alijs majoris firmitatis cauſa adjicitur, ut contractus præcedentes confirmet. *arg. l.* 41. *C. tranſact.*

TH. 12. De re controverſa jusjurandum, vel ſolius religionis injiciendæ cauſa, (a) vel ſimul litis decidendæ gratia, (b) interponitur.

(a) Quale eſt iusjurandum [1] calumniæ, [2] teſtimonij, [3] purgationis. Illud (ſc. calumniæ) ad tit. ff. de iudic. eſt deſcriptum, eſtque duplex, generale & ſpeciale. Generale eſt, quod ab utroque litigantium ſuper tota cauſa præſtatur. c. 1. c. *pen.* h. t. *Nov.* 49. c. 3. l. 44. §. 4. *famil. erciſc.* Speciale, quod in qualibet iudicij parte, tam ante, quàm poſt litem conteſtatam exigitur. l. 8. § 5. ff. *qui ſatiſd. cog. l.* 15. *ad exhibend.* Iſtud (teſtimonij) eſt quod teſtes de veritate ad cauſam dicenda præſtant. l. 19. C. *de teſt.* Hoc (purgationis) eſt, quod reus de delicto aliquo ſuſpectus, ſui purgandi cauſa præſtat. l. 6. §. 4. *verſ. ſicuti, C. de his qu. ad Eccleſ. l. ult. C. de fid. inſtrum.*

(b) Litis cauſa præſtatur jusjurandum deciſorium, vel in litem.

TH. 13. Deciſorium eſt voluntarium, vel iudiciale, vel neceſſarium rubr. l. 12. ff. h. t.

TH. 14. Iusjurandum voluntarium eſt, quod ex mera conventione pars parti defert. l. 17. 28. § *fin.* ff. h. t.

TH. 15. Iusjurandum judiciale eſt, quod pars parti defert, (a) approbante iudice. l. 34. §. 6. l. 35. §. 2. ff. h. t. & illud delatum referri poteſt, aut præſtandum. (b)

(a) Id eſt, pars partem provocare poteſt ad jusjurandum, eique neceſſitatem imponere, ut aut iuret, aut referat juramentum.

(b) Si enim nec iurare, nec referre velit, tunc pro confeſſo habetur. l. 38. h. t. quandoque tamen delatum iuramentum præcisè eſt præſtandum, nec referri poteſt, quando videl. is, cui delatum eſt iuramentum, aut tantum, aut melius ſaltem, quam deferens veritatem novit. l. 34. §. 7. ff. h. t. *Carpz.* 1. c. 12. d. 40.

TH. 16. Iusjurandum neceſſarium eſt, quod inopia probationis à judice litigantibus (ſive actori, ſive reo) imponitur. l. 31. ff. h. t. l. 3. C. *de* R. *Cred.*

TH. 17. Iusjur. hoc neceſſarium dividitur in ſuppletorium, (a) & purgatorium. (b)

(a) Illud eſt, quod causâ cognitâ judex etiam non rogatus imponit ei, qui ſemiplenè probavit, ut per id perfecta fiat probatio, & cauſa dubia decidatur, d. l. 3. C. *&* d. l. 31. ff. c. f. *extr. de jurej. Requiſita huius juramenti ſeqq.* [1] ut ſemiplenè ſit probatum, nec illa probatio per præſumptiones eliſa ſit; & quidem ſi vterque actor & reus ſemiplenè probaverit, illi deferet iudex, pro quo major eſt præſumptio veritatis, aut etiam, qui in hoc genere validius probavit, c. *ult. Extr.* h. t. [2] ut is, cui defertur à judice probabiliter ſciat veritatem, ac ſit perſona fide digna, [3] ut cauſa ſit modica *Gail. 1. obſ.* 108. & civilis, vel ſaltem ad pœnam corporis afflictivam non tendens. *Mynſ. 2. obſ.* 87. Non verò regulariter admittitur in cauſis, ex quibus ingens lucrum ad aliquem perveniret, propter metum perjurij *Gail.* d. l. Nec in criminalibus gravioribus, quia in ijs luce meridiana clariores probationes exiguntur, l. f. C. *de probat.* Nec facile in matrimonialibus, *Gail. 2. obſ.* 94. niſi æquitas & circumſtantiæ ſuadeant. *Carpz. 3. reſponſ. 57. & juriſpr. Conſiſtor. 3. def. 46.*

(b) Hoc eſt, quod judex causâ cognitâ, imponit ei, contra quem præſumptiones militant, ut ijs ſe per illud examinet, & cauſa dubia decidatur; hoc iuramentum defertur, [1] quando contra aliquem actorem, vel reum, minus quam ſemiplenè probatum, vel aliàs contra quendam ſunt magnæ ſuſpiciones, à quibus ſe purget neceſſe eſt. c. 13. *de purg. can.* [2] ſit perſona fide digna. [3] cauſa non ſit criminalis, in qua ob ſummum periculum vitandum, perjurium metuitur, niſi ſit tale crimen, ob quod pœna corporis infligi nequeat, vel tales præſumptiones adſint, quæ non ſufficiunt ad torturam, *arg* c. *ult.* d. t. *Carpz prax. crim.* 3. q. 117. n. 85. admittitur quoque illud in cauſa iniuriarum, *arg.* l. 18. C. *ex quib. cauſ Gail. 2. obſ.* 106. ubi reus affirmat iuramento, verba iniurioſa, iniuriandi animo non fuiſſe prolata, l. 6. §. 4. ff. *de his qui not. infam.* admittitur etiam in matrimonialibus, ubi non ſemiplenè probatum, ut juramento, qſ. tortura ſpirituali deterritus, matrimonium fateatur inque illud conſentiat.

TH. 18. Ex jurejurando voluntario datur actio prætoria ei, qui po-

ſtulante adverſario juravit, §. *Item ſi quis* 11. *Inſt. de action.* ad reſtituendum, l. *Sed ſi poſſeſſori* 11. §. 1. ff. h. t. vel dandum, vel faciendum, l. *Si duo* 13. §. *ſi quis* 6. h. t. *arg.* l. 3. §. 1. ff. *eod.* hoc iuramentum ſpeciem continet tranſactionis, & firmius adhuc eſt quam rex judicata, l. 2. ff. h. t.

TH. 19. Iuramentum voluntarium & judiciale plenam faciunt probationem, l. 1. §. 2. ff. h. t. aſt non neceſſarium. l. 31. ff. h. t.

TH. 20. In perſona, cui iuratur, & qui iurat, requiritur iudicium; in obiecto, de quo iuratur, veritas & iuſtitia. c. 26. h. t.

TH. 21. Is, cui iuratur, iudicium adhibebit, ne temerè exigat, ob temporalem & æternam pœnam evitandam.

TH. 22. Qui iurat, iudicium adhibeat, ut neque facilè nimis ad iurandum, neque tamen ad ſuperſtitionem ſit timidus, l. 8. ff *de condit. inſtit.* nec temerè, ſed præviâ deliberatione, & neceſſitate exigente iuret, quapropter in iurante requiritur intellectus. E. furioſus, prodigus, impubes iure civili, ob mentis defectum ex iuramento non obligantur. *arg.* l. 5. *in* f. C. *de* V. Iure canonico prodigus & pubertati proximus, intelligens quid ſit iuramentum obligatur, c. 28. h. c. 1. de delict. puer. Minores ſi eius ætatis ſint, ut maturius habeant iudicium, ad iuramentum admittuntur. l. 1. *auth. ſacramenta puberum* C. *ſi adv. tranſact.*

TH. 23. Tres ſunt iuramenti pediſſequæ, ſive comites; *juſtitia*, *veritas* & *iudicium*; ſi enim deeſt *iuſtitia*, oritur iuramentum iniquum, ſi *veritas*, periurium; ſi *iudicium*, juramentum redditur incautum & temerarium; iuſtitia expoſcit, ut iuretur de rebus licitis atque iuſtis, l. 5. C. *de leg.* l. 7. §. 16. ff. *de pact.* hinc patet, ſeqq. iuramenta eſſe irrita [1] quæ accedunt negotijs ipſo iure naturæ illicitis, ac turpibus, e. g. ſi quis iuret, ſe patrem occiſurum, vel matrem in uxorem ducturum; [2] ipſi utilitati publ. repugnantibus, (ſc. negotijs) & [3] in alterius præiudicium vergentibus. Veritas quoque neceſſariò requirit, ut nihil falſi iuretur, quia finis iuramenti eſt veritatis teſtatio, & quod inſuper Deus in teſtem vocetur, veritas prima & infallibilis. Hinc iurantis verba animo, & facta vel res quæ ſubſunt verbis congruere debent, atque hac de cauſa iurantem oportet clarè exprimere, quid ſentiat, non ambiguè aut fucatâ arte, neſcio quibus doloſis limitationibus mente retentis. Cum Deus præſtitum iuramentum ita accipit, quemadmodum ille, cui iuratur ſecundum verba iurantis intelligit. Nota, verum adſeveratur, vel ſecundum certam ſcientiam, quod iuramentum dicitur veritatis, vel ſecundum iuſtam opinionem, quod cre-

dulitatis appellatur. *Iudicio* opus eſt, & prudentia, tum, ut quis intelligens & ſciens, quid de quo iuret, *arg.* c. 22. q. 5. ne conſcientiam gravet, tum ob reverentiam divini Numinis, (iusjurandum enim ita eſt æſtimandum, ac ſi perjurus Iovem fefelliſſet. Deorum iniurias dijs curæ, inquit Tacitus 1. *Annal.* c. 8. 3. ne temerè & de re levis momenti, nec tamen timide, d. l. 8. *de condit. inſtit.* modò prævia deliberatione, & neceſſitate exigente iuret.

TH. 24. Intellectui, autem & iudicio officiunt, [1] error, [2] dolus alterius, [3] vis ac metus. Iure Canonico, ut à juramento dolo alterius, vel vi extorto, recedere liceat, abſolutione opus eſt. c. *ſi vero* 8. c. *verum* 15. c. *cum contingit.* l. 28. h. t. quia non perſona ſola reſpicitur, cui dolo, aut vi eiuſdem iuretur, ſed is, qui iuramento invocatur, *Zoeſ.* h. *num.* 70. [4] obſunt iudicio aliæ animi perturbationes, *Ariſtot.* 5. *Eth.* 10. & 7. *Eth.* 9. ut ſi ab irato, cuius ira rationem excluſit, juratum, hicque etiam abſolutionem impetrabit. Qui verò amoris æſtro percitus, puellæ matrimonium juramento promiſit, id, niſi aliud prohibeat (ſc. conſanguinitas, vel affinitas, &c.) ſervabit, [5] ebrietas, qua ſc. omnis intellectus qſ. ſepultus, obſtat, *Ariſtot.* 3. *Eth.* 2.

TITVLVS III.

De in litem jurando.

Iung. lib. 5. t. 53. C. h. t.

TH. 25. HÆc de juramento litis deciſorio, agendum porrò de iuramento litis æſtimarorio, ſeu in litem, l. 1. ff. h. t.

TH. 26. Iuramentum in litem eſt, quo propter intervenientem dolum, vel culpam adverſarij, rem non reſtituentis domino, vel non exhibentis, iudice deferente actor rem ſuam, quam petit, æſtimat, ſeu tanti ſibi eſſe obteſtatur. l. 1. l. 2. 4. *pr.* §. 1. h. t. l. 68. ff. *de* R. V. l. 7. ff. h. t.

TH. 27. Iusjurandum illud in litem eſt duplex, [1] affectionis, & [2] veritatis.

TH. 28. Iuramento affectionis propter dolum, vel culpam latam (a) non reſtituentis, (b) deferente iudice, res ex arbitrio affectioneque actoris ultra verum rei pretium æſtimatur. (c)

(a) l. 2. §. 1. ff. h. t. l. 2. C. *eod.*

(b) In illis verò cauſis & judicijs in litem iuratur, in quibus de reſtituenda re noſtra, aut exhibenda agitur d. l. 2. *pr.* h. t. nimirum *in actionibus realibus* l. 5. *pr.* h. t. ut in rei vindicatione, l. 68. ff. R. V. publiciana l. 7. §. *in publ.* ff. *de publ. in rem act.* hereditatis petitione. l *ſed. etſi.* §. *hæc verba* ff. *de hered. petit.* in actione confeſſoria, cui opponitur negatoria ſervitutū, l. *harum* ff. *ſi ſervit. vind* in actione hypothecaria, l. *ſi fundum* §. *in vindic.* ff *de pign.* ſi hac contra tertium agatur, ſ. contra debitorem, pignus reſtituere nolentem. In actionibus perſonalibus diſting. eſt; an b. f. ſint, an ſtricti iuris, in illis locus eſt iuramento in litem etiam affectionis, modò ſint quæ competunt ad rem reſtituendam, quæ vel noſtra eſt, vel aliquâ ad nos ratione pertinet, d. l. 68. R. V. l. 7. §. 2. *commod.* l. 1. §. 26. *depoſit.* l. 48. §. 1. *locat.* In arbitrarijs idem obtinet, ob magnam cum b. f. judicijs affinitatem, l. 5. *pr.* h. t. l. 18. *dol. mal.* In ſtricti iuris iudicijs non habet locum, ſed tantum iuramento veritatis rem æſtimare licet. l. 5. §. *ult.* ff. h. t.

(c) Quia dominus invitus re ſuâ carere cogitur, ideo contumacia & dolus rei in favorem actoris puniri debet, l. 1. 4. § 2. l. 8. ff. h. t. d. l. 68. R. V.

TH. 29. Iuramento hoc affectionis æſtimatur res in iudicium deductâ in infinitum, id eſt, arbitrio actoris ultra verum & definitum pretium rei; nec tenetur actor rem ablatam, vel non reſtituendam æſtimare, ut communiter pretia rerum definiuntur. l. 8. h. t. l. 25. §. 1. ff. *ſolut. matr.* nec Reo fit iniuria.

TH. 30. Iudex tamen poteſt modum ſtatuere, (a) nim. primò æſtimat actor, deinde moderatur iudex, tunc ſubſequitur iuramentum, quod regulariter in condemnatione ſequitur iudex, l. 4. §. 2. *&* 3. l. 5. §. 1. h. t. l. 18 *pr. in* f. ff. *de dol.* l. 41. §. 1. *in* f. ff. *de re iud.*

(a) Ne delicto & perjurio anſa præbeatur, aliàs forſan pecuniæ nimium inhians in centuplum iuraret.

TH. 31. Quæritur an æſtimatio hæc poſſit excedere duplum rei repetitæ? Reſp. affir. d. l. 68. R. V. l. 4. §. 4. h. t. quia hic non agitur de re habente certam æſtimationem, ſed de contumacia, eiuſque pœna, d. l. 8. h. t. atque ſic nulla reo infertur iniuria, qſ. inter rem & pretium non obſervetur proportio.

TH. 32. Iuramentum veritatis defertur, quando ob moram, vel culpam levem adverſarij res interijt, vel deterior facta eſt, vel amiſſa eſt, l. 2. §. 1. l. 5. §. *ult.* ff. h. t. iuramentum hoc præcedere debet taxatio iudicis.

TH. 33. Hoc iuram. locum habet in actionibus b. fidei, arbitrarijs & ſtricti iuris. d. l. 5. §. *ult.* l. 50. *pr.* ff. *de furt.*

TH. 34. Quæritur, quodnam tempus in æſtimanda re, ſi fortè pretium variet, inſpiciendum ſit? Reſp. diſting. inter actiones b. f. arbitrarias

trarias & ſtricti iuris. In illis & iſtis tempus rei iudicatæ eſt inſpiciendum. l.3. §.3. *commod.* in his (ſc. ſtricti iur.) tempus litis conteſtatæ obſervatur. l. 3. §. 2. *commodat.*

TH. 35. Quæritur, ſi actor in litem iurare nolit ob affectionis pretium, quid iuris? Reſp. tunc iudicis arbitrio æſtimatio committitur. *arg.* l. 71. *de* R.V. & hoc caſu communi æſtimatione contentus eſſe debet: non autem ob id cauſa cadit, iuſtumque rei pretium amittit, quod iurare nolit, ut in juramento neceſſaria. l. 31. ff. *jurejur.*

TH. 36. Ad meliorem intellectum ſeqq. ſunt obſervanda. Res ſuper qua iuramentum affectionis, vel veritatis præſtandum, vel exſtat, vel non; ſi exſtat, in iudicis arbitrio eſt, utrum reo per contumaciam reſtituere nolenti manu militari eam auferre velit, vi ſuæ, quam habet, iuriſdictionis, d. l. 68. an verò iuramentum affectionis deferre. Si autem non exſtet, tunc reus rem reſtituere iuſſus pretium iurejurando veritatis ab actore determinatum ſolvere tenetur.

TH. 37. Iuramentum veritatis eſt, quod ex vera æſtimatione, citra affectionem, quanti res revera eſt, ubi culpa adverſarij levi, res interijt, vel deterior eſt facta. d. l. 2. §. 1. l. 5. §. *ult.* h. t.

TITVLVS IV.

De condictione cauſa data, cauſa non ſecuta.

Iung. lib. 4. t. 6. C.

TH. 1. QVONIAM in genere de condictionibus & de condictione certi ex mutuo eſt actum; ideoque jam ulterius ſpecies aliquæ condictionum ſubjiciuntur. *tt. ſeqq. uſque ad t.* 4. *libri* 13.

TH. 2. Condicere priſca lingua eſt denunciare, §. 15. *Inſt. de act.* cum enim olim ſolenni, eâque ſolâ (id eſt, nullo actu corporali, ut in vindicationibus, ſed nudis verbis conſtante) denunciatione auſpicarentur in actionibus in perſonam iudicium, ideo hæ abrogatis licet denunciationibus iſtiuſmodi, condictionum nomine veniunt, l. 25. *pr.* ff. *de* O. *&* A. In ſpecie verò dicuntur iſtæ actiones in perſonam, quibus non dominus agit adverſus dominum, ut rem det, id eſt, tradat ita, ut petitoris fiat, d. §. 15. *inf.* §. 14. *eod.* Cuiuſmodi condictio oritur, vel ex vero contractu; ut [1] ex mutuo [2] ex ſtipulatione certi, *pr. I. de V. Obl.* vel qſ. contractu, ut t.t. [1] de condict. cauſa dat. ca. non ſec. & [2]

t. de condict. indebit, vel ex qſ. delicto t. de condict. ob turp. ca. Præterea ex proprio delicto oriens adjicitur condictio furtiva, t. de cond. furt. In genere condictionis nomen applicatur quibuſdam actionibus, quæ ex varijs oriuntur obligationibus. *vid. t. de condict. & leg. & tit. de condict. trit.*

TH. 3. Condictio data cauſa &c. eſt actio in perſonam, (a) qua quis, quod ob rem (b) honeſtam (c) dedit, (d) vel fecit, (e) re non ſecutâ repetit. (f)

(a) Quia omnis condictio eſt actio in perſonam, quia ex contractu, vel negotio eſt.

(b) Ob rem, quæ ita datur, ut aliquid ſequatur, l. 52. ff. *de condict. indebit.*

(c) l. 1. §. 1. ff. *de cond. ob turp. cauſ.*

(d) *Rubr.* l. 1. §. 1. l. 3. §. 2. ff. h. t.

(e) Vt ſi promiſerit, l. 4. C. h. t. vel accepto tulerit, l. 10. ff. h. t. quæ tamen facta pro datis habentur, poſtquam in effectu nihil refert, an tibi dem 10. an verò obligatione in 10. te liberem.

(f) d. l. 1. §. 1. ff. *de condict. ob turp. cauſ.* Cauſa ſc. ab altera non præſtita, ſive promiſſione rei, factive non completa repetit, quod ſecundum iuſtitiæ & naturalia principia eſt iuſtum; ob hanc repetitionem, qua à contractu diſceditur, differt hæc condictio ab actione P. verbis, cum qua aliàs concurrit, hæc enim ad implendum magis contractum & in id quod intereſt competit, l. 6. §. 1. ff. *de P. Verb.* l. 1 §. *ult.* ff. *de rer. permut.*

TH. 4. Duo huius condictionis ſunt requiſita, [1] ut aliquid ſit datum l. 9. h. t. l. 73. *de legat. 1.* [2] ob cauſam futuram, id eſt, eo animo, ut quid ſequatur. l. 52. *de condict. indeb.* quod honeſtum, non turpe. l. 1. *pr.* h. t.

TH. 5. Cauſa eſt duplex, alia futura, quæ eſt cauſa finalis, & propriè dicitur res, & dare ob hanc cauſam eſt ob rem ſeu certa lege dare, veluti ut is, qui accepit ut eat Romam; Alia præterita, quæ eſt cauſa impulſiva, & propriè vocatur cauſa, l. 1. t. *ſeq.* l. 52. *de cond. indeb.* l. 6. C. *de rer. permut.* utraque eſt vel licita, vel illicita. Licita eſt, quæ vel honeſta eſt, vel iuſta. Illicita, quæ vel turpis, vel inhoneſta, quod attinet cauſam futuram licitam, illam reſpicit condictio, quæ h. t.

TH. 6. Cauſa non ſequitur, ſi quis fine iſto non potiatur, puta, ſi is, cui datum erat, Romam non iverit, quapropter omiſſa P. verbis actione, dans poteſt repetere, quoſt dedit [1] ob ceſſationem accipientis, & [2] ob pœnitentiam dantis.

TH. 7. Condictio cauſa data &c. eſt ex qſ. contractu. (a)

(a) Quia quando quis dat ob cauſam, duo agit, *alterum expreſſè*, ut cauſa ſequatur, ſc. ut quid detur vel fiat. *Alterum fictè*, ut ſi cauſa non ſequatur, rem repetere poſſit quæ ficta conventio, qſ. contractum conſtituit.

TH. 8. Condictio hæc datur ei, qui dedit, (a) ob cauſam futuram (b) honeſtam, ipſiuſque heredi (c) competit.

(a) l. 6. 7. 9. 13. ff. h. t.

(b) Hæc utrum expreſsè adjecta fuerit, an v. de ea ex conjecturis conſtet, perinde eſt. l. 6. ff. & l. 1. C. h. t.

(c) l. 2. 3. 6. C. h. t.

TH. 9. Qui datum (a) accepit, re non ſecuta (b) hac conditione conveniri poteſt. (c)

(a) Sive naturaliter, ſive civiliter.

(b) l. 52. ff. *de condict. indebit.*

(c) e. g. ſi ſponſo dos ſimpliciter detur, licet non addatur, ſi nuptiæ ſequantur, id enim tacitè adiectum intelligitur, ideoque nuptijs non ſecutis, utpote cauſa ceſſante dos repetatur.

TH. 10. Res (ſive cauſa) non ſequitur, vel quia non poteſt ſequi, vel ſequi quidem poteſt, ſed aut ob moram accipientis (b) aut pœnitentiam dantis (c) non ſequitur.

(a) Sequi non poteſt, vel [1] natura, ubi ſciendum quod ſi quis ſciens ob cauſam natura impoſſibilem quid dederit, condictio ceſſet, *arg.* l. 3. §. 5. ff. l. 8. C. h. t. vel [2] ob impedimentum caſus fortuiti, hunc ſi culpa dantis præcedit, condictio non datur l. 15. C. *de donat. ant. nupt.* ſin verò culpâ accipientis antecedat, condictio datur, d. l. 3. §. 3. ff. l. *pen.* C. h. t. eadem competit, ſi quid datum ut viciſſim detur, & nulla mora caſum fortuitum præceſſerit, l. *fin.* §. *& ideo* ff. h. t. Ex ante dictis patet factum non poſſe ſequi, aut [1] ob naturam ſuam, aut [2] propter iuris, ſive legis prohibitionem, aut [3] ob impedimentum caſus fortuiti; *in illo* condictio ceſſat, l. 8. C. h. t. iſtud ſi ſimpliciter inhoneſtum ſit ad ſequentem titulum pertinet, ſi ſecundum quid (ut miles ſit procurator ob quod pecuniam accepit) eſt prohibitum, datur condictio, l. 1. 5. C. h. t. Hoc ſi caſus fortuitus, eumque culpa accipientis præcedat, condictionem admittit, l. 5. §. f. h. t. ſi autem nulla culpa præcedat, & caſus circa ipſum factum promiſſum contingat, danti competit condictio, puta ſi is eſt in damno, accipiens verò in lucro, l. 5. §. 2. 3. 4. l. 15. §. 6. ff. h. t. ſecus ſi accipiens eſt in damno, d. l. 3. §. 3 & l. 5. §. 2. & *ſeqq.* l. 38. *pr.* ff. *locati.*

(b) d. l. 3. *pr.* & §. 2. *verſ ſi non facis*; cum accipiens cauſam implere ceſſat.

(c) d. l. 3. §. 2. ff. h. t. qui quidem datione rei ad certum finem factâ, accipientem ſibi obligavit, at ipſe accipienti non ita obligatur, niſi & is interim aliquid præſtet, atque ita datione, vel facto aliquo dantem ſibi aſtringat. l. 6. §. 1. P. *Verb.* l. 1. *in f ff. de rer. perm.*

TH. 11. Condictio cauſa data &c. datur ad id, ut res data (a) reſtituatur. (b)

(a) l. 1. 2. 3. 4. 5. 6. ff. l. 4. §. 4. C. h. t.

(b) Quia ſine cauſa penes accipientem eſt, quod reddere omnia iura volunt, ne cum damno tradentis accipiens locupletior fiat.

TH. 12. Liberum mihi eſt, ſi cauſa non ſequatur, an ex contractu innominato, actione P. verbis ad implendum promiſſum agere velim, an ob alterius ceſſationem, aut aliàs pœnitentia ductus, nihil adhuc ab altero contrahente mihi oblato, per condictionem hanc datum repetere velim. l. 5. §. 1. ff. P. *Verb.*

TH. 13. Quæritur, an omnis contractus obliget ad implendum? Reſp. diſting. inter contractus, qui continent obligationem dandi, & qui habent obligationem faciendi; illi (ſc. dandi) vel ſunt nominati, & ex ijs præciſè agitur ad implendum, exceptis quibuſdam, ut mandato, ſocietate, locatione, &c. vel innominati, & hi licet ſint dandi, tamen non producunt actionem, quæ præciſè ad implendum competit, quia hæc contractuum innominatorum natura eſt, ut ex illis agatur ad implendum, vel ad id quod intereſt, l. 5. §. 1. *& ſeqq.* ff. P. V. Idemque & in contractibus illis, qui faciendi obligationem habent, obtinet. l. 13. ff. *de re judic.*

TH. 14. Condictio hæc cauſa data &c. eſt naturalis, & iuris gent. quatenus *abſolutè*, & ratione originis ea conſideratur, *relativè* verò ad Rempubl. Rom. conſiderata, dicitur iuris civilis, quia plurima habet, quæ ex jure civili, ſive poſitivo deſcendunt. l. 25. ff. *rer. amot.* §. 14. I. *de action.*

TITVLVS V.

De condictione ob turpem, vel iniuſtam cauſam.

Iung. lib. 4. tit. 7. C. d. t.

TH. 1. CONDICTIO ob turpem cauſam (a) eſt actio in perſonam, (b) qua quis ob rem ſoli accipienti (c) turpem, (d) datum, (e) vel promiſſum (f) repetit, licet res ſecuta ſit. (g)

(a) Quæ hic denotat finem.

(b) Quia eſt condictio, ex quaſi delicto deſcendens.

(c) l. 1. §. 2. l. 2. ff. h. t.

(d) Res eſt turpis (1) naturaliter, quando turpitudo nota eſt, & ipſa omnium hominum mentibus inſita ratione, qualis eſt in furto, homicidio, adulterio & inceſtis nuptijs, l. 42. ff. V. S. l. *fin. pr.* ff. *de rit. nupt.* (2) civiliter, quando turpitudo eſt ex civili ratione & more civitatis, ut prodire in ſcenam lucri cauſa. d. l. 42.

(e) l. 5 C. h. t.
(f) *arg.* l. 1. *in fin.* C. h. t.
(g) d. l. 1. §. *ult.*

TH. 2. Quæritur, an ob turpem cauſam hæc condictio ſemper competat? Reſp. diſting. vel accipientis tantum eſt turpitudo, non etiam dantis, vel dantis tantum, non accipientis; aut utriuſque. l. 1. *pr.* h. t. condictio hæc ſaltem locum habet, quando ſolius accipientis eſt turpitudo, id eſt, quando dans non aliquid turpe intendit, ſed cauſa ſolum reſpectu accipientis eſt turpis. l. 1. §. 2. l. 4. §. 2. h. t. l. 1. 5. 6. C. *eod.* l. 5. §. 1. *de calumn.* accipiens enim non habet iuſtum titulum, quò inniti, & rem retinere, vel etiam promiſſum exigere poſſit, *arg. l. pen. h. t.* ita ſolius accipientis eſt turpitudo, ſi detur [1] negativè, ſc. ne quis delictum committat, quia abſque pretio, ſive mercede vitijs abſtinere debet. l. 1. *pr.* h. t. [2] affirmativè, ut quid reſtituat, quod vel ex conventione reddere tenetur, fidem enim violat, qui demum pecuniâ acceptâ reſtituit. d. l. 2. §. 1. l. *ult.* h. t. vel ex delicto obligatus eſt reſtituere. l. *pen. & ult.* C. h. t. [3] ut ne quid fiat, quod quidem aliàs omitti poteſt, ſed non honeſtè pecuniâ accepta, omittitur, e. g. ſi à fugitivo meo, vel ſervo meo, qui furatus eſt, acceperis, ne eum indicares, condicere hoc tibi poſſum. l. 4. §. 4. l. 5. h. t. licet enim aliàs licitum ſit indicare furem. *arg. d. l.* 4. §. 4. tamen non licet pecuniam accipere celandi cauſa. l. 1. ff. *de fugit. l. 1. & 2. de receptator.*

TH. 3. Condictio ob turpem cauſam eſt ex qſ. delicto, quod eſt acceptio ex turpi cauſa.

TH. 4. Ea datur promittenti aut danti ob cauſam, quam accipiens præſtando turpiter agit, (a) eiuſque heredibus. (b)

(a) l. 2. l. *ult.* ff. l. 3. 4. 6. *& ult.* C. h. t.
(b) *arg.* l. 37. ff. *de acq. hered.* l. 60. l. 138. ff. R. I.

TH. 5. Datur aliquando & ei, cujus intereſt, alterum accepiſſe. l. 4. §. 4. *verſ. quod ſi.* l. 5. ff. h. t.

TH. 6. Ea condictione agi poteſt adverſus illum, qui turpiter accepit; (a) eiuſque heredes. (b)

(a) d. l. 2. 4. *pr. &* §§. *ſeqq.* l. 3. 6. C. *eod.*
(b) Quatenus ad eos pervenit. *arg.* l. 35. *pr.* ff. *de O. & A.*

TH. 7. Condictio hæc competit ad id, vt datum (a) reſtituatur. (b)

(a) l. 2. l. 4. ff. h. t. etiam cautio interponatur. l. 1. C. h. t.

(b) Cum fructibus & acceſſionibus naturalibus. *arg.* l. 15. *pr.* l. 65. §. 4. §. 6. l. 38. §. 2. ff. *de uſufruct.*

TH. 8. Non competit condictio, ſi dantis duntaxat ſit turpitudo. l. 4. §. 3. h. t. ſic meretrici datum dans repetere non poteſt; dans enim meretrici ob turpem dat cauſam; ſed meretrix licet turpiter faciat, quod ſit meretrix, ſeu quod vitæ meretriciæ ſe addixerit. l. 38. *pr.* ff. *de oper. libert.* tamen cum ſit meretrix, ſeu cum hoc vitæ genus tempore Vlpiani certis conditionibus toleratum elegerit, ac illud profeſſa fuerit, nomenque ſuum apud Ædiles dederit, non turpiter queſtum inde accipit, has Tertull. victimas publicarum libidinum vocat, in his vilitas, & indignitas perſonarum facit, ut acceptio nullam eis maculam aſpergere videatur. Modo dicta iuxta Romanor. mores tempore Vlpiani vigentium ſunt intelligenda; illo enim tempore lupanaria & profeſſio ſtupri erant permiſſa, meretrices lupanaria ceu propria ſibi domicilia habebant. *arg.* l. 27. §. 1. ff. *de petit. hered.* l. 31. §. 2. ff. *ad L. Iul. de adult.* l. 22. C. *eod.* l. 43. ff. *de rit. nupt.* Veneri templa ſunt ædificata; teſte Tacito lib. 2. Ann. in fin. *Aliàs verò iure naturali maximè inter Chriſtianos* non eſt dubium, utrimque hic eſſe turpitudinem, *c. nemo* 32. *q.* 1. & quidem à parte meretricis eſt duplex, [1] proſtitutio corporis pro mercede, *arg. l. pen. ff. de his qui not. infam.* [2] ſordes & vita meretricia.

TH. 9. Non datur quoque condictio ſi utriuſque ſit turpitudo, quia in pari cauſa potior eſt poſſidentis conditio, & petens promiſſum exceptione doli mali, vel in factum ſubmoveri poteſt. l. 3. l. 4. *pr.* h. t. l. *pen. C. eod.* pertinet huc exemplum, quando dedi, ut ſecundùm me in bona cauſa pronunciaret judex, iudicem enim hic corrumpere videtur, qui, ut ſuis ſit addictus partibus, pretio eum obſtringit, cuius iudicium liberum debebat relinqui, & neutri eſſe obnoxium, & iudicem inducit, ut non tam ob iuſtitiam cauſæ, quam ob acceptam demum pecuniam, ſecundùm ius & æquum pronunciet. l. 2. §. 2. h. t. unde & Imperator Antoninus conſtituit, litem eum perdere. l. 1. C. *de pœn. jud. qui mal. jud.*

TH. 10. Quæritur, ſi quis in adulterio deprehenſus ex metu quid dedit, an repetere queat? Reſp. diſting. aut metus fuit atrox & mortis, aut metus tantum fuit ne detegeretur. Illo competit actio, quod metus cauſa, ut ut dantis fuerit turpitudo, æquum eſt repeti, quod mortis metu, ne interficeretur, datum, l. 7. §. 1. l. 8. ff. *quod met. cauſ.* hoc actio quod metus cauſa non competit ſi deprehenſus ſe redemit, non à mor-

te,ſed ne detegeretur, ut fieri poteſt, ſi ab infirmo puero, vel muliere deprehendatur. *l. 9. pr. ff. quod met. cauſ. l. 4. pr. h. t.*

TH. 11. Condictio ob injuſtam cauſam eſt actio in perſonam, qua quis ex iuſta cauſa datum, (a) vel fructus à malæ fidei poſſeſſore ex re noſtra perceptos & conſumptos (b) repetit.

(a) l. 6. l. 7. ff. h. t.

(b) l. 3. C. *de his, quæ vis metuſve.*

TITULUS VI.

De Condictione indebiti.

Iung. lib. 4. tit. 5. C. d. t.

TH. 1. HACTENUS vidimus de condictionibus ob cauſam futuram, ſequitur de illis quæ ſunt ob cauſam præteritam. Condictio indebiti eſt actio in perſonam (a) indebiti, (b) ex ignorantia ſoluti reſtitutionem perſequens.

(a) Quia eſt condictio quæ omnes, quotquot fuerint, ſunt in perſonam.

(b) Hoc dicitur [1] abſolutè & ſimpliciter, quod nullo reſpectu debetur, id eſt, neque iure naturali, neque civili, &c. [2] ſecundùm quid, & reſpectivè, vel ad ius certum, vel perſonam, vel rem, vel fortunam debetur, alioquin autem non debetur.

TH. 2. Indebitum reſpectu iuris eſt, quod non debetur, vel iure naturali, vel civili non debetur. Illud eſt, quod ius naturale non obligat, ſed ius civile tantum adſtringit, ut ſi quis chirographo ſe alteri obligatum fatetur, qui revera, nondum accepta pecunia eſt obligatus. Hoc verò eſt, quod iure quidem naturali, at non iure civili debetur. l. 40. l. 41. ff. h. t. ut ſi quis ex nudo pacto debitum ſolvat, repeti non poteſt, naturalis enim obligatio ſubeſt, quæ impedit ſolutionem.

TH. 3. Indebitum reſpectu perſonæ eſt, quod quidem in ſe debitum, ſed non ab eo, qui ſolvit. l. 19. §. 1. h. t. vel ei, cui ſolvitur, non debetur. l. 65. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 4. Indebitum ratione rei eſt, cum aliud debetur, aliud ſolvitur. d. l. 19. §. 2. 3. h. t.

TH. 5. Indebitum reſpectu fortunæ eſt, quod ſub conditione, vel in

diem incertum debetur. l. 16. ff. h. t. quia pendente adhuc conditione ſi quid ſolvatur, ſolutum repeti poteſt, cum ante conditionis exiſtentiam non debeatur, quia dubium eſt, an iſta conditio exſtiterit, nec-ne; deficiente enim conditione, & ipſum debitum deficit; quod in diem debetur incertum, antequam dies venit, exigi non poteſt. l. 213. *ff. de V. S.* & ſi prius ſolvatur, quam dies venit, indebitum ſolvitur; incertum autem diem accepimus, qui an extiturus ſit, dubium adhuc eſt, hic namque dies conditioni comparatur, e.g. ſi quis ita promittat, eo die, quo nuptias contrahes, dabo tibi centum. l. *un.* §. *ſi autem C. de caduc. toll.* *l. 75. ff. de condit. & dem.*

TH. 6. Vt hæc condictio competat, requiritur [1] eſſe ſolutum, vel datum, (aut ſaltem promiſſum, ut in chirographo. l. 31. h. t.) id, quod quis non debet. l. 15. §. 1. h. t. [2] requiritur per errorem, vel ignorantiam ſolviſſe illud, quod non debet. l. 1. §. 1. l. 28. h. t. ſciens enim donare cenſetur. l. 47. *de oper. libert.* l. 53. ff. *R. I.* licet ea mente dederit, ut repeteret, quia propoſitum in mente retentum nihil operatur. l. 50. h. t.

TH. 7. Condictio indebiti eſt ex qſ. contractu. §. 6. *Inſt. de obl. quæ ex qſ. contract.*

TH. 8. Fingitur hic qſ. contractus, ſive ficta quædam conventio, videl. ut accipiens indebitum accipiendo ſe obſtringat ad reddendum, ſi appareat poſtea ſolutum eſſe indebitum; ipſa namque naturalis ratio & æquitas dictitat, neminem cum alterius detrimento locupletari debere; hinc accipiens indebitum, qſ. ex mutuo obligatur quoad obligationis effectum.

TH. 9. Condictio hæc datur ei, qui per errorem (a) ſolvit (b) indebitum, (c) eiuſque heredibus. (d)

(a) Facti, non iuris, ex quo non datur condictio. l. 6. 7. C. h. t. l. 9. C. *ad L. Falcid.* quia illud ignorare, quod legibus continetur, lata eſt culpa, hoc enim quis ſcire poteſt, vel conſulendo peritiores, ob quod pœnam, non emolumentum, legumque auxilium meretur. l. 10. *de bonor. poſſ.* l. 2. §. *fin. ff. quis ord. in bonor. poſſ.* Ratione tamen circumſtantiarum, iuris error interdum non nocet, in hac præprimis condictione, quæ ex bono & æquo eſt. l. 66. h. t. [2] à contrario ſenſu, qui ſciens ſolvit, repetere nequit. E. qui neſciens ſolvit, aliquando poteſt, ſi nimirum nulla debendi cauſa, vel reſpectu juris naturalis, vel civilis &c. ſubſit. *arg.* l. 26. §. 3. ff. h. t.

(b) l. 31. ff. h. t. quod & tunc factum intelligitur, quando indebiti cautio eſt data. l. 5. 6. C. h. t.

(c) Si tale eſt omni jure. l. 1. ff. & C. h. t. vel indebitum iure naturali. *arg.* l. 9. *pr. ff. de jurejur.* vel indebitum quidem jure civili, neque probata, neque reprobata. l. 7. C. h. t.

(d) l. 12.

(d) l. *ſi fundi*. 12. l. 46. ff. h. t.

TH. 10. Ea actione conveniri poteſt, qui indebitum accepit (a) eiuſque heredes. (b)

(a) l. *his ſolis*. 49. ff. h. t. l. 1. C. h. t.

(b) l. 26. §. 11. ff. h. t.

TH. 11. Actio illa competit ad id, ut ſolutum (a) reſtituatur. (b)

(a) Et quidem ſi quantitas ſoluta fuerit, tantumdem reſtituatur. l. 7. l. 19. §. 2. ff. l. 3. C. h. t. ſin ſpecies, ea reddatur cum fructibus & acceſſionibus, deducta impenſa. d. l. 7. vel ſpeciei non amplius exſtantis pretium ſolvatur.

(b) l. 15. ff. h. t. qui enim indebitum accipit, ad reſtitutionem obligatur, unde oritur hæc actio perſonalis; nec rei vindicatio ob tranſlatum ſolvendo dominium habet locum.

TH. 12. Vſuræ ultra duplum, nec in ſtipulatum deduci, nec exigi poſſunt: aſt ſi ſolutæ fuerint, repetuntur per hanc condictionem indebiti; id eſt, promiſſa ultra alterum tantum ſolvi prohibentur, & ſolutæ tanquam indebitæ condicuntur. l. 26 §. 1. ff. h. t.

TH. 13. Quæritur, an naturaliter & non civiliter debitum, per errorem ſolutum, repeti poſſit? Reſp. diſt. inter debitum naturale, cui lex omnino non aſſiſtit, & cui aliquem effectum relinquit; illius ſolutionis omnino repetitio eſt, & hinc non modo mulier intercedens ſi ſolvat, per facti errorem repetit, ſed & pupillus ſine tutoris authoritate promittens & ſolvens, non factus locupletior. l. 13. §. 1. *junct.* l. 41. ff. h. t. ad poſterius diſtinctionis membrum pertinet, quod libertus cum putaret ſe patrono debere operas (ſc. officiales, quas non debet, niſi promiſſas) ſolutas non repetit; eiuſdem conditionis eſt. l. 26. §. 12. ff. h. t. debitum cum ſervo contractum. l. 13. l. 64. ff. h. t. item inter patrem & filiumfamilias, vel duos fratres in eiuſdem poteſtate. *l. frater à fratre.* ff. h. t.

TH. 4. Interdum & perſona locum facit repetitioni, quamvis debitum ſolvatur, ut puta ſi pupillus, vel furioſus, vel is, cui bonis interdictum eſt, ſolverit, nam in his perſonis generaliter repetitioni locum eſſe non ambigitur: & ſi exſtent adhuc nummi vindicantur, ſin conſumpti condictioni eſt locus. l. 29. ff. h. t.

TH. 15. Quod pro dote datur, ad quam qui dat obligatum ſe credit, non repetitur, propter pietatis cauſam, qua dotibus mulierum favetur. l. 32. §. *pen. ff. h. t.* hinc per conſequentiam concluditur, quodcumque pauperibus, Eccleſiæ, ſtudioſis, & generaliter ad pias cauſas ex errore ſolutum, repeti non poſſe.

TITVLVS VII.

De condictione ſine cauſa.

Iung. lib. 4. tit. 9. C. *de condict. ex lege & ſine cauſa.*

TH. I. EST & hæc ſpecies condictionis, ſi quis ſine cauſa promiſerit, quæ quidem condictio tam latè patet, ut cum cæteris concurrat, inque ſubſidium competat, quoties, quænam ex ſuperioribus condictionibus danda ſit, dubitatur; Sive enim quis ſine cauſa promiſerit, ſive indebitum ſolverit, condictioni ſine cauſa locum eſſe, rectiſſimè dicitur.

TH. 2. Condictio ſine cauſa eſt actio in perſonam, (a) qua quis, quod ad ſe pertinet & apud alium ſine cauſa (b) eſt, repetit.

(a) Quia eſt condictio, quæ omnes quotquot ſunt, dantur in perſonam.

(b) Sine cauſa dicitur, ſi cauſa eſt nulla. l. 1. §. 2. ff. h. t. Nulla autem tribus dicitur modis, [1] quæ ab initio nulla eſt. l. *ult.* ff. h. t. e. g. ſi avunculo nuptura pecuniam dedit, neque nupſit, repetere poteſt, quod dedit, qſ. nulla ab initio fuerit dandi cauſa; quia avunculus cum iſta muliere propter legum prohibitionem matrimonio iungi non poteſt. E. iſta datio ab initio fuit nulla; ſicque competit hæc condictio ſine cauſa, cauſa enim ob quam mulier voluit dare, ab initio fuit nulla; quapropter pecunia in dotem converti non poteſt, cum dos ſine nuptijs ſubſiſtere nequeat. [2] quæ non eſt ſecuta. l. *ult. C. de condict. ex leg.* e.g. ſi quis chirographum det ſpe numerandæ pecuniæ. [3] quæ eſt finita. l. 2. C. *eod.* e. g. ſi ſoluti debiti inſtrumentum ſit retentum, inefficax penes creditorem remanet, & per condictionem ſine cauſa reddi oportet.

TH. 3. Fundamentum huius condictionis eſt qſ. contractus, quia eſt ex præſumpta conventione. Præſumitur autem inde, quod iniquum ſit, rem alterius apud alterum ſine cauſa exiſtere, vel ad eum pervenire. *l. 1. §. 1. 2. & 4. h. t. l. 66. de condict. indeb. l. 32. de R. Cred.*

TH. 4. Condictio ea datur illi, qui ſine cauſa dedit, aut cavit, contra eum, qui accepit, alia condictione deficiente. *l. ult. pr. h. t.*

TH. 5. In hanc condictionem venit omnis res. E. certum, (a) & incertum (b) perſequitur. (c)

(a) Quando res certa eſt data.

(b) Quando res incerta, ut liberatio ab obligatione, vel poſſeſſio repe-

tenda venit. l. 3. ff. h. t. ſive condicitur.

(c) Quia hæc condictio eſt generalis, ratione objecti, valdè variantis.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

TITULUS PRIMUS.

De condictione furtiva.

Iung. lib. 4. tit. 8. C. d. t.

TH. 1. IN ſuperiori libro de condictionibus regularibus egimus, ſequitur nunc irregularis condictio, putà furtiva, quæ præter rationem iuris eſt introducta. Cum enim condictiones cæteræ omnes dentur non domino adverſus dominum, dominus certè, qui vindicationem habens, rem ſuam alteri condicere non poteſt, præterquam furibus. *l. ult. in fin. ff. uſusfr. quemad. cav.* quorum odio hoc ita conſtitutum eſt.

TH. 2. Condictio furtiva eſt actio in perſonam, rem furtivam perſequens. *l. 7. §. 1. 2. & ult. ff. h. t.* h. e. qua rem furto ablatam à fure eiuſque herede repetimus.

TH. 3. Condictio furtiva eſt certi, (a) vel incerti. (b)

(a) Certi eſt, qua quantitatem, ſive certum corpus petimus.

(b) Incerti, qua genus, res incorporales, aliudve incertum perſequimur. Hæc diviſio eſt ab objecto.

TH. 4. Condictio furtiva non ex delicto furti, (a) ſed eius occaſione datur, contrà actio furti directò ex furto deſcendit.

(a) Ratio eſt, [1] quia nulla actio ex delicto contra heredes in ſolidum datur. [2] quæ actio ex furto deſcendit, eſt pœnalis, non rei perſecutoria, ut condictio furti, quæ etiam re perempta ſine dolo & culpa furis ad æſtimationem eius competit. l. 7. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 5. Condictio furtiva aliquanto utilior eſt rei vindicatione, quoniam in hac dominij probatione non oneratur actor, cui ſufficit oſtendere, rem furto eſſe ſublatam.

TH. 6. Condictio furtiva certi datur domino (a) rei furtivæ.

(a) l. 1. ff. h. t. qui videlicet talis tempore furti, vel pro tali habitus, vel domini loco fuit. l. 56 §. 4. ff. *de furt.*

TH. 7. Datur hæc condictio & domini heredibus, quia eſt rei perſecutoria. l. 10. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 8. Condictio furtiva incerti datur ei, qui quidem eſt non dominus, intereſt tamen eius, (a) rem non auferri.

(a) Vt commodatarius, depoſitarius, &c. hi enim de culpa domino tenentur. l. 12. §. 1. ff. h. t.

TH. 9. Condictio furtiva datur adverſus furem (a) eiuſve heredes. (b)

(a) §. 14. *Inſt. de act. l.* 5. 10. 16. ff. h. t. & contra raptorem & prædonem. l. 19. §. 1. ff. h. t. l. 2. §. *pen. ff. de vi bonor. rapt. l.* 2. *ff. de condict. tritic.*
(b) l. 7. §. 2. *& quidem in ſolidum.* l. 9. ff. h. t.

TH. 10. Condictio hæc datur quoque adverſus eum, cuius ope, conſiliove furtum commiſſum, quia & hic actione furti tenetur, quæ pœnalis, & magis odioſa eſt. l. 35. § *fin. ff. de V. S.*

TH. 11. Condictio furtiva certi datur ad rem furtivam (a) reſtituendam. (b)

(a) l. 7. §. 1. ff. h. t. interdum tamen æſtimationem tantum conſequimur, videl. ſi res non exſtet l. 8. *pr.* §. 1. l. 20. ff. h. t. hæc rei æſtimatio eſt quanti res plurimi fuit à die rei ablatæ, propter moram à fure commiſſam, l. 21. § 3. ff. *action. empt.* l. 8. §. 1. h. t. fur enim ſemper moram facere, & in mala fide eſſe videtur.

(b) Cum fructibus & acceſſionibus. l. 8. § *ult.* ff. h. t. ſic ovibus, vaccis, vel pecudibus ſurreptis, cum re ipſa etiam lana, lac, pilus, agni, hœdi, & vituli, hac actione condicuntur, quia hæc omnia ſunt in pecudum fructu. l. 28. ff. *de uſur.* l. 49. §. *ult. ff. de acq. rer. dom.* quod & de perceptis, & percipiendis, tam ante, quàm poſt litem conteſtatam eſt intelligendum. §. *etſi Inſt. de offic. iud.*

TH. 12. Condictio furtiva incerti ad poſſeſſionem recuperandam inſtituitur. l. 12. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 13. Fur tenetur præſtare dolum, latam, levem, & leviſſimam culpam, imò & caſum fortuitum. l. 3. *in fin.* l. 7. §. *fin. l.* 8. *pr.* l. 16. §. *fin.* ff. h. t. quamvis ſimplex m. fidei poſſeſſor non prę̨ſtet caſum fortuitum. d. l. 16. ff. *de rei vind.* id tamen in rei vindicatione tantum obtinet; non autem in furto, exque eius occaſione deſcedente furtiva condictione.

TH. 14. Differentia inter actionem furti & condictionem furtivam ex ſequentibus colligenda, [1] illa eſt pœnalis, §. 1. I. *de perp. & temp. act.* hæc civilis & rei perſecutoria, [2] illa directò ex furto deſcendit, hæc occaſione furti competit, [3] illa datur tantum adverſus furem, l. 7. h. t. hæc etiam adverſus heredem, l. 5. h. t. [4] illa infamat, l. 1. ff. *de his qui not. infam.* hæc non item. l. 36. *de* O. *&* A.

TITVLVS II.

De Condictione ex Lege.

Iung. lib. 4. t. 9. C.

TH. I. HACTENVS vidimus condictiones ſpeciales iuris Civilis, ſubjiciuntur nunc ad ultimum duæ generales, quarum altera condictio ex lege, altera Triticiaria nominatur, de priori h. t. agitur.

TH. 2. Condictio ex lege (a) eſt actio in perſonam, ex nova obligatione (b) per legem (c) novam non caventem, quo genere actionis ſit experiundum (d) competens.

(a(Ita vocatur, *non tam formaliter*, ratione cauſæ efficientis (tametſi non adeó abſurdè ita per excellentiam, quod lex hic maximè propriè operetur, dici poſſit) aliàs actio omnis poſſet dici ex lege, ſi non nova, ſaltem veteri; quàm potius *materialiter*, & ut Grammatici loquuntur τεχνικῶς.

(b) Quæ talis eſt non ratione eſſentiæ, & materiæ ſuæ, ſed ratione effectus, ac confirmationis. Hinc ſi & obligatio illa Iuris gentium, quæ aliàs iure civili non fuit ſatis efficax, poſtmodum lege aliqua confirmetur, non minus condictioni huic locus erit, exemplo pacti, donationis; nam licet hoc ratione materiæ ſuæ, & in ſe obligationem habeat, quoad jus gentium, tamen illa iure civili nulla fuit, *arg.* l. 7. §. 4. ff. *de pact.* poſtquam verò ex conſtitutione Iuſtiniani in d. l. 35. §. f. C. *de donat.* adeoque nova lege civili, ſc. unde data eſt obligatio & actio, (quæ ante Imperatorem eodem iure non erat) actio inde deſcendens alia eſſe non potuit, quam condictio ex lege. *arg.* l. *un.* h. t.

(c) Sc. eam, quæ lata eſt ab illo, qui τὸ κύειον, ſive ſummam in Rep. habet maieſtatem, qualis eſt lex in ſpecie ſic dicta, item conſtitutio, vel à Maieſtate approbata, ut Sctum & plebiſcitum. Prætor verò legem condere non poteſt, quia non habet maieſtatem, E. hæc condictio ad Prætoris edictum non extenditur.

(d) l. *un.* ff. h. t.

TH. 3. Condictio hæc eſt generalis, quia datur ex quacunque obligatione, & ſuper quacunque præſtatione, quas quæcunque aut diverſæ leges introducunt.

TH. 4. Ad huius condictionis ſimilitudinem uſurpatur & condictio ex moribus, (a) item canone. (b)

(a) Quia obligatio efficax conſuetudine eſt introducta, e. g. peregrini de hereditate aliqua ad ipſos devoluta in quibuſdam Germaniæ regionibus tertiam partem magiſtratui tradere tenentur, [2] vel incolæ alió ſedem transferentes, idem de bonis ſuis præſtare tenentur.

(b) Quando ius Canonicum obligationem induxit, nec cavit, qua actione ſit experiundum.

TH. 5. Tria huius condictionis ex lege ſunt requiſita, ut [1] ſit nova obligatio, [2] per legem novam introducta, ſc. quæ noviter in Repub. fertur, quatenus opponitur LL. 12. Tabb. ex quibus iam olim actiones & formulæ compoſitæ erant, [3] ut illa ſit iuris civilis.

TITVLVS III.

De Condictione Triticiaria.

TH. 1. SIc fuerunt condictiones Civiles, ſequuntur Prætoriæ quæ à Prætore introductæ ſunt, illarum quædam etiam, uti civiles ſunt generales, quædam ſpeciales. Generalis eſt condictio Triticiaria.

TH. 2. Condictio Triticiaria (a) eſt actio in perſonam, (b) qua præter pecuniam numeratam, (c) omnes res (d) nobis debitas, earum æſtimandarum cauſa, (e) perſequimur.

(a) Non ſatis conſtat, unde actio Triticiaria ſit dicta, nonnulli à Prætore autore Triticio, alij à Tritico; quia in antiqua formula Tritici, quo omnes fruges vetuſtas appellabat, l. 94. ff. *de* V. O. facta eſt mentio.

(b) Quoniam eſt condictio, quæ omnes in perſonam ſunt.

(c) l. 1. *pr.* ff. h. t. quia ea nullam æſtimationem recipit.

(d) Sive in pondere, ſive menſura conſtent, ſive mobiles ſint, ſive immobiles & ſoli; corporales, ſive incorporales ſint, d. l. 1. *pr.* ff. h. t. & ideo hæc actio eſt generalis: cum omnes res (ut modo dictum) certæ & incertæ petuntur, exceptâ pecuniâ numeratâ, unde per jocum quibuſdam Interpretibus vocatur actio Franciſcanorum, quod ſecum pecuniam numeratam non ferant, datur tantum æſtimandæ rei, qua petitur, cauſa *dn VViſſenbach. ad* ff. p. m. 266. h. t.

TH. 3. Eſt hæc actio una ex actionibus extraordinarijs, ſive remedijs ſubſidiarijs, ut ſunt quandoque P. verbis, actio in factum, condictio ex lege, actio doli mali, officium judicis, quod imploratur, reſtitutio in integrum, in iſtis enim actionibus, non directò quid petitur, ſed per circuitum & indirectò.

TH. 4. Condictio triticiaria datur ex omni obligatione, quæ non ad pecuniam numeratam, ſed ad rem aliam ſolvendam aſtringit. d.l. 1.

TH. 5. Condictio illa, cui res eſt danda (a) regulariter (b) competit.

(a) Id eſt, in quem dominium eſt transferendum.

(b) Per hanc igitur actionem nemo rem ſuam petet, niſi in cauſa furtiva, vel caſu rei mobilis, vi abreptæ, l. 1. §. 1. ff. h. t. vel ſi quis vi de fundo dejectus fuerit. l. 2. ff. h. t.

TH. 6. Actio ea adverſus illum, qui ad rem, vel eius æſtimationem ſolvendam eſt obligatus, inſtitui poteſt.

TH. 7. Actione hac res æſtimanda peti poteſt. l. 3. 4. ff. h. t.

TH. 8. Æſtimatur autem res ex tempore, vel moræ, (a) vel litis conteſtatæ, (b) vel rei iudicandæ, (c) vel condemnationis irrogatæ, (d) vel interitus. (e)

(a) Si quæ ante litem conteſtatem ſit commiſſa, & res illo tempore pluris fuerit. l. *pen. & ult.* ff. h. t. l. 3. §. 3. ff. *de act. empt.* l. 8. §. 1. ff. *de condict. furt.*

(b) Si ex eo tempore mora facta, & judicium ſtricti iuris ſit. l. 22. *pr.* ff. *de R. Credit.* 3. §. 2. ff. *commodat.*

(c) Quando res in iudicio b. f. petitur, nec ulla præceſſit mora. d. l. 3. §. 2. ff. *commod.*

(d) Quando poſt rem iudicatam res adiudicata extat, & tamen præſtari non poteſt. l. *pen.* ff. h. t. quia forſan deterior eſt facta, talem enim ſi quis reddat, non liberatur, quia deterior reddita non videtur reddita, niſi quod intereſt, præſtetur. d. l. 3. §. 1.

(a) Si ex rei interitu liberatio non contingat, & res poſt moram ante interitum non deterior eſſe cœperit, l *pen.* ff. h. t.

TH. 9. Ex ſequenti quæſtione antecedentia erunt intellectu faciliora. Quæritur itaque, cuius temporis æſtimationem res recipiat, nobis hoc ita explicandum videtur, quod in hac actione arbitraria diſtinguendum ſit, aut dies, vel etiam locus, quo res dari debuit, eſt conventioni adjectus, aut non eſt: Priori caſu illius diei & loci, de quo convenit, æſtimatio attenditur, l. f. ff. h. t. Si tamen poſt diei lapſum debitor in reſtituenda re moram committat, & pretium iſtius mercis augeatur, diem illum dicimus eſſe terminum, à quo iudex æſti-

mationis auctæ rationem habere debet, ita, ut quanti res unquam poſt moram plurimi fuerit, condemnandus ſit debitor, *arg.* l. 37. *in* f. ff. *mand.* l. 8. §. 1. ff. *condict. furt.* l. 3. ff. *de uſur.* Poſteriori caſu ſpectatur, quanti res eſt tunc, cum iudicium acciperetur, & is locus ſpectatur quo petitur, d. l. *fin.* h. t. & quidem ſi mora iudicium accipienti non poſſit imputari, ſubſiſtit iudex in illa æſtimatione, quæ tempore litis cont. fuit; ſin verò mora contrahatur, per iudicij ſuſceptionem, dies iſte eſt terminus, à quo aucti poſtea pretij ad condemnationis tempus poſtea ratio habetur, l. 3. *pr.* h. t. imo & aliquando re deteriorata, vel eius pretio minuto ad tempus moræ, quæ ante litem cont. jam commiſſa, reducenda in condemnationem eſt æſtimatio, d. l. 3. *in* f. Sed quid ſi res, vel ſpecies promiſſa interierit, non poteſt tunc attendi tempus condemnationis, cum res eo non extet; ſed (ijs ſc. caſibus, quibus quis interitu rei non liberatur) mortis, ita tamen, ut non noviſſimum vitæ tempus æſtimetur, ſed ἐν πλάτει, ſeu tempus proximè morbum, & mortem antecedens ſpectetur, d. l. 1. *verſ. ſi deſierit.* Præterea etiam hoc caſu ſi mora præceſſerit, quanti res à tempore moræ uſque ad mortis tempus plurimi fuerit, condemnatio fit, d. l. 3. *verſ. ſi poſt moram.*

TH. 10. Actio hæc eſt arbitraria, quia eius æſtimatio arbitrio iudicis & habita ratione loci & temporis permittitur; ſive arbitraria actio dicitur, quæ ex arbitrio judicis ita dependet, ut ex bono & ęquo ſecundum rei, de qua agitur, naturam ſit æſtimandum, quemadmodum actori ſatisfieri oporteat. l. 22. §. 1. ff. *de* R. I.

TITVLVS IV.

De eo, quod certo loco dari oporteat.

Iung. lib. 3. t. 18. C. d. t.

TH. 1. ABSOLVTA actione Prætoria generali, ſequuntur ſpeciales, quarum alia ex contractu, alia ex pacto. Ex contractu actio de eo, quod certo loco, contractus hic principaliter & potiſſimum intelligitur ſtipulationis, cuius gratia hæc actio primitus à Prætore introducta eſſe videtur, *arg.* l. 1. *&* 2. §. 1. h. t. Secundario quoque ex mutuo, vel teſtamento, ſi teſtator rem certo loco dare juſſit, l. 5. h. t. ex conſtituto, l. 16. §. 1. ff. *de conſtit. pecun.* ubi dicitur ſi

certo loco quid conſtitutum ſit, etiam alio loco agi poſſe, exemplo arbitrariæ actionis ex ſtipulatu.

TH. 2. Condictio de eo, quod certo loco eſt actio in perſonam, (a) qua quod certo loco dari debuit, alio loco idoneo petitur, facta commemoratione eius loci, in quo dari debuit.

(a) Quod ex canone ſequenti clarius liquet.

TH. 3. Condictio hæc eſt ex ſtipulatione, l. 1. *&* 2. ff. h. t. vel mutuo, l. 6. ff. h. t. vel conſtituto, l. 16. §. 1. ff. *de conſtit. pecun.* vel ſolutione indebiti, l. 27. ff. *de condict. indebit.* vel teſtamento datur. l. 5. ff. h. t.

TH. 4. Cauſa huius actionis principalis eſt, negotium ſtricti iuris, ut mutuum ſtipulatio, l. 2. §. 1. l. 6. l. 7. §. 1. h. t. item teſtamentum, ſi heres à teſtatore iuſſus ſit certo loco quid dare, l. 5. *eod.* unde actio perſonalis ex teſtamento. Idem in conſtituto, quod certo loco factum, unde actio de conſtituta pecunia, d. l. 16. §. 1. ff. *de conſt. pecu.* nec non quando quis certo loco ſe debere exiſtimans indebitum ſolvit, unde eſt condictio indebiti, d. l. 27. ff. *de cond. indebit.* Quod enim hæ actiones arbitrariæ dicantur, id non deſignat novam actionem, ſed ſaltem actionis principalis novam qualitatem; quæ actionibus bonæ fidei ineſt naturaliter. l. 7. h. t.

TH. 5. Actio ea eſt utilis, l. 1. *in* f. ff. h. t. quia ex æquitate Prætoris, neceſſitatem, utilitatemque eius reſpiciente, fuit introducta.

TH. 6. Neceſſitas eſt ex parte actoris, qui alias contra legem ſtipulationi, vel contractui adjectam, quam in loco convento agere non poterat, niſi eo ipſo plus petere, & commodum promiſſori præcipiendo, tota cauſa cadere mallet, §. *plus autem Inſt. de act.* ut is poſſit imposterum alibi quoque experiri, ne, ſi promiſſor ad eum locum, in quem daturum ſe promiſiſſet, vel datâ operâ, vel alijs locis neceſſariò diſtrictus, nunquam accederet, creditori obligatio inutilis fieret, & promiſſum nunquam exſolveretur. d. l. 1. h. t.

TH. 7. Vtilitas ex parte utriuſque, principaliter verò Rei ſeu promiſſoris, ut poſtquam alibi, quam ubi dari promiſſum eſt, agendi facultas creditori conceſſa eſt, habeatur quoque ratio promiſſoris, quo ſub illo modo exigatur, & ad ſolvendum condemnetur, qualem haberet, ſi in loco adjecto directa actione eſſet conventus: Nec hoc immeritò, ex quo nec Prætor creditori eum iniuria debitoris ſuccurrere debet, l. 8. ff. *de præt. ſtip.* nec actor conceſſa ſibi in alio loco agendi facultate, in quoquam gravatum ſe dicere, & plus, quàm ſi directa actione in loco convento ageret, à reo poſtulare poteſt; ſicut è

diverſo reus, ſi fortè aliquoties ab actore interpellatus pervicacia ſua ſolutionem diſtulit, & actorem in non modici damni emergentiam, ac lucri ſperati ceſſationem conjecit, pariformiter intereſſe illud attendere, & haud gravatim compenſare debet.

TH. 8. Datur creditori, cui ex aliqua cauſa prædicta certo loco dari debuit, & jam alio loco (a) vult petere.

(a) l. 1. ff. h. t. Idoneo videl. hoc eſt eo, in quo aliàs, ſi locus ſtipulationi non fuiſſet adjectus, rectè ageretur, ubi ſc. forum ſortitur reus, e. g. forum domicilij, & contractus: quod Prætor ideo conceſſit, ne facultas agendi actori intercideretur, ſi debitor fortè ad locum, in quem promiſſum fuit, nunquam veniat.

TH. 9. Ea conveniri poteſt, qui certo loco dare debet, d. l. 1. & alijs ſupra ad Theſin 3. allegatis textibus.

TH. 10. Datur ad id, quod certo loco dari debuit ſolvendum, judex ex arbitrio ceſſantem condemnet, habita ratione, quod alterius intereſt, (a) ſive creditoris, ſive debitoris.

(a) l. 2. ff. h. t. Si intereſt Rei, condemnatio fit minoris, quam intentatum eſt, & deducitur id, quod ipſius ſecundum intrinſecam maximè utilitatem (quam reus ex valore & pretio rerum & mercium habet) intereſt. Sin actoris, condemnatio fit majoris, & reus rem debitam cum intereſſe (quod eſt lucrum ceſſans & damnum emergens. l. 13 ff. *rem ral. hab.*) præſtare tenetur, l. 2. §. *ult.* ff. h. t. Secundum utilitatem extrinſecam, quæ aliunde accedit, & aliquod intereſſe concernit, quod reus actori ſolvere debet, ſi in mora ſit, e. g. ſi forſan actor Hamburgi pecuniam trajectitiam dedit, ut eam hìc Pariſijs reciperet, reuſque in mora eſſet, ut actor eam ibi accipere non poſſet, intereſſe actori à reo ob moram commiſſam eſſet præſtandum. *Si verò reus non ſit in mora*, intereſſe ceſſat, l. 4. §. 1. hoc tit.

TH. 11. Ex quibus breviter propoſitis natura huius actionis perplexa, & perquam difficilis ſatis liquet, & de intentione actoris, & formula huius actionis iudicium fieri poteſt; quod ſc. actor dicere debeat; reum, cum quo agit, promiſiſſe 100. Pariſijs, & quia ad eum locum fortè non acceſſit, petat, ut condemnetur ad ſolvendum Hamburgi, habitâ ratione eius, quod actoris intereſſe poteſt, Pariſijs potius, quam Hamburgi ſolvi. d. l. 2. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 12. Actio eadem eſt arbitraria, quia in petitione & formula, arbitrij fiebat mentio. Formula autem erat talis. Si paret, Titium 100. capuæ debere, neque in eo loco pecuniam debito tempore ſolviſſe, judex ex arbitrio tuo condemna. Iudici verò æſtimandum

committitur, quanti interſit, quod res non loco, quo debuit, ſed alio ſolvatur.

TH. 13. Actio hæc de eo, quod certo loco differt à Triticiaria titulo ſuperiori expoſita. Illa enim tantum datur, ſi locus, quo dari debuit, contractui ſtricti iuris ſit adjectus, & creditor alio loco rem petere velit. Hæc verò qua rei æſtimatio, habitâ ratione temporis & loci, tam adjecti, quam non adjecti petitur. l. *ult.* ff. *de condict. tritic.*

TH. 14. Actio hæc, & quæ titulo ſequenti de conſtit. pecun. affines ſunt condictionibus.

TITVLVS V.

De conſtituta pecunia.

Iung. libr. 3. tit. 18. C.

TH. 1. PRIMAM actionem Prætoriam ſpecialem, tit. præcedente propoſitam excipit Prætoria altera de conſtituta pecunia.

TH. 2. Actio de conſtituta (a) pecunia (b) eſt actio in perſonam, debitum ex conſtituto perſequens. (c)

(a) Conſtituere hic ſignificat id, quod ante minus firmum eſt, novâ pactione firmare, & conſtabilire; hinc conſtituere pecuniam, eſt denuò paciſci, & ſine ſolennitate ſtatuere, ac convenire de pecunia tempore certo ſolvenda, quæ antea ex aliqua obligatione debebatur. Dico ſine ſolennitate. Nam ſi ſolennitas ſtipulationis fuerit adhibita, non opus erit Prætoria actione, cum iure civili promiſſor teneatur, §. *de conſtituta Inſt. de action.* deficiente porro ſolennitate civili, cum eo quoque iure deficiat in nudis pactis obligationis efficacia, ſuccurrit hoc caſu Prætor, ea de cauſa, quod videbatur grave, & contra naturalem æquitatem, geminatam contractus fidem fallere. l. 1. h. t.

(b) Pecuniæ verbum, ut in edicto propoſitum, l. 1. §. 1. h. t. legitur, ſignificat non ſaltem pecuniam numeratam, ſed & res fungibiles omnes, *arg.* l. 2. §. 3. ff. *de R. Cred.* Hodiè verò ex quo actio receptitia, per quam cæteræ olim res petebantur à Iuſtiniano Imper. in hanc actionem de conſtituto transfuſa eſt, res quoque cæteras omnes denotat, l, 2. C. h. t. ob rationes ſeqq. [1] quia omnes res poſſunt in pecuniam converti, [2] quia veteres pecuniæ appellatione omnes res comprehendi definiverunt; unde qui illam habet, omnia habere intelligitur: unde pecuniæ vox hic latiſſimè ſumitur.

(c) l. 2. C. h. t. & §. 9. *Inſt. de action.* vel clarius; quâ convenitur is, qui rem, quam ante alius, vel etiam ipſe debuit, ſe ſoluturum pacto denuo promiſit, ut debito tempore non offerens, iudicio condemnetur, promiſſam

præſtare, l. 1. §. 5. l. 3. §. 2. l. 14. §. 2. ff. h. t.

TH. 3. Conſtitutum autem eſt pactum legitimum à Prætore confirmatum, (a) de pecunia (b) iure (c) debita (d) intra certum tempus ſolvenda. (e)

(a) l. *hoc edicto.* 1. ff. h. t.

(b) Id eſt, re, quæ in patrimonio, & in ſtipulatum deduci poteſt, d. l. 2. *pr. &* §. 1. C. h. t.

(c) Naturali, l. 1. §. 7. ff. h. t. vel civili & naturali, d. l. 2. & l. 11. ff. h. t. non ſolo iure civili. l. 3. §. 1. h. t. quia debitum civile debito naturali non accedente, jure prætorio, quo inductum eſt conſtitutū, eſt non debitum, ſuper quo conſtitui non poteſt, cum conſtitutum præſuppoſitam requirat obligationem, *arg.* l. 1. §. 6. ff. h. t. ratio rationis, ex l. 1. h. t. eſt petenda; quod merè debitum civile jure prætorio non habeat illam fidei exuberantiam, quæ fovet conſtitutum, facitque, ut obligationem producat, & actionem eodem iure prætorio.

(d) Quia ſine prævio debito conſtitutum nullum ſubſiſtit, d. l. 2. §. ita tamen. Intellige autem rem à conſtituente ipſo, vel alio debitam, l. 1. C. h. t. poteſt etiam loco rei debitæ alia conſtitui. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(e) l. *promiſſor.* 21. §. 1. ff. h. t.

TH. 4. Cauſa efficiens huius actionis eſt pactum conſtituti, (non a. contractus, quia hic non adeſt certa contrahendi forma) quod producit actionem, ob hanc rationem, quod Pretor hoc pactum faciat veſtitum, dum ſpecialiter ei aſſiſtit edicto ſuo, ob fidei, quàm in ſe habet, exuberantiam, l. 6. ff. *de pact.* quam non ius civile, ſed Prætor attendit. Hinc ſicuti iure naturali nudum pactum producit obligationem & actionem, ita & conſtitutum ex Prætoris edicto, qui ius naturale in hoc eſt ſecutus.

TH. 5. Forma, conſtituitur quibuſcunque verbis, ut ſatisfaciam tibi, & ſimilibus, quæ voluntatem conſtituendi indicant. *Auth. ſi quando* C. h. t. & per nuntium, aut per epiſtolam. l. 14. §. f. l. 15. ff. h. t.

TH. 6. Actio de conſtituta pecunia competit ei, cui conſtitutum fuit, eiuſque heredibus. d. l. 2. *verſ. ſed & heredibus.* C. h. t.

TH. 7. Omne conſtitutum fit certo tempore, vel die adjecto, l. 21. §. 1. h. t. Finis namque conſtituti eſt, ut creditor certus ſit de ſolutionis tempore.

TH. 8. Ex pure conſtituto debito, 10. dies habet debitor ad faciendam ſolutionem, d. l. 2. 1. §. 1. Secus ac in ſtipulatione, qui quod ſtipulanti promiſſum, ſtatim exigi poteſt. l. 118. §. 1. ff. *de* V. O.

TH. 9. Actio hæc adverſus eum, qui conſtituit, (eiuſque heredes (a) & non debito tempore obtulit, datur.

(a) Quia eſt rei perſecutoria. l. 18. § 2. ff. h. t. & ſi plures in ſolidum conſtituerint, omnes in ſolidum conveniri poſſunt, ita tamen ut habeant beneficium diviſionis. l. *ult.* C. h. t.

TH. 10. Tunc demum huic actioni eſt locus, quando conſtituens eſt in mora. l. 16. §. 2. h. t. è contrario ſi actor ſit in mora accipiendi denegatur.

TH. 11. Actione hac ad id, ut debitum ex conſtituto ſolvatur, agi poteſt.

TH. 12. Ea actio eſt perpetua. l. 1. 2. *verſ. neque ſit* C. h. t.

TH. 13. Differentia fidejuſſionis & conſtituti formalis eſt hæc: illa fit nonniſi per ſtipulationem, adeoque producit actionem nominatam; hoc autem eſt pactum legitimum, unde actio de pecunia conſtituta & nudo conſenſu, ab abſente etiam aliud pro alio conſtitui poteſt, quod fidejuſſio non admittit.

TH. 14. Cum obligatio ex conſtituto oriens ſit acceſſoria, ideo ille, qui pro alio conſtituit, habet beneficium excuſſionis, ſive ordinis. *arg. Nov* 4. *c.* 1. *Nov.* 136. *c.* 1. quia pro interceſſore habetur, *auth. præſente C. de fidejuſſ.* in conſtituto enim ſemper fit relatio ad aliam obligationem, quare æquum eſt, hoc beneficium ei non denegari. Excipiuntur tres caſus, [1] niſi iſti beneficio renunciaverit, [2] niſi ſe, non tantum in eventum dilatæ ſolutionis, ſed & proprio nomine (*als ein ſelbſt ſchuldener*) obligaverit, [3] niſi animo novandi conſtituerit, vel expromiſſor factus ſit. *arg. l.* 18. *h. t. Gail.* 2. *obſ.* 18. Expromiſſio autem facta non cenſetur, niſi diſertis verbis novatio intervenerit. *l. fin. C. de novation.*

TH. 15. Convenit etiam hæc acceſſoria obligatio cum principali, [1] *ratione quantitatis.* l. 15. §. 3. ff. hoc tit. atque datur quoque ei, qui conſtituit certis caſibus beneficium competentiæ. l. 3. *pr.* hoc tit. [2] *ratione qualitatis.* l. 19. §. 1. hoc tit. l. 35. *de donat.* Vnde mutata bonitate monetæ tempus primæ obligationis eſt inſpiciendum.

TITVLVS VI.

Commodati vel contra.

Iung. lib. 4. tit. 23. C. d. t.

TH. I. EXPOSITA prima contractuum realium ſpecie, nimirum *mutuo*, & traditis ijs, quæ occaſione mutui, ex quo certi condictio oritur, intermixtæ ſunt, & in genere ad res creditas pertinent. Sequuntur nunc reliqui contractus reales, (commodatum, pignus, depoſitum) quibus corpus in ſpecie reſtituendum traditur, vel ad uſum, eo finito reddendum, ſc. in commodato, h. t. vel in ſecuritatem crediti, ſoluto debito reddendum; nimirum in pignore, *ut tit. ſeq.* vel ad cuſtodiendum, & pro lubitu revocatur, videlicet in depoſito, de quo priuſquam agatur, interjiciuntur actiones Prætoriæ ex aliorum geſtis, contra nos competentes. l. 14. *&* 15. necnon itidem circa plurimos contractus occurrens Vellejani. l. 16. t. 1. & compenſationis materia.

TH. 2. Actio commodati eſt actio in perſonam, (a) rem ex commodato debitam perſequens.

(a) Quia eſt ex obligatione, quę eſt mater actionum perſonalium.

TH. 3. Commodatum (a) eſt contractus realis, (b) quo res (c) gratis (d) certi uſus gratia, (e) uſuque finito in ſpecie reddenda traditur. (f)

(a) Commodatum ſumitur (1) pro re commodata, (2) pro contractu, & tum vel latiſſimè pro rei conceſſione ad uſum, ſic & mutuum dici poteſt commodatum, vel ſpecialiter ad certum utendi modum gratis conceſſum, quo finito in ſpecie eſt reſtituenda, atque ſic differt à mutuo, precario, & locatione.

(b) *arg. rubr. &* §. 2. *Inſt. quib. mod. re contr. obl.* quia rei traditione perficitur.

(c) Non fungibilis, (niſi dicis gratia. l. 3. §. *fin.* ff. h. t. id eſt, ad pompam & oſtentationem, ubi ſc. quis rem fungibilem ſine voluntate abutendi ſimulatè accipiat ea intentione, ut fucum oſtentando faciens, alijs velit videri locuples; aliàs eiuſmodi res fungibilis, quæ uſu conſumitur, commodari nequit,) ſed alia, nihil tamen intereſt, an res ſit mobilis, vel immobilis. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(d) d. §. 2. *Inſt. quib. mod. re contrah.*
(e) d. l. 5. §. 8. l. 12. l. 17. §. 3. ff. h. t.
(f) d. §. 2. *Inſt.* l. 2. ff. *de R. Cred.* l. 1. §. 3. ff. *de O. & A.*

TH. 4. Cauſa efficiens commodati eſt, [1] contrahentium conſenſus. E. qui iuſtum conſenſum præſtare non poſſunt, commodati non tenentur, niſi quatenus facti ſunt locupletiores, ut pupillus, furioſus. l. 1 §. *fin.* l. 2. l. 3. h. t. [2] interventus rei, quo cum præcipuè perficiatur, re contrahi commodatum dicitur.

TH. 5. *Materia* circa quam, ſunt omnes res, (ut ſupra dictum) tam mobiles, quàm immobiles, quæ in commodatum cadunt. d. l. 1. §. 1.

TH. 6. *Forma* eſt rem utendam gratuito tradere, præſcripto fine, & modo uſus per tempus expreſſum, vel tacitè intellectum, quantum ſc. uſus rei præſtitutus exigit. l. 17. §. 3. h. t.

TH. 7. *Finis*, ut mutuis officijs alij alios adjuvemus, & communicato rerum uſu, communibus vitæ neceſſitatibus in hac civili ſocietate ſubveniatur.

TH. 8. Contractus alij ſunt μονόπλευροι, ſ. unilaterales, alij δίπλευροι, ſive bilaterales, *pr. Inſt. de auth. Tutor.* Illi ſunt, qui ex uno latere tantum obligant, ſive ex quibus unus ſolum obligatur, alter non obligatur, ideoque & uni ſolum contra alterum datur actio, ut ſunt mutuum, chirographum & ſtipulatio. Hi (ſc. δίπλευροι,) ſunt rurſus duplicis generis. Aliorum enim natura hæc eſt, ut ambo contrahentes ſibi invicem ad quid præſtandum, æque principaliter obligentur, ut ſunt emptio, venditio, locatio, conductio & ſocietas, adeoque etiam ſe mutuo eiuſdem conditionis actione, ſeu utrimque directa convenire poſſint. Alij verò ita ſe habent, ut unus principaliter ſit obligatus, is enim cui creditur, ſeu qui accepit aliquid ab altero, ac in ſe recepit id, propter quod contractus eſt initus; alter verò ex accidenti, ſive ſecundariò obligetur, & non ex eo, cuius gratia contractus initus, ſed ex concurrente quadam naturali æquitate teneatur, ut ſunt mandatum, commodatum. l. 17. §. 3. *verſ. ſed & ſuſcepta.* ff. h. t. depoſitum, pignus, qſ. contractus tutelæ & negotiorum geſtio. Atque in hiſce contractibus in eum quidem, qui principaliter obligatus eſt, ex ipſo contractu datur actio, quæ directa vocatur, quia per eam patitur, quod principaliter in contractum deductum eſt; adverſus alterum verò, qui directo ratione eius, quod in contractum eſt deductum, non obligatus: datur ex æquitate, & propter contrahentium utilitatem, etiam actio, quæ contraria vocatur, quod ſc. is, qui alterum principaliter obligatum habet, contra ex accidenti & ſecundariò conveniatur & obligetur.

TH. 9. Actio commodati eſt directa, vel contraria.

TH. 10. Actione commodati directa agere poteſt commodans quicumque, (a) eiuſque heredes. (b)

(a) l. 15. 16. ff. h. t. *arg.* l. 13. *pr.* ff. *de R. Cred.* l. 64. ff. *de re ind.* etiam plures agere poſſunt. l. 5. §. *ult.* ff. h. t.

(b) *arg.* l. 9. ff. *de probation.*

TH. 11. Actio ea adverſus commodatarium (a) eiuſque heredes (b) inſtitui poteſt.

(a) Qui per ſe, vel alium ſuæ poteſtati ſubjectum accepit commodatum. l. 3. §. 4. 5. ff. h. t. datur & adverſus plures, quibus res fuit commodata. l. 5. §. *fin.* ff. h. t.

(b) d. l. 3. §. 3. l. 17. §. 3. ff. h. t.

TH. 12. Actio illa competit ad rem commodatam (a) in ſpecie, & in eodem ſtatu (b) reddendam, aut eâ deterioratâ, ad id quod intereſt ſolvendum, (c) aut eâdem peremptâ æſtimationem præſtandam.

(a) l. 2. 3. ff. h. t. §. 2. *Inſt. quib. mod. re contr.* & ſi plures ſint commodatæ, omnes ſunt reſtituendæ. l. 17. §. 4. ff. h. t.

(b) Id eſt, res in nullo, culpâ commodatarij facta deterior eſt reddenda. l. 3. §. 1. l. 10. *pr.* l. 18. *pr.* ff. h. t. & non tantum ſequela rei commodatæ (ut commodatâ equâ pullum ſequentem reddere tenetur commodatarius.) l. 5. §. 9. ff. h. t. ſed & fructus percepti peti poſſunt. l. 38. §. 10. ff. *de uſur.*

(c) d. l. 3. §. 1. ff. h. t.

TH. 13. In omnibus contractibus occurrit doli, (a) culpæ, (b) & caſus (c) conſideratio, quæ ergo in negotijs civilibus obveniunt damna, & de quibus præſtandis, ſive reparandis agitur, vel contrahentium, [1] dolo inferuntur, vel [2] culpa eorum eveniunt, vel [3] denique caſu fortuito accidunt. d. l. 5. §. 2.

(a) Dolus eſt quo quis ex proæreſi & propoſito, data opera ſciens alterum fallit, aut damnum infert. l. 1. §. 2. ff. *de dol.* l. 11. §. 2. *de pœn.*

(b) *Culpa* eſt ex negligentia & imperitia.

(c) *Caſus* eſt præter ſpem, & factum hominis.

TH. 14. Culpa fit, vel committendo, vel omittendo. l. 121. ff. *R. I.* l. 91. §. 1. ff. *de V. O.* id eſt, faciendo id, quod diligens non faceret, vel non faciendo, quod diligens faceret.

TH. 15. Culpa eſt triplex, lata, levis, & leviſſima. Culpa lata eſt, non intelligere id, quod omnes intelligunt, vel eſt qua in actione quis ea non obſervat, quæ quilibet talia agens, facilè iuxta communem hominibus

minibus inditum intellectum, ſive rationem obſervaret. Levis eſt, qua quis non facit, quod quivis paterfamiliæ diligens & idoneus facit. l. 10. ff. *de adminiſtr. tutor.* l. 35. §. 4. *de contrah. empt.* ſeu non providet, quod à diligente provideri potuit. l. 31. *ad L. Aquil.* hæc culpa ſpeciali culpæ nomine ſine adjectione, ac ſimpliciter iſto prolato in legibus deſignatur, doloque opponitur. d. l. 31. l. 5. §. 2. *commod.* l. 72. *pro ſocio.* l. 3. §. 1. *de naut. caup.* l. 8. §. 3. *& pen.* l. 9. §. 5. *de reb. auth. iud. poſſ.* l. 108. §. 12. ff. *de legat.* 1. l 23. ff. *de R. I.* l. 9. l. 25. §. 1. ff. *ſolut. matr.* Culpa leviſſima, (l. 44. ff. *ad L. Aquil.* ita vocatur) qua quis non exactiorem, quam quis ſuis rebus ſolitus eſt, adhibet diligentiam, cum alius ſit diligentior, vel quod ſit omiſſio diligentiæ exactiſſimæ, ſeu talis diligentiæ, qualem alius diligentiſſimus quiſque adhibuiſſet. l. 25. §. *pen.* ff. *locat. conduct.* l. 25. §. 16. ff. *famil. erciſcund.* l. 18. *pr.* h. t. l. 1. §. 4. ff *de O. & A.*

TH. 16. Caſus fortuitus eſt inopinatus eventus, quem per conſilium humanum, curam, ſive diligentiam non potuit prævidere, vel auertere is, cui accidit. l. 6. §. 7. ff. *de offic. præſ* l. 18. *pr.* l. 19. h. t. d. l. 1. §. 4. *de O. & A.* l. 15. §. 2. *locat.* l. 6. C. *de pign. act.* vocatur, & in legibus damnum fatale. l. 52. §. 3. ff. *pro ſocio.* fatalitas. l. 1. C. *de jur. emphyt.* detrimentum fatalium, fortuna. l. 1. §. 11. *de mag. conven.* major caſus. l. 1. §. 4. *de O. & A.* vis magna, major. l. 25. §. 6. ff. *locat.* vis divina. d. l. 25. §. 6.

TH. 17. Evitari, vel præcaveri aliquod damnum non poteſt, vel propter extrinſecam nobis circa res, vel in rebus contingentem vim, vel propter ignorantiam invincibilem, ſive iuſtam. Prioris generis caſus, vel [1] ex cauſis naturalibus provenit, dum primo extra rem, cui damnum obvenit, & in ſpecie vis naturalis, l. 59. *locat.* item divina. d. l. 25. §. 6. *eod.* vis tempeſtatis calamitoſæ. l. 15. §. 2. d. t. ad d. l. 8. C. *eod.* dicitur, ut eſt ſolis fervor non aſſuetus. l. 15. §. 2. *locat.* nix immodica. l. 78. §. *fin.* ff. *de contr. empt.* violentia ventorum. l. 24. §. 4. *de damn. infect.* labes. l. 15. §. 2. *l fin. locat.* terræ motus. d. l. 15 §. 2. inundationes. Item ſi raucis, id eſt, vermiculis ex imbribus natis, aut herbis ſegetes fuerint corruptæ. d. l. 15. §. 2. *locat.* incendium ex fulmine ortum. l. 23. *R. I. iunct.* l. 30. §. *ult. in fin ff. locat.* tum ſecundo in ipſa re caſus ex cauſis naturalibus provenit, ut ſunt morbi. l. 5. §. 4. *commodat.* mortes animalium. d. l. 23. ſervorum. l. 18. *pr. commod.* Item ſi per ſenectutem quid contigerit. d. l. 5. §. 4. ſi vinum coacuerit. l. 25. §. 2. *de damn. infer.* vel [2] à beſtijs infertur, ut graculorum, ſturnorum, locuſtarum invaſione. l. 15. §. 2. *locat.* l. 18. C. *eod.* vel [3] facto aliorum hominum

evenit, ut incurſione hoſtium. d. l. 15 §. 2. fugæ ſervorum. l. 23. *R. I.* incendio in vicini, ædibus orto. l. 18. *pr. commod. l. 22. ff. de negot. geſt.* l. 1. §. 1. *depoſ.* l. 9. §. 3. *locat.* tumultu, d. l. 23. rapinâ, d. l. 1. locat. Alia eſt furti ratio, quod fermè levi culpæ adſcribitur. §. 3. *Inſt. quib. mod. re contr.* l. 52. §. 3. *pro ſocio.* l. 17. §. 2. *de P. Verb. junct.* l. 78. ff. *de furt.* Aliquando verò etiam ſine culpa eius, qui rem alienam ex contractu tenet, accidere poteſt, ſi nimirum quis rem benè cuſtodierit. l. 35. §. 4. ff. *de contr. empt.* l. 14. §. 6. ff. *de furt.* l. 9. C. *de pign. act.* l. 30. ff. *ad L. Falc.* Poſterioris verò generis caſus fortuiti accidunt, quando quid inde evenit, quod ignoremus, & prætermittamus ea, quæ ſcire, vel non poteramus, adhibito licet debito ſtudio, vel non tenebamur, l. 20. *commod.* l. 29 §. 2. *mandat.* l. 5. C. *de peric. tut.* §. 10. *Inſt. mandat.*

TH 18. Quod culpam, latam, levem & leviſſimam attinet; diſtinguimus inter contractus b. fidei & ſtricti iuris. Ad culpæ præſtationem in bonæ fidei contractibus pertinent tres regulæ. d. l. 5. §. 2. quæ tamen ut rem apertius explicent, ita ſunt informandæ & ſupplendæ.

TH. 19. Prima regula eſt. In quo contractu verſatur ſolius dantis, (id èſt, eius, qui obligat ſibi alterum initio, habetque actionem directam, ut in depoſito deponens, in negotiorum geſtione is, cuius negotia geruntur) utilitas, in ea accipiens, (id eſt, qui obligatur alteri ab initio, & actionem habet contrariam, v. c. geſtor in negotiorum geſtione) obligatur ad latam culpam, dans verò ad omnem culpam præſtandam. Hæc vera eſt in depoſito: exceptionem autem patitur in mandato, tutelæ & curæ adminiſtratione, & negotiorum geſtione; in quibus diligentia exigitur exactiſſima. l. 21. C. *mandati.*

TH. 20. Secunda regula eſt. In quo ſolius accipientis verſatur utilitas, in ea accipiens obligatur ad præſtandam etiam leviſſimam culpam; dans autem accipienti tenetur ſaltem de lata culpa; & hæc in commodato locum habet, non verò in precario.

TH. 21. Tertia regula eſt. In quo utriuſque contrahentis utilitas in ijs ſibi invicem contrahentes levem culpam præſtant. Hæc obtinet in emptione venditione, ſocietate, locatione, conductione, contractu emphyteutico, feudali, pignoris, in rei & hæreditatis communione, permutatione, dotis datione.

TH. 22. Quod caſum fortuitum concernit, notanda eſt regula ex l. 23. ff. *de R. I.* hæc: caſus fortuitus in nullo bonæ fidei contra-

ctu præſtatur, à qua excipiuntur tres caſus, [1] ſi dolus, vel culpa cauſam dedit caſui fortuito. l. 5. §. 4. h. t. [2] ſi mora præceſſit. l. 12. §. 3. *depoſit.* [3] ſi res æſtimato data eſt emptionis cauſa. d. l. 5. §. 3. ff. h. t. l. 5. l. 10. C. *de iur. dot.* l. 10. *pr.* l. 16. l. 18. ff. *eod.* Vt ad propoſitum, & hujus tituli explicationem, declaratis quibus generalibus principijs, ſcitu perquam neceſſarijs revertamur, obſervandum, quænam culpa in hoc contractu reali, ſc. commodato ſit præſtanda.

TH. 23. Præſtanda autem ſunt in re commodata (adque eam pertinente, d. l. 5. §. 9.) damna, dolo atque culpâ, non ſolum lata ac levi, ſed & leviſſimâ data, l. 5. §. 2. h. t. l. 18. *pr. eod.*

TH. 24. Aliquando tamen [1] dolus & lata tantum culpa præſtatur, ſi nimirum ſua duntaxat cauſa quis commodavit, e. g. ſponſæ fortè ſuæ, vel uxori, quò honeſtius culta ad ſe duceretur, &c. l. 5. §. 10. hoc tit. aliquando [2] ſolum levis, ſi contractus utriuſque commodum reſpiciat. l. 18. *pr.* h. t. At de caſu fortuito quis non tenetur. d. l. 5. §. 4.

TH. 25. Quæritur, an quis in caſu ruinæ, incendij, naufragij, teneatur res commodatas ſervari, ſi poſſit, rebus ſuis neglectis, & ſi negligat commodatas, an ob eas conveniri poſſit? Reſp. affirm. exactiſſimam namque diligentiam & maiorem, quàm ſuis rebus, adhibet alienis, quarum uſus ipſi gratis eſt conceſſus, adhibere debet. l. 18. *pr.* h. t. §. 2. *I. quib. mod. re contr. obl.* adeoque commodatas proprijs præferre obligatur.

TH. 26. Actione commodati contraria agere poteſt commodatarius adverſus commodantem. l. 17. §. 1. ff. h. t.

TH. 27. Ea datur, ſi commodatarius re commodatâ uti ſit prohibitus. d. l. 17. §. 3. ff. h. t. vel damnum ex re commodata ſcienter vitioſa ſenſerit, vel ſumptus majores in rem commodatam neceſſario fecerit. l. 18. §. 2. ff. h. t.

TH. 28. Vtraque actio eſt perpetua, & bonæ fidei, §. *actionum.* C. 28. *Inſt. de act.*

TH. 29. Quæritur, an commodatum ante finitum tempus ad uſum conſtitutum repetere liceat? Reſp. diſting. vel commodans poſtea illo opus habet, vel non. Illo caſu ſubdiſtinguendum, vel prævidit hoc commodans, & revocare nequit, quia cenſetur illud incommodum ſubire voluiſſe in commodatarij gratiam, vel non prævidit, & revocare poteſt. Iure naturali commodans non præſumitur in tali gratuito contractu ſic liberalis fuiſſe, ut proprijs officeret neceſſitatibus, ſecus ac in contractu oneroſo; quod etiam ex donatione patet, quæ

ob natam poſtea prolem revocari poteſt, quod donans de ea non cogitavit; ideoque actus ultra quam cogitatum extendi nequit. *arg.* l. 55. ff. *de O. & A. l. ſi unquam C. de revoc. donat.* Vnde ſemper ſubeſt talis conditio, niſi commodans ipſe indigeat, quilibet enim magis ſibi, quam alteri obligatur, & carus exiſtit. c. *cum licet* 23. *q.* 5. iure autem poſitivo revocare licet exemplo locatoris, qui ſi ipſe indiget domo locata, conductorem expellere poteſt. *l.* 3. *C. de loc. & cond.* hoc enim τὸ expellere poſſe, non ex iure naturali, ſed poſitivo eſt. Altero caſu ubi commodans ipſe non indiget, repetere ante uſum finitum non poteſt. l. 17. §. 3 h. t. jus enim ad rem ex contractu habet commodatarius, quod ipſi ante tempus uſui conſtitutum contra iuſtitiæ principia non eſt eripiendum. §. *pen. Inſt. de inſtit. & jur.*

TH. 30. Quæritur, an culpam commiſſam à ſervo, vel nuntio, rem commodatam referente, præſtare debeat commodatarius, ſi res intercipiatur? Reſp. ſi commodans mandaverit nuntio, rem ſibi referre, is tenetur. l. 10. §. *fin.* h. t. ſin verò commodatarius nuntio rem transferendam commiſerit, is tenetur. d. l. 10. §. *fin.* l. 12. §. 1. h. t.

TH. 31. Corolarij loco additur, quod regulariter domini rerum tantum commodare poſſunt, attamen poſſunt & res alienæ commodari. l. 15. ff. h. t. unde haud inepta emergit quæſtio.

TH. 32. Quæritur, an fur iure naturali rectè commodet rem furtivam? Reſp. diſting. fur, vel domino rei ablatæ commodato dat hanc rem, vel alij. Si illi, non tenetur reddere dominus; ſi huic, rem commodatam repetere poteſt; ratio eſt, quia licet jus ad rem non habeat fur reſpectu domini, nec quoad alium, quamdiu tamen res ab eo non repetitur, potior eius eſt cauſa, ceu actu detinentis. *arg. l.* 1. §. *fin. & l.* 2. *ff. uti poſſid.*

TITVLVS VII.

De actione pignoratitia.
Iung. lib. 4. tit. 24. C.

TH. 1. ACTIO pignoratitia (a) eſt actio in perſonam, (b) rem ex contractu pignoratitio debitam perſequens. § *ult. Inſt. quib. mod. re contr. oblig.*

(a) Pignus hic ſumitur ſtrictè & latè. *Illo modo* denotat pignorationis actum, l. 9. §. 2. h. t. quando res pignori data tranſit ad creditorem, unde & à pugno dicitur, & eſt maximè rei mobilis, l. 238. §. 2. ff. *de* V. S. Hoc, (puta latè conſiderando) cum quoquo modo res oppignoratur, ſive poſſeſſio transferatur, ſive non, ſive res ſit mobilis, ſive non ſit, l. 5. §. 1. ff. *de pign.* §. 7. *Inſt. de action.* in qua ſignificatione iterum tripliciter capitur, [1] pro re ipſa oppignorata. *t. t. de diſtr. pign.* [2] pro conventione pignoris, quæ re fit, & contractus eſt realis, §. 4. *Inſt. quib. mod. re contr.* l. 1. §. f. ff *de pact.* [3] pro obligatione reali, id eſt, jure pignoris, ſive in re oppignorata conſtituto, d. l. 1. h. t. l. 4. ff. *de pign.* hic in ſecundo ſignificatu accipitur; Nota. Vt differētiam & convenientiam inter pignus & hypothecam ſciamus, vocabulum hypothecæ æquivocum in ſua æquivocata eſt reſolvendum. Hinc dicimus, quod vox Hypothecæ tripliciter quoque accipiatur [1] pro re hypothecæ ſuppoſitâ, d. t. ff. *de diſtr. pign. & hypoth.* [2] pro conventione, d. l. 1. h. t. [3] pro jure hypothecæ, t. t. ff. *in quib. cauſ. pign.* differentia actionis pignoratitiæ & hypothecariæ præcipua in ſequentibus conſiſtit, [1] illa ex contractu nominato deſcendit; hæc ex jure in re per traditionem, vel pactum conſtituto, [2] illa datur debitori adverſus creditorem, ad pignus ſolutâ pecuniâ repetendum. Hæc creditori propter ius reale conſtitutum adverſus debitorem, vel tertium quoque, ad rem pignori, vel hypothecæ ſuppoſitam perſequendam, §. 7. *Inſt. de action.* Denique pignus in ſpecie ſic dictum & hypotheca in effectum conveniunt (quamvis, ut ſuperius dixi, ratione cauſæ efficientis, ut numero 1. & ratione finis, ut numero 2. differant) qui effectus eſt, [1] ius in re, d. l. 1. h. t. [2] actio hypothecaria, ſive rei perſecutio, d. §. 7. [3] diſtractio t. t. ff. *de diſtr. pign.* hocque ſenſu verum eſt, quod inter pignus & hypothecam ſaltem nominis ſonus interſit, l. 5. §. 1. ff. *de pign.* differunt autem [1] ratione conſtitutionis; nam pignus in ſpecie ſic dictum conſtituitur non niſi traditione; hypotheca verò non niſi nudo pacto; per illud poſſeſſio transfertur ad creditorem, per hanc non item, ſed apud debitorem manet, l. 9. §. 2. h. t. [2] Quâ prædicta vocabula denotant conventionem, differunt, quia pignus eſt contractus realis, hypotheca verò pactum legitimum. *arg.* l. 17. §. 2. ff. *de pact.*

(b) Quia eſt ex contractu, & quidem pignoratitio, *arg.* §. *ult. Inſt. quib. mod. re. contr. obl.*

TH. 2. Contractus autem pignoratitius, (a) eſt contractus realis, (b) quo res creditori in ſecuritatem (c) debiti traditur, ut eadem in ſpecie reddatur.

(a) Quia pignus in hoc tit. maximè denotat contractum pignoris, cum actio pignoratitia non ſit, niſi ex pignore, quatenus eſt contractus; aliàs pignus generaliter conſiderando ſumitur, (ut ſæpius antea dictum) (1) pro re, (2) aliquando pro contractu, uti hîc, (3) nonnunquam pro iure in re, idem accidit vocibus feudi & emphyteuſeos.

(b) Quia traditione demum perficitur. d. §. *ult. Inſt.*

(c) Pignoris origo deſcendit ob hominum ad invicem diffidentiam ex principijs cautionalibus. Cum enim fides verbis data ſæpiſſimè fallatur, ex ſtatu hominis ſecundo corrupto: re ipſa quoque ut caveatur, inductum fuit, dato pignore, vel hypotheca. Vnde promanavit regula, ſatius eſſe pignori incumbere, quam in perſonam agere, pluſquam cautionis in re eſſe, quàm in perſona. l. 25. ff. *de* R. I.

TH. 3. Actio pignoratitia eſt directa, vel contraria.

TH. 4. Actio directa debitori, (a) eiuſque heredi (b) datur.

(a) l. 4. 8. 11. C. h. t. licet is non ſit dominus, l. 9. §. 4. l. 22. §. 2. ff. h. t.

(b) l. 12. C. *de pignorat.*

TH. 5. Actio directa adverſus creditorem (a) eiuſque heredem (b) competit.

(a) Cuius directò, & principaliter intereſt. l. 6. §. 1. l. 12. *pr.* l. 20. §. 2. ff. h. t.

(b) l. 24. §. 2. ff. l. 3. 5. 7. C. h. t. Non autem adverſus alium rei poſſeſſorem. l. 27. h. t. l. f. C. *de diſtract. pign.* quia eſt actio perſonalis, in qua tertia perſona pignus poſſidens, non venit in conſiderationem.

TH. 6. Actio illa debito toto (a) ſoluto, (b) vel ſatisfactione pro eo præſtita (c) inſtitui poteſt.

(a) l. *ſi rem.* 9. §. 3. ff. h. t.

(b) d. l. 9. §. 3. generaliter quocunque modo, obligatione ſublatâ hæc actio competit. Solutio autem ea eſt naturalis, vel civilis. *Illa* fit per numerationem pecuniæ actualem; ad hanc referuntur novatio, acceptilatio, compenſatio, oblatio, obſignatio & depoſitio, pactum de non petendo debitum, d. l. 9. §. 1. l. 11. §. 1. 2. 3. 4. 5. ff. h. t. item ſi debitor juravit, ſe non debere. Item ſi à iudice quis, licet per injuriam ſit abſolutus, l. 13. ff. *quib. mod. pign. tol.* Pro ſolutione etiam hic eſt, quando per creditorem ſtat, quo minus is ſolutionem habeat. l. 20. §. 2. ff. h. t.

(c) Nec refert, quemadmodum ſit ſatisfactum, ſive alijs pignoribus, ſive fidejuſſoribus, ſive reo dato, ſive pretio aliquo, ſive nudâ conventione. d. l. 9. §. 3.

TH. 7. Actione pignoratitia directa agi poteſt ad id, ut pignus (a) reſtituatur. (b)

(a) Id eſt, res pignori data, §. *ult. Inſt. quib. mod. re. contr. obl.* l. 1. §. 6. ff. *de* O. *&* A. l. 9. §. *ult.* ff. l. 1. 7. 11. C. h. t.

(b) Cum fructibus, l. 1. C. h. t. ſive illi ſint naturales, ſive civiles (ut uſura &c.) l. 2. 3. *&* *ult.* C. h. t.

TH. 8. Si venditor pignus pluris, quam deberetur, vendiderit, ſuperfluum etiam cum uſuris eſt reddendum, & intereſſe, ſi res fuerit

amiſſa, l. 5. C. h. t. vel deteriorata. l. 3. §. 1. ff. h. t.

TH. 9. Ex actione pignoratitia dolus, lata, & levis culpa, (a) præſtanda veniunt, non verò leviſſima, vel caſus fortuitus. (b)

(a) Quia hîc utriuſque contrahentium utilitas obſervatur, (1) debitoris, quo magis ipſi pecunia credatur, & (2) creditoris, quo ipſi magis in tuto ſit creditum, quare pignus conſtituitur.

(b) Sed ad debitorem pertinet, l. 9. C. h. t. Excipe, niſi (1) creditor eum ſuſceperit, l. 6. C h. t. vel (2) eius culpa acciderit, vel (3) idem rem pignoratam propria authoritate occupaverit. l. 30. ff. h. t.

TH. 10. Quæritur an creditor pignore caſu amiſſo actionem amittat, an verò nihilominus creditum ſuum repetere poſſit? Reſp. affirm. poſterius per l. 6. 9. C. h. t. [1] quia nemo cum alterius damno fieri debet locupletior. l. 14. ff. *de condict. indeb.* & [2] ne quis ſine culpa rei ſuæ dominio privetur, quod nec princeps ex poteſtatis ſuæ plenitudine facere poteſt, cum eius proprium eſſe debeat, ſuum cuique tribuere, §. *pen. Inſt. de juſt. & Iur.* [3] ne fides creditori à debitore data violetur, cum fides ſit iuſtitiæ fundamentum.

TH. 11. Cauſa efficiens pignoris eſt aut [1] voluntas, ſive conſenſus hominum, aut [2] lex, aut [3] magiſtratus. Voluntate conſtituitur pignus, vel inter vivos, vel ultima voluntate; & quidem, vel voluntate (a) expreſsâ, vel tacitâ, ut cum teſtator res ſuas legatarijs tacitè obligare creditur. l. 1. C. *comm. de legat.* vel cum res in prædium urbanum inferuntur, l. 4. ff. de pact. Lege (a) pignora introducuntur ut dotis cauſa. l. *un.* §. 1. C. *de rei uxo. act.* favore pupilli, l. 20. C. *de admin. tutor.* fiſci l. 4. C. *in quib. cauſ. pign.* Prætor, ſive Magiſtratus authoritate publ. pignus conſtituit, cum vice cautionis ex quacunque cauſa in bonorum poſſeſſionem aliquem mittit, l. 26. ff. h. t. l. 10. *in f.* ff. *qui pot. in pign.* hinc pignus eſt neceſſarium, vel voluntarium; expreſſum, vel tacitum: legale, vel Prætorium.

(a) Vnde pignus mediatè, (ſc. concurrente hominis facto) conſtituitur.

(b) Vnde pignus immediatè citra hominis factum à lege inducitur.

TH. 12. Materia, in qua pignus conſtituitur, ſunt res omnes, tam mobiles, quam ſoli, etiam nomina, quæ pignori obligari poſſunt, ſi modo pertineant ad obligantem, l. 18. h. t. l. 7. C. *de hered. vend.* res enim aliena, niſi volente, & ratum habente domino obligari nequit. l. 20. h. t. *t. t.* C. *ſi res alien.*

TH. 13. Cauſa formalis eſt ipſa conventionis & traditionis forma: res namque ita traditur creditori à debitore, ut ius in re transferatur, quo

ſecurus ſit creditor de recipiendo debito, indeque hic obligetur, ad rem in ſpecie reddendam, ſoluto debito.

TH. 14. Finis ut creditorem de credito faciat debitor ſecurum datis pignoribus, quibus tutius eſt incumbere, quam perſonæ, l. 25. ff. *de* R. I.

TH. 15. Actio pignoratitia contraria datur creditori, l. 16. §. 1. ff. h. t. eiuſque heredi, quia eſt ex contractu.

TH. 16. Actione pignoratitia contraria debitor conveniri poteſt. l. 9. *pr. &* §. 4. l. 32. ff. h. t.

TH. 17. Actio pignoratitia contraria, vel ob defectum, (a) vel damnum, (b) vel impenſas (c) competit.

(b) Vt ſi res pignori data ſit aliena, d. l. 9. *pr. &* d. l. 32. vel alteri iam obligata, d. l. 16. §. 1. ff. h. t. vel morboſa, d. l. 16. §. 1. item ſi æs pro auro datum, l. 1. §. 2. ff. h. t.

(b) Dolo vel culpa lata, vel levi à debitore ratione pignoris acceptum, l. 3. l. 9. *pr.* l. 31. *&* d. l. 36. ff. h. t.

(c) In rem pignori datam neceſſariò, l. 8. ff. l. 7. C. h. t. vel voluntate domini expreſſa, præſumptave, utiliter, l. 25. ff. h. t. factas.

TH. 18. Actio pignoratitia contraria datur, ut creditor, quod, ſibi pignoris nomine abeſt, conſequatur. l. 54. ff. *de fidejuſſor.*

LIBER DECIMVS QVARTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De exercitoria actione.

Iung. lib. 4. tit. 25. C. d. t.

TH. 1. DE tertia contractuum realium ſpecie, puta depoſito nunc ordine eſſet dicendum, niſi interſererentur qualitates quædam, tam condictionibus & mutuo, quam actionibus in perſonam ſimplicibus ex commodato & pignore communes; depoſito verò non uſquequaque omnes convenientes.

TH. 2. Qualitates illæ partim oriuntur ex ſpeciali aliquâ obligatione, partim ex ſolutione, ſive compenſatione, quæ ſolutioni eſt ſimilis.

Ex

Ex obligatione, dum vel per alium neceſſario obligamur, vel pro alijs nos obligare volumus. Quando per alium obligamur, is eſt vel extraneus, vel in noſtra poteſtate.

TH. 3. Per extraneum, (a) vel poteſtati noſtræ ſubjectum (b) obligamur, ſi ille aut hic noſtro nomine negotiatur, & negotiationem, vel maritimam, vel terreſtrem exercet; ex illa eſt actio exercitoria, ex hac actio inſtitoria.

(a) Qui nec in patria, nec dominica eſt poteſtate, per hunc nobis obligatio & actio non acquiritur, l. 11. §. 6. ff. *de pign. act.* l. 126. §. 2. ff. *de* V. O. nemoque alteri poteſt ſtipulari, l. 38. §. 17. *eod.* l. 73. §. f. ff. *de* R. I. Quia initium obligationis debet eſſe à perſonis contrahentium, l. 11. *de* O. *&* A. § 19. *Inſt. de inutil. ſtip.* §. 5. *Inſt. per quas p. nob. acq.* Poteſt tamen contractui, inter ipſas perſonas contrahentes ritè conſiſtenti pactum adjici, ut tertio cuidam res reſtituatur, atque in illum tunc ex voluntuate utriuſque tranſlata cenſetur actio, l. 26. *pr.* ff. *depoſ.* l. *pen.* C. *ad exhib.* Contra nos ex aliorum geſto, ſive in poteſtate habeamus, ſive non, ſtricto jure non datur actio, §. 10. *Inſt. de act.* Prætor tamen ex æquitate introduxit certas actiones, aut potius actionum qualitates, quibus & vel is, qui certæ negotiationi aliquem præpoſuit, ex huius contractibus, vel dominus & pater ex ſervi, vel filij geſto conveniri poſſunt. l. 1. §. 1. 5. 20. *&* 23. h. t. *pr. Inſt. quod cum eo qui in al. pot.*

(b) Vt filijfam. & ſervi noſtri, ex illorum contractibus ſtricto jure non obligamur, ſed iure demum Prætorio ſuperveniente.

TH. 4. Qui in noſtra ſunt poteſtate nobis acquirunt obligationem, quod de filiofam. abſolutè tamen affirmari nequit, ſed cum diſtinctione peculiorum; ita ut ratione peculij profectitij inita obligatio, pleno iure patri acquiratur, in peculio verò adventitio quoad uſumfructum; proprietate penes filium manente; ex caſtrenſi denique & quaſi caſtrenſi peculio, ut & adventitio extraordinario pleno jure filius ſibi acquirat obligationem, *pr. Inſt. d. t. per quas perſ. ob. acq.* §. 1. *Inſt. eod.* l. 6. C. *de bon. quæ lib.* Servus omnem obligationem etiam invito ac ignoranti acquirit, d. §. *Inſt.* §. 1. *&* t. t. *Inſt. de ſtipul. ſervor.*

TH. 5. Actio exercitoria (a) eſt actio in perſonam, (b) rem ex negotiatione magiſtri navis (c) debitam perſequens.

(a) Ita ab Exercitore dicitur, id eſt, domino præponente.

(b) Quia ex contractu datur.

(c) Magiſter navis eſt, cui totius navis cura eſt demandata. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 6. Actio exercitoria eſt ex contractu cum Magiſtro navis, (a) vel eius ſubſtituto (b) cuius rei nomine, cui ille præpoſitus fuit, (c) inito. l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) Navim accipere debemus; ſive marinam, ſive fluviatilem, ſive in aliquo ſtagno naviget, ſive ſit ſchedia, id eſt, ſit ratis tumultuariæ ac ſubitariæ operæ, ſeu navigium temerè factum & inconditum, ut trabes connexæ, & ſine fabrica compactæ, quæ navigij vicem præbent, (*Germanicè ein floß.*)

(b) l. 1. §. 5. ff. h. t.

(c) l. 1. §. 7. *& ſeqq.* ff. h. t. §. 2. *Inſt. quod cum eo, &c.*

TH. 7. Actio exercitoria competit ei, qui cum Magiſtro navis contraxit, ipſiuſque heredi, d. l. 1. *pr.* ff. h. t. hic obſervandum, quod contrahens cum Magiſtro, legem & formam propoſitionis ab Exercitore præſcriptam obſervare debeat, quam ſi egreſſus fuerit, non obligatur exercitor, d. l. 1. §. 12. h. t. aſt objiciat mihi quiſpiam, unde conſtabit iſte propoſitionis modus? Reſp. contrrahens in eum inquirere debet, qui non ſolum ex mandato domini (exercitoris) expreſſo, quod oſtendere Magiſter tenetur, verumetiam ex patientiâ & ſcientiâ illius patebit. d. l. 1. *&* l. *ult.* §. 1. ff. h. t.

TH. 8. Actio exercitoria adverſus exercitorem (a) unum, vel plures (b) datur.

(a) Vocatur *Germanicè ein Reder, ein ſchifsfreund*, & eſt is, ad quem quotidianus navis queſtus pertinet, d. §. 2. *Inſt.* ſive ad quem obventiones & reditus omnes perveniunt, ſive dominus navis ſit, ſive à domino navem per averſionem conduxerit, d. l. 1. §. 15. hoc eſt uno pretio univerſam navem conduxerit, aliàs exercitor vocatur nauta.

(b) l. 1. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 9. Actione illâ agimus ad id, quod ſecundum cuiuſque contractus (a) cum Magiſtro initi naturam debetur, (b) & quidem in ſolidum. (c)

(a) v. c. mutui, emptionis, venditionis, locationis, conductionis.

(b) l. 1. §. 7. 8. 10. 12. ff. h. t.

(c) d. §. 2. *&* §. 5. *Inſt. quod cum eo, &c.* l. 1. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 10. Actio hæc eſt Prætoria, §. 2. *Inſt. quod cum eo*, quia in ſubſidium ſc. ordinarijs & civilibus remedijs eſt introducta, iure enim civili alter alteri obligationem, aut actionem non acquirit; nec obſtat iuris regula, quod quis per alium facit, per ſe feciſſe videtur. Reſp. hæc vera eſt in ijs caſibus, qui per alios expediri poſſunt: aſt ſtipulationes & obligationes, cum ſint iuris & actus civiles, perſonam non egrediuntur. §. 19. *Inſt. de inutil. ſtipul.*

TH. 11. Actio hæc eſt perpetua & ad heredes tranſitoria, l. 4. § *ult.* ff. h. t.

TH. 12. Ipſe quoque Magiſter (a) actione directa civili conveniri poteſt. (b)

(a) Si perſona eius ſit libera, ſin minus, aliter ſe habet.
(b) l. 1. §. 17. ff. h. t.

TH. 13. Actio exercitoria exercenti navem adverſus eum, qui cum Magiſtro contraxit, non datur, l. 1. §. 18. ff. h. t. quia eodem auxilio non indiget, ſed aut ex locato cum Magiſtro, ſi mercede ei operam exhibet, aut ſi gratuitam, mandati agere poteſt. l. 1. §. 18. h. t. l. 5. *eod.*

TH. 14. Actio hæc Prætoria & ſex ſubſequentes Prætoriæ actiones, quibus quis convenitur ex alterius contractu, ſunt [1] actio exercitoria, [2] inſtitoria, [3] tributoria, [4] quod cum eo, qui in aliena eſt poteſtate, [5] actio de peculio, [6] de in rem verſo, [7] quod iuſſu; hæ actiones omnes præcedentibus ſunt affines; attamen non ſunt actiones novæ, ſed actionum ordinariarum adjectitiæ qualitates, per quas jus durum & reſtrictum corrigitur. Prætor enim iniquam iuris regulam, ſc. quod alter per alterum non obligetur, è medio tollit: quamvis Prætor non directo poſſit tollere ius civile, tollit tamen per circuitum, ſi coram eo de iuris civilis iniquitate querela interponatur, l. 7. §. 1. *de* I. *&* I. & quidem ſequentes ob rationes, quia [1] æquiſſimum eſt, eum obligari & conveniendum eſſe, qui ſuo nomine aliquem propoſuit, & cuius reſpectu potiſſimum contrahitur, l. 1. §. 2. 5. 19. ff. *de poſ.* quia [2] ipſum ius naturale & æquitas expoſcunt, eum debere ſufferre incommoda, ad quem perveniunt commoda. *arg.* l. 17. §. 1. ff. *inſtit. act.* (3) quia jure naturali alter per alterum obligatur, quia [4] iniquum foret, eos decipi, qui cum præpoſito contraxerunt, ignorantes eius conditionem. d. l. 1. §. 5.

TH. 15. Quæritur, quomodo pater ex filij contractu teneatur? Reſp. [1] ſi eo ignorante contrahat filius, tenetur pater actione de peculio, [2] ſi v. patre ſciente, tributoriæ actioni eſt locus, l. 6. h. t. [3] ſi filius exerceat navim expreſſa voluntate patris; actione exercitoria convenitur pater, vel dominus in ſolidum.

TH. 16. Fundamentum huius actionis exercitoriæ eſt ipſe contractus cum Magiſtro navis, eius rei nomine, cui præpoſitus fuit, initus, l. 1. §. 7. *& ſeqq.* h. t. dum enim navi præfectus eſt; & eius cura ipſi commiſſa, fidem ſuam exercitor quaſi pro eo interponere videtur, adeoque ex ipſa electione & præpoſitione exercitor obligatur. l. 1. *pr.* ff. h. t.

TITVLVS II.

De lege Rhodiâ de jactu.

TH. 1. AD rem nauticam pertinet & actio, quæ jactu facta (a) ſecundum legem Rhodiam (b) perſequens debitum.

(a) l. 1. 2. *pr.* l. 5. *pr.* l. 6. *in fin.* ff. h. t. hic iactus non debet fieri, niſi ex iuſto naufragij metu, l. 2. *pr.* & §. 2. ff. h. t. exploratâ tamen prius voluntate mercatorum omnium, aut majoris partis, ſi qui in navi ſint. l. 9. C. h. t.

(b) A Civitate, & inſula Rhodo, quę eſt in mari Carpathio Carię adjacente in Aſia minori ſic dicta. Hac lege cautum eſt, ut ſi levandę navis gratia jactus mercium fuerit factus, omnium contributione id, quod pro omnibus datum, reſarciatur, l. 1. ff. h. t. æquiſſimum enim eſt, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amiſſas res aliorum conſecuti ſunt, ut merces ſuas ſalvas habeant.

TH. 2. Rhodienſes aliquando maris imperium tenuerunt, nauticæque rei diſciplinâ excellebant; leges navales propter æquitatem per univerſum tractum maris mediterranei, tanquam jus aliquod gentium cultæ, adeoque ſecundum iſtas & ipſi Romani quanquam victores, controverſias nauticas dirimi voluerunt, l. 1. h. t. Inter has leges principalis fuit de contributione propter merces, tempeſtate in mare jactas, levandæ navis cauſa, ad avertendum commune periculum.

TH. 3. Conferre debent omnes, quorum intereſt, etiam dominus navis, nomine navis, l. 2. §. 2. ff. h. t.

TH. 4. Veniunt in contributionem omnes res æſtimabiles, etiam quæ navim non multum onerant, ut gemmæ, nummi, d. l. 2. §. 2. Inſtrumentum navis, communis periculi cauſa dejectum, l. 3. & 6. h. t. hoc tributum propter res ſervatas debetur. Excipiuntur liberi homines, quia hi æſtimationem non recipiunt, l. 2. §. 1. h. t. & cibaria, d. l. 1. §. 2. h. t.

TH. 5. Actio illa ex locatione & conductione datur, l. 2. *pr.* §. 1. 2. §. 7. l. *ult.* *pr.* §. 1. ff. h. t.

TH. 6. Ea competit ijs, quorum merces (quas vehendas locarent Magiſtro) ſunt jactæ, adverſus Magiſtrum navis, d. l. 2. *pr.* & §. 2. ff. h. t. Vt hic aut cæterorum vectorum (a) ſarcinas retineat, donec ſe-

cundùm diſpoſitionem L. Rhodiæ portionem damni præſtent, aut contra eos ex locato conducto agat. (b)

(a) Quorum interfuit iacturam fieri.

(b) Vt detimentum proportione communicetur. d. l. 2. *pr.* damnum enim omnium contributione ſarciendum eſt. l. 1. 2. *pr.* §. 1. 2. 3. 4. ff. h. t. Excipe, niſi culpa Magiſtri damnum ſit datum. *arg.* l. 27. §. 3. ff. *ad L. Aquil.* l. 30. ff. *locati.*

TH. 7. Contributio ipſa ita fit, ut æſtimentur [1] res, quæ amiſſæ ſunt aliarum conſervandarum cauſa. Inſpicitur autem pretium, quanti emptæ ſunt; ſufficere enim debet dominis amiſſarum mercium, recuperare pretium, quo illas compararunt; lucrum verò caſu interceptum eſſe, æquo ferent animo. l. 2. §. 4. h. t. ut æſtimentur [2] quæ ſervatæ ſunt propter iacturam, in quibus ſpectatur, quanti venire poſſunt. d. l. 2. §. 4. utriſque rebus ita æſtimatis, & in unum collatis ſecundùm regulam ſocietatis, adeoque proportionem Geometricam, proportione, ſeu rata illius, quod quiſque in navi habuit, damnum uni, vel pluribus per iactum illatum communicatur. l. 2. *pr.* h. t. Exemplo res fit clarior; e. g. ſunt quatuor vectores, ſive mercatores, Titius, Caïus, Sempronius, & Sejus. Merces Titij quæ valuerunt 100. & Caij merces, quæ emptæ ſunt 60. florenis ſunt iactæ; conſervatæ verò ſunt Sempronij bona 200. florenis, & Seij bona 40. flor. æſtimata, ſubducto calculo juxta dictam regulam ſocietatis; apparebit ad reſarciendum damnum, Sempronium 80. Sejum 16. florenos conferre debere, de quibus 96. florenos Titio, ratione 100. florenorū amiſſorum, 60. reſtituentur, reliquùm 40. florenorum damnum pro ſua parte feret. Caïus capiet 36. florenos, & reliquis 24. pro rata damni, quod ipſi ſuſtinendum, carebit. Eadem eſt ratio computandi, ſi non totum, quod quis in navi habuit, ſed pars quædam mercium fuerit jacta, e. g. ex mercibus Titij jactæ ſunt, conſtantes 50. ex Caij 30. & ſervatæ ſunt Sempronio 200. Sejo 40. ipſi Titio 50. & Caïo 30. tunc Sempronius conferet pro ſarciendis damnis 40. Sejus 8. Titius 10. Caïus 6. Titius igitur, qui 50. amiſit, ex collatis à reliquis vectoribus capiet 30. quibus ſi addat 10. florenos, quos ipſi ratione ſervatorum 50. contribuere incumbit, & computet damnum 10. florenos, quod pro rata ferre debet, conficietur ſumma 50. flor. & computet damnum 10. florenos, quod pro rata auferre debet, conficietur ſumma 50. flor. quibus merces in mari projectæ fuere comparatæ; Caïus verò qui 30. amiſit, accipiet de pecunia, à reliquis contributa 18. ratione bonorum conſervatorum ipſe retinet 6. & ratione damni communis itidem ſex ipſi pereunt.

CCc iij

TH. 8. Quæ de contributione ſuperius ſunt dicta, eatenus valent, ſi navis & merces per jactum conſervatæ, non verò ſi aliàs quid caſu acciderit. l. 6. l. 2. §. 1. 3. ff. h. t. aut naufragium factum fuerit, ex quo quod quiſque per urinatores, vel alios ſervat, ſibi retinet, nec tenetur contribuere. l. 4. §. 7. ff. h. t. Hic notandum, Fridericum II. Imperatorem in *auth. navigia C. de furt.* quam ſecutus eſt Carolus V. art. 118. conſtit. crim. meritò abrogare conſuetudinem nonnullorum locorum, quâ bona naufragorum fiſco vindicantur, quia hæ conſuetudines omni iure, ratione & æquitate deſtituuntur; *& Gail.* 1. *obſ.* 18. ait, contra huiuſmodi conſuetudinem mandata ſine clauſula decreta, & in cauſa Conſulum civitatis Hamburgenſis, contra Duces Holſatiæ eſſe judicatum, in qua (ſc. Holſatia) ut & in Oſtfriſia receptum, ut eius ſint res naufragorum, in cujus territorio appulſæ, ſimiliſque conſuetudo damnanda; In Sicilia, Anglia, & Italia inter regalia refertur.

TH. 9. In hac materia ſtatuta nautica Suecorum & Hanſeaticarum civitatum ac Reip. Belgicæ hodie præprimis ſunt conſulenda, hi enim modo dicti populi mercandi arte præ cæteris florent, de quibus agit *Magnif. Dn. Loccenius in præfat. & paſſim in d. tract.*

TH. 10. Imperator hoc tit. dicitur mundi dominus, quod de parte mundi notiſſima, non verò de toto terrarum orbe intelligendum eſt.

TITVLVS III.

De actione inſtitoria.

Iung. lib. 4. tit. 25. C.

TH. 1. AD terreſtrem negotiationem pertinet actio inſtitoria, (a) quæ eſt actio in perſonam, (b) ex negotiatione terreſtri debitam perſequens.

(a) Ab inſtitore ſic nominatur, ex eo, quod negotio gerendo inſtat. l. 3. h. t. & tabernæ, ſive cuilibet alij negotiationi ad emendum, vendendumve, ſive certo loco, ſive ſine loco eſt præpoſitus, extra navis curam. l. 3. 4. 5. 18. ff. h. t.
(b) Quia eſt ex contractu.

TH. 2. Actio inſtitoria ex contractu cum Inſtitore in re, cui is præpoſitus eſt (a) inito competit. l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) §. 2. *Inſt.* quod cum eo, &c. l. 5. §. 11. ff. h. t.

TH. 3. Cauſa efficiens huius actionis inſtitoriæ, perinde ut exercitoriæ eſt ipſe contractus,cum inſtitore, eius rei ſeu negotiationis gratia, cui præpoſitus, initus. l. 1. *in fin.* l. 5. §. 11. l. 11. §. 5. ff. h. t. Æquum enim Prætori viſum eſt,ſicuti commoda ſentimus ex actu,ſive contractu inſtitorum,ita etiam obligari nos ex contractibus ipſorum,quos ad contrahendum præpoſuimus, & conveniri. d. l. 1.*pr.* l. 11. §. 2. *in fin.* ff. hoc tit.

TH. 4. Actio inſtitoria competit ei, qui cum inſtitore ſecundùm formam & conditionem præpoſitionis, (a) de re, ad ipſum pertinente contraxit, (b) eiuſque heredi. (c)

(a) Parvi refert, quis ſit inſtitutor, maſculus an fœmina, liber, an ſervus, proprius, vel alienus. l. 7. §. 1. ff. h. t.

(b) d. l. 11. §. 5. *& ſeqq.* ff. h. t.

(c) Quia eſt rei perſecutoria, quæ ex contractibus directo datur, e. g. ex mutuo, empto, conducto, permutatione, eſtque etiam perpetua. l. 15. ff. h. t. quæ tam heredi, quàm in heredem datur. *ibid.*

TH. 5. Actio inſtitoria directa adverſus dominum, qui inſtitorem præpoſuit negotiationi, (a) eiuſque heredem datur. d. l. 15. ff. hoc tit.

(a) d. §. 2. l. 1. ff. l. 1. 2. 3. C. h. t. datur & contra proponentem fœminam.

TH. 6. Actio inſtitoria utilis datur in eum, qui pecunijs mutuandis procuratorem præpoſuit. l. 19.*pr.* ff. l. 5. 6. C. h. t.

TH. 7. Actione inſtitoria perſequimur,quod ex prædicto contractu debetur (a) in ſolidum. (b)

(a) l. 1. C. h. t. l. 5. §. 1. ff. h. t.

(b) l. 2. *in fin.* C. h. t. & ſi plures ſint domini contra ſingulos in ſolidum datur hæc actio,quod verò unus præſtitit; ab alijs ſervabit iudicio ſocietatis, vel communi dividundo. l. 13. §. h. t.

TH. 8. Ipſe inſtitor ex contractu eo actione civili directa conveniri poteſt. *arg.* l. 7. §. 12. ff *de SCt. Maced.* l. 1. §. 17. ff. *de exercit. act.* quamdiu ſc. durat præpoſitio, inſtitor conveniri poteſt ex contractu, cum illo celebrato; depoſito verò officio & negociatione,ceſſat quoque, peritque hæc actio. l. *fin.* ff. h. t. l. 1. C. *quando ex fact. tutor.* & quoties inſtitor ex contractu convenitur, ſalvus manet agenti contra mandantem,ſive præponentem regreſſus,quia non tantum inſtitor,ſed & dominus hac actione conveniri poteſt.

TH. 9. Quæritur,ſi inſtitor pecuniam mutuo accipiat, detque creditori chirographum, an per hoc dominum ſuum obliget? Reſp. di-

ſting. Inter inſtitores negotiationi pręſtitutos, qui mandatum generale, vel ſpeciale habent in promovendis mercaturis, ſive negotijs (prout regulariter fit inter mercatores, quibus in emporijs remotis ſolent eſſe factores, vulgò rebus emendis, vendendis, vel mutuo ſumendis pecunijs præſtituti) & inter miniſtros famulos, ſive ſcribas tali mandato carentes. Illi ſuo contractu dominum obligant. l. 1. l. 19. h. t. l. 5. l. *fin.* C. hoc tit. Hi verò non item, quod mandatum ad hoc non habeant.

TH. 10. Quæritur, an dominus ex inſtitoris delicto, ac facto conveniri poſſit? Reſp. neg. quia delinquens agit extra, imò contra formam præpoſitionis; quia non omne, quod cum inſtitore geritur, obligat eum, qui præpoſuit, ſed ita, ſi eius rei gratia, cui præpoſitus fuerat, contractum ſit. l. 5. §. 4. l. *pen.* §. *fin.* ff. h. t. Conditio enim præpoſitionis ſervanda eſt. l. 11. §. 3. ff. h. t. quæ certam legem dat contrahentibus. l. 1. §. *igitur. ff. de exercit. action.*

TITVLVS IV.

De Tributoria actione.

TH. 1. EX geſtis illorum, qui ſunt in poteſtate noſtra, putà filiorum, & ſervorum Prætorio iure obligamur, [1] ratione permiſſæ peculiaris negotiationis, ſi nimirum ſcientibus patribus, aut dominis in merce peculiari negotientur, unde actio Tributoria, [2] ex alijs cauſis, e. g. de peculio, (conceſſa ſc. filio peculij generalis adminiſtratione) de in rem verſo, & ſpeciali, iuſſu, unde actio quod iuſſu, quæ ſuis locis præponemus.

TH. 2. Actio Tributoria (a) eſt actio in perſonam, (b) quod ex merce peculiari, (c) ratione diſtributionis ſingulis creditoribus (d) debetur, perſequens.

(a) A tribuendo, vel diſtribuendo dicta. §. 3. *Inſt. quod cum eo.*

(b) Quia ex contractu filijfam. vel ſervi datur.

(c) Id eſt, quæ ſeparatim à rationibus dominicis, vel paternis ſervo, vel filiofam. eſt conceſſa & differt à peculio. l. 1. §. 2. ff. h. t. quod non eſt in merce peculiari. E. totum peculium hic in diſtributionem non venit.

(d) Vbi inter creditores ſervi negotiantis & dominum, cui idem ſervus debet, tribuitur, id eſt, diſtribuitur pro rata eius, quodcumque debetur: ex ſeq. Theſi perſpicacius mentem percipies.

TH. 3. Fun-

TH. 3. Fundamentum & cauſa hujus actionis in eo poſitum. Dominus vel pater, qui ſcit & patitur ſervum, filiumve in merce peculiari negotiari, quicquid in illa merce erit, quodque inde receptum erit, id tenetur æqualiter diſtribuere, ita ut ipſe, ſi quid ei debeatur, & ceteri creditores pro rata portione conſequantur, quantum oportet. Si verò quis ex creditoribus queratur, quod nihil, vel minus ei tributum ſit, ob dolo denegatam. l. 7. §. 2. 4. ff. h. t. aut inæqualem dolo factam diſtributionem, datur hæc actio ex contractu cum filio, aut ſervo inito, iuxta quā obligatus erat, rectè diſtribuere mercē. d. l. 7. *pr.* §. 2. l. 8. h. t. §. 3. *Inſt.*

TH. 4. Actio tributoria competit, ſi diſtributio dolo denegetur. l. 7. §. 2. h. t. vel inæqualiter fiat, (a) dolumque coërceat. (b)

(a) Si creditoribus minus, quam oportet, ſit tributum. §. 3. *Inſt. quod cum eo.* l. 2. ff. h. t.

(b) d. l. 7. §. 2. ſine vlla tamen infamiæ nota. E. hic non datur actio de dolo in contractu admiſſo, ſed de iniqua diſtributione.

TH. 5. Actione ea agere poſſunt creditores. l. 5. ff. h. t. eorumque heredes. d. l. 7. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 6. Actio illa datur contra dominum, vel patrem, eiuſque heredem, (a) quo ſciente & patiente filius, aut ſervus eſt negotiatus in merce b) aliqua peculiari.

(a) Quatenus ad eum pervenit, non verò aliàs.

(b) Differt hæc merx à merce dominica, in qua ſervus nomine alieno ſc. domini ſui negotia gerit.

TH. 7. Actione ea petitur, ut pater vel dominus pro rata portione eius, quod cuique debetur diſtribuat, nec quemquam defraudet. d. §. 3. *Inſt. quod cum eo.* l. 7. §. 2. l. *ult.* ff. h. t. Hinc ſi ſingulis creditoribus mercis peculiaris minus diſtribuat, quam oportet, ſibique plus, quam oportet, retineat, vel ex merce peculiari quid dolo malo evertat, vel diſtrahat, vel perire patiatur, pretium harum rerum præſtare tenetur. Quare domini, vel patris conditio hîc non eſt præcipua.

TH. 8. Si in hac tributoria actione de mercibus ſervi, vel filijfam peculiaribus Patri, & creditoribus ſatisfieri non poſſit, quiſque tantum accipit, quantum proportio Geometrica poſtulat, e. g. ſi patri debeantur 10. Mævio 20. & Titio 20. & in peculio ſunt tantum 30. proportione factâ, ad æqualitatem hoc ita revocabitur, ſi patri dentur 6. Mævio & Titio ſingulis 12.

TH. 9. Dominus, vel pater ſi diſtributionis moleſtiam effugere velit, iure poteſt, merces cedendo. l. 7. §. 1. ff. h. t.

TH. 10. Actio hæc eſt perpetua. l. 7. §. *ult.* l. 8. ff. h. t.

D D. di

TH. 11. Hodie tributoria non obtinet, quia ſervos non habemus, filij verò familias negotiantes pro emancipatis habentur, ſuoque teneantur nomine.

TITVLVS V.

Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicetur.

Iung. lib. 4. tit. 29. C.

TH. I. QVOD adhuc aliæ actiones, ex ſervi, vel filijfam. contractu, ſive negotio adverſus dominum, vel patrem dentur, ex ſequentibus hujus libri titulis, atque lib. 15. patet.

TH. 2. Facilioris intellectus gratia, præmittenda hic eſt differentia inter ſervos & filiosfam: quod ſervos concernit, nulla illorum eſt propria obligatio. l. 14. ff. *de O. & A.* filij verò in omnibus cauſis perinde, tanquam patresfam. obligantur, ac in ſolidum convenire poſſunt. l. 39. *de O. & A.* l. 57. *de iudic.* licet executio, cum nihil habet in bonis, quamdiu in poteſtate eſt, differatur. l. 5. *pr.* ff. h. t. l. *pen. C. qui bon. ced. poſſ.* Excipe mutuum, ex quo, nec pater, nec filius iure civili tenetur. l. 9. C. h. t. ob SCti Macedon. prohibitionem. l. 1. ff. *SCt. Maced.*

TH. 3. Si poſt initum contractum filiusfam. emancipetur, l 2. *pr.* ff. h. t. vel exheredetur, vel ab hereditate paterna abſtineat, vel ex modica parte heres inſtitutus, cum effectu adverſus eum actio quod cum eo, &c. inſtitui poteſt. d. l. 2. *pr. &* §. 1.

TH. 4. Et quidem ab ijs, qui cum filiofam. contraxerunt. d. l. 2.

TH. 5. Vt filius (a) in id tantũ, quod facere poteſt (b) condemnetur. (c)

(a) Secus ſi heres patris fuerit, tunc enim in ſolidum conveniri poteſt. l. 4. *pr.* ff. h. t. aut ſi tempore contractus, ſe patremfam. dixerit. l. 4. §. 1. ff. h. t. l. 6. ff. *eod.* nec in delictis hoc competentiæ beneficio fruitur. d. l. 4. §. 2. ff. h. t.

(b) Quod beneficium tantum eſt perſonale. E. ad heredem filij non tranſit. d. l. 4. §. 3.

(c) l. 2. 3. 4. *pr.* l. 5. ff h. t. ſive voluntate ſuâ, ſive iuſſu patris contraxerit, ſive in peculium, ſive in patrimonium patris res ſit redacta.

TH. 6. Prætor cauſâ cognitâ, dat hanc actionem, ut ſc. in id tantum, quod facere poteſt cõveniri queat, ne nimirum gravetur filius, quia ex contractu, illo tempore inito non eſt factus locupletior, cum pater omnem utilitatem, quæ inde exoriri potuit, percepit: quicquid enim filius habuit, vel acquiſivit, in poteſtate exiſtens, non ſibi, ſed patri erat acquiſitum.

TITVLVS VI.

Ad Senatumconſultum Macedonianum.
Iung. lib. 4. t. 28. C.

TH. I. A PRÆCEDENTI canone, ſc. quod in omnibus cauſis filiusfam. ut paterfam. obligetur & conveniri poſſit, excipitur contractus mutui, ubi pecunia numerata credita fuit.

TH. 2. Singulariter per Sctum Macedonianum [1] (a) prohibetur, ne cui, (b) qui filiofam. (c) pecuniam (d) mutuam (e) dediſſet, etiam poſt mortem parentis eius, cuius in poteſtate fuiſſet, actio, (f) petitioque (g) detur (h); [2] cavetur, ut actio exceptione elidatur. (i)

(a) A Macedone quodam, inſigni fœneratore ortum habet, ut ſolent ex malis moribus bonæ oriri leges: hic flagitioſè adoleſcentibus filijsfam. pecuniam ad quemvis luxum incertis nominibus credebat, ſic vt tandem ære alieno obruti, in quodvis flagitium, ac mortis etiam paternæ cogitationem impellerentur, quo hereditatem ipſi egentes creditoribus (fœneratoribus) concedere poſſent. §. *pen. Inſt. quod cum eo;* cui malo ſalutare hoc remedium Scti inventum eſt: melius enim eſt coarctari iuveniles calores, ne cupidini dediti triſtem ſentiant exitum, qui eos poſt diſperſum expectat patrimonium. *l. fin.* §. *ipſum, C. de bon. quæ lib.*

(b) Qui filiofam. credidit pecuniam, cujuſcumque etiam ille creditor ſit conditionis, modo ſit major 25. annis: prohibetur & civitas mutuo dare filijs. l. 15. ff. h. t.

(c) Quem ſcit, vel credit eſſe talem. *arg.* l. 3. *pr.* §. 1. & 2. ff. h. t. quique peculium caſtrenſe non habet. l. 2. ff. h. t. Inſuper per filiumfam. hic intelligimus non eum tantum, qui primi, ſed & qui ulterioris eſt gradus. l. 14 ff. h. t. l. 6. §. 1. C. h. t. intelligitur & filia, l. 9. §. 1. ff. h. t.

(d) Non aliam rem fungibilem, niſi v. g. frumentum, vel oleum, vel vinum mutuo detur, ut his diſtractis pecunia utatur accipiens, l. 7. §. 3. ff. h. t. quia is ſolus Sctum offendit, qui mutuam pecuniam filiofam. dedit.

(e) Non, qui aliàs contraxit, e. g. vendidit, locavit, &c. d. l. 3. §. 3. ff. h. t. Excipe niſi fraus Scto ſit excogitata, e. g. ut qui credere ob prohibitionem Scti non potuit, magis ei venderet, ut ille rei iterum à ſe venditæ pretium haberet in mutui vicem. l. 3. §. *pen.* ff. h. t.

(f) l. 1 *pr.* ff. h. t. per actionem hic intelligimus condictionẽ, ſi ſit conſumpta.

(g) d. l. 1. *pr.* per petitionem verò intelligimus vindicationem extantis adhuc pecuniæ.

(h) Si nimirum conſtat, filiumfam. tempore mutui eum fuiſſe. l. 9. §. 2. l. 10. ff. *de iurejurand.*

(i) l. 7. §. 10. l. 11. & *paſſim.* ff. h. t. ne unquam illis ius exigendi ſit.

TH. 3. Licet maneat naturalis obligatio. l. 10. ff. h. t. nihil operatur, quia lex civilis, quam obſervare debebat fœnerator, huic obligationi vim & effectum denegat, tutus quoque in conſcientia eſt, qui hoc Sᶜto utitur contra improbos tales creditores, ſive fœneratores. Vnde etiam fluit, non valere renunciationem à filiofam. factam. *arg.* l. 7. §. 14. ff. *de pact.* etiamſi fuerit iurata. l. 7. §. 16. ff. *de pact.* quia immediatè eſt contra publ. utilitatem. l. 5. C. *de legib.* In hoc jus Canonicum juri civili derogat, ſtatuens, omne juramentum, quod abſque æternæ ſalutis diſpendio ſervari poteſt, eſſe ſervandum.

TH. 4. Huius Sᶜti Maced. beneficio gaudent filiusfam. (a) huius heredes, (b) pater, & fidejuſſor. l. 9. § 3. *&* 5. ff. h. t.

(a) d. l. 1. *pr. &* §. 1. Licet in dignitate ſit conſtitutus. d. l. 1. §. 3. etiamſi Conſul ſit, quia dignitas à patria ſolum poteſtate liberat, quoad odioſa, non verò quoad favorabilia. *Nov.* 81. c. 2. l. 5. *in fin. ff. de his qui ſunt ſui, &c.* idem quoque de Nobili dicitur, quia nobilitas nō eſt patriæ poteſtatis ſolvēdæ modus.

(b) Si filiusfam. deceſſerit. l. 7. §. 10. l. 9. §. 3. ff. h. t.

TH. 5. Hoc Sᶜtum Maced. ceſſat, [1] quando mutuum dedit pupillus. l. 3. §. 2. ff. h. t. vel minor. l. 11 *in fin.* ff. *de minor.* quando [2] mutuo accipiēs eſt ſui iuris. l. 1. § 1. l. 3. §. *ult.* ff. h. t. quando [3] filiusfam. ſimulans ſe patremfam. ex iuſta ignorantia pro tali habetur, quia talis communiter exiſtimabatur. l. 3. *pr.* ff. h. t. vel quod ſe talem ſimulavit. l. 1. C. h. t. Si [4] quis accipit mutuum, ut liberet eum, qui per exceptionem (ſc. majorē 25. annis) ſummoveri non poteſt. l. 7. §. 14 ff. h. t. Si [5] filiusfam. ſit paterfam. factus, agnovitque debitum. l. 7. § *fin.* l. 9 *pr.* ff. l. 2. C. h. t. hoc modo ſolutum repetere non poteſt, quod ipſum debitum naturale præſupponit, licet civiliter ſit indebitum, quando [6] filiusfam. patris voluntate mutuam accipit pecuniam. Illud factum eſt, quando pater (1) ſcivit, & non continuò contradixit. l. 12. *&* l. 16. ff. h. t. vel (2) iuſſit. d. l. 12. vel (3) in eius utilitatem pecunia mutua eſt verſa. l. 7. §. 2 *&* 12. vel (4) eo ſciente filius eſt negotiatus. d. l. 7. §. 11. vel (5) in id, ad quod pater ex pietate tenebatur pecunia eſt impenſa. d. l. 7. §. 15 ut alimenta, &c. l. 3. §. 3. ff. *in rem verſo.* Si [7] caſtrenſe, vel quaſi habeat peculium, ſi talia habuerit, tunc uſque ad quantitatem eius ceſſat hoc Sᶜtum; quia filijfam. in ijs patrum vice funguntur. l. 1. § *fin.* l. 2. ff. h. t. Si [8] ſit miles. l. 2. ff. h. t.

TH. 6. Cauſa huius Sᶜti Maced. principalis eſt fœneratorum odium; hi enim hoc Sᶜto coërcentur publ. utilitatis cauſa. l. 1. h. t. ut eorū fraudes vitari poſſint. Minus principalis eſt parentum favor, id eſt, ne filijfam. à fœneratoribus continuò vexati, nec habentes, unde ſolvant, parentum vitæ inſidias ſtruant, quo ipſorum bona acciperent, ſicque creditoribus ſatisfacerent.

LIBER DECIMVS QVINTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De peculio.

Iung. lib. 4. tit. 26. C.

Th. I. Pavlo ante in genere expoſitum, Parentes & dominos per liberos & ſervos in poteſtate exiſtentes poſſe obligari. Subjicitur nunc in ſpecie, de actionibus illis, ſeu potius de actionum qualitatibus, quibus ex liberorum, vel ſervorum contractu prædictæ perſonæ conveniri poſſunt.

Th. 2. Illorum ſunt tres, [1] actio de peculio, [2] de in rem verſo, & [3] quod iuſſu. Circa actionem peculij, de qua in hoc titulo tractatur, videndum eſt breviter, quid ſit peculium, & quotuplex, item quid ſit actio, & quomodo ex peculio in ſuperiores perſonas detur.

Th. 3. Actio de peculio (a) eſt actio in perſonam, (b) debitum ex peculio filijfam. (c) profectitio, vel adventitio (d) vel ſervi (e) perſequens.

(a) *Peculium* denotat [1] omne patrimonium etiam liberi hominis, l. 16. ff. *ad SCtum Trebell.* [2] patrimonium puſillum, l. 5. §. 3. ff. h. t. [3] quod præſidij cauſa ſeponitur, l. 79. §. 1. ff. *de leg.* 1. [4] rem mulieris paraphernalem, l. 9. §. 1. ff. *de jur. dot.* [5] quod filiusfam. à jure, dominioque patris habet ſeparatum, l. *ult. pr.* C. *de inoff. teſtam.* (6) quod filiusfam. aut ſervus à rationibus paternis, vel dominicis ſeparatum habet, deducto eo, ſi quid patri, aut domino debetur, l. 5. §. 4. l. 6. 7. ff. h. t. (7) univerſitatem eorum, quæ filiusfam. vel ſervus à paternis vel dominicis rationibus habet ſeparata, l. 4. ff. h. t. & ita hic accipitur: in peculio enim omnes res eſſe poſſunt, & mobiles & ſoli, corporales & incorporales; item peculium eſt quædam univerſitas, conſtans ex varij plerumque generis rebus, l. 56. ff. *de* R. V. l. 32. §. *ult.* l. 40. ff. h. t.

(b) l. 21. §. *ult.* ff. h. t.

(c) Quod eſt paganum, vel militare, ſeu caſtrenſe, l. fin. C. de inoffic. teſtam. Peculium paganum ſubdividitur in profectitium & adventitium, §. 1. *Inſt. per quas perſ. cuique &c.* Profectitium eſt, quod filiusfam. ex ſubſtantia patris eo ſciente & permittente habet, d. §. 1. ad quod ſequentia 4. requiruntur, (1) ut conſenſu patris (idem eſt in domino) ſive expreſſo, l. 4. *pr.* §. 2. h. t. ſive tacito, l. 49. *pr.* h. t. ſit traditum, l. 8. ff. h. t. & quidem (2) filiofam. (aut ſervo) l. 182. ff. *de* V. S. hoc (3) modo ut ſeparatim ab alijs rebus, ſive mercibus paternis (dominicis) id adminiſtret, & ſeorſim in eo negotietur, l. 4. *pr.* & denique (4) ut ex re patris, non aliunde obvenerit, §. 1. *Inſt. per quas perſ. cuique, &c.* quod ſpeciale hodiè eſt in peculio filijfam, quia olim omne eius peculium ex re patris proficiſcebatur, cum omnia, undicunque filiofam. obvenientia, pleno iure patri acquirebantur, quapropter etiam hoc non eſt expreſſum in deſcriptione Tuberonis, l. 5. §. f. ff. h. t. Peculium adventitium eſt, quod aliunde eſt & extra cauſam militiæ armatæ, togatæque filiofam. obvenit, d. §. 1. Eſtque plenum vel minus plenum. In illo filiusfam. plenam habet proprietatem, videl. in duobus caſibus, (1) ſi filiusfam. heres inſtitutus contradicente patre hereditatem adierit, l. *fin.* §. 1. C. *de bon. quæ liber.* (2) ſi filiusfam. ex voluntate teſtatoris expreſſâ, ne patri uſumfructum cedat, legatum acceperit, *Nov.* 117. c. 1. In hoc (minus pleno) pater uſumfructum habet, l. 1. *&* 2. C. *de bon. mater.* l. 1. 4. C. *de bon. quæ liber.* Peculium caſtrenſe eſt tale verè, vel quaſi. Peculium verè caſtrenſe eſt, quod à parentibus, vel cognatis filiofam. in militiam eunti donatum eſt, vel quod ipſe filiusfam. in armata militia acquiſivit, quod niſi militaſſet, acquiſitum non fuiſſet, l. 11. ff. *de pecul. caſtr.* Peculium qſ. caſtrenſe eſt, quod filiusfam. ex militia togata, ſive publ. officijs in quibus cuivis inſervire tenetur, acquirit. d. l. *fin.* C. *de inoffic. teſtam.* notandum hic, peculium caſtrenſe & qſ. caſtrenſe huc non pertinere, quia in utroque filiusfam. eſt plenus dominus.

(d) Sc. minus pleno, reſpectu uſusfructus patri acquiſiti.

(e) §. 4. *Inſt. quod cum eo, &c.*

TH. 4. Actio de peculio propter filijfam. vel ſervi contractum (a) datur.

(a) Qui poteſt eſſe mutuum, l. 9. ff. *quod cum eo, &c.* commodatum, l. 3 §. 4. *commod.* pignus, l. 13. ff. *de condict. indeb.* depoſitum, l. 5. *pr.* ff. h. t. emptio, l. 2. §. 2. l. 11. §. 7. *&* 8. ff. h. t. venditio, d. l. 11. §. 7. *&* 8. locatio, l. 52. §. 9. ff. *de furt.* conductio, l. 12. ff. *de inſtit. act.* ſocietas, l. 9. *pr.* ff. *de compenſ.* mandatum, l. 12. §. 4. *&* 5. ff. *mand.* fidejuſſio, l. 94. ff. *de ſolut.*

TH. 5. Actionem de peculio inſtituere poteſt, qui cum filiofam. vel ſervo negotium geſſit. l. 1. § 3. *&* 4. ff. h. t.

TH. 6. Actione ea conveniri poteſt pater, §. 10. *Inſt. de action.* vel dominus, qui peculium conceſſit, d. §. 10. & hic talis eſt verè, vel fictè, vel domini loco eſt, ut fructuarius, uſuarius, l. 1. §. *ult.* l. 2. *pr.* ff. h. t.

TH. 7. Pater & dominus tenentur in tantum, quantum peculij vires patiuntur, eo enim uſque pater creditur probare contractus, l. 46. h. t.

TH. 8. Hodie huic actioni non eſt locus de peculio, quia filijfam. contrahentes per ſe obligantur, quia ratione negotiationum, quas patris conſenſu exercent, intelliguntur emancipati, quare contra patrem hoc nomine nulla competit actio.

TITVLVS II.

Quando de peculio eſt actio annalis.

TH. I. ACTIO de peculio eſt perpetu, (a) quamdiu ſc. manet peculium, eo vero extincto (b) eſt annalis. (c)

(a) Quamdiu ſervus, vel filiusfam. eſt in poteſtate, tamdiu perpetuo durat, l. 1. & t. t. ff h. t.

(b) Peculium filijfam. extinguitur (1) eiuſdem morte, d. l. 1. §. 3. (2) emancipatione, vel alia iuris adoptione, d. l. 1. §. 4. (3) ademptione peculij, l. 16. ff. *de pecul.* Servi v. peculium extinguitur (1) nuda domini voluntate, l. 16. ff. *de pecul.* (2) vel ſervi damnatione, l. 1. C *de bon. proſcript.* vel alienatione, d. l. 1. §. 3. vel manumiſſione, vel aliâ libertatis datione, l. *ult.* ff. h. t. vel morte, d. l. *ult.* (3) finito peculij uſu, vel uſufructu, d. l. 1. §. *pen.*

(c) Stricto iure, extincto peculio extinguebatur etiam de peculio actio, l. 40. §. 1. ff. *de pecul.* quod Prætori videbatur perquam durum & iniquum, quia creditores iuſtam ignorantiam habere poſſunt ſolutæ poteſtatis, ideo annum ijs adhuc largiebatur pro debito ſuo conſequendo ex iuſtitia benigna, l. 1. §. 3. h. t.

TITVLVS III.

De in rem verſo.

Iung. libr. 4. tit. 26. C.

TH. I. ACTIO de in rem verſo eſt actio in perſonam, debitum ex filijfam. aut ſervi contractu, quo in rem patris, vel domini eſt verſum, perſequens, §. 4. *Inſt. quod cum eo, &c.* l. 1. ff. h. t.

TH. 2. Actio hæc datur ei, qui cum filiofam. vel ſervo contraxit,

qui probare tenetur in rem verſum, d. §. 4. d. l. 1. eiuſque heredibus, quia eſt ex contractu.

TH. 3. Ea actione conveniri poteſt pater, vel dominus, (a) in quorum rem verſum eſt. (b)

(a) l. 1. ff. *quod cum eo, &c.* d. §. 4. l. 1. 3. 10. §. 4. ff. l. 12. C. h. t. qui ex filij, vel ſervi contractu eatenus damnantur, quatenus in rem ſuam eſt verſum, puta neceſſario, vel utiliter.

(b) d. §. 4. id eſt, impenſum neceſſario (e. g. ſi filiusfam. mutuans pecuniam creditoribus ſolverit, aut ædificia ruentia fulſerit, aut frumentum familiæ emerit, &c. d. §. 4.) vel utiliter, l. 5. *pr.* §. 2. l. 20. *pr.* ff. h. t. debet autem eo animo eſſe impenſum, ut pater, vel dominus fiat locupletior, l. 6. 7. §. 5. ff. h. t. ſive ut res eorum fiat melior, aut non deterior, l. 3. §. 2. ff. h. t. ſi ſaltem eum in finem comparatum, vt in rem verteretur, competit actio, licet caſu utilitas ſit interverſa, d. l. 3. §. 7. 8. h. t. ſi vero filiusfam. ſuum principaliter gerens negotium, patrem fecerit locupletiorem, actio huius tituli non datur, l. 10. §. *fin.* ff. h. t. non etiam datur actio ea, ſi ad voluptatem ſit impenſum, d. l. 3. §. 4. ff. h. t. niſi volente patre, vel domino id factum ſit. d. l. 3. §. 6.

TH. 4. Petitur actione illa, ut pater, vel dominus totum, (a) vel de peculio, vel de ſuo præſtet. (b)

(a) d. §. 4. *Inſt.* id quod in eius utilitatem verſum.

(b) Si non eſt peculium, aut id non ſufficit, l. 1. *pr.* & §. 1. ff. h. t. actio igitur de in rem verſo eſt ſeparata, quando filiusfam, vel ſervus nullum habet, habuitque peculium, vel habuit quidem, ſed illud eſt extinctum, d. l. 1. §. 1. l. 10 §. 3, l. 19. *in fin.* ff. h. t. Adjectio veró & quaſi ſequela eſt prædicta actio, ſi peculium ſubſit, actioque de eodem nondum ſit finita, quo caſu utilius eſt agere actione de peculio.

TH. 5. Actiones de in rem verſo, & quod iuſſu hodiè utiliter dantur, ſi homo ſui iuris gerat negotium in utilitatem alterius, vel eius iuſſu, l. 17. ff. *ad SCt. Maced.*

TH. 6. Corollarij loco. Duo ſunt veluti principia & cauſæ, unde dominus, vel pater ex ſervi aut filijfam. contractu obligantur, [1] voluntas eorum, [2] eorum utilitas. Voluntas eſt, vel expreſſa, vel tacita; illa eſt vel generalis, ut quæ ex officij commiſſione oritur, unde actio exercitoria & inſtitoria, & de peculio; vel ſpecialis, unde Tributoria; hæc veró (tacita,) unde actio quod iuſſu. Ex utilitate, vel lucro domini deſcendit actio de in rem verſo, ipſi quoque æquitati innixa, *arg.* l. 32. ff. *de R. Cred.* ne alter contra moralia principia cum alterius damno fiat locupletior. Idcirco pater vel dominus perinde obligatur & convenitur, ac ſi cum ipſo potius eſſet contractum, l. 1. *pr.* ff. h. t.

TIT. IV.

TITVLVS IV.

Quod juſſu.

TH. 1. ACTIO quod iuſſu eſt actio in perſonam debitum ex contractu filij, vel ſervi, iuſſu (a) patris, vel domini (b) inito perſequens.

(a) l. 3. ff. §. 1. *Inſt. quod cum eo.* Iuſſus autem ſumitur [1] ſtrictè & propriè pro conſenſu, qui actum præcedit, & cum imperio conjunctus eſt, *pr. Inſt. de nupt.* l. 25. §. 4. ff. *de acquir. vel amitt. hered.* atque ſic à ratihabitione, quæ negotium ſemper concomitatur, differt. [2] Latè pro quacunque voluntate, ſive ea præcedat, ſive ſubſequatur, ſive concurrat, l. 1. §. 2. 3. 4. 5. l. 2. ff. h. t. l. 3. ff. *quod cum eo*, *l. ult. C. ad SCtum Maced.* & ita hîc accipitur.

(b) Qui non eſt pupillus, l. 1. §. 7. vel minor, vel non ſanæ mentis, d. l. 1 §. *fin.*

TH. 2. Actio hæc ab eo inſtitui poteſt, qui cum filiofam. vel ſervo juſſo (a) contraxit. (b)

(a) l. 1. *pr.* l. 2. §. 1. l. 5. §. 2. ff. h. t.

(b) Non verò obligationem diſſolvit, l. *pen. ff. de acceptil.* nec, ſi pater fidejuſſerit, actio hæc datur, l. 1. §. 5. ff. h. t.

TH. 3. Agi autem poteſt adverſus patrem, vel dominum, qui iuſſit, l. 1. *pr.* quia quodammodo cum eo contrahitur, qui jubet ob conſenſum eius, contractum, antecedentem, vel concomitantem, vel concurrentem; unde hic contractus à ſervo, vel filiofam. juſſu patris, vel domino initus ita ſe habet, tanquam principaliter cum ipſo domino, vel patre negotium eſſet geſtum, l. 29. ff. *de R. Cred.*

TH. 4. Et datur actio illa ad id, ut pater, vel dominus ſolvat ſolidum, d. l. 1. *pr.* ff. h. t.

TH. 5. Iure Civili mandans cum eo non contrahit, cum quo mandatarius negotium gerit, ſed iure Prætorio & naturali, ex hoc enim alieno negotio ſervi, vel filijfam. dominus, paterve obligantur.

TH. 6. Hodie ſumma huius tituli eſt utilitas, quod iuſſu quid geſtum in tertij emolumentum.

LIBER DECIMVS SEXTVS.

TITVLVS PRIMVS.

Ad Senatuſconſultum Vellejanum.

Iung. lib. 4. tit. 29. C.

TH. 1. ANTECEDENTIA de prima qualitate, quæ oriuntur ex negotiatione & iure poteſtatis, ſeu ex eo, quod quis per alium neceſſario obligatur, ſufficiant. Subjicitur ſecunda, quæ eſt ex eo, quando quis pro alio obligatur, quæ contingit in perſona mulieris, pro alio intercedentis.

TH. 2. Licet regularirer pro alio intercedendo obligemur, fœmina tamen excipitur, quia fœmina per Sčti Vellejani diſpoſitionem intercedere (id eſt, veterem mariti, vel alterius obligationem communicativè, (a) & tranſlativè, ſive privativè (b) recipere, novam etiam ſuſcipere) prohibetur.

(a) Illud fit, quando fœmina fidejubet pro alio, l. 3. C. h. t. [2] mandat alicui pecuniam credi, l. 6. 7. *&* 19. ff. h. t. [3] ſe pro alio ſoluturam conſtituit, l. 1. §. 1. ff. de conſtit. pecun. vel rem ſuam, aut ſibi obligatam pro alio obligat, l. 5. 7. 12 C. h. t. [4] in arbitrium alieno nomine compromittit, l. 32. §. 2. *de recept. arbitr* [5] pro alio in jure reſpondet. l. 26. ff. h. t.

(b) Iſtud fit [1] per novationem voluntariam, l. 8 §. 8. ff. h. t. [2] per litis conteſtationem pro alio factam, l. 2. §. *ult.* ff. h. t. l. 2. C. *de pact.* l. 11. ff. *de novation.*

(c) Hoc fit, quotieſcunque fœmina ſe ab initio ream conſtituit pro alio, cum quo quidem creditor aliàs erat contracturus, ſed is jam fidem mulieris ſequi maluit & prohibetur, l. 8. §. 14. ff. h. t. l. 4. ff. *eod.*

TH. 3. Sčto Vellejano fœminis (a) pro alijs intercedentibus, (b) ita ſuccurritur, ut creditori actio denegetur, (c) vel exceptio detur. (d)

(a) Earumque heredibus & fidejuſſoribus, l. 19. §. *ult.* l. 20. l. 16. §. 1. ff. h. t. imó & procuratoribus, l. 30. §. 1. ff. h. t. eique, qui pro ipſis pignus dedit, l. 2. ff. *quæ res pign.* quia totam obligationem lex improbat. l. 16. §. *ult.* ff. h. t.

(b) Sive ſemel, ſive multoties intercеſſerint.

(c) Si videl. de interceſſione liquido conſtat, l. 2. §. 1. l. 16. ff. l. 2. 3. § *fin.* C. h. t. *Nov.* 134. *c.* 8. *auth. ſi qua mulier*, C. h. t. ſive publicum, ſive privatum ſit.

(d) Si de interceſſione dubitetur, l. 8. §. 2. ff. h. t. l. 40 ff. *de condict. indeb.* Hodiè mulieri datur exceptio, & condictio indebiti, tunc per modum exceptionis actio elidi poteſt, *Nov.* 134. *c.* 8. Illa datur, ſi nondum ſolvit, ſed promiſit intercedendo. Hæc verò datur, ſi ſolvit, quâ illud, quod dedit tanquam indebitum condicit; quia SCtum ſc. Vellej. omnem mulieris obligationem improbat, l. 40. *de condict. indeb.* qua differt à Senatuſconto Macedon.

TH. 4. Cauſa huius SCti [1] *naturalis* eſt ſexus imbecillitas & imprudentia, ne propterea damnum patiatur in re familiari, l. 2. § 1. h. t. [2] Civilis, quod intercedere ſit officium virile, ac mulieribus damnoſum, d. l. 2. §. 1. Excipe, niſi [1] mulieres renuncient SCti Vellejani beneficio [2] niſi decipiendi animo intercedant, &c.

TH. 5. Licet beneficium SCti Vellejani finaliter propter ſexus & muliebris conſilij fragilitatem, in ipſius favorem ſit introductum, poteſt tamen huic beneficio renunciari, nec officit SCtum Macedonianum, ob ſexus imbecillitatem quoque eſſe conſtitutum cui renunciari non poteſt; quia hoc principaliter & finaliter fuit introductum in odium fœneratorum, adeoque directo boni publici cauſa, ne filiorumfam. mores creditâ pecuniâ corrumpantur, quod ne fiat, publicè intereſt; unde & odioſum dicitur, *in* l. 40. ff. *condict. indeb.* eiuſque contra bonos mores & utilitatem publicam renunciatio eſſe non poteſt. Hoc verò SCtum Vellejan. principaliter in favorem mulierum eſt introductum, ne inconſultis interceſſionibus propter ſexus imbecillitatem decipiantur, ſive jacturam bonorum patiantur, l. 1. *&* 2. §. 2. ff. h. t. unde & tota obligatio improbatur, l. 16. h. t. l. 23. C. *eod.* atque favorabile eſt, non odioſum, d. l. 40. ad publ. utilitatem, tendens ſaltem per indirectum.

TH. 6. Si cum muliere alius, qui obligari poteſt, interceſſerit, is in ſolidum obligatur, l. 48. ff. *de fidejuſſor.* hic enim alius non habet beneficium diviſionis, cum ſcire potuerit, aut ignorare non decuerit, mulierem fruſtra intercedere, l. 48. *pr.* ff.

TH. 7. SCtum Vellejanum obſtat creditori ei, cui fœmina ſe pro alio obligavit, (a) eiuſque heredibus, l. 7. §. 1. ff. *de except.*

(a) Quando ſcivit fœminam intercedere, ſecus ſi id ignoravit, l. 4. 11. 19. §. *ult.* l. 27. ff. h. t.

TH. 8. Creditor tamen actione priſtina, (a) vel reſtitutoria (b) contra debitorem veterem, vel actione utili (c) agere poteſt.

(a) Si illa non fuit ſublata, l. 1. §. *fin.* l. 24. §. 3. ff. l. 23 §. 1. C. h. t.

(b) Si priſtina per novationem fuit tranſlata, l. 8. §. 7. 9. 10. §. 13. ff. h. t. hæc tamen reſtitutio non venit ex cauſis reſtitutionum ordinarijs, de quibus, *in* l. 2. *& ſeqq. de in integr. reſtit.* ſed ex clauſula generali, ſi qua mihi iuſta cauſa eſſe videbitur. l. 2. § 1. ff. *ex quib. cauſ. maj.*

(c) Si fœmina initio novam pro alia recepit obligationem (hæc nova obligatio in alterius perſona non conſiſtit) tunc enim datur in eum, cuius cauſa fœmina contraxit, actio, d. l. 8. §. *pen.* l. 10. ff. h. t. & hoc caſu obligatio magis inſtituitur, quam reſtituitur, d. l. 8. §. *pen.* modò conditio perſonæ, pro qua nova obligatio eſt, non repugnet, d. l. 8. §. *ult.* e. g. pupillus, vel minor 25. annis.

TH. 9. Sctum Vellejanum ceſſat, vel ob factum mulieris, (a) vel favorem rei in obligationem deductæ, (b) vel conditionem perſonæ. (c)

(a) Vt ſi fœmina callidè & doloſè interceſſerit, & creditorem deceperit, negotium ſuum mentita, l. 4. 11. 12. 30. ff. h. t. [2] ſi pretium pro interceſſione acceperit, & hoc ſolenni ſcriptura probetur, l. 23. C. h. t. [3] ſi poſt biennium à die interceſſionis creditori iterum caveat pro alio, non verò pro marito, l. 22. C. h. t. [4] ſi intercedat renunciando (ſe exceptione Scti Maced. non uſuram) l. *ult.* § *pen.* ff. h. t. Exempla renunciationis habentur in matre & avia, tutelam liberorum ſuſcipientibus. Auth. matri & aviæ C. quando mulier. Renunciatio Scti Vellejani eſt extraiudicialis, vel iudicialis. Si extra judicium renunciaverit huic beneficio, requiritur, ut de illo ſpecialiter, & nominatim fuerit edocta, quia ignorantiæ in muliere eſt præſumptio, nec rei ignoratæ poteſt eſſe remiſſio, l. 1. §. *fin.* ff. *de edendo*, ideo remiſſionem à muliere eſſe factam, ab altera parte per inſtrumentum à notario ſcriptum, eſt probandum, quia remiſſio eſt facti. *Gail.* 2. *obſ.* 77. Si verò iudicialis, id eſt, ſi coram Magiſtratu facta ſit renunciatio, probatione non eſt opus, quia mulierem in iudicio ſpecialiter fuiſſe edoctam præſumitur; in iudicio enim omnia rectè & ſolenniter facta præſumuntur. *arg.* l. *ſicuti in fin.* ff *de re. jud.* c. *quoniam. Extr. de probat.*

(b) Vt ſi interceſſio facta ſit pro dote l. *ult.* C. h. t. l. *libertate* l. *pen.* C. h. t.

(c) Si [1] apud minorem, cuius debitor non eſt ſolvendo intercedat, l. 12. ff. *de minorib.* [2] pro marito, nec iterata interceſſio valet; ad hanc enim mulier facilè induci poſſet à marito propter amorem, etiam propter metum & reverentiam ad renunciationem duplicem, vel frequentiorem cogi poſſet. E. generaliter ſtatuitur, ſi mulier mariti obligationi conſentiat, propriamque pro marito ſubſtantiam, aut ſe ipſam obliget, nullatenus valeat, ſed ita ſit, ac ſi neque factum neque ſcriptum eſſet. Excipe, niſi manifeſtè

probetur, pecuniam in mulieris utilitatem eſſe impenſam. In nonnullis tamen Germaniæ locis hoc ius de interceſſionibus mulierum pro maritis ſuis valdè eſt immutatum, præprimis ubi mercatura & negotiationes ſunt in flore. Hinc etiam Norimbergæ limitatur *Auth. ſi qua mulier.* C. h. t. ut pro marito facta interceſſio valeat, dummodo adhibiti fuerint duo Senatores, vel duo ex propinquis Conjugis tanquam teſtes. Simile de Lubeca habet *Magnif. Dn. Mav. de iure Lub. l. 1. tit. 10. art. 1. n. 74.*

TH. 10. In illuſtribus fœminis, quæ regnis aut territorijs præſunt, majeſtatemque, vel regalia habent, Sc̃ti Vellej. beneficium ceſſat, teſte *Magnif. Dn. Tabor. in not. ad Colleg. argent. h. t. th. 5.*

TITULUS II.

De Compenſationibus.

Iung. lib. 4. tit. 31. C.

TH. 25. HUC uſque de actionum (mutui, commodati, & pignoratitia, &c.) qualitate, quę ab obligatione dependet, expoſuimus; ſequitur nunc altera, quæ à ſolutione, vel facto ſolutioni ſimilis deſumitur, putà compenſatione, quæ in iudicio oppoſita actiones ipſo iure minuit. §. 30. *Inſt. de Act.* & ita etiam qualificat, vel alterat, recteque ante titulum de depoſito, in quo locum non habet. l. *fin.* C. h. t. ponitur & explicatur.

TH. 2. Compenſatio (a) eſt debiti, (b) & crediti (c) inter ſe mutua contributio. (d)

(a) Hæc [1] dicitur latiſſimè pro adæquatione rerum, quæ quocumque modo inter ſe comparationem aliquam habent. Hoc modo, eſt lucri & damni compenſatio in ſocietate. §. 2. *in fin. Inſt. de ſociet.* [2] latè, quamvis adæquationem, deductionem & retentionem debiti cum alio debito ſignificat. l. 1. C. *rer. amot.* l. 6. C. *de R. V.* l. 7. §. 5. l. 24. §. 6. ff. *ſolut. mat.* l. 39. ff. *de pign. act.* & in hoc ſenſu compenſatio continet retentionem temporalem & perpetuam. Retentio temporalis eſt, quâ res retenta aut loco pignoris tantum eſt. l. 18. & l. 39. ff. *de pign. act.* l. 26. §. 4. ff. *de condict. indeb.* aut ad certum tempus rem debitam efficit. l. 5. ff. *de imp. in res dot.* Perpetua verò retentio eſt, quæ vim atque effectum ſolutionis habet. l. 4. C. h. t. d. l. 28. *pr.* & proinde ad ſolutionis ſimilitudinem liberat perpetuò. l. 2. ff. h. t. debitumque, vel omnino tollit, aut ſaltem minuit, hæc retentio differt à compenſatione propriè dicta (quicumque enim compenſat, is retinet, aſt

non vice verſa, id eſt, non omnis, qui retinet compenſat) quâ opponendo exceptionem doli mali, vel in factum quis rem alienam quamlibet legitima ex cauſa detinet, uſque dum id, quod ratione eiuſdem rei debetur, ipſi ſolvatur. l. 14. ff. *de dol. mal. except.* l. 14. §. 1. *Comm. divid.* l. 48. *R. Vind.* Cauſa autem retinendi, vel (1) eſt pignus in iſta re conſtitutum. *t. de pign. & hypoth.* (2) vel impenſæ in rem à detentore factæ, vel (3) aliud commodum ac utilitas, quæ occaſione rei ab eius detentore domino obvenit. l. 7. §. 5. ff. *de reb. eor. qui ſub tutel.* vel etiam (4) damnum, quod ex re, quam tenet, alicui contigit. l. 8. *de inc. ruin. nauf.* aut imminet. l. 8. §. 1. ff. *de pign. act.* [3] Strictè, & per excellentiam accipitur pro adæquatione debitarum rerum fungibilium. d. l. 18. l. 4. ff. *qui pot. in pign.* ſive quantitatum, quæ in genere ſuo functionem recipiunt, ita ut unum pro alio alteri invito ſolvi poſſit. Ita hac ſignificatione compenſatio h. t. intelligitur.

(b) Id eſt, debitæ rei fungibilis. l. 4. 8. 11. C. h. t. quæ debetur, vel iure naturali. l. 6. *ff.* h. t. vel iure naturali & civili, non verò ſolo iure civili. l. 14. *ff.* h. t. ut ex literarum obligatione.

(c) Scilicet creditæ rei fungibilis. l. 4. 8 C. h. t.

(d) Id eſt, hinc inde loco ſolutionis legitimæ factæ computatio. *arg.* d. l. 18. & d. l. 4. quâ obligationes utrimque tolluntur. l. 7. C. *de pact.* tam à parte debitoris, quàm creditoris.

TH. 3. Debitor creditori (a) exceptionem compenſationis (b) opponere poteſt. l. 2. & 9. C. h. t.

(a) Si eum debitor viciſſim obligatum habet. l. 18. §. 1. l. *pen. ff.* l. 9. C. h. t. etiamſi ſit [1] fiſcus, vel Reſp. l. 3. C. h. t. excipe certos caſus in l. 46. §. 5. *ff. de iur. fiſc.* l. 3. & 7. C. h. t. expreſſos [2] vel pupillus. l. 11. C. h. t.

(b) Exceptio hæc compenſationis in contractibus realibus maximum habet uſum.

TH. 4. Cauſa efficiens; compenſatio oritur partim ex naturali æquitate, partim ex civili. Ex naturali quidem, quod interſit noſtra, potius non ſolvere, quam ſolutum repetere. l. 3. h. t. dolo etiam malo poſtulat, qui petit id, quod reſtituere debet. *c. dolo ad R. I. in 6.* ex civili autem æquitate, ſive ratione, ad dirimendas lites pertinet compenſatio, ne fiat per plura, quod per pauciora præſtari poteſt. l. 37. §. *in refutatorijs C. de appell. l.* 10. *C. de judic.* Hoc modo actio compenſatione minuitur.

TH. 5. Materia, ſive objectum compenſationis regulariter ſunt res fungibiles, aliàs diſtingunt Icti, inter compenſationem voluntariam, & neceſſariam; in illa ſunt res quæcumque, ſive quantitate conſiſtant, ſive non, quia ibi ſaltem voluntate contrahentium res una præſtat vicem alterius. *arg.* l. 17. C. *de ſolut.* adeoque talis compenſatio dependet ex agentium principijs. In hac (neceſſaria) ſunt res quantitatis,

ſive fungibiles, in quibus aperta paritas & adæquatio; unde regula, quantitatis cum quantitate, generis cum genere (purà eodem, non diverſo) fit compenſatio, e. g. vinum cum vino, oleum cum oleo, aurum cum auro, pecunia cum pecunia, aſt non vinum cum oleo, quia diverſum genus facit diverſitatem rerum. l. 4. *&* 8. C. h. t.

TH. 6. Forma. Compenſatio fit ipſo iure in actionibus bonæ fidei. l. 10. ff. h. t. in ſtricti iuris actionibus doli mali exceptione oppoſita; Hodie verò omnibus indiſcriminatim iudicijs ipſo iure (a) ineſt. l. 4. 5. *& l. fin.* C. h. t. ſi modo debitum in iudicio probetur. l. *pen. ff. h. t.*

(a) Id eſt, ut reus paratus ſit compenſationem facere. l. 2. h. t. objiciatque compenſationem. d. l. *fin.* & ſic reus ad concurrentem ſummam liberatur. l. 4. C. hoc tit.

TH. 7. Finis compenſationis ut præſcindantur litium occaſiones, unoque judicio negotium contributione ultro citroque factâ tranſigatur, quod alioquin pluribus iudicijs, ſive actionibus eſſet efficiendum, utque ſervetur æqualitas & æquitatis ratio.

TH. 8. Effectus, quem ſupra indicavimus, eſt; per compenſationem ipſo iure actiones minuuntur. d. §. *in bonæ fidei* 30. & eſt loco ſolutionis. l. 4. C. h. t.

TH. 9. Illa exceptio locum habet in quacumque actione, ſive in rem ſit, ſive in perſonam. d. §. 30. *Inſt. de act. l. ult.* C. h. t. excipe actionem depoſiti. d. l. *ult. in fin.* ne prætextu compenſationis depoſitarum rerum quis exactione defraudetur. d. §. 30.

TH. 10. Exceptio compenſationis ſtrictè dictæ competit, ſi [1] res ſub uno, non diverſo genere continetur, [2] ut eiuſdem qualitatis, ſive bonitatis ſit, e. g. vinum Rhenanum novum, cum novo, vetus, cum veteri, & (3) ut ſit fungibilis. l. 4. 8. 11. C. h. t. *arg.* l. 2. §. 2. l. 6. ff. *de R. Cred.*

TH. 11. Requiritur etiam [1] ut debitum certum, ſive liquidum, (a) & [2] purum (b) ſit, & [3] ut utrimque debeatur. (c)

(a) Quod nimirum ex confeſſione debitoris, vel cauſa iudicati. l. 2. C. h. t. vel probatione legitima. c. 24. *Extr. de V. S. l. fin.* C. h. t. d. §. 30. *I. de act.* ut inſtrumentis, vel teſtibus patet.

(b) Vt ſit purum & ſtatim exigibile, unde [1] in diem, vel conditionem delatum compenſari nequit. l. 7. h. t. niſi dies ſolum humanitatis gratia ad ſolvendum indulta. l. 16. §. 1. *ff.* h. t.

(c) Sive ut is, qui convenitur, illi ipſi, qui ipſum convenit, viciſſim debeat. l. 18. §. 1. l. *pen.* h. t. l. C. *eod.* nihil autem refert, an ex eadem cauſa,

(ut ſi uterque ex mutuo ſit obligatus) vel ex diſpari cauſa ſibi invicem ſint obſtricti. e. g. ſi is qui pecuniam alteri credidit, huic viciſſim ex emptionis & vend. contractu ad pretium ſolvendum ſit obligatus. l. *ult.* C. h. t. modo utrique ſuperiora adſint requiſita.

Th. 12. Compenſationi locus eſt, ſive ex contractu, ſive ex maleficio agatur, dum tamen civiliter. l. 10. *pr.* ff. h. t. hinc vulgatum illud: dolum cum dolo, delictum cum delicto compenſari. *l. ſi ſuo ff. de dol. mal l.* 39. *viro ff. ſolut. matr.* In publicis verò delictis, ubi non privatorum jus, ſed publica vindicta ad coërcenda maleficia ſpectatur, non admittitur compenſatio, ſed utrumque ſontem ſuæ manent pœnæ. l. 1. §. *qui hoc dicit, l. ſi uxor.* 12. ff. *de adulter.*

Th. 13. Quæritur, an iurans ſe ſoluturum compenſare poteſt? Reſp. diſting. vel tempore iurisjurandi adfuit mutuum debitum, vel non; illo caſu rectè compenſat, quia paria ſunt ſolvere & compenſare. l. 4. ff. *qui pot in pign.* hoc caſu iurans, non compenſat, quia de eo non potuit cogitare propter materiam ceſſantem, atque ſic iuramentum ad incogitata extendi nequit (cum debitum non adfuerit mutuum.) E. compenſationem excluſiſſe intelligendus eſt, qui ſe ſoluturum iuravit. Aſt ſi iuravit, ſe realiter ſoluturum, tunc compenſationi non eſt locus, licet mutuum ſubfuerit debitum, quamvis enim diſpoſitione iuris paria ſint compenſatio & ſolutio, interim tamen revera differunt; quia hæc fit per pecuniæ numerationem; illa virtualiter pro tali habetur: quapropter jusjurandum ex verbis & mente jurantis eſt æſtimandum.

Titvlvs III.

Depoſiti, vel contra.

Iung. lib. 4. tit. 34. C.

Th. 1. Seqvitvr nunc ultima contractuum realium ſpecies, ſcilicet depoſitum; ex quo actio depoſiti, quæ eſt actio in perſonam (a) debitum ex depoſito perſequens. l. 1. §. 1. ff. h. t. §. 3. *Inſt. quib. mod. re. contr. oblig.*

(a) §. *rei perſequendæ* 17. *Inſt. de act.* quia eſt ex contractu.

Diviſ. 1. Th. 2. Depoſitum eſt regulare, vel irregulare. Depoſitum

tum (a) regulare eſt contractus realis, (b) quo res gratis cuſtodienda traditur ſub fide ad libitum deponentis eandem in ſpecie reſtituendi. §. 3. *quib. mod. re contr. l 1.* §. *is quoque, ff. de O. & A.*

(a) Depoſitum ſumitur aliquando pro re ipſa, quæ deponitur. l. 1. h. t. frequentius tamen accipitur pro contractu, quo res cuſtodienda deponitur, & latè atque generaliter denotat etiam illam cuſtodiam, quæ venit implicitè v. c. nautæ, cauponis, ſtabularij, qui mercedem ſolent accipere, ut trajiciant, permittantve eſſe viatores in caupona, vel in ſtabulo iumenta, & tenentur de cuſtodia rerum receptarum. l. 5. *naut. caup. ſtab.* adeoque ex depoſito. l. 3. §. 1. *eod.* idem eſt in cuſtodia pro mercede, vel ex mandato. l. 1. §. 9. 12. *& ſeqq.* ff. h t. ſed ſtrictius & per excellentiam eſt contractus, quo res alicui explicitè cuſtodienda traditur. d. §. 3.

(b) Qui rei traditione demum perficitur.

TH. 3. Depoſitum irregulare eſt, [1] quo rei depoſitæ uſus eſt licitus ex pacto expreſſo, (a) vel tacito (b), [2] in quo merces cuſtodiæ intervenit. l. 1. §. 9. ff. h. t.

(a) l. 24. 25. §. 1. l. 28. ff. h. t.

(b) Vt ſi pecunia non obſignata datur, non addito hoc, quod in ſpecie reddi debeat. *arg.* d. l. 24. l. 7. 8. C. *eod.*

Diviſ. 2. TH. 4. Depoſitum eſt rei controverſæ, (a) vel non controverſæ, quod vocatur depoſitum ſimplex.

(a) Illud eſt, & dicitur ſequeſtrum; ſequeſtrum autem eſt depoſitum rei controverſæ apud aliquem tertium certa conditione cuſtodiendæ & reddendæ. l. 1. §. 44. l. 6. §. 7. ff. h. t. l. 39. ff. *de acquir. vel amitt. poſſ.* l. 110. ff. *de V. S.*

TH. 5. Sequeſtrum fit à contendentibus volentibus, (a) vel parte invita iuſſu Iudicis ex iuſta cauſa. (b)

(a) Illud dicitur voluntarium, ſive conventionale, & eſt depoſitum verum, & propriè dictum.

(b) l. 7. §. *ult. ff. qui ſatisd. cog.* Hoc vocatur ſequeſtrum neceſſarium, ſive iudiciale, & non eſt depoſitum, niſi analogicè, nec regulariter permiſſum. l. 1. C. *de prohib. ſeq. pecun.* ſed iure prohibitum, quia ab executione initium non eſt faciendum. l. 1. C. *de execut. rei iud.* nec poſſeſſio, eiuſque commodum alicui eripi debet, aut turbari. c. 1. *ut lit. pend. Carpz.* 1. c. 3. t. 1. ſed reus convincendus eſt probationibus antequam ei res auferatur, ipſa æquitate dictante, quoties verò ad ſequeſtrationem pervenitur, hoc fit extra ordinem, ut pericula & damna evitentur.

TH. 6. Iuſtæ autem cauſæ, ob quas iudici ſequeſtrum neceſſarium

eſt permiſſum, ſunt ſeqq. [1] metus dilapidationis bonorum. l. 22. §. 8. ff. *ſolut. matr.* aut interitus rei. l. 16. ff. *de offic. Præſ.* l. 20. C. *de agric.* videndum enim ne actio reddatur inanis & eluſoria. l. 6. ff. *de dol.* l. 10. C. *mand.* & procedit ex hac cauſa ſequeſtratio non ſolum in actionibus realibus, ſed & perſonalibus. l. 41. ff. *iudic.* [2] metus armorum. *arg.* l. 13. §. 3. ff. *de uſufr. ord. cam. p. 2. t. 21. §. ult.* [3] Magna fugæ ſuſpicio, præſertim in eo, qui non habet immobilia. l. 9. §. *fin. ff. qui ſatisd. cog.* [4] Malitia & contumacia partis non comparentis. c. 2. *dol. & contum.* item cautionem præſtare recuſantis. l. 20. C. *de agric. & cenſ.* Si fortè ſequeſtrationis remedium adhiberi nequit, præceptum de non alienando peti ac decerni poteſt.

TH. 7. Officium ſequeſtris eſt, rem commiſſam uſque dum lis compoſita fuerit cuſtodire, ne dolo, latave eius culpa (aliquando levi, ſi ſalarium acceperit. *arg.* l. 5. § 2. *commod.*) quid detrimenti capiat. l. 6. h. t. prædia adminiſtrare, fructus colligere, eoſque aſſervare, & quæ ſervando ſervari non poſſunt vendere, & pretium reponere. c. 1. 2. *de ſequeſtr. poſt.* finitâ verò ſequeſtratione rem cum omni cauſa reſtituere, & rationem ſuæ adminiſtrationis reddere. Notandum tamen, quod ſi illi, quorum res ſunt ſequeſtratæ, non ſatis commodè aliunde, vel ſe ſuſtentare, vel ſumptus litis ſuſtinere queant, erogandæ ſunt non tantum impenſæ ad litem, ſed & ad alimenta, ſi ſc. id res ferre poſſit, *arg.* l. 11. §. 2. ff. *ad exhib.* l. 7. §. *fin.* l. 9. C. *de iure deliber.* l. 51. ff. *de petit. hered.* l. *fin.* C. *de ord. cogn.*

TH. 8. Cauſâ efficiens depoſiti eſt conſenſus contrahentium. §. *præterea Inſt. quib. mod re. contrah.*

TH. 9. Materia, ſive objectum depoſiti propriè ſunt res mobiles. l. 1. *pr.* h. t. rerum verò immobilium ſi cuſtodia committatur, potius eſt mandatum, quam depoſitum. l. 5. §. 4. ff. *de P. V.* l. 1. §. 2. ff. *de procurat.*

TH. 10. Forma huius contractus in eo conſiſtit ut res tradatur, eum in finem, ut gratis cuſtodiatur, & cuſtodita ea ad libitum deponentis reſtituatur. l. 1. §. 9. *&* 12. l. *ult.* ff. h. t.

TH. 11. Ineunt hunc contractum deponens, qui committit rem cuſtodiendam, & depoſitarius, qui recipit.

TH. 12. Actio depoſiti eſt directa, vel contraria.

TH. 13. Actio depoſiti directa deponenti (a) ipſiuſque heredibus (b) datur.

(a) d. §. 3. *Inſt. quib. mod. re. contr. obl.* l. 19. ff. h. t. l. 11. C. *eod.* etiam prædoni. l. 31 § *fin. ff.* h. t.

(b) l. 1. §. 19. 37. 46. *ff.* l. *fin.* C. h. t.

TH. 14. Actio ea adverſus depoſitarium, id eſt, eum, qui depoſitum ſuſcepit, d. §. 3. *Inſt.* l. 5. C. h. t. eiuſque heredes datur. l. 8. C. h. t.

TH. 15. Actio illa competit ad id, ut res, quam depoſitarius accepit, (a) reſtituatur, (b) & dolus, lataque culpa, (c) & uſuræ præſtentur. (d)

(a) d §. 3. *Inſt.* l. 1. §. 5. ff. *de O. & A.* l. 10. *&* 11. C. h. t.

(b) Incorrupta. l. 1. §. 16. ff. h. t. cum acceſſionibus. d. l. 1. §. 5. l. 29. *pr.* ff. h. t. fructu, partu, & omni cauſa. d. l. 1. §. 24. ff. h. t. dantur tamen caſus, quibus depoſitarius reſtitutionem rectè recuſat deponenti, (1) ſi hic, qui depoſuerat gladium, nunc furioſus fit. c. *ne quis*, 22. q. 5. (2) ſi bona eius ob delictum confiſcata. l. 31. *pr.* h. t. (3) ſi dominus una cum fure repetat. l. 31. §. 1. ff. h. t. (4) ſi res furto ablata apud verum eius dominum deponatur; ratio eſt, quod licet ſit iuris naturalis, reddere depoſitum, variè tamen jure poſitivo determinari poteſt ratione circumſtantiarum, cum ſit ius juſto melius, & non modo ius civile, ſed & naturale admittat æquitatem. Hinc illa exſurgit conſequentia; ſi gladium quis apud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens. reddere eſt peccatum, non reddere officium; quid ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddaſne depoſitum? Non credo, facies enim contra Rempub, quæ cuilibet probo eſſe debet cariſſima. Sic multa, quæ naturâ videntur honeſta, temporibus fiunt inhoneſta & turpia.

(c) l. 23. ff. *de R. I.* l. 5. §. 2. *ff. commod.* l. 32. ff. *&* l. 1. C. h. t. non verò levis culpa hîc eſt præſtanda, quia depoſitario nulla hinc oritur utilitas. Excipe, niſi contrahentes de levi, vel leviſſima culpa convenerint. l. 1. §. 6. h. t. Contra deponens leviſſimam regulariter præſtat culpam, cum omnis in eum redundat ex hoc contractu utilitas.

(d) Ex pacto. l. 24. 26. §. 1. ff. h. t. vel mora. l. 2 3. 4. C. h. t.

TH. 16. Actio hæc regulariter eſt in ſimplum. §. 17. *Inſt. de act.* interdum tamen eſt in duplum, e. g. ſi res propter imminens ex tumultu, incendio, ruina, naufragio periculum deponitur, datur actio depoſiti contra depoſitarium, qui inficiatur, aut doloſè detrectat reſtituere depoſitum, in duplum. l. 1. §. 1. *&* 2. l. 18. ff. h. t. quod intuitu circumſtantiarum iuſtam rationem habet, quippe cum quis fidem elegit, nec depoſitum redditur, contentus eſſe debet ſimplo. Cum verò extante neceſſitate deponat, creſcit perfidiæ crimen, quod eo gravius coërcendum eſt, vindicandæ Reip. cauſâ, pernitioſum enim & grave eſt in cauſis huiuſmodi fidem frangere. l. 1. §. 4. In heredem verò, niſi & ipſe eundem commiſerit dolum, datur in ſimplum. d. l. 1. §. 1. d. l. 18. ff. h. t. reſpectu enim dupli eſt pœnalis. §. 17. *in fin. &* 26. *I. de action.*

TH. 17. Actio hæc eſt (1) bonæ. §. 28. *Inſt. de action.* l. 1. §. 17. l. 28. ff h. t. (2) rei perſecutoria. l. 7. §. 1. ff. h. t. & (3) perpetua. l. 18. ff. h. t.

TH. 18. Ex ea ob dolum condemnatus ſuo nomine fit infamis. l. 10. C. h. t. §. 2. *Inſt. de pœn. tem. litig.* quare optimo iure à collegio opi-

ficum tales arcentur iuxta Germaniæ conſuetudinem,& opificum ſtatuta, quæ legum inſtar opifices aſtringunt.

TH. 19. Actio depoſiti contraria ob dolum, (a) vel impenſas, (b) inſtitui poteſt. (c)

(a) Occaſione depoſiti dolo,vel quaſi deponentis culpa depoſitario contingens. l. 61. §. 6. ff. *de furt.*

(b) In rem depoſitam neceſſario factas. l. 8. 12. 23. ff. h. t. non verò utiles, quia officium depoſitarij non admittit utiles impenſas facere.

(c) Scilicet depoſitarius reſtituta re depoſitâ demum hac actione utitur. l. 11. C. h. t.

TH. 20. Illa igitur actio depoſitario contra deponentem datur, ad conſequendum id,quod illi ratione depoſiti abeſt. l. 5. 8. 12. l. 23. ff. h. t. ne officium illi ſuum exiſtat damnoſum. l. 7. ff. *quemadm. teſt. aperi.*

TH. 21. Actio depoſiti ex ſequeſtro voluntario orta, ſequeſtraria (a) dicitur.

(a) l. *ſi in Aſia*. 12. §. 2. *ff.* h. t. l. 9. §. 3. *ff. de dol. mal.*

TH. 22. Actio illa ſequeſtraria eſt directa, (a) vel contraria. (a)

(a) Illa victori contra ſequeſtrem competit,ut rationes reddat,& rem cum omni cauſa reſtituat. *arg.* l. 1. §. 14. ff. *depoſit.*

(b) Hæc ſequeſtri contra litigantes ob impenſas, & damna ratione ſequeſtrationis obvenientia datur.

TH. 23. Sequeſter eſt is, apud quem duo, ſponſione certantes rem certam ea lege deponunt, ut pro præmio eam tradat futuro victori. l. 17. §. 5. ff. *P. Verb.*

TH. 24. Sequeſter tantum detinet, ſive cuſtodit,non verò poſſidet. *l.* 6. ff. h. t. Excipe, niſi conventum ſit, quod ſequeſter poſſidere debeat. l. 17. §. 1. ff. h. t.

TH. 25. Hic contractus à commodato differt, quia *in illo* cuſtodia principaliter intenditur. l. 1. §. 9. *& ſeqq.* h. t. in hoc verò uſus principaliter conſideratur.

TH. 26. Sequeſtrum differt à depoſito in ſpecie dicto, [1] illud ſemper fit à pluribus,hoc etiam ab uno. l. 17. *pr.* h. t. l. 18. ff. *P. Verb.* [2] in illo unuſquiſque in ſolidum deponere videtur,ſed cùm plures communem rem deponunt,quilibet pro parte ſaltem deponit. [3] deponi poteſt purè,ſequeſtratur ſemper adjecta conditione reddendi ei, qui iudicio extitit victor. l. 6. ff. h. t. [4] ſequeſter non poteſt officium ſuum ſine iuſta cauſa deponere. l. 5. §. *ult.* ff. h. t. quod depoſitario ſimplici eſt integrum.

LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

Mandati vel contra.

Iung. lib. 4. t. 35. C.

Th. 1. EXpeditæ ſunt hactenus actiones perſonales ex contractibus nominatis realibus deſcendentes; ſubjiciuntur jam actiones eæ, quæ ex contractibus conſenſualibus naſcuntur, qui ſolo negotium gerentium conſenſu, quolibet modo expreſſo, vel declarato ineuntur & obligant, *t. t. Inſt. de obl. ex conſ.* obligatio ex illis poſtea rei, ſive facti præſtatione eſt implenda, §. 1. *Inſt. de empt. & vendit.* Exponuntur hic quatuor eorum ſpecies, mandatum, ſocietas, emptio vend. & poſtremo locatio, conductio quibus addi poteſt quinta, videl. contractus emphyteuticus, §. 3. *Inſt. de locat. conduct.*

Th. 2. Conſenſuales hi contractus, vel perſonam magis reſpiciunt, vel res. Perſonam magis reſpiciunt mandatum & ſocietas, de quibus tractatur hoc libro; qui enim negotia gerenda alicui mandat, fidelitatem eligit eius, cui mandat, & qui ſocietatem contrahit, induſtriam perſonæ reſpicit: quæ ipſa cauſa eſt, quod ſocietas morte finiatur, nec ad heredes in quibus talis induſtria non ſtatim eſt, tranſeat, §. *ſolvitur Inſt. de ſociet.*

Th. 3. Actio mandati eſt actio in perſonam, debitum ex mandato perſequens, d. §. 17. *Inſt. de action.*

Th. Mandatum (a) eſt contractus nominatus conſenſu conſtans, (b) quo dominus negotium honeſtum (c) bona fide (d) gerendum, (e) ſine mercede (f) alteri committit, & hic illud ſuſcipit, l. 10. §. 7. ff. hoc tit.

(a) Mandatum generaliter denotat alicui quid faciendum committere, atque ſic præcepta & edicta Magiſtratum, aut principum ſunt mandata, t. C. *de mand. princip. Nov.* 17. aut dominorum, aut parentum, quod aliàs iuſ-

ſus dicitur, l. 1. & t. t. ff. *quod iuſſu*. Sic etiam dicitur mandari juriſdictio, *t. t. de offic. eius, cui mand.* tutela, cura, &c. Propriè verò ut h. t. accipitur, reſtringitur ad officia inter privatos de negotijs gerendis, & ſignificat alicui negotium aliquod gerendum gratis committere; gratuitum eſt, quia ex naturali officio & amicitia originem trahit, l. 1. §. 2. ff. h. t. atque amico ſponte hoc accipienti præcipuè mandari ſolet, l. 26 §. 6. l. 27. §. 2. ff. h. t. hinc mandare nihil aliud eſt, quam fidei alicuius committere, l. 77. §. 3. ff. *de leg. 2.*

(b) *Pr. Inſt. de oblig. ex conſenſ.* l. 1. *pr.* ff. h. t.

(c) *arg.* §. 7. *Inſt.* h. t. quia facti illiciti mandatum nullam parit obligationem inter mandantem & mandatarium, l. 6. §. 3. h. t Si tamen mandatu alterius delictum perpetratum, mandans & mandatarius tenentur illi, in quem delictum commiſſum, l. 11. §. 3. ff. *de injur* l. 15. §. 1. ff. *ad L. Corn. de ſicar.* niſi parendi neceſſitate (e. g. filius patri, ſervus domino in tam illiciti mandati executione pareat) levius delictum perpetratum, l. 37. *ad L. Aquil.*

(d) l. *idemque* 10. *pr.* ff. h. t.

(e) Non geſtum, quia illud mandari non poteſt. l. 12. §. 14. ff. h. t.

(f) § *ult. Inſt.* h. t. mandatum enim niſi gratuitum in aliam negotij formam cadere; quia mercede conſtitutâ incipit locatio & conductio, d. §. *ult.* licet honorarium interveniat, ob id tamen non fit mercenarium, ſed gratuitum permanet, l. 6. ff. h. t. cum honorarium naturam contractus nominati non immutat, non enim conſtituitur ab initio ut vera merces, ſed tanquam ultronea gratuitæ operæ remuneratio extrinſecus accedit.

TH. 5. Contractum hunc ineunt [1] mandans, qui mandator dicitur, l. 10. §. 11. l. 26. l. 28. l. 60. ff. h. t. item dominus negotiorum, l. 1. de procurat. & [2] fidem dans de re mandata curanda, qui procurator vocatur, l. 7. 8. 10. 55. ff. h. t. item mandatarius.

TH. 6. Cauſa efficiens huius contractus eſt conſenſus & voluntas, l. 1. h. t. (quæ ab amicitia & fide proficiſcitur) mandantis & mandatum ſuſcipientis, l. 6. §. 1. ff. h. t.

TH. 7. Materia ſunt res omnes honeſtæ & licitæ futuræ, factas & præteritas fruſtra fieri mandamus. l. 12. §. *ſi poſt.* ff. h. t. ratihabitio tamen facti præteriti mandatum inducit, l. 60. ff. *de R. I.* l. 56. ff. *de judic.* l. 50. *pr.* h. t. c. 10. *de R. I. in 6.*

TH. 8. Forma conſiſtit in mutuo conſenſu ſuper negotio honeſto, quod quis ſuo, vel alieno nomine gerendum committit, & alter ita commiſſum ſuſcipit, l. 8. §. 1. ff. *de procurat.* unde oritur mandatarij (procuratoris) obligatio, ut ſuſceptum mandatum exſequatur, & quidem ſi indefinitum ſit mandatum, quod b. f. congruit agendum, l. 35. 46. 50. §. *fin.* ff. h. t. Si verò definitum, id eſt, fines ſint præſcripti,

illi ſunt ſervandi, l. 5. *pr.* l. 41. ff. h. t. quia contra fines mandati in domini damnum actus geſtus eſt nullus, l. 12. C. h. t. l. 19. ff. *de procurat.* l. 5. §. 3. l. 1. §. 3. ff. *de except. rei. iud.* quod ſi verò planè non exſequatur mandatum, tenetur ad id, quod intereſt, l. 27. §. 2. ff. h. t. l. 16. C hoc tit.

TH. 9. Finis mandati eſt, ut quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponatur, atque ita commune commodum mutuis officijs gubernetur.

TH. 10. Effectus eſt, ut alterum alteri ſtatim obliget.

TH. 11. Mandatum licet in mutuo officio conſiſtat, attamen non omne fit mandantis cauſa; officium enim alterius proficere poteſt ad plures utilitates. Hinc à fine dividitur, ut contrahatur [1] ſolum mandantis cauſa, (a) [2] mandantis & mandatarij, (b) [3] aliena tantum, ſc. tertij cauſa, (c) [4] mandantis & aliena, (d) [5] mandatarij & aliena, (e) [6] trium perſonarum cauſa, ſc. mandantis, mandatarij & aliena. (f)

(a) Vt ſi mandarem Titio, ut mihi 100. florenis emeret fundum, §. 1. *Inſt.* h. t.

(b) Vt ſi mandarem Titio, ut domum pro ſe & me iuſto aliquo pretio emeret. § 2. *Inſt.* h. t.

(c) e. g. ſi mandarem Titio, ut Caji negotia probè gereret §. 3.

(d) Vt ſi Titio mandarem, ut mihi & Cajo fundum certum determinato pretio emeret. §. 4. I. h. t.

(e) e. g ſi Titio mandarem, ut Cajo pecuniam ſub uſuris crederet, ſi verò ſine uſuris, aliena tantum eſſet utilitas. §. 5. *ibid.*

(f) e. g. Titio mandarem, ut pro ſe, me & Cajo fundum bonum trium, vel 4. jugerum certo conſtituto pretio emeret.

TH. 12. Atſi tua tantum gratia tibi mandarem, ſupervacuum eſſet mandatum, atque magis conſilium, quam mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati inter nos actio oritur, etiamſi non expediat ei, cui mandabatur, cum liberum cuique ſit apud ſe explorare, an ſibi expediat conſilium, *pr.* §. 6. *Inſt.* h. t. l. 2. §. f. l. 48. § *ult.* ff. h. t. niſi (1) fraudulentum ſit conſilium, ob quod licet fortè non mandati, tamen aliâ ſæpè actione quis tenetur, l. 47. ff. *de* R. I. 16. *de pœn.* l. 1. §. 3. ff. *de ſerv. corrupt.* l. 2. *in fin.* ff. *de proxen.* l. 8. l. 20. 47. l *fin.* ff. *de dol.* l. 43. §. 3. ff. *de furt.* l. 20. C. *eod.* aut (2) non ſimpliciter quis rem alteri commendaverit, l. 12. § 12. ff. h. t. Sed ſpecialiter perſuaſerit, ac induxerit, nominando videl. certam perſonam, cui fœneraret, quamvis ipſius, cui mandat, commodum principaliter intendat; is verò non fuiſſet facturus, niſi ita mandatu iſto ſingulariter inductus fuiſſet, d. §. 4. *in fin.* ff. h. t. l. 6. §. 5. *in fin.* ff. h. t. vel (3) periculum mandans in

ſe ſuſceperit, l. 32. ff. h. t.

TH. 13. Mandatum eſt generale, vel ſpeciale; illud eſt de univerſis negotijs, hoc de certo negotio.

TH. 14. Mandatum generale eſt cum liberâ, (a) vel ſine liberâ. (b)

(a) Id eſt, adminiſtratione, l. 60. §. f. ff. h. t. l. 58. ff. *de procur.* ut univerſa negotia mandatarius pro arbitrio adminiſtret.

(b) Sine liberâ mandatur cum reſtricta gerendi poteſtate, quod conſervationem tantum & adminiſtrationem reſpicit, non verò alienationem, per omnia pro arbirrio in illis negotijs diſponere queat, l. 63. ff. *de procurat.* c. 4. *de procurat. in 6.*

TH. 15. Mandatum eſt expreſſum, (a) vel tacitum. (b)

(a) Quod ex expreſſo proficiſcitur conſenſu.

(b) Quando negotium v. g. meum ab alio me præſente & non contradicente geritur, ut ſi mandatarius meus, me præſente domum meum Cajo venderet, mihique conventam pro domo pecuniæ ſummam traderet, tunc videbor ipſe Cajo domum vendidiſſe. l. 12. ff. *de evictiom.*

TH. 16. Mandatum ut conſenſu contrahitur mutuo, ita contrario diſtrahitur. §. *fin. Inſt. quib. mod. toll. obl.*

TH. 17. Mandatum finitur revocatione, (a) vel morte alterutrius, (b) vel renunciatione. (c)

(a) Si mandatum ex parte mandantis ob pœnitentiam ſolvatur, vocatur revocatio, & ſi, dum adhuc integra res ſit (id eſt, nondum à mandatario incœptum,) fuerit revocatum, evaveſcit mandatum, §. 9. h. t. l. 12. §. *pen.* ff. h. t. mandans enim ut negotium, quod ſemel mandavit, perficiatur, non obligatur; quia mandatarius, cuius nihil intereſt, an perficiatur, nec ne, non habet, quod conqueratur de negotio perficiendo, aſt ſi mandatum re non integrâ à mandante revocetur, ſolvitur nihilominus, ita ut ulterius quid geri nequeat; ratione tamen antegeſti, quam revocatum, vel ſciverit revocatum, datur actio mandati, tum directa, *arg.* d. §. 9. *Inſt.* tum contraria. l. 15. ff. h. t.

(b) Id eſt, re integra adhuc exiſtente, d. § 10. l. 15. C. h. t. ideo mortuo eo, qui mandavit, cum perſona eius mandatum, quod nondum expedire cœpit, cenſetur extinctum, arg. l. 4. locat. & poſſunt heredes nolle, ut mandatum impleatur, arg. l. 33. ff. de acquir. vel amitt. poſſ. Hinc heredes agere non poſſunt, ut mandatum exſequatur mandatarius, cum ſui iuſtam habeat cauſam mandati omittendi, d. l. 26. *pr.* ff. h. t. contra nec mandatarius illud expedire poteſt, d. l. 33. adeoque ſi poſt mortem mandantis integrum mandatum exſequatur, actionem non habebit contra heredes, l. 19. §. 3. ff. de donat. Excipe, niſi [1] impletum ſit per ignorantiam, competere actionem mandatario utilitatis cauſa dicitur, d. l. 26. ff. h. t. quod forte neſciverit mandatorem eſſe mortuum, indeque ipſi imputari nequeat, quod

de

de mente heredum, an ſc. quod defunctus mandavit, fieri velit exſecutum, nec ne, haud fuerit certus, d. § 10. l. 58. ff. h. t. Excipe (2) recte poſt mortem mandantis expeditur mandatum, quando convenerint, ut poſt obitum impleatur, de quo convenit, atque obligatus eſt ad hoc faciendum is, qui mandatum ſuſcepit, l. 18. §. 2. ff. *de donat. mort. cauſ.*

(c) Si mandatum ex parte mandatarij ob pœnitentiam reſolvatur, dicitur renunciatio, quæ omni jure eſt licita, ſi modo in tempore fiat: quamvis ſuſceptum mandatum conſummandum & implendum ſit, nec temerè promiſſum officium deſerere quis debeat, l. 27 §. 2. h. t. l. 22. §. *ult. eod.* l. 5. C. *de* O. *&* A. ante tamen, quam mandantis interſit, ſuſceptum eſſe, renunciari poteſt, ut ſc. integrum ſit mandatori, vel per ſe, vel per alium commodè expediendi, l. 22. §. *ult.* l. 27. §. 2. ff. h. t. §. 11. *Inſt. eod.* Si verò dolosè & intempeſtivè renunciaverit, ad intereſſe tenetur mandatarius iuxta naturam aliarum obligationum faciendi, l. 13. §. 1. ff. *de re jud.* Liberat tamen mandatarium iuſta cauſa (id eſt, ratione circumſtantiarum interdum liberatur, etiamſi non in tempore renunciaverit) ob quam, vel non tempeſtivè renunciavit, vel renunciare non potuit. d. l. 22. §. *ult.* l. 23. l. 24. 25. 27. §. 2. h. t. d. §. 11. *in fin.*

TH. 18. Ex mandato eſt actio directa, vel contraria.

TH. 19. Actio mandati directa datur mandanti (a) contra mandatarium, (b) in id, quod intereſt, (c) & ut dolus, culpa, (d) & uſuræ, (e) & pacta (f) præſtentur.

(a) l. 5. *&* 9. C. l. 3. §. 1. 2. l. 5. *pr.* l. 18. 27. §. f. ff. h. t. eiuſque heredi, §. 10. *Inſt.* h. t. l. 12. §. f. ff. h. t.

(b) l. 5. C. h. t. l. 5. §. 1. 2. l. 6. §. 1. ff. h. t. Si verò plures ſint mandatarij, qui in ſe mandatum ſuſceperunt, ſinguli in ſolidum obligantur, ille verò prius conveniendus, qui geſſit, *arg.* l. *ult.* C. *de divi. tutel.*

(c) l. 16. C. l. 8. §. 6. l. 26. §. 7. ff. h. t. mandatarius tenetur id omne reſtituere, quod occaſione mandati ad eum pervenit, l. 10. §. 1. 2. l. 20. *pr.* ff. h. t. licet præter mandatum egerit. d. l. 10 §. 8. l. 41. ff. h. t.

(d) Id eſt, levis, & leviſſima, l. 13. 21. C. h. t. Mandatarius in hoc contractu exactiſſimam diligentiam præſtare tenetur, ob rationes ſubſequentes, (1) *per* l. 13. *&* l. 21. C. h. t. l. 23. ff. *de* R. I. (2) propter alienarum rerum, benè & utiliter gerendarum neceſſitatem, *arg.* l. 1. §. 2. ff. *de procur.* (3) ob ſuſceptionem officij alieni ſpontaneam, ſive ultroneam, quo in ſe ſuſcepto, diligentiſſimam alienæ rei procurationem pollicetur. *arg.* l. 10. ff. h. t. (4) propter maximam fidem, qua mandatarius mandanti eſt aſtrictus. Hinc non valet communis regula, *ex* l. 5. §. 2. ff. *commod.* deducta, quod, in quo contractu ſolius dantis eſt utilitas, accipiens ſaltem obligetur ad latam culpam; quia in mandato ob ſuperiores allegatas rationes eſt exceptio à regula.

(e) l. *ad comparandas* 16. C. h. t. l. 12. C. *eod.*

(f) Quia mandatum ſua natura eſt gratuitum, cum pendeat ex officio

atque amicitia, cui contraria eſt merces, l. 1. h. t. l. 13. ff. *de* P. V. mercede verò interveniente locatio eſt, interim tamen ſi remuneratio mandatario præter conventionem fiat, honeſtè accipitur, l. 6. *pr.* ff. h. t. l. 22. ff. *de P. verb.*

TH. 20. Heredes mandatarij, ab ipſo inchoatum negotium, ſi res ita exigat, vel mandator poſcat, exſequi tenentur, l. 6. §. 6. ff. *de his qui not. infam.* l. 4. ff. *pro ſocio.*

TH. 21. Ex actione mandati directa ob dolum condemnatus fit infamis, l. 1. ff. *de his qui not. infam.*

TH. 22. Actio mandati contraria datur ei, qui mandatum ſuſcepit adverſus mandantem, (a) ad repetendum impenſas, in negotium mandatum b. f. factas, & ſi quid præterea intereſt. (c)

(a) Principaliter & primariò ex hoc contractu datur mandanti actio adverſus mandatarium. *Secundariò* verò datur mandatario contra mandantem.

(b) l. 26. §. *ult.* l. 27. §. *pen.* l. 45. §. *ſi fidej.* ff. l. 1. 2. 4. C. h. t. intellige impenſas neceſſarias. l. 11. §. *fin.* ff. h. t. ut indemnis ſervetur mandatarius.

(c) Id eſt omne, quod mandatario occaſione mandati abeſt, refundere tenetur mandator, adeoque & ad damna, dolo & quâvis culpa, licet leviſſimâ mandantis illatâ, §. 8. *Inſt.* h. t. l. 61. §. 5. ff. de furt. quod verò accidit procuratori caſu fortuito, id mandatori imputari non poteſt, l. 26. §. 6. ff. h. t. *Excipe*, niſi ex ipſo negotio mandato damnum ei eveniat, iuſtiſſimè enim tunc allegat, ſe id damnum non fuiſſe paſſurum, ſi id mandatum non ſuſcepiſſet, l. 61. §. 5. ff. *de furt.* l. 12. § 9. l. 22. §. 2. ff. h. t. l. 2. C. h. t.

TH. 23. Actio mandati eſt b. f. §. 28. *Inſt. de act.* & eſt perpetua, l. 39. §. 5. ff. h. t.

TH. 24. Corollarij loco. Sicuti contractus reales rei interventu perficiuntur, ita conſenſuales ſolo abſolvuntur conſenſu; id eſt, conſenſu conſtituuntur & perficiuntur actu primo; conſummantur v. & implentur actu ſecundo, ſc. traditione. Licet in omnibus contractibus conſenſus requiratur, l. 1. §. ff. *de pact.* in his tamen inſuper loco formæ eſt, eos ita perficiens, ut neque rei interventus deſidereтur, neque literæ, ſive ſcriptura, neque verba, nec aliud quid *t. Inſt. de oblig. ex conſenſ.* debet autem conſenſus eſſe verus, non fictus; & declaratus, vel explicitè verbis puta, literis, l. 2. de pact. l. 4. *pro ſocio* nutu, *arg.* l. 21. ff. *de leg.* 3. vel implicitè, ſeu tacitè, & virtualiter re, vel facto expoſitus, ut d. l. 2. d. l. 4. l. 18. ff. h. t. ut & ratihabitione, qua conſenſus verus facto præterito accedens tranſlativa juris fictione retrotrahitur ad initium actus. t. C. *de SC. Maced.* l. 56. *ff. de jud.* l. 60. ff. *de* R. I.

TITVLVS II.

Pro Socio.

Iung. lib. 4. tit. 37. C.

TH. I. ACTIO pro ſocio eſt actio in perſonam, (a) debitum ex ſocietate perſequens. l. 2. C. h. t.

(a) §. 17. *Inſt. de act.* quia eſt ex contractu.

TH. 2. Societas (*Germanicè eine geſellſchafft, Maſcopeij*) (a) eſt contractus nominatus (b) conſenſualis, (c) de rei, vel operæ honeſtæ & licitæ, (d) vel utriuſque collatione, lucri communicandi, gratia ſuſcepta. §. 1. 2. & 3. *Inſt.* h. t.

(a) Societas abſolutè conſiderata, nihil aliud eſt, quàm communio, commercium. Originem ex amicitia habet, quia ſocietas eſt amicabile quiddam. *Ariſt.* 4. *Pol.* 11. ſeu in omni ſocietate eſt amicitia & iuſtum quoddam, & ſocios amicos appellat, quatenus inter ſe commercium habent, 8. *Eth.* 11. Amicitia autem hæc ordinatur, vel ad bonum publ. vel privatum; nam eius gratia, quod bonum videtur omnes omnia agunt, 1. *Polit.* 1. & ob utile aliquod conveniunt homines, aliquid eorum comparantes, quæ ad vitam pertinent. 8. *Eth.* 10. Illa eſt ſocietas publica, quam natura inter homines conſtituit, ex naturali omnium hominum cognatione in l. 3. ff. *de* I. & I. ſocietas humana mater omnium contractuum & commerciorum, civilis ſocietas & principaliſſima, quam Philoſ. d. 8. *Eth.* 11. ait, eſſe gratiâ utilitatis, & à principio conſtitiſſe ac perſeverare. Hæc eſt privata, quæ particulatim utilitatem appetit, d. c. 11. eſtque iterum varia. Conſanguinea inter parentem & liberos. Fraterna, patruelium, conjugalis inter virum & vxorem. *Domeſtica* domini & ſervi, 8. *Eth.* 13. Collegiata, ſodalitia, quæ inter collegas, quæ ſuperioris autoritate congregantur, l. 1. ff. *quod cuiuſque univerſ.* vel ſingulorum, ſive rerum communicativa, quæ ordinatur ad bonum, ſive utile acquiſitivum. Singulorum porro ſocietas eſt, vel incidens, vel conventionalis, l. 31. ff. h. t. illa fit ſine tractatu habito de ſocietate, id eſt citra ſocietatis affectum, aliàs communio v c. heredum, rerum, duobus aut pluribus legatarum, donatarum, d. l. 31. & § 3. *Inſt. de obl. quæ ex qſ. contr.* l. 2. *pr.* ff. *comm. divid.* Hæc (ſc. conventionalis) ſemper contingit, cum animo & habito tractatu ineundæ rerum ſocietatis, d. l 31. Vnde hoc ſignificatu omnis ſocietas habet quidem annexam communionem, ſed non omnis communio eſt ſocietas; atque hæc huius eſt loci; ubi accipitur pro contractu ſuperius definito. l. 1. & *paſſim. Inſt.* ff. & C. h. t.

(b) l. 7. §. 1. ff. h. t. quia ſpeciale nomen & formam habet.

(c) Quia conſenſu initur; ob id hic non dicitur, quod præter conſenſum plane non requiratur res, ſed quod de huius contractus ſubſtantia non ſit, rem ſtatim adeſſe, ut in mutuo, commodato, depoſito & pignore, per quod ab illis differt. l. 52. ff. h. t. *pr. Inſt. de obl. ex conſ.* l. 5. C. h. t.

(d) Rei enim vel operæ inhoneſtæ nulla eſt ſocietas, l. 5. *pr.* ff. h. t. l. 1. C. h. t. unde patet, ſi quid ex cauſa inhoneſta, ſive delicto, quæſitum eſt, ſocius non tenetur conferre; ſi tamen collatum fuerit, commune erit lucrum, l. 53. ff. h. t.

TH. 3. Cauſa efficiens huius contractus eſt conſenſus, & animus contrahendæ ſocietatis, l. 19. ff. h. t. l. 44. ff. h. t. ſive expreſſus, ſ. etiam tacitus, l. 58. §. f. ff. h. t. omnis enim communio conſenſu contrahitur, §. 29. *Inſt. de R. D.* quapropter ſocietatem contrahere nequeunt, qui conſentire non poſſunt, & qui bonorum ſuorum adminiſtrationem non habent, l. 17. §. 1. ff. *ſolut. matr.* ut infans, furioſus, mente captus, pupillus, minor, & prodigus, &c.

TH. 4. Materia, de qua contrahitur ſocietas, ſunt res & operæ honeſtæ, l. 5. ff. h t. quæ in commercium cadunt, l. 63. §. *fin.* ff. h. t. rerum autem turpium nulla eſt ſocietas, l. 53. l. 57. h. t. unde quæ delicto, ut furto, latrocinijs, iniurijs, &c. parta, vel ob pœnam amiſſa, præſtitaque inter ſocios iure non communicantur. l. 52 §. 15. l. 53. §. f. *&* l. 54. ff. h. t.

TH. 5. Forma huius contractus conſiſtit in conſenſu de re, & opera honeſta conferenda, l. 5. §. 1. l. 29. h. t. lucri & quæſtus cauſa animo ineundæ ſocietatis; omnis enim ſocietas lucri cauſa initur.

TH. 6. Finis & effectus; ſocietas ad utilitatem ex conjunctis operibus, communicationeque rerum comparandam, & quæſtus gratia eſt excogitata, *arg.* l. 7. l. 8. ff. h. t. ad utilitatem tum privatorum, tum Reipublicæ, magnarumque negotiationum exercitium, pluribus opes, operamque conferentibus; hoc enim modo uberius res neceſſariæ importantur, earumque rerum major paratur copia atque utilitas: contra monopolijs charitas annonæ & indigentia progignitur; idcirco etiam prohibita ſunt monopolia, l. *unic.* C. *de monop.* Contraria ſocietati ſunt dolus, qui contractum nullum facit, l. 3. *in fin.* ff. h. t. inæqualitas nimia, l. 29. §. *fin.* ff. h. t. res turpes, l. 53. h. t. & pactum, ne liceat renunciare ſocietati, l. 70. l. 63. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 7. Societas eſt, vel omnium bonorum, l. 1 §. 1. l. 3. §. 1. l. 5. *pr.* ff. h. t. vel ſimpliciter bonorum, l. 7. *pr.* ff. h. t. vel negotiationis alicuius, vel unius rei. d. l. 5. *pr.*

TH. 8. In ſocietate, quæ eſt ſpecialiter univerſorum bonorum communicantur omnia, etiam futura, d. l. 7. l. 3. §. 1. l. 73. 52. §. 16. ff. h. t.

TH. 9. In eam ſocietatem, quæ ſimpliciter bonorum, veniunt tantum ea quæ ex fortuna, aut induſtria deſcendunt, d. l. 8. *& de leg. ſeqq.*

TH. 10. Hæ tres antecedentes Theſes ex ſequentibus erunt clariores. Vniverſalitas hîc, & particularitas ſuos habent gradus; ſic enim univerſalis ſocietas [1] dicitur, quæ ſimpliciter eſt omnium bonorum. l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. ff. h. t. l. 4. C. *eod.* quæ aliàs omnium fortunarum. l. 73. *pr. &* §. 1. ff. h. t. [2] quæ eſt inter coheredes. l. 3. §. 2. h. t. & reſpectu prioris pro particulari habetur. l. 39. § 3. ff. *famil. erciſc.* [3] ſocietas ſimpliciter contracta, id eſt, nulla rerum facta deſignatione, aliàs ſimpliciter contracta ſuper quæſtu, nam & hæc pro univerſali habetur. l. 7. 8. h. t. particularis eſt, quæ vel certæ alicujus negotiationis, putà vini, frumenti, lanæ. l. 5. *pr.* l. 52. §. 5. *eod.* ſive etiam unius rei, ut equi vendendi. d. l. 5. h. t. l. *cum proponas. C. eod.* & inter haſce ſpecies lata differentia eſt, nam in illa, quæ ſimpliciter univerſorum bonorum, fictione iuris omnia, (exceptis nominibus, quæ cedenda. l. 3. h. t.) communicantur. l. 13. h. t. §. 1. *Inſt. eod.* tam ex induſtria, quam fortuna, tam ex contractibus inter vivos, quàm ultimis voluntatibus. l. 3. §. 1. h. t. unde etiam ſumptus ad ſtudia, & dotes filiarum ex huiuſmodi ſocietate impenduntur. d. l. 13. ff. h. t. §. 1. *Inſt. eod.* perinde ut alimenta, quæ familiæ præbentur, ſocietati imputantur, nec finita ſocietate dos aut ſumptus ei, cuius filiæ aut filio ſuppeditati, detrahuntur. l. 73. §. 1. h. t. l. 66. h. t. uti enim in hoc ſocietatis genere non attenditur, an occaſione unius plus lucri, e. g. hereditas ampla obveniat, ut propterea ex bonis communibus, finitâ ſocietate, dividendis plus capiat; ita nec conſideratur, an ratione unius plus impenſum fuerit, ut illi ſpeciatim hoc imputetur, ſed incertæ ſpei & eventui initio ſe committunt ſocij, & æquale ius habent, tum circa lucrum futurum, tum circa impendia, licet fortè deinde eveniat, ut non æque omnibus, ex voto & iuxta intentionem, ſeu quam concepêre ſpem, ſocietas cedat; omnia igitur generaliter & æqualiter, non habita ratione, an quis plus, minuſve contulerit, partienda. d. l. 73. §. 1. h. t. l. *pen. C. de ſolut.* unde hæc ſententia non tantum obtinet, cum omnes ſocij habent liberos, in quos eiuſmodi impenſæ neceſſariæ erogandæ, ſed & ſi unus tantum habeat. *arg.* d. l. 81. imputent enim ſibi reliqui, quod talem ſocietatem inierint, vel in ea perſtiterint; & eiuſmodi quoque ſocietas univerſalis eſt inter coniuges, non quidem iure civili, nec canonico, ſed ſtatutario, multis in locis, admodum faciens ad conſtantiorem animorum conjunctionem, adque commercia promovenda, de qua latè *Magnif. Dn. Mævius ad ius Lub.* l. 1. t. 5. *art.* 5. con-

tra verò in ſocietate ſimpliciter contractâ,id eſt, quæ non eſt omnium bonorum, tantum ea veniunt, quæ ex quæſtu. l. 7. *&* 8. ff. h. t. non verò quæ ex induſtria, aut fortuna accedunt. l. 52. §. 5. *&* 16. ff. hoc tit.

TH. 11. Societas purè, vel ſub conditione. l. 6. C. h. t. vel ad tempus, vel ex tempore contrahi poteſt. l. 1. *pr.* ff. h. t.

TH. 12. Non poteſt ſocietas coïri, ut aliam damni, aliam lucri partem ſocius ferat, quia lucrum non poteſt intelligi, niſi omni damno & impenſis deductis, neque damnum, niſi omni lucro deducto. l. 30. ff. h. t.

TH. 13. Quod ſi igitur in alia re, ſeu parte ſocietatis lucrum, in alia damnum illatum ſit, compenſatione facta, quod ſummatim ſupereſt, pro lucro reputatur. §. 2. *in fin. Inſt.* h. t. e. g. ſi inter duos inita ſit negotiatio equorum & boum, atque in equorum negotiatione damnum 100. aureorum acceptum, in boum verò negotiatione lucrum 300. aureorum factum, inſtituta lucri & damni compenſatione, lucrum conſiſtit in 200. aureis, qui inter ſocios dividendi.

TH. 14. De partibus lucri, vel damni communicandis, vel nihil nominatim convenit, vel ſingulari conventione illæ exprimuntur.

TH. 15. Si de partibus lucri, aut damni nihil nominatim convenit, tunc iuxta contractus naturam partes debent eſſe æquales, (a) quia in hoc ſocietatis contractu, nullus perſonarum, ſed rerum & operarum reſpectus attenditur.

(a) Æqualitas autem iſta eſt æſtimanda ſecundùm res & operas, ſi enim collatio eſt æqualis, etiam partes erunt ſocijs æquales. l. 29. *pr.* ff. h. t. l. 3. *eod.* contra ſi partes inæquales ſint collatæ, tunc ad proportionem ſummæ collatæ etiam partes lucri comparantur. Si enim ille, qui 200. contulit, lucratur 8. E. ille, qui contulit 100. lucrabitur 4. qualis enim proportio inter 200 ad 8. talis eſt inter 100. ad 4. quæ eſt proportio Geometrica, ut ſicut 6. ſe habent ad 12. ita 8. ſe habent ad 16. & ſicuti ſe habent ſors (vel etiam opera) illata ad alterius ſortem, ita quoque ſe habere debet lucrum, vel damnum huius ſocij, ad lucrum, vel damnum alterius; vel tantum lucri quilibet ſocius accipit, quantum non ſimpliciter, (ſeu iſta æqualitate, qua per abſtractionem minoris à majori inæqualia fiunt æqualia, quod eſt proportionis arithmeticæ) ſed certo reſpectu, ſeu per certam menſuram, & ritè computatam diviſionem ſorti cuiuſlibet reſpondet. l. 6. 80. 83. h. t. quod nihil aliud eſt, quam iuxta proportionem geometricam inter ſocios dividi lucrum & damnum.

TH. 16. Societas talis coïri non poteſt, ut alter lucrum tantum, al-

ter damnum ſentiat. d. l.29. quod eſt contra huius contractus ſubſtantiam (& vocatur ſocietas leonina,) quia hic contractus non damni, ſed lucri gratia initur, quare & lucri, & damni rationem habere oportet. d. l. 29. *in fin.*

TH. 17. Si una pars lucri, vel damni expreſſa fuerit, eadem pars & in omiſſa erit ſervanda. §. 3. *Inſt.* h. t.

TH 18. *Conventio*, ex qua alter unum, alter verò duas lucri, vel damni partes ſuſtinet, eſt valida. §. 1. *Inſt.* h. t. quia forſan hic plus operæ, vel periculi ſuſcipit altero contrahente. Aliàs iniqua eſſet ſocietas, in qua convenit, ut alter, qui neque plus operæ contulit, neque plus periculi ſuſcepit, duas partes lucri & unam damni, alter verò unam partem lucri & duas damni partes ferat. *arg.* d. l. 29. *pr.* § 2. *Inſt. eod.*

TH. 19. Aliquando opera in ſocietate eſt pretioſa, quare juſtum cenſetur, operam conferenti meliorem in ſocietate conditionem offerri. Hinc haud abſurdum, [1] cum duas lucri partes, damni tertiam percipere. §. 2. *Inſt.* h. t. [2] ratum etiam poteſt haberi pactum, quo alter nullam damni partem ſentit, aliquam tamen lucri partem fert, alter verò omne periculum & damnum ſuſcipit, indéque majorem quoque lucri partem accipit, quàm aliàs (ſi nimirum periculum non ſuſcepiſſet) ipſi ratione ſortis illatæ obveniret. d. l. 29. §. 5. d. §. 2. *Inſt. eod.* ſicut enim opera poteſt æſtimari, ut eam conferenti per pactum major lucri pars attribuatur, ita quoque ſuſceptio periculi poteſt æſtimari, ut illud ſuſcipienti major lucri pars aſſignetur; alteri verò, qui immunis eſt à periculo, minor, quam aliàs ratione ſortis illatæ acciperet, aſcribatur.

TH. 20. Actio pro ſocio eſt utrimque directa & principalis. §. 2. *Inſt. de pœn. tem. litig.* quia eſt mutua ſociorum obligatio, ex qua ſocio contra ſocium datur actio.

TH. 21. Actio hæc eſt ex illarum numero, ex quibus quis non in ſolidum, ſed in id, quod facere poteſt, condemnatur, cum ſocietas ius quoddam fraternitatis in ſe habeat. l. 63. *pr.* ff. h. t.

TH. 22. Actio illa competit ſocio contra ſocium. §. *fin. Inſt.* h. t.

TH. 23. Actio ea competit pro communicatione, (a) intereſſe, (b) damnique (c) præſtatione, impenſarum, (d) & rei communis amotæ (e) reſtitutione.

(a) Rei. l. 74. ff. h. t. lucri & fructuum, id eſt, ut durante ſocietate res communicentur, ac in medium conferantur quæ ad alterum ex cauſa ſocietatis pervenere. l. 65. §. *pen.* h. t. aut finitâ ſocietate præſtationes perſonales, quæ ratione totius ſocietatis ex iſto debentur contractu, petuntur, vt ſcilicet ra-

tiones reddantur, lucrum communicetur, &c. l. 23. 65 *pr.* h. t. l. 6. C. *eod.* rerum autem collatarum diviſio, aut adjudicatio non pertinet ad actionem pro ſocio, ſed ad iudicium communi dividundo. l. 23. h. t. l. 1. ff. *comm. divid.*

(b) l. 14. 15 16. 17. 65. §. 5. ff. h. t.

(c) Dolo, vel culpa lata, levique dati. l. 52. §. 2. 3. 4 l. 72. ff. §. *fin Inſt.* h. t. caſum verò fortuitum non præſtat, niſi dolo aut culpa eius acciderit. l. 52. §. 3.

(d) Petuntur etiam impenſæ in cauſam ſocietatis factæ. l. 38. l. 52. §. 15. h. t.

(e) l. *rei communis.* 45. ff. h. t.

TH. 24. Actio pro ſocio eſt generalis, (a) rei perſecutoria, (b) & bonæ fidei. (c)

(a) l. 36. h. t. ſunt quoque tales, negotiorum geſtio, & tutelæ, contra ſpeciales ſunt mandati, commodati, depoſiti, &c.

(b) l. *ſed actione.* 50. ff. h. t.

(c) §. *actionum.* 28 *Inſt. de action.*

TH. 25. Actio pro ſocio regulariter (a) finitâ demum ſocietate (b) locum habet. (c)

(a) Nonnullis etiam in caſibus ea durante. l. 65. §. *pen.* in hoc, ut commoda, lucra, omneſque ſocietatis res dividantur. d. l.

(b) Societas finitur [1] conſenſu. l. 5. C. h. t. [2] renunciatione. §. 4. *Inſt.* h. t. l. 5. C. *eod.* ſive naturali. l. 65. §. 10. ff. h. t. ſive civili, (id eſt, maxima & media capitis diminutione.) §. 7. *Inſt.* & d. l. 65. §. 1. [4] negotiationis fine. §. 6. *Inſt.* h. t. d. l. 65. §. 10. [5] ceſſione, id eſt, ſi mole debiti prægravatus ſocius bonis ceſſerit. § 8. *Inſt.* h. t. d. l. 65. §. 1.

(c) Quoad præſtationes perſonales, & quatenus actio pro ſocio eſt generalis, non verò quatenus eſt ſpecialis. d. l. 65. §. *pen.* l. 52. §. 8. l. 74. ff. h. t.

TH. 26. Quæritur, ſi alius pecuniam conferat, alius operam, an collata pecunia, ſocietate finitâ, cum altero, qui ſolum operam & laborem impendit, ſit dividenda. Reſp. ſumma foret in ſocietate iniquitas, ſi finitâ ſocietate nihil ſupereſſet commodi, hanc collatam pecuniam cum ſocio dividi, hoc enim modo pecuniam conferens non ſolum lucrum nullum haberet, ſed & multum pecuniæ perderet, is verò qui operam contulit, nihil perderet, ſed cum damno ſocij, particeps eius pecuniæ fieret. Quod contra Ethica eſt principia.

TH. 27. Hinc alia emergit quæſtio. Quæritur, ſi fortè iſto caſu, quo alter pecuniam, alter operam contulit, pecunia illata caſu pereat, cui pereat? Reſp periit illi, qui eam contulit, niſi aliter pacto eſt determinatum, ſicut enim ſalvã habet pecuniam integrã, re proſperè eveniente, & licet lucrum non quæſitum fuerit, atque nihil ad operas cõferentem veniat,

veniat, tamen iſtam percipit; ita & periculum iſtius ſuſtinebit. *arg.* d. §. 2. h. t. & quemadmodum ſi plures pecuniam conferant, quilibet pro ratâ pecuniâ in communionem redactâ, pereunte, fert damnum; ſic quando alter pecuniam, alter operam confert, illius rata damni in ſocietate ſuſtinendi, conſiſtit in ferendo periculo pecuniæ, huius verò in ferendo damno, quod ratione operæ fruſtrà impenſæ, ſalvâ nihilominus ſæpius alteri pecuniâ.

TH. 28. Quæritur, ſi omnes ſimul ſocij contrahant, an quilibet eorum obligetur in ſolidum? Reſp. negando ſecundùm interpretes, ſtatuentes, quemlibet tantum pro ea parte, quam in ſocietate habet, teneri. *arg. l.* 4. *de exerc. act.* niſi de eo convenerit, ut in ſolidum obligentur.

LIBER DECIMVS OCTAVVS.

TITVLVS PRIMVS.

De contrahenda emptione, & de pactis inter emptorem & venditorem compoſitis, & quæ res venire non poſſunt.

Iung. lib. 4. tit. 38. C. *De contrahenda empt.* & tit. 40. *Quæ res venire non poſſunt.*

TH. 1. IN duobus præcedentibus titulis egimus de contractibus conſenſualibus, qui magis perſonas, quàm res reſpiciunt, dicendum iam de illis, qui magis res, quàm perſonas intuentur, quales ſunt, emptio, venditio, & locatio conductio.

TH. 2. Emptio & venditio eſt tertia contractuum conſenſualium ſpecies, cuius primum exponitur ipſe contractus. *lib.* 18. deinde actio empti venditi, qua, quod ex obligatione debetur, perſequimur. *lib.* 19. *t.* 1. Ipſam emptionem, venditionem quod concernit, traditur in ge-

nere [1] contrahendi modus, pacta ſingularia inter emptorem & venditorem, & objectum venditionis. h. t. [2] agitur in ſpecie tum de pactis quibuſdam. *tit.* 2. *&* 3. tum de re incorporali vendita *tit.* 4. [3] de reſciſione venditionis, *tit.* 5. [4] de periculo & commodo rei venditæ, *tit.* 6. ultimo tandem adjicitur, quid in ſpecie circa ſervos hac in materia notandum *tit.* 7.

TH. 3. Res inter homines maximè communicantur emptione & venditione, neque quicquam hoc contractu in commercijs humanis frequentius eſt, atque etiam æquabilius, ut non immeritò eum olim Romani, tanquam iuſtiſſimum, omnibus ferè ſolemnibus familiarium mutationibus, tranſlationibus, alienationibus, ut adoptionibus, emancipationibus, teſtamentis adhibere ſint ſoliti. Olim quidem uſu nummi nondum invento nullum erat inter emptionem, & permutationem diſcrimen, nec aliud merx, aliud pretium vocabatur, ſed unuſquiſque ſecundùm neceſſitatem temporum, ac rerum utilibus inutilia, reſpectu alterius contrahentium, qui dabat rem ſibi inutilem pro altera, qua indigebat, ſibi utili permutabat. Verùm quia nec ſemper, nec facilè concurrebat, id eſt, uſu veniebat, ut tu haberes, quod ego deſiderarem, mihi invicem præſto eſſet, quod tu accipere velles, neque res hinc inde extarent æqualis pretij, & proportionis; unde inæqualitate rerum permutatio inſtitui nequit; neceſſum fuit inveniri medium, quod vice rerum eſſet, & quædam qſ. menſura ac ponderatio, quæ pro rerum varietate poſſet augeri & minui. *Ariſt.* 1. *pol.* 6. Electa eſt igitur materia, cuius publica ac perpetua æſtimatio, ut inquit Paulus *in d. l.* 1. difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubveniret, eaque materia formâ publicâ (ne quis privatim adulterare poſſet,) percuſſa, uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia, id eſt, materia. l. 2. ff. h. t. l. *Iuliani*. §. 3. ff. *ad exhib.* præberet, quam ex quantitate, id eſt, æſtimatione quantitatis & forma: Nec ultra merx utrumque, ſed alterum pretium vocaretur; atque ſic emptio & venditio nummi beneficio inter ſe ſunt diſtinctæ.

TH. 4. Emptio (a) venditio (b) eſt contractus (c) nominatus, (d) qui ſolo conſenſu (e) de re, (f) pro certo pretio tradenda (g) perficitur. (h)

(a) Vox *emptionis* denotat (1) actum, quo quis in certum pretium pro re tradenda conſentit, vt emptor, (2) continet etiam actum, quo quis incertam rem pro certo pretio tradendam conſentit ut venditor.

(b) Nomen hoc ſignificat [1] actum ſolius venditoris, & emptoris. l. 2. §. 1. l. 7. § 1. *&* *ult.* ff. h. t.

(c) Ex quo actio empti & venditi deſcendit.

(d) *pr. Inſt.* h. t. l. 2. *pr.* ff. *de O. & A.* quia ſpeciale nomen & formam habet.

(e) Dicitur hic contractus conſenſu initus, non quod in cæteris contractibus ille non ſit neceſſarius, aut hîc nulla res deſideretur, quippe quæ una cum pretio inter ſubſtantialia huius contractus refertur, ſed quod ad obligationem producendam ille ſolus ſufficiat, & quidem maximè propriè in hac ſpecie, propter ſummam illius neceſſitatem & frequentiam, quâ poſt interpoſitum hinc inde conſenſum perinde habetur, ac ſi res ſimul tradita, dominiumque, aut conditio uſucapiendi tranſlata eſſet, qua de cauſa & periculum, commodumque omne ſtatim tranſit in emptorem, ut infra *ad t. ff ad peric. & com. rei vendit.*

(f) Res, ſive merx, quæ emi, vendique poteſt, & quæ eſt in commercio, debet eſſe certa, & determinata.

(g) *d. pr. &* §. 1. *Inſt. h. t. l.* 1. *pr. ff. de rer. perm l.* 1. *pr. ff. h. t.* quo differt à permutatione, ubi ſpecies cum ſpecie commutatur. h. t. omni enim emptioni & venditioni eſt ſubſtantiale, quod conſenſus fiat de pretio & merce, & ut merx tradatur, id eſt, dominium quatenus fieri poteſt, transferatur. l. 11. §. 2. ff. *de act. empt.*

TH. 5. Ex huius contractus definitione & tyroni iuris ſtatim patet, quomodo ſequentes contractus ab hoc differant; differt [1] à mutuo, ad cuius perfectionem opus eſt traditione, [2] à commodato, in quo id, quod conceditur, remanet ſub dominio commodantis, [3] item de locatione, in qua dominium rei non transfertur, [4] à donatione, quæ gratuita. Hinc dicimus, contractus ex intentione agentium, iuxta humanarum actionum principia, æſtimandos & diſcernendos eſſe.

TH. 6. Cauſa efficiens huius contractus eſt conſenſus, quo perficitur, & ſine quo conſiſtere nequit. E. infantes, furioſi, prodigi, mente capti, &c. hunc contractum inire nequeunt.

TH. 7. Materia, circa omnes res verſatur emptio, ſive corporales, ſive incorporales, quas habere, vel poſſidere poſſumus, ſive actu, l. 15. *pr.* l. 77. ff. h. t. l. 7. ff. *de hered. vend.* ſive potentia exiſtant, id eſt, futuræ ſint res l. 8. ff. h. t. quæ verò extra commercium ſunt, huc non pertinet. l. 34. §. 1. ff. h. t. Forma conſiſtit in conſenſu, quo inter venditorem & emptorem liquido convenit de re certa pro certo pretio tradenda. *pr. Inſt.* h. t. l. 2. §. 1. l. 3. h. t.

TH. 9. Finis, ut neceſſariæ res inter homines communicentur.

TH. 10. Effectus, quod à contractu perfecto recedere non liceat. l. 3. ff. h. t. l. *ratas C. de reſcind. vend.* ſed emptor pretium, venditor mercem tradere tenetur. Contraria ſunt vis, coactio, & error, quæ omnia conſenſum planè tollunt; hinc nemo ad vendendum regulariter cogi poteſt. l. 11. C. h. t.

TH. 11. Emptio venditio alia eſt naturalis, abſolutè ſc. conſiderata, ubi à quolibet ad familiæ ſuſtentationem neceſſaria emuntur, ſuperflua v. venduntur, hæc naturalis eſt in ſe bona ac licita, cum non ad lucrum, ſed ad congruam ſuſtentationem, ad œconomos potius ſpectans, quam ad negotiatores. Alia eſt [2] artificialis, quâ emitur, ut per induſtriam commutatum vendatur, quæ merè negotiatoria non eſt, quod res ſic empta per artem ac induſtriam melior reddatur, cõſidereturque ergo, & vendatur, ut opus proprium ipſius artificis, e. g. ſi quis lanam emat, ut pannum inde conficiat vendendum, vel ferrum emat ad conficiendos gladios, eoſque vendendos. Datur [3] alia adhuc, qua res emitur, ut integra, & non mutata carius cum lucro vendatur. Hęc deſcendunt ex principijs artis chræmatiſticæ, ſive modis augendi rem familiarem, naturalibus, artificialibus & mixtis. Illa v. quã ultimo loco retuli, emptio venditio propriè dicitur negotiatio, ex ſe neque virtus, neque vitium, ſed indifferens, *c fornicari, c quoniam*, 88 *diſtinct.* Eadem itaque, ſi debitè fiat, & ad bonum finem ordinetur licita eſt, & moraliter bona, [1] quia lucrum intendi poteſt, vel ad ſuſtentationem ſui & familiæ, vel ad divitias, exercendi opera miſericordiæ, liberalitatis, & aliarum virtutũ. [2] Mẽdacia, perjuria, deceptiones, vitia ſunt negotiantium, non negotiationis ſecundùm Auguſtinum, *in c quoniam* 88. *diſt.* [3] lucrum iuſtè percipi poteſt ob laborem, induſtriam, periculum, ob temporũ diverſitatem, ex quibus pretia iuſta variantur propter rerum abundantiam aut penuriam, multitudinem, aut raritatem emptorum, &c.

TH. 12. Sicque exercita emptio vend. ſocietati civili utilis eſt & neceſſaria, [1] quoniam nulla provincia rebus omnibus abundat. [2] quia ſinguli negotiari nequeunt, quod vel alijs intẽti, vel non idonei omnes, vel difficillimum foret, ſi quiſque ſibi ſoli ex locis alijs neceſſaria aſportaret. [3] utilis eſt, res magnâ copiâ afferri, ut Reip. ſufficiant, & vendi poſſint vilius tunc, ubi quis opus habet. [4] Agricolæ ſæpè indigent pecunia ad fructus colligendos, & alijs ſibi neceſſarijs, neque ſervare frumentum poſſunt in tempus penurię carius vendendum; adeoque hunc & ſimiles contractus tueri, Reip. incumbit.

TH. 13. Contra mala redditur, & illicita eſt emptio vend. negotiatoria, non tam per mercatorum perjuria, mendacia, quam per exceſſum in pretio, & ratione ſubjecti, ſi negotietur clericus, &c. *c. nulli diſt.* 49. ſecus ac iure civili. *l. 2. pr. C. de Epiſc. & Cler.* periculoſa etiam valdè ratione finis proximi, qui eſt lucrari, emendo vili, & carè vendendo, attenta hominum fragilitate, pravaque inclinatione. *Pſal.* 70. *Eccl.* 26, 27. 1. *Tim.* 6.

TH. 14. Emptio venditio ſpectatur, [1] quoad perfectionem, [2] diſſolutionem, [3] operationem.

De emptionis & venditionis perfectione.

TH. 15. Emere vendere poſſunt, qui non prohibentur. Prohibentur autem, qui conſentire non poſſunt, quales ſunt infantes, furioſi, &c. l. 2. C. h. t.

TH. 16. Prohibentur, qui ex officio, quod adminiſtrant, emere volunt, l. 46. ff. h. t. l. 46. §. 2. ff. *de jur. fiſc.* ne fraudulentæ adminiſtrationis ſuſpicionem incurrant.

TH. 17. Magiſtratus in povincia, cui præſunt, l. *un. pr. &* §. 2. C. *de contract. jud.* l. 62. ff. h. t. hi propter metum concuſſionis emere nequeunt; quæ prohibitio hodiè non attenditur.

TH. 18. Cum hoſte commercium eſt interdictum, l. 4. l. *ult.* C. *de commer. & merc.*

TH. 19. Nobiles, ditiores & potentiores commercium exercere non poſſunt, l. 3. C. *de commer. mercat.* ſed prohibentur, quia [1] nobilibus natalibus, & honorum luce conſpicuis, patrimonioque ditiſſimis ignominioſum, urbibuſque etiam pernitioſum eſt. [2] ut inter plebeïos & negotiatores facilius ſit emendi vendendique commercium, l. 3. C. h. t. l. 6. C. *de dignitat.* Alicubi tamèn moribus, præprimis per ſervos & inſtitores ſuos poſſe Nobiles mercaturam exercere abſque ulla nobilitatis jactura, experientia teſtatum facit. *Perez in* C. h. t. n. 2.

TH. 20. Nemo cogitur vendere, (a) vel emere. (b)

(a) l. 11. C. h. t. l. 9. ff. *act. rer. amot.* l. 70. ff. *de* R. V. Excipe [1] iter ad ſepulchrum. l. 12. ff. *de relig. & ſumpt. funer.* [2] ſervum, cui intolerabilem injuriam infert dominus, §. *ult. Inſt. de his, qui ſunt ſui vel al.* [3] ſi ſingularis neceſſitas, vel utilitas publ. exigat, l. 2. C. *ut nemini liceat in empt. ſe excuſare*, l. 14. §. 2. ff. *quemad. ſervit. amitt.* e. g. [1] ſi domus alicuius neceſſaria ſit ad Regis palatium, ad Eccleſiam extruendam, cogi poteſt dominus, ut juſto pretio eam divendat [2] ut tempore annonæ victualium habens copiam, eorum partem civibus vendat. [3] ut vicinus proximus viam præſtet, cum via publ. vel fluminis impetu, vel ruïna eſt amiſſa. d. l. 14. §. 2.

(b) d. l. 11. C. h. t. Excipe, emere nim. [1] quis tenetur, ob publ. utilitatem, ut caritas annonæ evitetur, l. *nec emere C. de jur. deliber.* [2] ſi heres gravatus à teſtatore emere fundum legatario iubeatur, quod ob ultimæ voluntatis favorem licet, l. 66. ff. *de legat.* 1. [3] qui emit partem fundi pro indiviſo, l. 13. §. 17. ff. *de act. empt.*

TH. 21. In emptione ſi erretur circa rei venditæ nomen, (a) qualitatem, (b) vel acceſſionem (c) valet emptio venditio.

(a) Quia nihil facit error nominis, cum de corpore (hoc eſt re empta) conſtat. l. 9. §. 11. ff. h. t.

(b) Vel error eſt in qualitate naturali rei venditæ, ut ſi aurum quidem ſit, ſed deterius, quàm emptor exiſtimaret, ſive aliquando arte inducta, ut ſi ſervus iners pro artifice veneat, & non vitiatur emptio venditio, l. 10. h. t. l. 11. §. 1. l. 9. §. 2. ff. h. t. Aliud obtinet ſi non in nuda qualitate, ſed in ſexu error committatur, tunc enim nulla eſt emptio, d. l. 11. §. 1. cum ſexu diſtincta, licet non ſpecie, attamen facultatibus naturalibus & diſpoſitione partium organicarum differant.

(c) Circa acceſſiones rei venditæ ſi erretur, emptio valet, l. 34. *pr.* ff. h. t.

TH. 22. Si autem error [1] circa perſonam, (a) vel [2] rem, ſive corpus, (b) vel [3] circa ſubſtantiam rei, (c) vel [4] circa pretium (d) committatur emptio venditio non valet.

(a) e. g. ſi putem Sticho me vendere, cum Seius ſit, emptio eſt nulla, *arg.* l. 2. *pr. ff. de judic.* l. 9. *pr.* ff. *de hered. inſtit.*

(b) Id eſt, in certo rei individuo, e. g. ſi putem te mihi vendere ſervum Stichum, tu mihi te vendere Titium putaſti, quæ emptio eſt nulla, l. 9 *pr.* ff. h. t.

(c) Quâ quidem conſtat corpus, in quod conſenſerunt contrahentes, ſed corpus illud eſt ex alia materia, quæ ab ea, quam ſubeſſe putabat emptor ἐσία, id eſt, eſſentia, ſive ſpecie differat, confectum e. g. ſi æs pro auro, l. 14. h. t. menſa tota lignea lamina tantum argentea cooperta pro argentea veneat, l. 41. §. 2. h. t.

(d) l. 9. *pr.* ff. h. t. quia conſenſus, merx & pretium ſunt de emptionis & venditionis ſubſtantia, ſi enim hæc omnia non interveniant, contractus erit imperfectus. l. 1. 2. l. 9. l. 36. l. 37. ff. h. t.

TH. 23. Omnes res, quas quis habere, vel poſſidere, vel perſequi poteſt, l. 34. §. 1. ff. h. t. id eſt, quæ ſunt in commercio, ſive ſint corporales, ſive incorporales, (a) emi vendi poſſunt.

(a) Vt ſervitutes, actiones & nomina, l. 2. C. *de obl. & act.* nec non hereditatis venditio eſt permiſſa. l. 34. §. 1. ff. h. t.

TH. 24. E contrario facile liquet, quæ vendi non poſſint, nim. quæ non ſunt in rerum natura, (a) nec futura ſperantur, (b) vel exiſtunt quidem, at non ſunt in commercio ſimpliciter, (c) vel ſecundum quid. (d)

(a) l. 15. ff. h. t. l. 69. ff. *de* V. O. neque actu, neque potentia, id eſt, quæ antea fuerunt, ſed amplius non ſunt, ut equus, ante venditionem mortuus, navis ſubmerſa, domus combuſta, vel quæ nunquam fuerunt, nec eſſe poſſunt e. g. Chimæræ, vel hyppocentauri, *arg.* §. 1. *Inſt. de inutil. ſtipulat.*

(b) d. §. 1. *Inſt.* quæ vero futuræ ſperantur, vendi poſſunt, ut fructus, fundi, fœtus pecorum.

(c) Tales res ſunt (I.) liber homo, qui æſtimari non poteſt pretio ſive nummis, l. *6. pr.* l.34. §. 2. ff. h. t. l. 103. *ff. de* V. O. §. f. *Inſt.* h. t. Excipe (1) ſi quis pretij participandi cauſa ſeipſum, qſ. ſervum alienet, l. 5. §. 1. ff. *de ſtatu hom.* atque vendat, quæ venditio ob ſingularem dolum ac improbitatem coërcendam olim fuit permiſſa (2) *in* l. 2. C. *qui fil. diſtr.* ubi permittitur parentibus partum ſanguilonentum, ſive recens natum, quem ipſi alere non poſſunt, propter nimiam paupertatem, egeſtatemque vendere victus cauſa, id eſt, ne fame infans pereat, ſed victus ei præbeatur ab emptore. Hodie eiuſmodi venditio non habet locum, ſed caſu tali contingente Magiſtratus ſubveniet (II.) res ſacræ, religioſæ, l. 4. *6. 22. 62.* §. 1. ff. h. t. Excipe ſi vaſa & veſtimenta ſacra tempore neceſſitatis vendantur, l. *ſancimus C. de SS. Eccleſ.* (III.) *res publ.* & res univerſitatis, ut flumina & portus.

(d) Tales ſunt res (1) litigioſæ, l. 1. 2. *& ult. C. de litig.* (2) res furtivæ, d. l. 34. §. 3. (3) venenum, l. 35. §. 2. ff. h. t. niſi mendicamentis adhibeatur, (4) purpura, l. 1. C. *quæ res ven. non poſ.* (5) annona militaris, ſive frumentum exercitui miſſum, l. *ult. C. eod.* (6) res dotales ob favorem in mulieris & Reip. utilitatem, *pr. Inſt. quib. alien. lic.* (7) feudum *2. feud.* 55. (8) res pupillorum, minorumve 25. annis, l. 2. *& t. t. C. de præd. ali. reb.* (9) mancipium Chriſtianum, *t. t. C. ne Chriſtian. mancip.* (10) arma hoſtibus imperij vendi non debent, l. 2. *C. quæ res export. non* (11) alienari etiam prohibentur res pacto, lege, ſtatuto, conſuetudine & ultima teſtatoris in teſtamento voluntate. *arg.* l. *fin. C. de reb. alien. non alien.* l. *ult.* §. 2. 3. *C. comm. de legat. Auth. res quæ ſubjacent C. eod.*

TH. 25. Hinc quæritur, an qui alienare eſt prohibitus, donare tamen ad pias cauſas poſſit. Reſp. negand. quia (1) ſic facilè fraus fiat legi, aut homini alienationem prohibenti, (2) quod in illis bonis, quæ prohibentur alienari, alter quoque habeat jus quæſitum.

TH. 26. Suæ rei emptio non valet, l. 16. *pr.* ff. h. t. niſi alteri jus aliquod in hac re competat.

TH. 27. Quicquid rei venditæ cohæret, (a) etiam venditum intelligitur.

(a) Tempore contractus, *arg.* l. *69.* ff. h. t. Sic ædibus diſtractis, ea ædium ſunt, quæ ijs adfixa, licet in inſtrumento emptionis vend. non ſit expreſſum (*Germanicè vvas erd und nagelfaſt iſt*) vel propter ædes habentur, & qſ. pars ſunt earum l. 13. §. f. l. 14. 15. *16. 17. pr.* l. 18. ff. *de act. empt.* l. *46.* §. *fin.* l. 47. 48. 49. l. 78. *pr.* ff. h. t. *arg.* l. 21 *in f.* ff. *de inſtruct. & inſtr.* fundi verò nihil eſt, niſi, quod terrâ ſe tenet, d. l. 17. *pr.* vel ex deſtinatione patrisfam. pro immobili habetur, d. l. 17. §. *2. &* §. *fin.* ff. *de act. empt. Carpz.* 2. c. 33. d. 20. Sic etiam prædijs venditis piſces in piſcina habentur pro immobilibus. Equo vendito ſella & frænum venditum non cenſetur, niſi vendendi gratia equus ita inſtructus & ornatus ſit, emptorique monſtratus,

l.38. *pr*.ff. *de Ædil. edict.* l.1. ff. *de instruct. & instr.* Hinc patet venditâ gallinâ, ove, vaccâ pullum jam excluſum non venire; quia amplius non cohæret, ſed partus excluſus, jam res aliqua ſeparatim exiſtit. Aſt ſi adhuc in utero matris, eius portio eſt, eidemque adhæret, *arg.* l. 1. §. 1. ff. *de ventr. inſp.* l. 65. §. 5. ff. *de leg.* 3. l. 81. §. 4. ff. *ibid.*

TH. 28. Qui in communione bonorum exiſtunt, eorum quilibet rem communem pro parte ſua indiviſa vendere poteſt, l. 3. 4. C. *com. rer. alien.* nec prohibetur, quia rerum communio diſcordias excitare ſolet.

TH. 29. Res aliena poteſt vendi, l. 28. ff. h. t. eaque venditione non dominium, ſed uſucapiendi conditio transfertur, l. 11. §. 8. ff. *de act. empt.* quia venditor non præciſè tenetur dominium transferre, l. 25. §. 1. ff. h. t. ſed ſaltem præſtare, ut emptori rem habere liceat, l. 30. §. 1. ff. *de act. empt.*

TH. 30. Pretium emptionis & venditionis in pecunia numerata conſiſtere debet, (a) idque pretium oportet eſſe [1] verum, (b) [2] certum, (c) & [3] iuſtum. (d)

(a) Qua diſtinguitur à permutatione; cum pecuniæ ſive nummi uſus ſit inventus, [1] propter facilitatem & commoditatem mercium deportandarum adjuvandam, [2] ad æſtimandas res, ſeu ut eſſet medium legitimum, quo omnia, quorum eſt permutatio, comparari inter ſe aliquo modo poſſint, ut ſciri queat, quantum valeant ſingula. Vnde quia omnia metitur nummus, medium ac menſura quodammodo efficitur & indicat, quod pluris eſt, & quod minoris. *Materia* autem (ut ſuperius diximus) ex auro & argento pretioſiſſimis rerum eſt electa, *Initio in definiendis rerum pretijs*, ad quantitatem ponderis appendi ſolitis. Cum verò iſta appendendi ratio moleſtior eſſet; deinceps à cuiuſque Reip. Principibus excuſi ſunt nummi ad certum pondus definiti, certiſque inſigniti imaginibus. Vtrumque ex iure poſitivo eſt, & nummus ipſe, h. e. eius inventio & effigies, ſive ſignandæ monetæ conſuetudo. Verum accuratè loquendo, ſi abſolutè conſideretur ex jure gentium deſcendit: relatè verò (ex ſe ad formam tantum extrinſecam pertinens) & ratione certę Reip. quæ hanc vel illam imaginem, prout viſum fuit, impoſuit, iuris ſit civilis: & hoc ſenſu nummi forma publica percuſſi dicuntur in l. 1. §. 1. ff. h.t. Hinc res invicem permutandæ merx & pretium & permutatio earum à forma conventionis emptio venditio nominari cœperunt, eodem gentium iure; cuius uſum fuiſſe Hebræis indicant textus *Gen.* 23. 17. *Ierem.* 32. 10. de Græcis teſtatur *Ariſtot.* 5. *Eth.* 5. Gentibus cultioribus permutatio nummi pro merce fuit venditio, non permutatio.

(b) l. 55. ff. h. t. l. 54. ff. *de* O. *&* A. E. non ſimulatum; hinc liquet non eſſe emptionem, quæ fit uno nummo, l. 46. ff. *locat.* cum non ſit proportionatum, & rei æquivalens pretium, l. 10. §. f. ff. *de acq. vel amit. poſſ.* niſi res ſit minima uno tantum nummo conſtans.

(c) Certum eſt pretium, vel determinatione contrahentium expreſsâ,

vel evidenti relatione, quæ reſpicit, vel quantitatem jam determinatam contractu aliorum, ſeu uſu locove, l. 7. §. 1. l. 37. h. t. vel arbitrium tertij in ſpecie expreſſi, qui ſi non definiverit, nulla eſt emptio, l. *fin.* C. h. t. Sin verò definierit ſuo arbitrio, eius æſtimationi ſtandum, niſi manifeſta iniquitas appareat, tunc enim reducitur ad arbitrium boni viri, l. 77. ff. *pro ſocio.* l. 30. ff. *de oper. libert.* l. 25. §. 1. ff. l. 5. C. h. t.

(d) *arg.* l. 2. C. *de reſcind. vend.* Iuſtum propter rerum naturam & conditionem ſortis humanæ non ita præcisè accipi poteſt, ſed civiliter, ut liceat aliquando carius, vel vilius rem vendere, quam vera æſtimatione valeret. Sicut enim alius dolus eſt bonus, alius malus, ita & circumventio in pretio alia fraudulenta, alia ſine malitia, quam ſolertiam negotiativam dixeris, & de hac poſteriori dicitur, quod liceat contrahentibus naturaliter (id eſt, rerum, hominumque natura, & conditione non aliter ferente) ſe circumvenire, l. 22. §. f. ff. *locat.* l. 8. C. *de reſcind. vend. Novel.* 94. *cap. 1.* adeoque ut ſubſiſtat emptio uſque ad læſionem ultra dimidium, l. 2. C. *de reſcind. vend.* hæc læſio permiſſa eſt ob innumeras lites evitandas, quæ aliàs emergerent paſſim, ſi actio ob læſionem infra dimidium factam daretur.

TH. 31. Si contrahentibus placuerit, ut emptio venditio ſcripturâ perficiatur, ea non aliter erit perfecta, niſi inſtrumentum emptionis fuerit debito modo conſcriptum, *pr. Inſt.* h. t. l. 17. C. *de fide inſtrument.*

TH. 32. Quæritur, ſi arrharum nomine quid datum fuerit, an etiam pœnitere liceat? Reſp. diſting. aut arrha data eſt in partem pretij, ſive ſuper facienda emptione, aut in argumentum emptionis vend. contractæ, ſeu perfectè initę. *Priori caſu* pœnitere non licet, l. 17. ff. h. t. quia à ſemel perfectâ emptione & dato pretio (cuius pars hic arrha eſt) niſi & conſenſu & retraditione contrariâ, recedere non licet. Poſteriori caſu ſi in argumentum ſecuturæ venditionis arrhas accepit, recuſans venditionem adimplere, duplum reddere compellitur: contra, qui emere pactus eſt, ſi ab emptione futura, cuius cauſa arrham dedit, recedit, arrham amittit, d. l. 17. Hodiè pertinent quoque ad acceſſoria huius contractus (1) nummi bibales (*Germanicè weinkauf*) (2) ſanctus denarius (*Germanicè des Gottes pfenning*) (3) quod datur (*zum Kauf ſchilling.*) Hæc verò omnia pœnitentiam excludunt.

TH. 33. Venditio eſt pura, vel non pura; *illa* de pretio & merce perficitur, §. *Inſt.* h. t. *hæc* verò cui vel conditio, vel dies adjecta eſt, ſi dies certus (incertus enim an exiturus ſit, eſt inſtar conditionis, l. 21. l. 22. ff. *quando dies legat.*) adjiciatur, ut terminus ad quem res vendatur. l. 80. §. 2. h. t. eſt pura emptio, & poſt diei lapſum per exceptionem pacti, vel doli finitur, §. 3. I. *de* V. O. l. 56. §. 4. ff. *de* V. O. l. 44.

§. 1. ff. *de* O. *&* A. Sin verò terminus à quo, ſeu poſt cuius lapſum liceat petere & exigere, & tunc quidem obligatio & actio ſtatim naſcitur, & non ſuſpenditur, quia dies non impedit obligationis nativitatem, ſed traditionem & implementum contractus, antequam, enim dies venerit, actio inſtitui nequit, ſi conditio contractui adjiciatur, tunc obligatio & actio in aliquem caſum differtur, ut deficiente conditione contractus retro ſit nullus, ſeu perinde habeatur, qſ. non interceſſerit, l. 37. ff. h. t. ea verò exiſtente, perfecta demum ſit emptio, & perinde habeatur, ac ſi ab initio purè contractus initus, l. 7. *pr.* h. t. l. 213. ff. V. S. l. 8. *de peric. & com. rei ven.* huiuſmodi eſt, ſi (1) res ſub certa conditione expreſſa, vel tacita vendatur, l. 37. h. t. (2) ſi res, quæ pondere, numero, aut menſura conſtant, ad certam quantitatem vendantur, quia & hic videtur ſubeſſe tacita conditio, ſi res ad menſæ, appenſæ, vel annumeratæ ſint, l. 35. §. 5. *& ſeqq.* h. t. Non tamen pendente conditione licet pœnitere, ſed conditio, ſub qua conſenſus eſt expreſſus, & cuius eventui rem commiſère contrahentes, eſt expectanda, eaque eveniente ex contractu quis tenetur. Si verò conditio forte ſit poteſtativa, vel ſaltem mixta, & v. g. per emptorem ſtet quo minus impleatur, vel actione P. Verb. agitur, ut conditionem impleat, vel qſ. impleta conditione ex vendito agi poteſt, l. 50. h. t. l. 41. *eod.*

TITVLVS II.

De in diem addictione.

TH. 1. PACTA emptioni venditioni adjici poſſunt, *t. t. de pact.* inter empt. Inter ea pacta ſunt addictio in diem, lex commiſſoria, & pactum de retrovendendo.

TH. 2. Addictio (a) in diem eſt, qua res penes emptorem ita collocatur, ut habeat eam, niſi intra certum diem alius (b) meliorem conditionem (c) venditori (d) offerat.

(a) *Addicere* propriè haſtæ verbum eſt, & ſignificat auctione conſtituta rem conſtituere apud eum, qui pluris licitatus fuerit, poſtmodò ad venditiones privatas quoque fuit traductum, cum ita res venditur, ut non addicatur, ſed ſervetur futuris licitatoribus ſuum tempus, ſi quis velit pluris emere, id eſt meliorem conditionem offerre.

(b) Et quidem verus emptor. l. 1. 4 §. 5. ff. h. t.

(c) l. 4. § 6. ff. h. t.

(d) Intra eum diem adhuc viventi, aut ei, qui intra tempus heres extitit. l. 15. ff. h. t.

TH. 3. Addictio in diem duobus modis fieri poteſt ex diſtinctione Icti in l. 2. h. t. vel ſub conditione reſolutiva, vel ſuſpenſiva, ſeu conſtitutiva. Sub conditione reſolutiva fit addictio, quando revera & purè emptio contrahitur, ſed pacto adjecto hoc agitur, ut meliore conditione allata ab emptione diſcedatur, e. g. res tibi 10 eſto empta, niſi intra 10. dies melior conditio ſit allata. Sub conditione ſuſpenſiva fit addictio, quando ſub conditione emptio contrahitur, & hoc agitur, ut niſi melior conditio offeratur, emptio perficiatur, e. g. ſi intra 10. dies nemo meliorem attulerit conditionen, res tibi pro 10. empta erit, & perficietur contractus.

TH. 4. Vtraque conditio in quibuſdam differunt, in quibuſdam conveniunt. Differunt pendente conditione, dum priori caſu emptor rei dominus fit, & eandem pignori dare, l. 4 §. 3. h. t. & vindicare, l. 41. *de* R. V. ſi venditor dominus fuit: uſucapere verò & publicia nauti poteſt, ſi dominus non fuit, l. 2 §. f. h. t. emptor verò univerſum commodum & incommodum interim ſuſtinet, l. 11. §. 10. ff. quod vi aut clam. hoc eſt periculum ſubit, & fructus acceſſioneſque ſuas facit, d. l. 2. §. f h. t. Poſteriori verò caſu venditor dominus manet, eiuſque ſunt rei commoda & incommoda, l. 4. *pr.* h. t. ratio diverſitatis eſt, quod illic ſubſit vera & pura obligatio, ex qua facta traditione fieri non poteſt, ut venditor dominium retineat, hic verò cauſa perfecta habilis ad dominium transferendum non præceſſit, nec ante exiſtentiam conditionis ulla vera obligatio nata eſt. l. 21. ff. *de acq.* R. D. l. 7. *tit. præced.* l. 8. *de peric. & commod. rei.*

TH. 5. Conveniunt in hoc, quod conditione deficiente fructus & acceſſiones à tēpore addictionis emptor lucretur, l. 2. *in fin.* l. 3. 6. ff. h. t. eadem verò exiſtente, & re inempta facta, emptio retrorſus reſolvatur, & annulletur, & commoda omnia venditori ſint reſtituenda, l. 6. *pr.* h. t. l. 5. *t. ſeq.* l. 2. § 4. ff. *pro emptor.* l. 16. h. t. etiam ſi primo emptori res iterum licitanti addicta ſit, d. l. 6. §. 1. h. t. Sicut enim conditio ſuſpenſiva hoc operatur, ut ea exiſtente contractus retrò purè celebratus fuiſſe credatur, l. 11. §. 1. ff. *qui pot. in pign.* Ita ex adverſo conditio reſolutiva facit, ut retro nihil actum eſſe, nec dominium illud tranſlatum fuiſſe credatur.

TH. 6. Cæterum ut prædictis modis addictio fiat, & facta locum

Iii ij

habeat, requiritur, (1) ut revera melior conditio oblata ſit, quod tunc fieri creditur, ſi quid emolumenti ex poſteriori venditione accedat, vel quia pretium augetur, vel quia ſolutio facilior, ſive maturior affertur, vel quia ſecundus emptor eſt idoneor, vel quia levioribus conditionibus emit, puta ſatisdationem de evictione remiſit, l. 4. § *ult.* h. t. [2] ut venditor velit novam conditionem oblatam accipere, regulariter enim non tenetur, l. 9. ff. h. t. Licet enim id verbis conventionis convenire non videatur, tamen benè convenit ſententiæ contrahentium, ex qua præſumitur, legem venditoris gratia fuiſſe adjectam, cui tanquam alij favori pro ſe introducto renunciare poteſt, l. *pen.* C. *de pact.* niſi forte hoc nominatim factum ſit, ut tum emptori reſilire liceret, d. l. 9. ff. h. t. vel iure creditoris pignus diſtractum fuerit. l. 10. ff. *eod.*

TH. 7. Quoties conditio reſolutiva contractui adjicitur, magis ſub conditione reſolvitur, quam contrahitur, quia initio addictio eſt pura, exitu verò conditionalis, ut ex exemplo allato liquet; res tibi eſto 10. empta, niſi intra 10. dies melior allata ſit conditio.

TH. 8. Contra, quoties conditio ſuſpenſiva contractui adjicitur, tunc ſub conditione tantum contrahitur, atque ſic ab initio addictio eſt conditionalis; perficiturque demum exiſtente conditione, e. g. ſi intra 10. dies nemo attulerit meliorem conditionem, res tibi 10. erit empta, & perficietur contractus, l. 2. *verſ. ſin autem hoc actum.* ff. h. t.

TH. 9. Addictio eſt pura vel conditionalis. *Addictionis puræ* effectus eſt quadruplex, [1] in actionibus empti, quibus qui contraxit, emptor interea experiri poteſt, [2] in fructibus & acceſſionibus lucrandis, [3] in uſucapione rei, & [4] in periculo eiuſdem ſuſtinendo, l. 2. § . 1. ff. h. t.

TH. 10. Reſolvi etiam poteſt prior emptio, quamvis res ſit tradita; unde ſequitur, venditorem emptori, reſolutâ per redditionem rei, emptione, pretium refundere teneri, *arg.* l. 6. h. t. item meliorationes & impenſas neceſſarias, l. 16. h. t. E contrario emptorem ad fructus reſtituendos, quos uſque ad reſolutum contractum percepit, eſſe obligatum, *l. fin. ff. de jur. fiſci.* venditor interim repetit fructus perceptos per condictionem.

TH. 11. Si verò ipſe emptor ſine cauſa, tantundem ſolvere, quantum tertius, paratus ſit, ipſe retinet rem, quia melior conditio allata eſt (ſive ab ipſo emptore, ſive à tertio quovis, perinde eſt, melior modo ſit conditio) ratio rationis, quod dum receſſum ab emptione priori, conſtituto novo pretio, novus etiam ſit celebratus contractus, l. 88. ff. *de pact.* l. 72. ff. *de contr. empt.*

TITVLVS III.

De lege Commiſſoria.

TH. I. ALTERVM pactum, quod venditionibus adjici poteſt, eſt, quod vulgò dicitur legis commiſſoriæ, non quidem adeo rectè & accuratè, poſtquam legis vocabulum hic non pro jure, ſed pro pacto accipitur, atque ita ferè ſonat, ac ſi diceres pactum pacti commiſſorij.

TH. 2. Lex commiſſoria hic eſt pactum, quo ſi intra diem pecunia pro re vendita non fuerit ſoluta, (a) venditore volente, (b) res ſit inempta. d. l. 2.

(a) l. 2. 4. ff. h. t. ſi mora emptori imputari poſſit.

(b) l. 2. 3. 4. §. 2. ff. h. t. venditori datur non tantum actio ex vendito. l. 4. *pr.* h. t. ſed etiam rei vindicatio. l. 4. C. *de pact. inter empt. & vend.*

TH. 3. Non opus eſt, ut die certo, quo ſolvendum eſt pretium, adjecto, emptorem interpellet venditor, ſed offerre tenetur emptor pretium, ſi velit ſe legis commiſſoriæ poteſtate ſolvere. l. 4. §. *ult.* h. t. ſin autem dies certus non additus, non incidit ante in pœnam commiſſi emptor, quam venditor interpellaverit. *arg.* l. 23. *in fin.* ff. *de V. O.*

TH. 4. Eſt verò in arbitrio venditoris, an velit, poſt commiſſam emptoris moram, rem cum fructibus & acceſſionibus repetere. l. 2. 3. 6. *pr.* ff. h. t. an pactum remittere, & pretium cum uſuris petere: at ſi poſt diem commiſſoriæ legi, ſeu ſolutioni præſtitutum, pretium petit venditor, legi commiſſoriæ renunciatum videtur, nec variare, & ad hanc redire poteſt. l. 4. §. 2. l. 6. §. *ult.* l. 7. h. t.

TH. 5. His duobus explicatis pactis haud incongruè adjungitur *pactum de retrovendendo*, ſive revocando, & eſt, quo venditor ius rem venditam redimendi ab emptore, in quem dominium rei eſt tranſlatum, ſibi reſervat. l. 2. C. *de pact. inter emptor. & vend.*

TH. 6. Retractus dividitur in conventionalem & legalem, ſive conſuetudinarium.

TH. 7. Retractus conventionalis latius ſumptus cõprehendit tum illum, qui ex pacto de retrovendẽdo cõpetit, tum iſtum, quo, ſi emptori

placeat iterum rem vendere, ius potius præ alio quis ex conventione habet, quod aliàs jus protimiſeos appellatur, *de quo in Theſi* 13. tractabitur.

TH. 8. Huic pacto de retrovendendo (vocatur etiam retractus,) præſcribitur certo tempore. Adjicitur autem tempus, vel ut terminus à quo, ſeu poſt cujus lapſum demum venditor poſſit, pretio oblato, reſtitutionem rei venditę petere, quo elapſo facultas redimendi, demum competere incipit; vel ut terminus ad quem eſt reſtricta redimendi poteſtas, ſeu uſque ad quem, & intra quem exerceri queat retrovenditionis ius, quo elapſo non amplius integrum eſt redimere. *Dn. Carpz.* 2. *c.* 1. *d.* 8.

TH. 9. Effectus huius pacti de retrovendendo. Contractus non ita reſolvitur ex hoc pacto, ut fit in addictione in diem, & lege cōmiſſoria, ſed ſolum venditori rem iterum ſe venditurum promittit emptor, daturque inde ſolum actio perſonalis, putà ex vendito. Aſt ſi emptor hic ante alienaverit, quam venditor rem repetierit, ad intereſſe tenetur emptor. l. 2. C. d. t.

TH. 10. Hoc ius, quod venditori, eiuſque heredibus competit. l. 2. C. d. t. poteſt quoque extraneo cedi, quia hæc facultas moralis regulariter ad perſonam non eſt reſtricta, adeoque perinde ut alia iura per ceſſionem in alium rectè transfertur. *Carpz. c.* 1. *d.* 12. obſervandum hîc eſt, quod uno ex pluribus heredibus redimere volente, cæteris retrovenditionem non exigentibus, haud teneatur emptor iſti uni partem retrovendere; at illo uno heredum venditoris integrum pretium offerente, debet huic emptor retrovendere. *Carpz.* 2. *c.* 1. *d.* 11.

TH. 11. Tenetur redempturus [1] pretium regulariter idem, quod accepit, reſtituere, vel ſi ita convenerit, quo res tempore retrovenditionis iuſtè venire poteſt. *Covarruv.* 3. *c.* 9. præterea [2] impenſas, quæ ad perpetuum rei venditæ utilitatem factæ refundere.

TH. 12. Oblatis, pretio, (l. 1. 7. C. d. t.) & impenſis, emptor rem ipſam præcisè reſtituere eſt obligatus. *Carpz. d. l. d.* 15. & fructus tempore retrovenditionis pendentes pro rata temporis inter emptorem, & venditorem dividendi ſunt. *Carpz. d. l d.* 20. at pretio nondum oblato, perceptos emptor, quippe dominus rei, ſuos facit, nec reſtituere tenetur; idem de cæteris acceſſionibus & augmento rei ſtatuendum, quia rei dominium nondum iterum in venditorem tranſijt.

TH. 13. Permiſſum eſt aliquando & emptori (ſi ita inter contrahentes conventum) rem certo tempore, aut quandocumque libuerit, offerre, ac venditor tenetur pretium reſtituere. l. 6. ff. *de reſcind. vend.*

l.31. §.22. ff. *de Aedil. edict.* modo non ſit illicitum fœnus. *Carpz.* 5. *r. elect.* 27.

TH. 14. Alterum genus retractus (a) conventionalis, (ſeu ius *protimiſeos* conventionale) eſt, quando pacto promittitur, ut ſi res vendatur, alicui præ alijs eo, quod alius ſolveret, pretio vendi debeat. l.75. ff. *de contrah. empt.* l. 122. §.3. ff. *de V. O.*

(a) l. 9. §. 2. ff. *de admin. rer. ad civit. pert.*

TH. 15. Effectus huius contractus in eo conſiſtit. Si res vendatur, non ipſo iure venit dominium ad eum, cui jus *protimiſeos* pacto eſt tributum; ſed oritur inde ſolum obligatio, qua dominus rem venditurus tenetur denunciare iſti; cui ius retractus competit, an ipſe velit emere. d.l.75. Hinc ſi omiſſa denunciatione, rem alteri cuidam vendiderit, re quidem huic nondum tradita contra venditorem ex vendito agere poteſt is, cui ius retractus competit, ut ſibi res iuxta pactum eodem tradatur pretio. d. l.75. ff. *de contrah. empt. Carpz. d. p.* 2. *c.* 32. *d.* 10. At re emptori iam tradita, ſolum datur actio ad intereſſe, contra eum, qui contra fidem, pacto datum, vendidit; non verò actio in rem contra poſſeſſorem. *arg.* d. l. 75. niſi ratione illius juris *protimiſeos* hypotheca ſit legitimè conſtituta. *Carpz. d. l. d.* 8. 9. 11.

TH. 16. Hoc ius retractus tunc demum obtinet, ſi res extraneo vendatur. d. l. 75. Ergo ei nullus eſt locus (1) ſi quis liberis ſuis vendat, vel alijs ab inteſtato ſucceſſuris. *Carpz. d. l. d.* 10. [2] ſi ex permutatione, donatione, diviſione hereditatis, aut ſucceſſione, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato res ad alium veniat. *Carpz. def.* 15. 16. 17. 18. 22.

TH. 17. *Ius retractus* (ſive *protimiſeos*) *legale & conſuetudinarium eſt*, quod ſingulari jure certis perſonis tribuitur, vel [1] propter dominium directum, vel [2] propter creditum, vel [3] propter vicinitatem, vel [4] propter communionem, vel [5] propter conſanguinitatem.

TH. 18. [1] Ratione dominij directi competit ius retractus domino emphyteuſeos in re emphyteutica. *l. fin. C. de iur. emphyt.* Non verò extendendum ad alia bona; ſic ruſtici non tenentur v. c. victualia, quæ venditurí ſunt, primum nobilibus offerre, niſi fortè peculiari conſuetudine aliud receptum. *Carpz.* 2. *c.* 51. *d.* 10.

TH. 19. [2] Ratione crediti iure Iuſtinianeo, ſi bona iudiciali ſubhaſtatione veneant, & plures ſint licitatores, præferuntur extraneis emptoribus creditores; ac inter hos is potior eſt, cui major pecuniæ ſumma debetur. l. 16. ff. *de reb. auth. iud. poſſ.* Hodie, præſertim in terris Saxonicis primus licitator præfertur. *Carpz. p.* 1. *c.* 32. *d.* 42. *&* 51.

Th. 20. [3] Ratione vicinitatis vicinus rem extraneo venditam retrahere poteſt. Hoc autem ius retractus non obtinet, niſi ubi ſingulari conſuetudine, vel ſtatuto introductum; & quibuſdam locis ſolo vicinitas non tribuit ius illud, ſed ei demum vicino hoc competit, cuius prædio, vel agro quondam fuit unita illa pars, quæ extraneo eſt vendita. *Dn. Richter. dec.* 86.

Th. 21. [4] Ratione communionis ſocio conceditur, ut retrahere poſſit partem rei communis extraneo venditam.

Th. 22. [5] Ratione conſanguinitatis, (vocatur etiam retractus gentilitius,) per conſtitutionem Impp. Valent. Theodoſ. & Arcadij. Ius *protimiſeos* cognatis, aut conſortibus olim competens ſublatum eſt. l. 14. C. *de contrah. empt.* Singulare tamen ius cognatis conceditur auctione bonorum. l. 16. ff. *de reb. auth. iud. poſſ.* Cæterum ius retractus gentilitium Fridericus Imperator in occidentali Imperio expreſſa ſanctione ſancivit; quod ius poſtmodum moribus eſt comprobatum, varijs tamen locis varium.

Th. 23. Ius hoc protimiſeos gentilitium competit venditoris conſanguineis. Imprimis autem indultum eſt liberis retrahere res à parentibus venditas, etiamſi in poteſtate ſint, modò propria bona habeant, & quamvis heredes patris fuerint, cum nihilominus ratio iuris retractus obtineat, & potior ſit filius extraneo. *Dn. Richter. dec.* 70.

Th. 24. Liberis non exiſtentibus, collateralibus cognatis, fœminis, & maſculis, modo ita generaliter receptum ſit, ius retractus competit (quod iure Saxon. non receptum) & quidem ijs, qui venditori proximiores.

Th. 25. Plures eiuſdem gradus ſi concurrant, omnes admittuntur, aut ſi res commodè dividi nequeat, & communio non placeat, qui prius de retractu egit, præfertur, vel ſorti, vel committitur. *arg.* §. 23. *in fin. Inſt. de legat.*

Th. 26. Quæritur, an iuri repræſentationis hic ſit locus? Reſp. neg. tam de deſcendentium, quàm collateralium ordine, quia ſimpliciter gradus proximitas attenditur.

Th. 27. Quæritur, an in iure retractus ſucceſſorio edicto ſit locus? Reſp. affirm. ſi enim hic vel ille omittat, alter in ſolidum admittitur, aut ſi proximiores iſto non utantur iure, proximè ſequentes rectè retrahunt. *Zoëſi. h. n.* 49.

Th. 28. Ius hoc retractus ratione conſanguinitatis eſt tantum cognatis conceſſum. E. non extraneo, *Gail. 2. obſ.* 19. unde conſanguineus hoc iure utens in ſuum uſum retrahere debet, non verò in

alterius

alterius utilitatem, quod fit in emptoris fraudem.

TH. 29. Competit hoc ius retrahendi etiam adverſus cognatum remotiorem, cui res eſt vendita: quamvis enim res non exierit è familia, tamen propinquior ius habet potius, quod ipſi eripi nequit. *Zoëſi. num.* 49.

TH. 30. Quæritur, ſi uni ex pluribus proximioribus res ita vendita, anne reliqui poſſunt eam pro rata retrahere? Reſp. neg. quia [1] res nec ad extraneum, nec remotiorem venit cognatum; [2] videtur venditori integrum, cui ex cognatis (non remotioribus) pluribus, æquo pretio rem vendere velit.

TH. 31. In bonis immobilibus & illis, quæ pro immobilibus habentur retractui eſt locus, præſertim verò in avitis, quæ videl. à majoribus ad alienatorem pervenêre (Germanicè *Stamguter,*) *Zoëſ. n.* 76. h.t.

TH. 32. Ius retractus obtinet in alienatione, quæ fit pretio, vel æſtimatione interveniente, e.g. in emptione venditione.

TH. 33. Quæritur, an bonis ſub haſta venditis retractus admittatur? Reſp. diſting. aut bona nondum ſunt addicta plus licitanti, ſed ſtatim poſt licitationem ab extraneo factam, conſanguineus idem offert pretium; aut verò iam ſunt decreto iudicis bona ei addicta, qui plus licitatus eſt: priori caſu ius retractus obtinet, quia perinde eſt, ac ſi conſanguineus ſit inter licitatores, adeoque meritò eſt præferendus extraneo. *l.* 16. *ff de bon. auth. iud. poſſ.* Poſteriori verò caſu non amplius admittendus eſt conſanguineus, quia publicè & authoritate iudiciali venum re expoſitâ, debebat voluntatem ſuam declarare. *Carpz.* 2. *c.* 31. *d.* 18.

TH. 34. Rem alienatam retracturus, tenetur pretium, de quo cum extraneo initio ac verè convenit, actu & ritè offerre, & ſi recuſetur, legitimè deponere, quod moribus intra annum & diem fieri ſolet. *Gail.* 2. *obſ.* 19.

TH. 35. Computatur annus iſte ſtatim à facta venditione, licet res nondum ſit tradita. *Carpz.* 2. *c.* 32. *d.* 3. quod tempus incipit tantum currere, negotium ſcientibus, non verò ignorantibus. Ignorantiam autem, ſi præſumptio contra ipſos adſit, probare tenentur, in qua ſi deficiant, iuramentum illis imponitur.

TH. 36. Vt contrahentes à retractu poſſint eſſe tuti, rem venditurus conſanguineis denunciare debet; hi ſi conſentiant in eo, ſuoque iuri renuncient, excluduntur à iure retractus, atque ſit actio, ſive condictio ex moribus, quæ ex hoc retractu oriri ſolet, illis denegatur.

TH. 37. Quæritur, an emptor & venditor à contractu reſilire queant,

KKk

in præjudicium retrahere volentium? Reſp. diſting. vel contractus per traditionem eſt conſummatus, vel non eſt; illo caſu pœnitentiæ non eſt locus; hoc caſu verò eſt.

Huc etiam referri poſſunt ſeqq. pacta.

TH 38. Quæritur, an monopolia iure ſint licita? Reſp. diſting. aut publica authoritate ex iuſta aliqua cauſa, ut publica neceſſitate & utilitate ſunt conſtituta, aut non ſunt, illa omni iure ſunt licita, ſicque etiam in nonnullis Rebuſpubl. farinæ, ſalis, &c. licitè exercentur monopolia. Hæc non ſunt, e. g. ſi pauci conſpirent, ut certas res coëmant ſoli, alioſque in ſuis commercijs impediant, & non niſi pactis inter ſe pretijs & certo demum tempore vendant, quod ſub confiſcatione bonorum & gravi pœna interdicitur. *l. un. C. de monop. Ordinat. polit. de Ann.* 1577. *t.* 18.

TH. 39. Monopolio haud abſimile pactum eſt, quo ſc. mercatores & artifices inter ſe agunt, ut quilibet eorum eodem pretio, eoque non ſatis juſto, rem vendere, aut opus facere debeat. e. g. ſi ſutores conveniant, ut nullus eorum calceos minoris, quam pretio ab ijs conſtituto divendat. *Nov.* 122. *c.* 1. d. *Ord. Polit. tit.* 37.

TH. 40. Vltimum illicitum pactum eſt, quo architecti, & operum redemptores, alijque opifices paciſcuntur, ne opus ab alio inchoatum alter abſolvat. d. l. *un.* C.

TITVLVS IV.

De Hereditate, vel actione vendita.

Iung. lib. 4. tit. 9. C.

TH. 1. POST expoſita pacta, quæ venditionibus adjiciuntur, ſubnectuntur res, in commercio exiſtentes, quæ regulariter omnes vendi poſſunt, ſive corporales, ſive incorporales ſint, de incorporalibus ſc. hereditate & actione vendita. h. t. agitur.

TH. 2. Vt hereditatem quis rectè divendat, requiritur, [1] ut hereditas ſit, l. 7. & 8. ff. h. t. atque [2] defunctus ſit is, de cuius hereditate agitur, quia viventis nulla eſt hereditas, hinc nihil actum eſſe cenſetur, cum non eſt in rerum natura, quod venit. l. 1. l. 7. ff. h. t.

TH. 3. Venduntur autem non ſingula corpora, ſive res hereditariæ, ſed hereditas univerſa, ſive ſucceſſio in univerſum ius defuncti, vel ex

aſſe, vel quatenus ad heredem venditorem pertinet, ſi ex parte tantum heres inſtitutus.

TH. 4. Tenetur venditor non tantum corpora rerum hereditariarum tradere, ſi illa poſſideat, l. 47. ff. *de V. S.* l. 21. ff. h. t. ſed etiam earum rerum, quas non tenet, perſecutionem, & omnes tam in rem, quàm in perſonam actiones (a) ad hereditatem pertinentes cedere.

(a) Id eſt, hac venditione jus actionis, ſive ea ſit perſonalis, ſive realis, l. *fin.* C. h. t. venditur & emitur, & ſi totum ſit liquidum, totius valet emptio; ſin veró illiquidum, valet tantum ad concurrentem pretij ſummam; id eſt, ut non plus exigere poſſit, quam creditori ſolvit emptor. e. g. ſi debitum illiquidum eſſet centum imperialium, quod pro 50. emiſſet, ad concurrentem pretij ſummam, id eſt, 50. imperiales debitum ſe extendit.

TH. 5. Quamvis verò venditor maneat heres. l. 7. §. 10. l. 88. ff. *de hered. Inſtit.* l. 6. C. h. t. & poſſit directis actionibus uti. l. 16. ff. *de pact.* emptor tamen eſt vice heredis. l. 2. §. *pen.* h. t. & non ſolum mandata rerum hereditariarũ perſecutio ipſi competit. d. l. 2. §. 3. atque alijs ceſſis actionibus contra debitores hereditarios agere. d. l. 2. §. 8. ſed etiam ſuo nomine utiles actiones inſtituere poteſt, vi factæ venditionis. l. 5. C. hoc tit.

TH 6. Quòd ſi heres venditor poſt venditionem hereditatis exegerit debita, ea reſtituere debet, quia non amplius eſt dominus.

TH. 7. Venditor ad cedendas actiones emptori eſt obligatus; ceſſio enim in rebus incorporalibus idem eſt, quod traditio rerum corporalium. l. 3. *ff. pro ſocio. l. ult. ff. de donat. l.* 49. §. *ult. ff. de acquir. vel amitt. poſſ. l.* 6. *C. de O. & A.*

TH. 8. Ceſſis actionibus venditis, mandatam actionem directam conſequitur emptor, quam inſtituit & exercet tanquam procurator in rem ſuam. l. 23. h. t. l. 8. C. h. t. l. 9. C. *de procur.* l. 6. C. *de O. & Action.*

TH. 9. Contra ſine ceſſione, ſive mandato ſingulari, proprio nomine utilibus actionibus empti experiri poteſt; ac in arbitrio eius eſt, an velit iſta directa ex mandato, ân hac utili, ſuo nomine uti, l. 7. 8. 9. C. h. t. l. *ult.* C. *ſi fiſc. vel privat.* l. 18. C. *de legat.* l. 55. ff. *de procur.*

TH. 10. Cum redemptores litium & actionum alienarum ſæpius fraudulenter agerent, & creditoribus perſuaderent, ut ſibi viliori pretio nomina venderent, rebus fortuniſque debitorum inhiantes. Ideo Anaſtaſius Imperator conſtituit, & Iuſtinianus approbavit, quod is, cui vẽdita eſt actio, non poſſit plus exigere, quam ipſe pretij nomine credi-

tori exſolvit. l. *pen. & ult. C. mand.* & probare debet ceſſionarius, vel aliquando iuramento confirmare, quantum re ipſa perſolverit. Hinc liquet, reliquum cedere debitoris lucro; in cuius commodum lex iſta lata, ut ſc. eam tantum quantitatem præſtare debeat, quâ ipſe creditor eius fuit contentus. d. l. *ult.* §. *ult.*

TH. 11. Quæritur, an vendita hereditate & ius accreſcendi, quod habet venditor, tranſeat ad emptorem. e. g. Titius eſt à Cajo inſtitutus heres ex ſemiſſe, vendidit ſuam portionem Mævio, poſt venditionem portio coheredis defecit; quæritur, an hæc portio accreſcat Mævio emptori? Negatur per l. 2. §. 1. *in fin.* h. t. ubi vendita hereditate, ea tantum veneunt, quæ fuere tempore venditionis; ſed tempore venditionis portio altera non defecerat. E. [2] ius accreſcendi habet perſona à teſtatore alteri conjuncta. l. 142. ff. *de V. S.* l. 8. ff. *de leg.* 2. at emptor venditori à teſtatore conjunctus non eſt.

TH. 12. Ex nominis venditione utilis in emptorem actiones transferuntur. *l. emptor. l. ult.* C. h. t. & venditor tenetur præſtare [1] *verum debitorem*, h. e. qui nequeat opponere exceptionem peremptoriam. l. 4. ff. h. t. l. *ſi plus.* § *fin. ff. de evict.* [2] venditæ quantitatis *l. quidam, ff. de evict.* non autem tenetur venditor præſtare debitorem eſſe locupletem, ſi modo ſit verus debitor. *dd. textib.*

TITVLVS V.

De reſcindenda venditione, & quando liceat ab emptione diſcedere.

Iung. lib. 4. tit. 44. & 45. C.

TH. 1. A PRINCIPIO libri 18. ad hunc uſque titulum explicatum eſt, quomodo, quibuſve pactis, & qua de re rectè ineatur emptio, ſubjicitur nunc eiuſdem reſciſſio.

TH. 2. Re integra (a) ab emptione mutuo utriuſque partis conſenſu diſcedere licet, (b) unus verò ex pœnitentia, altero invito recedere nequit. (c)

(a) Id eſt, ſi res nondum ſit tradita, aut pretium nondum numeratum. *arg. l. 1. C. quando liceat ab empt.* licet arrha (quæ ſcil. in argumentum emptionis data) venditori ſit data. *arg.* l. 2. C. *eod.* licet fidejuſſor etiam de re emptori tradenda intervenerit. l. 3. h. t. vel nuda cautio præſtita ſit.

(b) §. *fin. Inſt. quib. mod. obl. toll.* d. l. 1. C. & l. 58. ff. *de pact.* l. 5. §. 1. ff. h. t. & ſi ita re integra diſceditur, ſtatim ipſo jure uterque liberatur, & artha, (in argumentum futuræ emptionis, non verò in partem pretij data) ſi quæ data fuit, ex empto repeti poteſt, d. l. 1. 2. C. *quando liceat.*

(c) l. 40. ff. *de ſolut.* l. 3. C. h. t. l. 11. C. *de contrah. empt.* Sicut enim ab una parte talis non perficitur contractus, ita nec ab una, ſed utraque ſimul reſcinditur, l. 1. *in* f. ff. h. t. ne quidem permittente Principis reſcripto, cum Princeps nemini ſuum jus detrahere poſſit, nec fiſcus, l. 3. C. h. t. nec ſi pœnitens ſit miles, l. 7. C. h. t. nec ſi pœnitens duplum offerat, l. 6. C. h. t. nec ſi alter contractum non impleat, l. 14. C. h. t. licet & pretium ſit inæquale, ſi modo non ultra dimidium, doloque malo falſum. l. 4. 8. 15. C. h. t.

TH. 3. Reſolvitur emptio venditio ob ſeqq. [1] mutuo diſſenſu, (de quo Theſi 2. expoſitum,) [2] ob dolum, [3] ob ultra dimidium læſionem, & [4] ob pacta adjecta; vel [5] ob reſtitutionem in integrum.

TH. 4. Si dolus in emptionem venditionem inciderit, l. 5. & 10. C. h. t. vel quis per vim coactus vendiderit, emptio venditio reſcindi poteſt. l. 1. 8. C. hoc tit.

TH. 5. Emptio verò metu iuſto facta etſi valeat iure ſtricto, quia coacta voluntas, eſt etiam voluntas, (a) cum tamen res mali ſit exempli, reſcinditur. l. 1. C. h. t.

(a) l. 21. §. *pen.* ff. *quod met. cauſ.*

TH. 6. Si quis in emptione venditione ultra dimidium (a) fuerit læſus, (b) ea emptio venditio ex l. 2. C. h. t. reſolvi poteſt. (c)

(a) Læſus quis dicitur ultra dimidium, qui non accipit dimidium eius, quod dedit, e. g. ſi pretium pro merce juſtum ſit 100. emptor dicitur læſus, ſi pro illa dederit ſupra 200. contra venditor læditur, ſi pro eadem re accepit minus, quàm 50. eademque ratio eſt in cæteris b. f. contractibus. *Mynſ.* 4. *obſ.* 63.

(b) Sive ſit emptor, ſive venditor, quia [1] utriuſque par hîc eſt conditio, quia [2] & hic in pretio ultra dimidium læditur, *arg.* l. 8. C. h. t. [3] quia emptio eſt b. f. contractus, quæ neſcia inæqualitatis, l. 3. C. *comm. utri. jud.* at inæqualitas eſſet, ſi emptori non concederetur huius l. 2. C. beneficium, quod emptori conceditur. Læſio autem æſtimanda eſt ea, quæ fuit tempore contractus, non verò eo tempore, quo quis agit. *Obſervandum*, beneficium reſciſſionis ob læſionem ultra dimidium ex d. l. 2. C. competens, non tantum huic actioni eſt proprium, ſed omnibus illis, quæ ſunt actiones b. f. eſt commune, cum ſæpè leges ad illa, quę expreſsè non continentur, extenduntur, ob rationis paritatem.

(c) Non ſemper tamen reſolvitur, ſed læſus poteſt petere, ut pretium ſuppleatur, aut venditio reſcindatur, d. l. 2. C. c. 3. *Extr. de empt. & vend.*

h. e. poteſt alternativè petere, ut aut à contractu recedatur, aut læſio reſarciatur.

TH. 7. Vtrum quis ultra dimidium ſit læſus, nec ne, hoc ex iuſto rei venditæ pretio (a) colligendum eſt.

(a) Iuſtum pretium hic nihil aliud eſt quam naturale, id eſt, vulgare, ſeu quanti res communi æſtimatione venire poteſt. l. 63. ff. *ad L. Falcid.* l. 16 ff. *de pign.* l. 11. §. 1. *de jur. dot.* hinc probatur læſio talis per peritos rerum æſtimatores, per teſtes, interdum quoque per juramentum delatum. *Richter dec.* 99.

TH. 8. Emptio vend. etiam pactis adjectis (a) reſolvi poteſt.

(a) Aut [1] pacto addictionis in diem, l. 2. ff. de in diem addict. [2] ex lege commiſſoria, l. 2. ff. *de leg. commiſ.* & [3] pacto de retrovendendo, l. 2. C. *de pact. inter empt.* His enim pactis convenitur, ut aliquando emptio vend. diſſolvatur, retrahatur & revocetur.

TH. 9. Reſtitutione quoque in integrum emptio venditio aliquando reſcindi poteſt. *t. t. C. ſi adverſ. vend.*

TH. 10. Si ob penſitationes decreto Iudicis, (a) bona debitoris ſub haſta venierint minus juſto pretio, (b) vel ſine Præſidis authoritate, vel res minoris 25. annis ſine decreto, vel legitimi debitoris præſentia (c) vendita fuerit, venditio reſcindi poteſt.

(a) Decretum judicis intercedit prævia alienationis cauſæ cognitione, an alienare liceat.

(b) Per ambitionem & gratiam in debitoris fraudem, quod tamen raro fieri ſolet, cum difficile ſit probatu, l. 2. C. *de jur. & fid. haſt.*

(c) l. 2. C. *ſi propter publ. penſit.* Secus autem ſe res habet, ſi venditio palam & publicè autoritate Præſidis, ab exactore tributorum ſincera fide, iuſto pretio, d. l. 2. & ſolenniter, l. 3. C. *eod.* facta fuerit, idque obtinet ob potiorem tributorum cauſam, l. 1. C. *eod.*

TH. 11. Ex d. l. 2. C. datur actio ex empto vendito, & quia actio in perſonam eſt, ideo non datur contra tertium poſſeſſorem, in quem fortè res ab emptore, qui minori pretio emit, rurſus tranſlata. Interpretes tamen admittunt contra tertium poſſeſſorem actionem in factum, ſi ſc. prior emptor non ſit ſolvendo. *Zoeſ.* n. 28.

TH. 12. Quæritur, an re apud emptorem perempta, beneficium, d. l. 2. adhuc ſuperſit? Reſp. diſting. aut emptor aut venditor eſt læſus. Si ille, interim nihil ominus venditorem convenire poteſt, ſive caſu, ſive culpa ejus interierit, ita ut quod ultra juſtum pretium ac-

cepit , reſtituat ; Sin verò hic (venditor) fuerit læſus , ipſe poſt rem caſu peremptam non poterit agere, quia à rei præſtatione, quam re adhuc extante conventus eligere poterat, interitu eius liberatus eſt, adeoque nec ſuppletione pretij rem quaſi luere debet. *Dn. Richter* n. 108. Imò licet per emptoris negligentiam ſine dolo res perierit, tamen non tenebitur, quia in re verſatus eſt licitè ut dominus, adeoque hoc caſu etiam per talem interitum erit liberatus, *arg.* l. 18. §. 1. l. 25. §. 11. ff. *de petit. hered.* ac imputet ſibi venditor, quod non citius egerit.

TITVLVS VI.

De Periculo & commodo rei venditæ.

Iung. libr. 4. tit. 48. C.

De emptionis & venditionis operatione, ſive effectu.

TH. I. VENDITIONE (a) perfecta, (b) commodum (c) & periculum (d) culpâ venditoris (e) non contractum pertinet ad emptorem. (f) In venditione verò imperfectâ (g) commodum & periculum ſunt venditoris (h)

(a) Speciei, non generis, l. 14. §. 1. ff. h. t. ſimpliciter, non ſub alternatione facta, l. 34. §. 6. ff. *de contrah. empt.* e. g. aut Stichus, aut Seius ſervus mihi eſt emptus.

(b) Quæ duobus modis dicitur, uno, quæ ratione effectus, & quaſi actus ſecundi eſt perfecta, quando hinc inde pretium eſt ſolutum, & res tradita, vel ab alterâ ſaltem parte; ut in l. 57. *pr.* ff. *de contrah. empt.* l. 8. *tit. præced.* l. 1. C. *de litig.* altero modo, quæ ratione ſuæ ſubſtantiæ, & quaſi actus primi perfecta eſt, quod fit, quoties de pretio, aut re conſenſum fuit, & de eo conſtat, quod venit, nempe, quid, quale & quantum ſit, & purè ſine conditione adjecta venijt, l. 45. ff. h. t. d. l. 8. tit. præced. Contra imperfecta emptio eſt, quæ ſub conditione eſt contracta, pendente enim conditione eſt imperfecta, impleta verò ea eſt perfecta. Hæc eſt tacita, vel expreſſa, illa eſt [1] ut ſi emptio venditio ſcriptura confici debeat, tunc, ſcripturâ confectâ, emptio venditio ratione eſſentiæ eſt perfecta. [2] ut ſi res vendita ad pondus, numerum vel menſuram, & nondum ſit adpenſa, menſurata, vel numerata, l. 35. §. 1. ff. *de contr. empt.* [3] ſi vinum, aliudve liquidum ad deguſtationem venditum ſit, & nondum deguſtatum, l. 4. *pr.* ff. h. t. Non autem item, ſi vinum, quod eſt in illa cella, aut frumentum,

quod eſt in illo horreo per averſionem, hoc eſt in univerſo ſeu confuſè & acervatim, pretio inſimul dicto, & in ſingulas res conſtituto, d. l. 35. §. 5. ſit venditum; tunc enim purè emptio venditio & ſtatim, poſtquam de pretio convenit, eſt perfecta, l. 4. §. 1. ff. h. t.

(c) Commodum illud eſt duplex, intrinſecum & extrinſecum; Intrinſecum eſt, quod ex re ipſa venit ut alluvio, l. 7. ff. h. t. fœtura l. 8. de evict. fructus agrorum, l. 13. §. 10. ff. *de act. empt.* l. 2. C. *eod.* lapidicinarum, l. 9. §. 2. & 3. ff. *de uſufr.* extrinſecum, quod occaſione rei accedit, qualia ſunt per ſervum venditum quæſita, l. 13. §. 18. ff. *de act. empt.* merces ex operis, aut vecturis, penſiones ex locatione, d. l. 13. item ſi quid ex adjudicatione in iudicijs diviſorijs venditori obvenit, &c.

(d) Periculum hoc eſt triplex [1] deteriorationis, e. g. ſi vinum acuerit, vel aliud quid vitij ſuſtulerit, l. 1. *pr.* l. 4. *pr.* §. 1. ff h. t. [2] Interitus, quandoque enim res tota, aut eius pars incendio, vel chaſmate, vel alia ratione interit, l. 7. 10. §. 1. ff. h. t. l. 3. 4. § 1. ff. *de reſcind. empt.* [3] Amiſſionis, ut quia res evicta, l. 1. C. h. t. vel confiſcata, l. 11. *pr.* l. 33. ff. *locat.* vel ſurrepta eſt, l. 35. §. 4. ff. *de contr. empt.* l. 14. § 1 ff. h. t. vel ſi ſervus aufugit.

(e) Si igitur venditor ſit in mora & culpâ, eius eſt periculum, l. 4. *pr.* l. 14. §. 1. l. 17. ff. h. t. quia utriuſque utilitas vertitur iuxta regulam, quæ eſt in l. 5. §. 1. ff. commod. de levi culpa, adde l. 23. ff. *de* R. I.

(f) Venditor enim tantum dolum & culpam in re vendita præſtat. E. ſi equus venditus, nondum tamen traditus abſque venditoris culpa moriatur, perit emptori, qui pretium prô eo ſolvere tenetur, l. 34. §. *pen.* ff. *de contr. empt.* & l. 11. *in fin. pr.* ff. *de evict.* quia emptori in re empta ob dominij cauſam, quam habet, omne commodum obvenit. E. & incommoda ferre non recuſet.

(g) Talis eſt, quæ ſub conditione, vel in diem. Illa eſt expreſſa, vel tacita; de hac jam dixi, expreſſa verò eſt, quando ſub conditone expreſſa res venit. d. l. 8.

(h) Si in imperfecta venditione, (quæ eſt conditionalis tacita, vel expreſſa,) conditio deficiat, venditio eſt extincta, l. 8 *pr.* ff. *de in diem addic.* l. 10. ff. h. t. l. *pen.* C. *eod.* ſin verò conditio exiſtat, periculum eſt emptoris, d. l. 8. eius etiam eſt periculum in venditione ad diem.

TH. 2. Venditor diligentiam talem, qualem diligens paterfam. in ſuis rebus adhibet, (a) præſtare debet.

(a) Venditor igitur præſtat culpam levem, l. 4. 15. 17. ff. h. t. non ſolum in re venditâ, l. 35. §. 4. ff. *de contr. empt.* ſed & in ijs, quæ eidem accedunt, quæque cum re vendita præſtari ſolent, l. 11. §. 1. l. 13. §. 11. ff. *de act. empt.* uſque dum emptori tradat. Excipe, niſi emptor fuerit in mora, tunc enim dolum duntaxat præſtat. d. l. 17. ff. h. t.

TH. 3. Si res abſque dolo & culpa levi venditoris forſan furto ablata, aut injuria alterius interempta, corruptave ſit; tunc tenetur venditor

ditor, ut domino actiones competentes cedere, ut rei vindicationem, condictionem furtivam, actionem furti, item actionem ex L. Aquilia. §. 3. *Inſt. de empt. vendit.*

T[illegible]4. Quamvis dicetur generaliter, rem domino ſuo perire, (hinc argumentantur. E res venditori perit, quod falſum) id obtinet in contractibus ex quibus res alterius contrahentis apud alterum eſt, ut in depoſito, pignore, &c. aliter autem ſe res habet in contractibus, ex quibus res aliqua certa alteri debetur, in his enim res perit illi, cui debetur, l. 5. ff. *de* R. C. l. 32. *&* 33. ff. *de* V. O. l. 5. §. 1. ff. *P. verb.* quod æquitati quàm maximè congruum. Si enim emptor ſtatim obtuliſſet venditori pretium, tunc venditor ad rem eo ipſo momento tradendam fuiſſet obligatus, quo facto res apud emptorem perijſſet; & quia venditori non confeſtim obtulit pretium, emptor videtur in mora eſſe: quapropter periculum rei meritò ad ipſum ſpectat, l. 34. §. *pen* l. 1. 7. §. 11. 15. ff. h. t. d. l. 35. §. 4. ff. *de contrah. empt.* l. 5. §. 1. h. t. l. 39. *de ſolut.* l. 11. §. 9. *&* 10. ff. *quod vi aut clam.*

TH. 5. Interdum & venditor rei venditæ periculum ferre tenetur. [1] Si ita ſpecialiter convenerit, d. §. 3. *Inſt. de empt. vend.* [2] ſi emptio ſit generis, l. 14. §. 1. ff. h. t. aut alternativa, quo caſu alterutra res venditori perit, & nihilominus ſuperſtes emptori eſt danda. Hac verò quoque pereunte, emptoris eſt damnum, d. l. 34. §. 6. ff. *de contrah. empt* [3] ſi dolus, vel culpa venditoris, caſui, qui accidit, intervenerit, d. §. 3. *verſ. quod ſi Inſt.* l. 15. h. t. l. 13. §. 3. *de act. empt.* [4] ſi venditor fuerit in mora tradendi, l. 4. C. h. t. l. 17. h. t. [5] ſi vitium, ex quo forte poſt venditionem res interit, (e. g. animal moritur,) iam ante contractum celebratum adfuerit. l. 44. ff. *de contrah. empt.* l. *ult.* C. h. t *&* *de legib.* ff. *de ædil. edict.*

TH. 6. Differentia quando venditio ad menſuram taxationis, & quando demonſtrationis cauſa (per averſionem ſc.) contracta. Priori caſu, menſuræ, numeri & ponderis modus eſt exactè obſervandus, quapropter emptor, qui plus, quam dictum eſt, recipit, pretium augere, vel id quod deeſt ſupplere, vel pretij partem emptori remittere tenetur, l. 40. §. 2. ff. *de contrah. empt.* l. 4. §. 1. l. 13. §. 14. l. 42. ff. *de act. empt.* Poſteriori caſu ob minorem, majoremve rerum venditarum repertum numerum, menſuram, vel quantitatem, pretium neque in commodum emptoris minuitur, neque in favorem venditoris augetur, ſed utrobique, ſive quid deſit, ſive quid abundet, id totum damno aut lucro emptoris cedit. *Rauchb* p. 1. q. 21.

TITVLVS VII.

De ſervis exportandis, vel ſi ita mancipium venierit, ut manumittatur, vel contra.

Iung. lib. 4. tit. 55. C.

TH. I. CVM olim nihil erat frequentius (ſicut hodiè apud Turcas) ſervorum venditionibus, earumque venditionum pactis, ideo hic de ijs agitur.

TH. 2. Quotis igitur venditi fuerint ſervi, pacta, quæ eorum venditionibus erant adjecta, ſervari oportebat; pacta autem ſunt ſequentia; [1] ut exportentur, (a) vel [2] manumittantur, vel ne manumittantur, (b) vel [3] ne proſtituantur. (c)

(a) Hoc pactum ad ſecuritatem venditoris ſpectabat, ne in illa civitate, vel provincia moretur, ubi dominus eos venit, vel ubi priſtinus dominus, vel venditor commoratur, hoc caſu ſi pactum non ſervetur, venditori manus injectio in ſervum competit, vel is in fiſcum redigitur, l. 1. 2. §. *fin.* C. l. 7. 9. ff. h. t.

(b) Secundum pactum reſpicit ſervi ſtatum, aliquando enim talis conditio ſervi alienationi adjicitur, ut manumittatur, hanc ſi non ſervet emptor, ſervus fit ipſo iure liber, l. 1. & 2. C. *ſi mancip. ita fuer. alien.* vel contra adjicitur pactum, ne intra certum tempus, aut, ne unquam manumittatur, & non competit manumiſſo libertas, l. 5. C. *ſi mancip. ita, &c.*

(c) Tertium pactum concernit pudicitiam ipſius ſervi venditi tuendam, e. g. ne ancilla proſtituatur, & ſi proſtituta fuiſſet, ut venditori in eam manus injectio, ſive pœna præſtaretur, l. 6. ff. h. t. l. 1. 2. 3. C. *ſi mancip.*

LIBER DECIMVS NONVS.

TITVLVS PRIMVS.

De actionibus empti & venditi.

Iung. lib. 4. tit. 49. C.

TH. 1. EXPOSITA ipſa contractus natura, & pactis, quæ adjici ſolent, declaratis, agitur de actione inde fluente, quâ quod ex obligatione debetur, perſequimur.

TH. 2. Oritur autem ex hoc contractu obligatio mutua emptoris ac venditoris utrinque directa, & principalis; & quidem emptoris obligatio conſiſtit in eo, ut pretium ſolvat, l. 13. §. 8. h. t. obligatio verò venditoris in eo, ut rem venditam tradat unà cum fructibus poſt venditionem perceptis, & omnibus acceſſionibus.

TH. 3. Hinc deſcendit actio empti, quæ eſt actio in perſonam, debitum ex venditione perſequens. §. 17. *Inſt. de act.*

TH. 4. Actionem empti emptor (a) ſoluto, vel oblato pretio (b) adverſus venditorem (c) inſtituere poteſt.

(a) l. *exempto* 11. *pr.* ff. h. t.
(b) l. *Iulianus* 13. §. 8. ff. h. t.
(c) l. 1. §. 1. l. *tenetur* 6. *pr.* ff. h. t.

TH. 5. In judicio empti deducitur, quod præſtari convenit, (a) quod ſi nihil convenit, tunc præſtabuntur, quæ naturaliter inſunt hujus judicij poteſtate. (b)

(a) l. 11. *pr.* & §. 1. ff. h. t. venditor debet præſtare dolum circa rem venditam, l. 68. *pr.* ff. *de contr. empt.* & levem culpam, d. l. 68. *pr.* l. 2. §. 2. *Commod.* id eſt, à tempore ſc. perfecti contractus ad traditionem uſque rem obſervare & cuſtodire, ut bonus paterfam. §. 3. *Inſt. de empt. vend.* l. 35. §. 4. *de contrah. empt.* l. 36. l. 54. ff. h. t. Si vero emptor in mora accipiendi fuerit dolum tantum præſtat. l. 5. l. 17. ff. *de peric. & com. rei vend.*

(b) d. l. 11. §. 1. quod ex ſeq. theſi patet.

TH. 6. Et in primis venditor ipſam rem (a) præſtare, id eſt, tradere (b) tenetur. (c)

(a) d. l. 11. §. 2. h. t. *vacuam* poſſeſſionem à quolibet videlicet pignore, & à qualibet detentione commodatarij, vel alijs oneribus liberam l. 2. §. 1. l. 3. *pr.* ff. h. t. cum ſuis acceſſionibus, l. 25. ff. l. 13. *&* 16. C. h. t. l. 12. ff. *comm. prædior.* l. 13. §. 13. *&* 18. ff. h. t. & talem, qualis fuit vendita, id eſt, non deteriorem ob vitia adhærentia.

(b) Res à venditore ita traditur emptori, ut ſi dominus fuerit venditor, facit & emptorem dominum, ſi non fuit, loco dominij præſtat uſucapiendi conditionem venditor unà cum evictionis cautione, ad quam ſolutione pretij obligatur, d. l. 11. §. 2. (quia nemo plus iuris in alium transferre poteſt, quam ipſe habet.) venditor igitur cavere tenetur, emptori rem habere licere, ne evincatur, d. l. 11. §. 8. l. 66. ff. *de contrah. empt.* venditor etiam dolum præſtare debet emptori, d. l. 11. §. 16. l. 1. ff. *de rer. permut.*

(c) Debito tempore, deſtinato loco tradatur, ſi hoc non fecerit propter moram ad intereſſe condemnatur venditor, & omnis utilitas emptoris in æſtimationem venit, quæ modo circa ipſam rem conſiſtit. l. 3. §. 3. 4. l. 21. §. 3. ff. h. t.

TH. 7. Ex antecedente theſi colligi poteſt, venditorem ad tria eſſe obligatum, (1) poſſeſſionem tradere vacuam, (2) de evictione teneri & (3) purgari dolo malo.

TH. 8. Actio venditi, (quæ actioni empti eſt contraria) eſt actio in perſonam, (a) debitum ex emptione perſequens.

(a) d. §. 17. *Inſt. de action.*

TH. 9. Actio illa competit venditori (a) re tradita (b) contra emptorem. (c)

(a) l. *Iulianus*, 13. §. *ex vendito*, 19. ff. h. t.

(b) Quæ debet eſſe libera à ſervitutibus, ut (1) ſi optimus maximus fundus ſit venditus, l. 59. ff. *de contr. empt.* [2] non debet eſſe vitioſa [3] ab omnibus oneribus libera. l. 2. §. 1. ff. h. t. l. 9. §. 1. ff. *de ſolut.*

(c) Quem ex rei traditione habet obligatum; notandum hic, licet res emptori ſit tradita ex venditionis cauſa, dominium non transfertur, niſi pretium ſit ſolutum, vel expreſsè fides de pretio habita ſit, § 41. *Inſt. de R. diviſione*, l. 19. l. 52. ff. *de contr. empt.* Iure verò Saxonico dominium rei venditæ immobilis licet traditæ haud transfertur, niſi facta ſit iudicalis reſignatio. (*Germanicè die gerichtliche auflaſſung., daß nemlich das gut von den kaufern gerichtlichen aufgelaſſen und den kaufern Zugeſchrieben*,) quod etiam alibi locorum receptum eſt.

TH. 10. Venire poſſunt in iudicium venditi [1] pretium, (a) [2] uſuræ pretij, (b) [3] pœna, (c) [4] ſumptus. (d)

(a) Quanti res venit, d. l. 13. §. 20. idque ita venditori eſt ſolvendum, ut eius fiat, d. l. 11. §. 2.

(b) Poſt diem traditionis. d. l. 13. §. 20. tardius ſoluti, atque ideo ob moram, l. 32. §. 2 *ff de uſur.* in omnibus autem bonæ fidei contractibus uſuræ ob moram debentur.

(c) Conventa, ſi videlicet pecunia ad diem ſoluta non ſit, vel ſi non ſit factum, quod inter emptorem, & venditorem convenit. l. 28. ff. h. t.

(d) Putà neceſſarij & utiles in re diſtractâ à venditore facti. d. l. 13. §. 22.

TH. 11. Actio empti & venditi utraque eſt bonæ fidei. §. 28. *Inſt. de act.*

TH. 12. Differunt invicem actio ex empto, ſeu empti, & actio ex vendito, ſeu venditi. *arg.* l. 11. ff. h. t. quia emptio & venditio (unde prædictæ actiones) ſunt diſtinctæ, aliud enim eſt emere, aliud vendere, E. etiam diſtinctè definiri debent, Iuriſconſulti tamen his verbis promiſcuè utuntur, quia hic contractus eſt negotium ſub duobus actibus correlativum.

TH. 13. Quæritur, an venditor præciſè cogatur rem venditam tradere, an præſtando intereſſe liberetur? Reſp. affirm. prius membrum, ſi modo rem tradendi facultatem habeat. §. 1. *Inſt. de empt. vend.* §. 2. *Inſt. de donat.* quia hic ſubeſt ratio dandi; cogitur enim dare venditor. l. 11. §. 2. h. t. id eſt, in effectu dominium transferre. l. 75. ff. *de V. O.* quicumque verò tenetur dominium transferre, is etiam præciſè cogitur tradere. *arg. l. fin.* §. 1. C. *de uſur. rei ind.* aſt quia obligatio in hoc contractu non eſt ſimpliciter dandi. *arg.* l. 11. §. 2. ff. h. t. Hinc prædicta regula ſuas, habet limitationes, [1] ſi venditor non habeat facultatem rei tradendæ. l. 1. ff. h. t. l. 4. C. *eod.* [2] ſi non interſit emptoris, rem tradi. l. 20. C. h. t. [3] ſi ſubſit merum factum, quod tradi nequeat. l. 12. ff. h. t. Ius Lubecenſe paululum hic recedit, ſtatuens, quod res immobilis vendita, aut tradenda ſit emptori, aut pars decima pretij promiſſi ſolvenda, atque ſic venditor præciſè tradere non cogatur. Huic ſtatuto haud diſſimile eſt pactum pœnale (*Germanicè des Reukaufs*,) quod emptionibus ſubinde adjicitur, ut in caſum pœnitentiæ, certum quid ſolvatur.

Ad meliorem huius tituli intellectum ſubnectuntur ſeqq.

TH. 14. Emptori agenti ad traditionem rei venditæ opponit venditor exceptionem non ſoluti pretij, niſi alio modo ſatisfecerit emptor, vel venditor habuerit fidem de pretio. *arg.* §. 1. *& ſeq. Inſt. de R. D.* ita & venditori agenti ad pretium rectè opponit emptor exceptionem venditæ rei nondum traditæ.

TITVLVS II.

Locati conducti.

Iung. lib. 4. t. 65. C.

TH. I. POST explicatum emptionum & venditionum tractatum, conſequens eſt, ut de actionibus locati & conducti, quæ quarta ſpecies contractuum conſenſualium, diſcurſum formemus. Emptioni & venditioni ſtatim ſubnectitur locatio propter materiarum affinitatem; locatio enim eſt qſ. quædam uſus rei emptio; quare in quibus dubitari ſolet, utrum emptio, an locatio ſit contracta. l. 2. §. 1. ff. h. t. e.g. ſi cum aurifice convenerim, ut ex auro ſuo certi ponderis, certæque formæ annulos mihi faceret, & acciperet 10. aureos, utrum emptio venditio, an locatio conductio contrahi videbitur? Reſp. emptio contrahitur. Contra ſi meum aurum dederim mercede pro opera conſtituta, locatio & conductio eſt, § 4. *Inſt.* h. t. l. 2. § 2. *eod.* Toties enim conductio alicuius eſt, quoties materia, in qua aliquid fieri debet, proficiſcitur ab eo, cui opus fit. Quoties verò non ſolum res immutatur, ſeu per operam forma inducitur, ſed etiam totum corpus alienatur, & nihil aliud quam pecunia datur, emptio eſt. l. 34. *pr.* ff. *de aur. & arg. legat.* l. 20. l. 65. ff. *de contr. empt.*

TH. 2. Actio locati & actio conducti ſunt ex contractu locationis, (a) & conductionis.

(a) Locatio accipitur (1) impropriè, pro quavis rei conceſſione ad uſum, etiam quæ utendo conſumitur, ita mutuo locatio fit. l. 33. *pr ff de uſur. Nov.* 160. *in præf. & c.* 1. atque contractum libellarium, cenſiticum, emphyteuſin comprehendit. *arg.* §. 3. *de locat. & cond.* l. 8. & 21. C. *eod.* (2) Propriè ſumitur pro conventione, quâ uſus rei ad certum tempus pro certa mercede conſtituitur, atque ſic differt à mutuo, ut in *t. Inſt. ff. & C. de locat.*

TH. 3. Locatio & conductio eſt contractus nominatus, (a) qui conſenſu ſolo, (b) de re aliqua, (c) ob certam mercedem (d) facienda, (e) vel utenda, ſive fruenda (f) perficitur.

(a) l. *juriſgentium* 7. §. 1. ff. *de pact.*

(b) *d. tit. Inſt. de oblig. quæ ex conſenſ. l.* 2. *ff de O. & A. l.* 1. *ff. h. t.* nudo conſenſu abſque rei traditione ſuper rei uſu & mercede perficitur.

(c) Locari poteſt omnis res, quæ in commercio eſt, ſive mobilis, ſive

immobilis. *arg.* l. 34. ff. *de contr. empt.* etiam aliena. l. 7. & 9. ff. h. t. vel fieri poteſt, modo æſtimationem recipiat, etiam res incorporalis ut uſusfructus, quatenus eſt ius reale. *pr. Inſt. de uſu & habit. l. 7. ff. de uſufr.* item emphyteuſis & feudum. 2. *feud.* 9. § 1.

(d) d § 1. *Inſt.* l. 2. ff. h. t. in mercede requiritur, (1) ut ſit vera, non ſimulata. l. 46. h. t. (2) certa. l. 25. *pr.* h. t. §. 1. *Inſt. eod.* (3) iuſta, ſeu uſui, operæve reſpondens; ſicut enim in emendo & vendendo naturaliter conceſſum eſt, quod pluris ſit, minoris emere, quod minoris ſit, pluris vendere, & ita invicem ſe circumſcribere; ita & in locationibus & conductionibus idem iuris eſt: & ideo prætextu minoris penſionis locatione factâ, ſi nullus dolus adverſarij, nec etiam læſio ultra dimidium probari poſſit, reſcindi locatio non poteſt. l. 22. §. *fin.* l. 23. h. t.

(e) l. 2. §. 1. *in fin.* l. 13. §. 2. l. 19. §. 7. l. 22. §. 2. l. 51. ff. h. t.

(f) §. 2. *Inſt.* & l. 15. §. 1. ff. h. t.

TH. 4. Cauſa efficiens locationis. Contrahitur locatio conſenſu, ſicuti emptio & venditio, non tantum conſenſu expreſſo, ſed etiam tacito, ut ſi quis poſt lapſum locationis tempus, patiatur inquilinum in domo manere. l. 13. *in fin.* ff. h. t.

TH. 5. Materia ad literam c, explicata eſt.

TH. 6. Forma conſiſtit [1] in conſenſu, [2] de rei uſu concedendo, aut opera perſonæ præſtanda, opereve faciendo, [3] pro certa mercede. l. 1. l. 14. *pr.* h. t.

TH. 7. Finis locationis eſt idem, qui omnium contractuum, ut rerum uſus inter homines communicetur.

TH. 8. Nihil refert, an ad modicum, an ad longum, aut longiſſimum tempus fiat locatio, quia temporis qualiſcumque adjectio non variat ipſam contractus naturam. l. 8. ff. *mandat.*

TH. 9. Actio locati eſt actio in perſonam (a) debitum ex conductione perſequens.

(a) §. *rei perſequendæ* 17. *Inſt. de action.*

TH. 10. Actio locati locatori, (a) eiuſque heredi competit.

(a) *pr. Inſt.* h. t. In locatione rei dicitur locator is, qui rem utendam ſub certa mercede dedit (ut dominus ædium) qui autem rem utendam accepit (ut ædes inhabitans) mercedemque præſtare debet, conductor nuncupatur. l. 38. ff. h. t. In locatione verò operis faciendi vocatur locator, qui alteri operam ſuam locat, ſive exhibet; contra conductor ille, cui opera præſtanda eſt, quando autem per operas producitur opus, is, qui eſt locator operarum. l. 11. §. *pen.* l. 13. §. 1. 2. ff. h. t. l. 22. §. 2. l. 26. h. t. l. 38. h. t. ratione illius operis faciendi, eſt conductor operis, quod ſc. ipſi concedatur illud faciendum, ſive quod ſuſceperit faciendum. §. *pen. Inſt.* h. t. l. 22. §. 2. h. t.

l. 19. §. 7. l. 11. § 3. h t. & qui eſt conductor operarum, eſt locator operis, quod ſibi faciendum alteri locavit; ita faber eſt conductor domus ædificandæ, & locator ſuarum operarum, dominus eſt locator domus extruendæ, & conductor operarum fabrilium. d. l. 22 §. 2. h. t.

TH. 11. Actio locati locatori rei & operarum datur. l. 38. ff. h. t.

TH. 12. Actio hæc adverſus conductorem. l. 13. *&* 14. C. h. t. eiuſque heredem datur. l. 60. §. 1. ff. l. 23. *&* 24. C. h. t.

TH. 13. In actionem eam venire poſſunt, mercedis, (a) uſurarumque (b) ſolutio, damni, (c) & intereſſe, (d) pactique conventi (e) præſtatio, (f) & rei locatæ finitâ locatione reſtitutio.

(a) l. 19. §. 6. l. 25. *pr.* l. 27. 54. §. 1. l. 56. ff. h. t. quæ regulariter conſiſtit in pecunia numerata. l. 5. §. 2. ff. P. V. l. 1. §. 9. *depoſ.* l. 19. §. 3. h. t. niſi quis interdum voluntariam compenſationem admittere velit.

(b) l. 5. ff. l. 17. C. h. t. poſt moram commiſſam uſura ſolvenda.

(c) Dati dolo, vel culpâ latâ, vel levi. l. 31. ff. h. t. l. 23. ff. *de R. I.* l. 5. §. 2. ff. *commod.* Excipe niſi aliter ſit conventum, vel res natura ſua requirat exactiſſimam diligentiam, tunc leviſſima culpa præſtari debet. §. *pen. Inſt.* h. t. l. 25. §. 7. ff. h. t.

(d) l. 24. §. 2. l. 55. §. 2. ff. h. t.

(e) §. *conductor. pen. Inſt.* h. t.

(f) *arg.* d. §. *pen. Inſt. &* l. 29. C. h. t. conceditur enim conductori uſus rei ad certum & determinatum tempus. l. 15. *pr.* ff. h. t. quo effluxo res locata reſtituitur.

TH. 14. Actio conducti, (quæ actioni locati contraria) eſt actio in perſonam. §. 17. *Inſt. de act.* debitum ex locatione perſequens.

TH. 15. Actio conducti conductori, l. 15. *pr.* ff. h. t. eiuſque heredi, l. 10. C. h. t. competit.

TH. 16. Illâ actione conveniri poteſt locator, l. 9. *pr.* ff. l. 2. l. 15. C. h. t. eiuſque heredes, l. 19. §. 8. ff. l. 24. l. 29. C. h. t.

TH. 17. Ex eâ peti poteſt, ut conductori re locatâ uti liceat, (a) vel locator operam, vel intereſſe, (b) vel damnum, (c) datum (d) præſtet, iſque impenſas reſtituat, neceſſarias ſc. & utiles ad perpetuam rei utilitatem, vel refectionem pertinentes.

(a) l. 15. §. 1. l. 19. §. 2. ff. h. t. & hæc licentia includit tria ſeqq. (1) poſſeſſionem rei locatæ. d. l. 15. §. 1. impropriam ſcilicet, (2) uſum rei conductori concedendum, uſque ad tempus determinatum. l. 32. C. h. t. hinc locator omnia præſtare tenetur, ſine quibus uti non licet, ut ædes reficere. d. l. 25. §. 2. l. 27. *pr.* ff. h. t. inſtrumenta fundi præſtare. d. l. 19. §. 2. (3) perceptionem fructuum. d. l. 19. §. 1.

(b) *arg.* l. 13. ff. *de re iudicat.*

(c) Ex vitio

(c) Ex vitio rei. l. 51. §. 1. d. l. 19. §. 1. ff. h. t.
(d) Dolo, culpâ latâ, vel levi. §. *pen. Inſt.* l. 28. C. h. t.

TH. 18. Ex hoc contractu oritur obligatio mutua, utrimque principalis, ut ſc. locator & conductor ſibi invicem præſtent, quod in contractum eſt deductum, & de quo convenit. l. 21. h. t. l. 11. §. 1. ff. *de act. empt.*

TH. 19. Locator ante finitum locationis tempus conductorem invitũ expellere non debet, nec hic ante finitum tempus, rem locatam deſerere; Vtrumque tamen ſuas habet limitationes, ſive exceptiones.

TH. 20. Locator conductorem expellere authoritate iudicis poteſt [1] ex cauſa neceſſitatis, quæ ſupervenit ex poſtfacto, ut ſi locator ædes conductas proprijs uſibus neceſſarias demonſtraverit. l. 3. C. h. t. idem locatori in fundo, ſive prædio ruſtico non conceditur, quia in tali prædio eiuſmodi neceſſitas inhabitandi occurrere nequit, [2] ſi dominus ædes reparatione & correctione neceſſariò indigentes reficere conatur. l. 30. *pr.* ff h. t. *&* d. l. 3. [3] Si conductor re malè utatur, meretrices excipiendo, &c. d. l. 3. [4] Si conductor penſionem debitam biennio elapſo non ſolverit, quod & lege civili. d. l. 3. C. h. t. l. 55. §. 1. *&* l. 56. ff. h. t. & iure Canonico eſt iuſtum, *c. propter*, §. *verum, in fin. Extr. de locat.* his caſibus merces tantum pro rata temporis, quo quis ædes inhabitavit, debetur.

TH. 21. Conductor verò ante finitam locationem poteſt rem locatam deſerere, ſi iuſta ipſi ſit cauſa. Requiritur autem ad iuſtam deſerendi cauſam, ut vitium ſit in re locata, unde neceſſario migrandum, ſi obſcurentur lumina habitationis, vel alio modo habitationi officiatur, adſit impetus hoſtilis, cauſa damni infecti, &c. & tunc pro rata temporis, penſionis remiſſio fieri debet. l. 19. §. 6. l. 25. §. 2. ff. h. t. aſt ſi ex nudo arbitrio, vel ex cauſa haud ſufficienti recedat conductor, totius temporis penſionem ſolvere obligatus eſt. l. 55. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 22. Vnde ſequens exſurgit quæſtio, an conductor ruinam ædium metuens, ædes conductas ante finitum locationis tempus deſerere queat, & quidem ita, ne ad totius temporis penſionem ſit obſtrictus? Reſp. diſting. aut ædes ſunt ruinoſæ, aut non, illo caſu ad deſertionis tempus, ſive pro rata temporis penſionem ſolvit, hoc caſu totum conductionis pretium ſolvere tenetur. l. 27. §. *ult.* ff. h. t. locator autem probare tenetur per inſpectionem fabrorum, vel aliorum, ædes haſce non eſſe ruinoſas.

TH. 23. Quæritur, an emptor contractum à venditore cum colono initum ſervare teneatur? (e. g. Titius locavit fundum Cajo, hunc fundum poſtea vendidit Sempronio, qui Titij locationem improbat,

atque vult fundum, ſive ædes ſibi tradi) Reſp. negando, per l. 25. §. 1. ff. h. t. l. 8. C. *eod.* quia locatoris ſucceſſor ſingularis contractui coloni cum locatore celebrato ſtare non tenetur; ſicut enim colonus non poteſt convenire emptorem, cum quo non contraxit, ita nec emptor eius contractui eſt aſtrictus. l. 32. ff. h. t. unde vulgatum illud Germanicum *Kauf gehet vor mieth*, *oder Kauf bricht heur.* Excipe niſi [1] aliter convenerit. l. 9. C. h. t. l. 25. §. 1. ff. h. t. [2] ſi conductor ad ſecuritatem contractus res conductas habeat oppignoratas; tunc enim propter conſtitutam hypothecam non cogitur cedere ante finitam locationem, etiamſi locator, vel emptor intereſſe offerat. *Dn. Carpz. def.* 4.

TH. 24. Quæritur, an locator, vel conductor contributiones hodiernas, & ſumptus metatorios ſufferre teneatur? Reſp. diſting. inter collectas, [1] quæ perſonæ, vel rebus coloni imponuntur, aut imponi poſſunt, & [2] quæ ipſi rei locatæ: *iſtas* conductor præſtat, ut eſt capitatio, quæ perſonæ tantum indici ſolet, nulla habita patrimonij ratione. *arg.* l. 3. ff. *de cenſ.* l. 1. C. *de annon. & trib.* (Germanicè *haupt oder Kopfgeld.*) Item cenſus rerum, quę perſonæ imponitur conductoris pro rebus, habita contemplatione patrimonij, quæſtus, mercaturę, artificij. l. 6. §. *fin.* ff. *de muner. & honor.* l. 4. *de cenſ.* ad has enim collectas conductores, ceu cives & incolæ provinciæ ſunt allegati. *Receſſ. Imp. de ann.* 1594. §. *demnach dan*, ut rerum ſuarum domini. d. l. 4. §. 2. ff. *de cenſ.* aſt hæ, quæ rei locatæ imponuntur, à locatore ſunt ſolvendæ, quia quilibet de ſuo contribuere tenetur. l. 7. C. *de donat.* hinc patet, ſi conductor eiuſmodi collectas ſe præſtitiſſe probaverit, eas à locatore repetendi ius habet. *arg. l. un.* §. 3. ff. *de via publ.*

TH. 25. Quæritur, an conductor, an verò locator hoſpitationem pręſtare teneatur? Reſp. diſting. hoſpitatio eſt cum ſumptibus, aut ſine ijs & nuda, non illam, ſed hanc præſtare debet conductor, cum ſit præbitio tantum domus. *arg.* l. 2. C. *de met. & epidom.*

TH. 26. Merces, ſive penſio interdum ob caſum fortuitum circa ipſam rem contingentem conductori remittitur, putà pro ratâ temporis, quo uſus non fuit. l. 15. §. 7. ff. h. t. [1] ſi circa ipſam caſus contigerit, quod perierit chaſmate, incendio, l. 9. §. 1. d. l. 15. §. 2. ff. h. t. publicatuſve fundus fuerit, l. 33. ff. h. t. vel etiam alias uti non potuerit, & fortè etiam licitè deſeruerit, ut ob incurſum hoſtium. l. 34. ff. h. t. aliumve iuſtum timorem, ut peſtis, ſpectrorum. l. 27. §. 1. ff. h. t. [2] ob magnam ſterilitatem, (Germanicè *Miſwachs*) vi tempeſtatis calamitoſæ contingentē, & quando fructus aliâ vi majore, v. g. per incurſum hoſtium, fluminis

inundationem,&c. plus quam tolerabile eſt, læſi fuerint. l. 15. §.2. l. 25. §. 1. ff. h. t. l. 8. C. *eod.* hiſce caſibus nihil penſionis ſolvit conductor, ſi nullos fructus ob caſus fortuitos accepit, quia omnem vim præſtare colono tenetur locator, d. l. 15 §. 2. ſin verò aliquid fructuum collegit, pro rata horum ex æquo & bono de mercede ſtatuetur. *dd. textib.*

TH. 27. Contra penſio non remittitur, (1) ſi vitium ex ipſa re oriatur, e. g. ſi vermiculis in ipſis fructibus, eorumque præſertim radicibus natis, aut herbis ſegetes ſint corruptæ. d. l. 15. §. 2. Interim ſi omnis fructus hoc caſu colono intercidatur, remittendam eſſe mercedem, putant Doctores, [2] non remittitur penſio, ſi modicum ſit damnum, hoc enim æquo animo ferre debet, cui immodicum lucrum non aufertur. l. 25. §. 6. ff. h. t. [3] ſi pacto ſpeciali conductor caſum fortuitum in ſe ſuſceperit. l. 9. §. 2. ff. h. t.

TH. 28. Locationi ſimilis eſt emphyteuſis, (quam nonnulli quintam contractuum conſenſualium ſpeciem eſſe affirmant,) à qua tamen differt, quia in emphyteuſi pleniſſimum ius utendi, & veluti dominium quoddam tranſit, & in heredē, imò & alium quemvis transferri poteſt.

TH. 29. Emphyteuſis eſt contractus nominatus, qui ſolo conſenſu de prædio utendo, atque accipiendo perficitur, (a) utque certa & modica penſio in recognitionem dominij domino ſolvatur. §. 3. *Inſt. de locat. & cond.*

(a) l. 1. 2. 3. C. *de iure emphyt.*

TH. 30. Cauſa huius contractus efficiens eſt conſenſus. Impulſiva verò, ut agri ſteriles excolantur. Materia ſunt immobilia bona.

TH. 31. Forma conſiſtit [1] in conſenſu, [2] de ipſa re in perpetuum (a) ita concedenda, ut liceat alteri de re quodammodo diſponere, & pleniſſimè iſta uti, [3] ſub conditione, quod velit meliorem reddere, ſi opus fuerit, & certum, & modicum (b) canonem, penſionem, ſive reditum (c) in recognitionem dominij ſuperioris, ſive directi ſolvere; ſcriptura hic ad eius eſſentiam non requiritur. §. 3 *Inſt. h. t.*

(a) Perpetuum dicitur hic dupliciter, (1) quoad emphyteutæ poſteritas durat; quia inſtar feudi concedi ſolet emphyteuſis, pro heredibus, aut liberis (2) latius ſumitur, quod perpetuo durat, ubi canone ſoluto tranſit emphyteuſis ad quoſcumque ſucceſſores, ſingulares & univerſales; hæcque perpetuitas eſt de naturâ huius contractus; temporalitas verò contra eſt ſaltem ex accidenti.

(b) Canon ſi non ſit modicus, ſed proportionatus, magis locatio, quàm emphyteuſis eſt, in hac etiam utile dominium tranſit in emphyteutam, *arg. §. adeo Inſtit.* h. t. l. 66. ff. *de R. Vind.*

(c) Sive canon in pecunia, ſive alia aliqua re conſiſtat perinde eſt.

TH. 32. Finis olim fuit, ut agri ſteriles & inculti excolantur, melioreſque reddantur. Cum verò lapſu temporis, & fructuoſi agri in emphyteuſin ſint conceſſi, magis eſt cauſa impulſiva quam finalis.

TH. 33. Ex contractu emphyteutico eſt actio in perſonam debitum ex eo perſequens. Hæc actio utrimque eſt principalis, quæ & emphyteutæ, & domino emphyteuſeos datur.

TH. 34. Actio illa [1] competit emphyteutæ adverſus dominum, ut illi res emphyteutica tradatur, eiuſque uſus præſtetur. d. §. 3. *Inſt.* l. 1. §. 1. ff. *ſi ager. vect.*

TH. 35. Actio illa competit [2] domino adverſus emphyteutam, ut dominum, qui rem ita conceſſit, recognoſcat, & canonem certum debito tempore ſolvat, & laudimium (a) præſtet, non verò ut ſemper meliores agros reddat. (b)

(a) Laudimium eſt quinquageſima pars fundi, (pretij, ſive æſtimationis loci) quæ domino pro receptione novi emphyteutæ, & ſubſcriptione inſtrumenti eſt ſolvenda, d. l. 3.

(b) Initio cum fundi inculti darentur in emphyteuſin, tenebantur emphyteutæ illos reddere meliores; poſt verò & benè culti agri in emphyteuſin concedebantur, quare emphyteuta tantum obligatur, re, ut bonum patremfam. decet, uti; nec ad meliorationem præciſè tenetur.

TH. 36. Omne commodum & incommodum particulare (a) rei emphyteuticæ, perfecto contractu, ad emphyteutam pertinet, Interitus verò rei totius ad dominum ſpectat. d. l. 1. C. *de iure emphyt.* quod ſcilicet cum re ius exigendi ulterius canonem intercidat.

(a) Quod rei contingit, ut ſterilitas, aliuſque fortuitus caſus in fructibus eveniens ad ſolum pertinet emphyteutam, qui cum pleniſſimum habet uſum, nec tamen æqualem illi mercedem præſtat, penſionis remiſſionem petere nequit. d. l. 1. *in fin.* C. h. t.

TH. 37. Si verò emphyteuta propter bellum, hoſtiumve incurſum, fundum planè ingredi & excolere nequeat, ex æquitate canon ipſi eſt remittendus. l. 12. §. *fin.* ff. *de reb. auth. iud. poſſ.* quia hoc in caſu perinde eſt, ac ſi fundus non exſtet.

TH. 38. Hæc actio eſt bonæ fidei, non verò ſtricti iuris ob rationes ſeqq. [1] quia ex emphyteuſi oritur utrimque obligatio, *arg.* §. 3. *Inſt. de loc. & cond. arg.* §. 28. *Inſt. de act.* [2] quia comprehenſus olim fuit ſub locatione, [3] quia omnes contractus cōſenſuales ſunt bonæ fidei.

TITVLVS III.

De æſtimatoria actione.

TH. I. HVCVSQVE de contractibus nominatis, puta realibus, conſenſualibus, & qui literis initur(de quo vid. lib. 12. t. 1. in fin.) ordine egimus. Contractus innominatos nunc adjiciamus.

TH. 2. Cum natura ita comparatum ſit, ut plura ſint negotia, quam rerum vocabula, id eſt, agendi formulæ, l. 4. ff. *de P. V.* evenit interdum, ut ceſſantibus proditis & vulgaribus judicijs, deſcendendum ſit ad ea, quæ ſunt in factum generalibus verbis præſcripta; prout cuiuſque facti natura exigit, l. 1. ff. *de P. V.* quod fit [1] vel cum negotium tam ambiguum, & multiplex eſt, ut neſcias, ad quam contractus ſpeciem ſit referendum, ut in l. 1. *in fin.* ff. *de P. V.* vel [2] cum patet quidem & apparet, quale ſit, ſed redigi ad ordinem contractuum nominatorum nequit, l. 5. *in fin.* ff. *de P. V.* Prioris generis eſt, cum res æſtimata vendenda datur; hic enim probabiliter dubitari poteſt; utrum ex vendito ſit actio propter æſtimationem, quæ loco pretij eſt, & venditionem inducit, l. 10. §. ſi tamen, l. 16. *in fin. ff. de jur. dot.* an ex locato, quaſi rem vendendam locaſſe videatur, an verò mandati, non interveniente mercede. Itaque tollendæ dubitationis gratia, & ne ineptam proponendo actionem periclitaretur actor, æſtimatoriam Pr. verbis actionem dari viſum eſt; quæ Præſcriptis aptè verbis ad quodlibet negotium accommodaretur; Poſterioris generis in ſpecie contractus innominati dici ſolent. l. 7. §. 2. *de pact.*

TH. 3. Ex contractibus innominatis oriuntur actiones in perſonam, debitum ex talibus contractibus perſequentes.

TH. 4. Contractus innominatus eſt regularis, (a) vel irregularis, ut æſtimatorius.

(a) Vt omnes contractus innominati, excepto æſtimatorio.

TH. 5. Contractus æſtimatorius eſt contractus innominatus, (a) quo res æſtimata vendenda datur, ut is, qui accipit, aut rem, (b) aut æſtimationem (c) reſtituat. (d)

(a) l. 1. ff. h. t. quia non habet ſpeciale nomen & formam, cauſa tamen ſubeſt, quæ civilem actionem parit.

(b) l. 1. §. 1. ff. h. t. l. 17. §. 1. ff. *de* P. V. quando ſc. eam vendere non poteſt, nec ipſe ex empto pro pretio certo retinere vult.

(c) Quando vendidit, aut ipſe, qui accepit, retinet rem.

(d) Incorruptam. d. l. 1. §. 1.

TH. 6. Ex illo contractu actio æſtimatur (a) datur.

(a) Non illa, quæ etiam dicitur quanto minoris, l. 18. *pr.* l. 43. §. 6. *de ædil. edict.* ſed quæ ex ſequenti definitione intelligitur.

TH. 7. Actio æſtimatoria eſt actio in perſonam in factum, (a) debitum ex eo contractu perſequens.

(a) Actio in factum ſumitur tripliciter, [1] illa, quæ ex Prætoris juriſdictione eſt, exinde vocatur actio in factum Prætoria; huic opponitur actio Civilis. [2] Actio utilis, quæ in ſubſidium datur, non ex ipſis legis verbis, ſed eius mente, l. 1. *de* O. *&* A. l. 47. §. 1. ff. h. t. eſt ex mera æquitate, [3] quæ ſecundum factum, & ut narratum datur, (& ita hic accipitur) deficiente namque actione vulgari, ſeu cum proprium nomen invenire non poſſumus, ipſum geſtum deſcribitur, & verba in ipſum factum concipiuntur, quo ita Prætori deſcripto, ipſe eadem verba judici olim præſcribebat, unde præſcriptis verbis, d. l. 1. item in factum civilis dicitur illa actio. Vt eo facilius antecedentia percipiantur, hæc habe. In factum dicitur actio, quæ dabatur ſecundum factum, & ut erat narrata, ſeu quia factum & rem, uti geſta erat demonſtrat. Præſcriptis verbis vocatur, quia proponebatur conventio, hoc eſt negotium celebratum, uti geſtum erat & poſtea ex verbis illis præſcriptis in factum agebatur, *arg.* l. 6. C. *de tranſact.* Olim enim cogebantur litigantes dicere nomen actionis, aut narrare factum, & priori caſu Prætor nominatam dabat actionem, poſteriori verò ſecundum id, ut factum erat narratum, vel uti erat præſcriptum, quis agebat; quia nim. tunc deficiebant vulgaria atque vſitata actionum nomina, l. 1. *pr. &* l. 2. ff. *de* P. V. hoc eſt, actio nominata locum non habebat. *arg.* l. 7. §. 1. ff. *de pact.*

TH. 8. Actio æſtimatoria competit illi, qui rem æſtimatam vendendam dedit, adverſus eum, qui eandem, ut venderet accepit, ad id, ut aut rem incorruptam aut æſtimationem reddat. d. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 9. Actio hæc eſt civilis, (a) & b. fidei l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) Quia negotium civile, unde datur, geſtum eſt.

TH. 10. Ea eſt utilis, ſi merces intervenit. l. 2. ff. h. t.

TH. 11. Quæritur, an damnum ferre debeat is, qui rem æſtimatam accipit, ſi forte res caſu pereat, vel deterior fiat? Reſp. diſting. aut [1] quis rogavit & ultro ſe obtulit, ut ſibi res daretur, & tunc peri-

culum eſt eius, qui rem æſtimatam divendendam accepit; quia hic videtur ſe ſui commodi cauſa ad rem, aut eius æſtimationem obligaſſe, aliàs enim non rogaſſet, vel ultro ſe obtuliſſet, niſi ipſius commodum verſaretur; aut [2] dominus rei rogat alterum, ut vendendam rem ita accipiat, atque hoc caſu periculum eſt domini. Aut denique [3] neuter alterum rogat, ſed mutuò conſentiunt, ac itidem periculum eſt domini, accipiens verò dolum & culpam præſtat. l. 1. ff. h. t. l. 17. §. 1. ff. *de P. V.*

TH. 12. Quæritur, ſi pluris res fuerit vendita, quàm æſtimata, cui lucrum, ſive ſuperfluum competat? Reſp. ſi certo pretio æſtimato ſit data, ſufficit pretium conſtitutum reſtituere, l. 13. ff. *de* P. V. ſin verò in genere convenit, ut æſtimatio reſtituatur, vel aliud āctum eſſe appareat, & fortè pretium tantum expreſſum eum in finem, ne minoris venderet, tunc omne id, quod pretij loco ipſi exſolutum, reddere tenebitur. *arg.* l. 34. ff. *de* R. I.

TITVLVS IV.

De rerum permutatione.

Iung. lib. 4. tit. 64. C.

TH. 1. POSTERIORIS generis contractus innominati, quos vocamus regulares, hic definientur.

TH. 2. Contractus innominatus regularis eſt contractus, cuius obligationi initium quidem præbet rei datio, vel factum, (a) ſed nulla iure civili ſpecialis & propria appellatio eſt prodita. (b)

(a) Rei datio, vel factum vocatur cauſa, propter quam ex contractibus innominatis datur actio civilis, unde differt à nudo pacto, in quo nulla ſubeſt cauſa.

(b) Id eſt, nomen non habent contractus innominati, quia datio aut factum non ſunt determinata ad certum aliquem modum, ſive finem, ſed reperiuntur ſub generali & communi natura, id eſt, ſtant in communi ſuo nomine, d. l. 7. §. 1. unde contractus innominatus eſt conventio, cauſam ſine ſpeciali nomine habens, l. 21. ff. h. t. d. l. 7. §. 1. *&* 2. Per cauſam autem intelligimus actualem rei dationem, vel factum, l. 5. §. 1. *& ſeqq.* ff. h. t. quicunque enim contractus dicuntur non ſtare in ſuo nomine, ſed cauſam habere, illi non niſi actuali rei datione, vel facto perficiuntur, d. l. 7. §. 1. *&* l 1. §. 2. ff. h. t.

TH. 3. Hinc nobilis emergit quæſtio, an contractus nominati per-

ficiantur ſine facto, aut ſine rei datione? Reſp. neg. per l. 3. C. h. t. nec obſtat diſtinctio inter primam & ſecundam perfectionem, ſive inter contractus perfectionem & implementum aut conſummationem; hæc enim diſtinctio tantum obtinet in contractibus conſenſualibus, *arg.* l. 13. §. 8. ff. *de act. empt* in realibus verò nominatis (e.g. mutuo, commodato depoſito & pignore) & innominatis non item, quorum nulla eſt perfectio, niſi una, quæ rei interventu conſtituitur, l. 5. §. 1. *& ſeqq.* ff. *de* P. V. quo ipſo & implentur & conſummantur; ſi enim in realibus nominatis ita diſtingui poſſet, ſequeretur itidem contra manifeſtam juris rationem, mutuum, commodatum, pignus, &c. eſſe perfectos contractus antequam res in ijs traduntur, nec contractus innominati ante producunt civilem actionem, quàm res ipſa, ſive cauſa interveniat, l. 5. ff. P. V. l. 7. §. 2. ff *de pact.* E. nec ante producit obligationem, ſive naturalem, ſive civilem. Si verò tantum præceſſerit conventio de dando, ut detur, non eſt contractus innominatus (cum hic jure Romano nuda conventione non perficitur) ſed nudum pactum; quia aliud eſt dare, aliud eſt de dando convenire.

TH. 4. Romani ob lites in Republ. ſua evitandas, & tranquillitatem in ea conſervandam ex contractibus innominatis nullas dederunt actiones, niſi conſenſu actuali, id eſt, datione, vel facto perfecti eſſent, quod non contra, ſed præter jus naturale eſt.

TH. 5. Cauſa efficiens eſt rei datio, & non conſenſus, materia verò ſunt quælibet res & facta; non genus, neque pretium.

TH. 6. Forma contractuum innominatorum in eo conſiſtit, quod conveniat inter duos, de aliquo dando, vel faciendo, ita ut is, qui dedit, vel fecit, alterum ſibi obliget, ad viciſſim aliquid, quodcunque placuerit, præſtandum. d. l. 7. §. 1.

TH. 7. Cum res & facta quatuor modis inter homines communicari poſſint, hinc quatuor ſpecies, ſive articuli contractuum innominatorum oriuntur, [1] do ut des, [2] do ut facias, [4] facio ut des, [4] facio ut facias. Hi ſimplices modi comprehendunt mixtos, deque his ex illis (ſimplicibus) iudicari poteſt, e. g. do ut ne des, do, ut ne facias.

De prima ſpecie contractus innominati, do ut des, quæ eſt permutatio.

TH. 8. Contractus do ut des eſt permutatio, (a) eaque eſt contractus innominatus, (b) qua res (c) propria datur, (d) ut hanc accipiens viciſſim aliam propriam rem det.

(a) Ambiguitas huius vocabuli oppido eſt notanda; ſumitur latè, vel ſtrictè: latè

latè denotat communicationem rerum, ſeu commercium, id eſt, rerum ex conventione facta permutationem, communicationem, ſive dominium transferatur, ſive jus aut commoditas alia inde habeatur; hoc ſenſu mater dicitur contractuum, l. 1. ff. *de contr. empt.* & ſynnallagma vocatur voluntarium, *Ariſt. 5. Eth. 5. in fin.* hic contractus juris gentium perhibetur vetuſtiſſimus, innominatus tamen, utpote generalis, & omnia in ſe commercia includens; res enim rebus permutare omnibus conventionibus, tam nominatis, quam innominatis eſt commune. Hæc permutatio (puta generica) neque præter naturam eſt, neque ad amplificationem patrimonij pertinet, cum ſit in ſupplementum indigentiæ ſecundum naturam; Reperto verò nummo ex neceſſaria permutatione alia ſpecies emerſit nummularia, primo forſan ſimpliciter, ad æſtimandas ſc. merces, ſive ut eſſet medium legitimum, quo omnia, quorum & permutatio, alio modo inter ſe comparari poſſint, ut ſciri queant quantum valeant ſingula. Progreſſu autem temporis permutatio (emptio) extitit artificioſior, ut plurimum lucri permutando acquiſiverint homines. Strictè & ſpecialiter eſt conventio, ſive negotium innominatum, quo dominij transferendi cauſa res datur, ut viciſſim alia detur, l. 1 §. 1. h. t. l. 2. ff. *de contr. empt.* l. 5. §. 1. ff. h. t. quæ ſignificatio hic quadrat.

(b) d. l. *juriſgentium*, 7. §. 2. *de pact.*

(c) v. c. merces cum merce, ſpecies cum ſpecie, quantitas cum diverſi generis quantitate commutatur, ut vinum cum oleo, l. 1. *pr.* ff. h. t. etiam fundum cum ædibus permutare licet.

(d) Non autem aliena, is enim, qui rem alienam dat, accipientem non obligat; niſi ut rem datam repetere poſſit, l. 1. §. 3. *&* 4. ff. h. t. § 14. *Inſt. de action.* quælibet res, quæ in commercio.

TH. 9. Ex hoc contractu actio P. V. (a) datur.

(a) Hæc ſumitur [1] generaliter pro omni actione, ſive ea ſit ex contractu, ſive delicto [2] ſpecialiter pro ea, quæ ex contractu innominato deſcendit, & in hoc ſignificatu hic accipitur.

TH. 10. Obligatur ex hoc contractu is, qui rem accepit, ut rem, de qua convenit, & quidem propriam det. d. l. 1. §. 2. h. t. & ſi mora in dando ab accipiente commiſſa, ad intereſſe dans agere poteſt, id eſt, quod intereſt rem promiſſam dari. l. 5. §. 1. ff. *P. Verb.*

TH. 11. Quæritur, quid iuris, ſi poſt rem acceptam, illa res, quam accipiens viciſſim dare promiſit, perierit? Reſp. dolum & culpam præſtare tenetur promiſſor, extra quam ſi res perierit, periculum ad eum ſpectat, cui debetur. d. l. 5. §. 1. ff. *de V. Pr.*

TH. 12. Propter contractum do, ut des, duplex datur actio, altera ad implendum, altera ad diſſolvendum; illa ex contractu oritur, vocaturque actio *Pr. V.* l. 5. ff. h. t. quia directè, & eo animo quis dat, ut & alter-

det: cõpetit quoque ad intereſſe extra ordinem, cõtra communes iuris regulas, ex natura contractuum innominatorum. Hinc licet obligatio dandi ſit nata, non tamen tenetur reus pręcisè ad dandum, ſed pręſtando intereſſe liberatur, d.l.5.§.1.ff.h.t. Hæc verò (quę ad diſſolvendum) eſt condictio cauſa data, &c. & ex quaſi contractu deſcendit, qui formatur ex rei receptione, *arg.* §.13. *Inſt. quib. mod. re. contr.* præter directam contrahentium intentionem, cum eo animo traditur res, ut accipiens aliam reſtituere teneatur, l.13 §.1.ff. *commod.* in effectu tamen locum habet, ob pœnitentiam vel moram, l.3. §.2.ff. *de condict. ſine cauſ.* Pœnitẽtia autem hic intelligitur à parte dantis, quia is dando alterum ſibi obligavit, l. *precibus* C. *de rer. permut.* propter interventum cauſæ, ſive ſynnallagmatis, ipſe verò accipienti non aſtringitur, cum nihil adhuc dedit; & quamvis alter paratus ſit ad implendum, dans ſi noluerit, non tenetur contractui ſtare, ſive eum implere, l.3. §. 2. l.5. *pr.* ff. *cauſ. dat. cauſ. non ſec.* quia ex ſola datione aut facto hæc obligatio naſcitur. Idcirco rem accipienti datam repetere dans poteſt. Hæc enim tacita conditio contractui innominato ſemper adhæret, ut pœnitere danti liceat, ſi accipiens contractum hunc dando nondum impleverit.

TH. 13. Obſervandum, nullam actionem P. V. dari ad id, ut res reddatur, quia hæc actio non competit ad diſſolvendum, ſed ad implendum; eoque nomine condictio cauſa data & actio P. V. inter ſe opponi ſolent, l. 4. 5. 7. 8. C. h. t. quia condictio cauſa data, vel ob pœnitentiam, vel etiam ob moram, ſive ceſſationem competit, l.13. *commod.* l.3. §. 2. ff. *de condict. cauſ. dat.* hæc ceſſatio intelligitur de accipiente, & aliam contrà tradere nolente, vel ceſſante, d.l.1 §.4. Theſis hæc ex antecedenti eſt deſumpta.

TH. 14. Contractus do ut des, ſive permutatio differt ab emptione, [1] formâ, quia in venditione aliud eſt emere, aliud vendere, alius emptor, alius venditor, aliud pretium, aliud merx, quam forman non habet permutatio, in qua diſcerni nequit, quis emptor, quis venditor, quid pretium, quid merx, l. 1. §. *pen.* ff. *de contr. empt.* l. 1. pr. h. t. [2] differunt effectu & præſtationibus. Emptor enim cogitur facere nummos accipientis, venditor rem dare non cogitur, ſed ſatisfacit tradendo rem cum evictionis cautione; quâ non evictâ, venditor nihil debet. Contra in permutatione, res vtrinque accipientis fieri neceſſario requiritur, aſt ſi fortè res in permutatione tradita evincatur, poteſt alter, cui res tradita evincitur, rem ſuam repetere, quaſi cauſa non ſecuta, propter quam eſſet data, l. 1. *inf.* ff. h.t.l.4.l. *pen.* C. *eod.* quia ei

rem relinquere non obligatur, cum nullius rei datione contractum à ſua parte impleverit, eumque obligaverit, l. 3 C. h. t. differunt [3] cauſa efficiente. Emptio nuda contrahentium voluntate contrahitur; permutatio verò ex re tantum tradita, dataque initium obligationi præbet: alioquin ſi res tradita non ſit, nudo conſenſu conſtituitur obligatio, quod in his duntaxat receptum eſt, quæ nomen ſuum habent, e. g. in emptione, conductione, mandato, &c. Permutatio verò eiuſmodi nomine & forma ſpeciali, aut civili caret, & in generali contractuum nomine conſiſtit; ideoque non conſenſu, ſed rei datione perficitur.

TH. 15. Contractus innominati differunt quoque à pactis tam nudis, quam non nudis. Nuda pacta planè deſtituuntur vi obligandi. Non nuda extrinſecus vim accipiunt. l. 7. §. 5. ff. *de pact.* Contractibus verò innominatis ineſt cauſa, & habet in ſe aliquod negotium, unde obligatio naſcitur.

TH. 16. Prima contractuum innominatorum ſpecies, do ut des, inter contractus nominatos, ob permutationis nomen non eſt referenda, duas ob rationes, (1) quia generale eſt nomen plurimis conventionibus conveniens, l. 1. *pr.* ff. *de contr. empt.* quia (2) non eſt tale nomen, quo ius civile peculiariter determinatum, & certam actionem producentem deſignat contractum. *arg.* l. 2. *de P. V.* l. 2. *pr.* & §. 2. ff. h. t.

TH. 17. Contractus do ut des, & permutatio ſunt ſynonima, quia in utroque quid datur, ut viciſſim quid detur. l. 1. C. h. t.

TITVLVS V.

De præſcriptis verbis & in factum actionibus.
Iung. lib. 4. tit. 64. C.

TH. 1. SEQVVNTVR nunc reliquæ tres contractuum innominatorum regula... [illegible]m ſpecies, ex quibus omnibus de Præſcriptis verbis actio datur, qua negotium, cum certum nomen eius & actionis exprimi nequeat, per rei geſtæ narrationem, verborumque circumſcriptionem declaratur, & quod inde debetur, ab altero petitur, l. 1. ff. *de æſtim. act.* l. 2. 3. 11. ff. h. t. l. 6. C. *de tranſact.* l. 47. §. 1. ff. *de negot. geſt.* Dicitur quoque hæc actio in factum, l. 1. 23. 24. *inf.* h. t. item in factum civilis, l. 1. §. 1. l. 5. §. 2. *in fin.* l. 6. 7. 8. & 16. ff. h. t. quod ſc. ceſſantibus actionibus nominatis factum narretur & deſcribatur. l. 1. *pr.* h. t.

TH. 2. Actio Præſcriptis verbis eſt ex civili obligatione, (a) quia in ſe habet ſynnallagma & negotium aliquod civile, nempe rerum commercium, unde hæc actio deſcendit. l. 7. *pr. ff. de pact.*

(a) Hæc actio ob id non eſt Prætoria, quia Prætor eam edicto ſuo propoſuit, aliàs omnes actiones civiles eſſent Prætoriæ.

TH. 3. Illa actio eſt utilis, (a) quæ in ſubſidium directæ datur, non ex ipſis verbis legis, ſed eius mente & ſententia.

(a) Directæ actionis inſtar ex contractu innominato competens. l. 6. C. *de tranſ.*

TH. 4. Actio præſcriptis verbis ex permutatione, ſive contractu do ut des, competit danti adverſus non dantem, ut hic det, vel intereſſe præſtet, d. l. 5. §. 1. l. 9. l. *fin.* ff. h. t.

TH. 5. Secunda contractuum innom. ſpecies eſt, contractus do ut facias, quo res propria (a) datur, ut viciſſim factum (b) præſtetur.

(a) Sive fungibilis, ſive non, l. 5. §. 2. ff. h. t.

(b) Quodlibet factum, etiam quod locari non poteſt, vel ſolet, hoc contractu promittitur, d. l. 5. §. 2. l. 7. l. 24. h. t. hinc differt à locatione conductione, quæ ſolo conſenſu perficitur, hic verò contractus non item, ſed à rei datione demum initium capit.

TH. 6. Ex hoc contractu datur actio P. V. ei, qui dedit rem propriam, (a) adverſus non facientem, ut faciat id, de quo convenit, vel ſi detractet facere ad intereſſe (b) competens.

(a) Si igitur aliena fuerit data, rem repetere poteſt, qui dedit eam, *arg.* l. 5. §. 2. ff. h. t. & alter non tenetur factum de quo inter eos convenit, præſtare, quia contractus hic eſt nullus, ex rei datione tantum exiſtens.

(b) Damnum ex datione emergens & lucrum ceſſans, datur etiam condictio ad repetendum. d. l. 5. §. 2.

TH. 7. Aſt ſi quis dedit rem e. g. Stichum, ut accipiens ſervum manumitteret, quem etiam manumiſit; poſtea evincitur res Stichus, quænam actio dabitur illi, qui factum jam præſtitit? Reſp. diſt. aut ſciens rem alienam Stichum dedit, aut ignorans; ſi ignorans, datur actio præſcriptis verbis, l. 7. §. 2. ff. *de pact.* contra eum, qui rem evictam dedit, cum rei datæ evictionem præſtare teneatur, l. 25. §. 1. ff. *de uſufr.* Si ſciens rem alienam Stichum dedit, quæ poſtea evincitur, datur actio de dolo, l. 5. §. 2. ff. h. t. propter fraudem; quia non videtur civile eſſe negotium, quod fraudulenter eſt geſtum. Si verò dubitetur, ſciens, an ignorans rem dederit, Præſcriptis verbis actio competit, ratio adæquata in eo conſiſtit; quia iuſtius & humanius eſt, in dubio præſumi civiliter, & b. fide potius, quàm dolo malo negotium eſſe geſtum, l. 7. §. 1. l. 7. *in fin. pr. ff. de pact.*

Th. 8. Tertia contract. innom. ſpecies eſt contractus facio ut des, quo factum præſtatur, ut viciſſim detur aliquid. d. l. 5. §. 3. l. 15. ff. h. t.

Th. 9. Sicuti contractus do ut facias initur, quando à rei datione incipit contractus, & illa initium obligationi præbet, ita & hic contractus eſt initus, quando à facto contractus incipit, & propter factum præſtitum alter obligatur ad rem illam, de qua convenit præſtandam.

Th. 10. Ex hoc contractu datur actio illi, qui fecit, contra eum, cuius gratia factum eſt, præſtitum ut id, de quo convenit, det, vel aliquando intereſſe præſtet. l. 15. l. 22. ff. h. t.

Th. 11. Ea autem actio eſt (1) actio Præſcriptis verbis. l. *ſolent*. 15. l. 22. ff. h. t. ſi utilitas aliqua ex facto ad eum, qui debet dare, pervenit, & is ad conſummandum agere vult, vel (2) de dolo. d. l. 5. §. 3. ſi nulla utilitas ex facto ad eum, qui dare debet, pervenit, vel qui fecit, poſtea pœnitens repetere vult, quod vi illius facti in adverſarium eſt collatum; aliàs facta in ſe conſiderata condici nequeunt, quia facta pro infectis haberi non poſſunt. *arg. l.* 12. §. 2. *ff. de capt. & poſtlim.*

Th. 12. Quarta contract. innom. ſpecies eſt facio, ut facias, quo factum præſtatur, ut viciſſim factum præſtetur. d. l. 5. §. 4. *&* 5. aut intereſſe. l. 18. §. 1. l. 18. ff. h. t.

Th. 13. Ex hoc contractu datur actio P. V. ei, qui fecit, contra eum qui non fecit, ut aut faciat, aut intereſſe præſtet. d. l. 5. §. 4. *&* 5.

Th. 14. Differt hæc ultima, ſive quarta contract, innom. ſpecies à ſequentibus contractibus, cum quibus aliàs affinitatem habet. (1) ſpeciatim differt à mandato, quod (1) non tantum negotia gerenda ſuſcipiantur, & (2) non gratis ſuſcipiantur, & (3) non ſtatim ex conſenſu, quo ſuſcepit quis obligetur, ſed facto. d. l. 5. §. 4. differt [2] à commodato, quod itidem (1) non tantum uſus rei, & (2) non gratis præſtetur. l. 17. §. 3. ff. h. t. differt denique (3) à locatione conductione, quod [1] factum ab altera parte promiſſum non ſit merces, [2] non tantum uſus rei vel opera locari ſolita hic in contractum veniat, ac [3] quod non ſtatim ex mutuo conſenſu de concedendo uſu, vel præſtanda opera contractus perficiatur, & mutua obligatio oriatur. §. 2. *Inſt. de locat. cond.*

Th. 15. Quæritur, an actio P. V. poſſit cum actione aliqua nominata concurrere, e. g. cum actione empt. vend. mandati, &c. Reſp. neg. quia actioni P. V. non eſt locus, niſi ubi deficit ordinaria. l. 2. *&* 21. ff. h. t.

Th. 16. Contractus innominati per rerum naturam eſſe non poſſunt, antequam cauſa, quæ eſt actualis rei datio, vel factum, interveniat. l. 5. ff. *de P. V.* Ergo nec ante obligatio producitur.

TH. 17. Hodie annumerari ſolet contractibus innominatis, & quidem primæ contractuum innominatorum ſpeciei, putà do ut des, ſive permutationi Cambium, quod in genere eſt permutatio pecuniæ cum pecunia, & dividitur in manuale & literarium, ſive cambium in ſpecie ſic dictum.

TH. 18. Cambium manuale eſt, quo ſpecies monetæ invicem permutantur, e. g. pecunia minuta cum thaleris, ſive ducatis, vel aliâ monetâ grandiori, vel etiam moneta argentea cum aurea permutatur, e.g. thaleri pro ducatis & vice verſa.

TH. 19. Cambium (a) literarium, ſ. cambium in ſpecie ſic dictum (Germanicè *ein wechſel*) eſt contractus, quo ita permutatur pecunia, ut alio certo loco alia pecunia ęquivalēs, interveniēte aliqua mercede, detur.

(a) Id eſt, permutatio, quia cambio ſignificat permuto.

TH. 20. Hunc contractum ineunt (1) is, qui pecuniam per literas transferendam, ſeu tranſcribendam in ſe recipit, Campſor dicitur, & (2) is, qui ſolvit eam, vel promittit ſolvendam, ut ita tranſcribatur, e.g. ſi quis mercatori ſolvit pecuniam Hamburgi, vel ſolvendam curat, ut hîc Pariſijs ei tantum reddatur, (3) accedit ad hunc contractum & is, ad quem in loco deſtinatæ ſolutionis, literæ Cambij diriguntur, & tranſmittuntur qui vocatur Præſentans, ſeu Præſentator, ſic dictus à munere, quod literas Cambij præſentare debeat, ut acceptentur; & huic pecunia cambialis eſt exſolvenda, tandem & quarta perſona ad hunc contractum conſummandum requiritur, hinc (4) acceptator, ſive acceptans accedit, qui literas cambij acceptare debet, pecuniamque ex hoc contractu debitam præſentanti ſolvere.

TH. 21. Ad huius contractus perfectionem & conſummationem quatuor requiruntur, (ut ſuperius dictum) ita tamen, ut unus plurimorum vicem ſuſtineat; duo in loco contractus, & duo in loco deſtinatæ ſolutionis.

TH. 22. Forma Cambij in eo conſiſtit, quod pecunia detur, (vel aliquando promittatur) ut alter curet illam alio loco reſtitui, quod fieri ſolet per literas Cambij, (Germanicè *wechſel brief*) ſive ad Inſtitorem (ceu factor) ipſius, ſive ad alium perſcriptas, & pro hac opera conſuevit dari certa merces, collybus, ſeu ſymbola collybiſtica dicta (Germanicè *das wechſelgeld.*)

TH 23. Ex hoc contractu obligatur is, qui pecuniam alio loco ſolvendam recepit, ut id præſtet; ille verò, cuius utilitatis cauſa ita permutatur pecunia, ſolutam pecuniam ſolvere debet Campſori; & præ-

terea is, qui literas cambij acceptavit, tenetur, vel ſtatim, vel expreſſo in iſtis literis tempore pecuniam alteri, loco illo deſtinato ſolvere.

TH. 24. In hoc contractu Campſori pœnitere non licet, e.g. Campſor, qui accepit pecuniam in alio loco reddendam, non poteſt recedere à contractu, pecuniam reddendo, quamdiu alibi reddita non eſt, quæ natura contractuum innominatorum. l. 2. C. *de rerum permut.*

TH. 25. Ex hoc contractu datur actio Præſcriptis verbis.

TH. 26. Campſor pecuniam accipiens, alio loco conſtituto reddendã vocatur Trahens; contra pecuniã dans Campſori, vocatur Remittens.

TH. 27. Annumeratur etiam hodie contractibus innominatis Aſſecuratio, quæ eſt contractus innominatus, quo quis præmio ſibi dato ſuſcipit periculum rerum aliò tranſvehendarum.

TH. 28. Forma hujus contractus in eo conſiſtit, quod alter periculum incertum ſuſcipiat, & alter quoque ob incertum eventum quid det, aut promittat.

TH. 29. Contractus hic ſocietati civili per quam eſt utilis, quod mercatores ita audeant merces ſuas ex uno loco ad alium tranſportare majori cum ſecuritate.

TH. 30. Obtinet hic contractus maximê in mercibus maritimis tranſvehendis, propter frequens & ingens periculum, nonnunquam etiam terra de loco ad locum res transferendas.

TH. 31. Quod loco ſuſcepti periculi à mercium, vel aliarum rerum domino datur, pręmium dici conſuevit, illoque (pretio) ęſtimatur quaſi periculum, quod ratione circumſtantiarum magnũ, mediocre, vel parvum à contrahentibus conſtituitur. Prout enim navigatio longinqua, vel brevis, & loca pluribus periculis obnoxia ſunt, ita præmium iſtud, vel majus, vel minus eſt. Hinc Hollandi mercatores conſuetudine communiter ſeptem pro centum præmij aſſecurationis loco paciſcuntur. *Dn. Loccen. de jur. marit. l. 2. c. 5. n. 6.*

TH. 32. Ex hoc contractu uterque contrahentium obligatur; hinc actione P. V. petitur, ut is, cui præmium pro ſuſcepto periculo eſt datum, ſi caſu fortuito res perierint, earum æſtimationem reſtituat illi, qui illud eum in finem dedit præmium; E contrario quoque is, qui promiſit præmium, tenetur rebus ſalvis præſtitis id exſolvere; aſt ſi præmium initio non ſit datum, & caſus adverſus contingit, quo res interierint, tunc non poteſt is, qui periculum ſuſcepit, eo quòd nihil ipſi ſit datum, pœnitere; ſed tenetur præmium promiſſum, & iam oblatum accipere, æſtimationemque rerum perditarum ſolvere, niſi ab altera parte ſubſit dolus.

PARS DIGESTORVM QVARTA.

LIBER VIGESIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

De pignoribus & hypothecis, & qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum.

Iung. libr. 4. tit. 14. C.

Th. 1. POSTQVAM tertiam Pandectarum partem, de iudicijs perſonalibus principaliter, & in ſe conſideratis tractantem perluſtravimus. Quartam Pandectarum partem, à libro hoc 20. ad 28. excluſivè pertingentem præcedenti annectimus.

Th. 2. In initio ſtatim huius quartæ partis agitur de contractuum acceſſorijs, quæ nimirum contractibus accedere ſolent; eaque, vel ad contractus ſecuritatem, (a) vel implementum, (b) vel ad probationes (c) ſpectant.

(a) Qualia ſunt pignus & hypotheca, quæ hoc in libro proponuntur.

(b) Eiuſmodi ſunt [1] Ædilitium edictum, [2] evictio, *de quibus in libro 21. tit. 1. & 2.* & [3] uſuræ, *quas in lib. 22. tit. 1. perpendemus.*

(c) Vt teſtes & inſtrumenta. *lib. 22. tit. ſeqq.*

Th. 3. Pignus

TH. 3. Pignus (a) eſt ius in bonis debitoris pro ſecuritate debiti, creditori in re (b) conſtitutum.

(a) Vocabulum *pignoris* eſt æquivocum, quod in ſua æquivocata eſt diſtribuendum; denotat (1) contractum pignoris; *ut in tit. ff. de pignorat. act.* (2) ius, quod creditor in re pignorata habet, *uti hic*, *& in t. ff. in quib. cauſ. pign. tacit. contr. & in t. ff. quib. mod. pign. vel hypothec. ſolv.* & (3) ſignificat rem pignoratam, *ut in §. 7. Inſt. de action.* in hac tertia acceptione iterum ſubdividitur, accipiendo [1] pro re mobili tantum l. 238. § 2. *ff. de V. S.* vel [2] pro immobili tradita, quia & res immobiles poſſunt tradi. l. 18. §. 1. *ff de pignor. act. l. 4. C. & D.* ſicque diſtinguitur ab hypotheca, quæ re creditori non tradita, pacto nudo, vel etiam lege conſtituitur. l. 9. §. 2. l. 18. §. 2. ff. *de act. pignor.* l. 2. C. *de pact. pignor* l. 4 C. *de action. pign.* [3] latè pro re incorporali, ut actione obligata, quo ſenſu & hypothecam comprehendit. l. 1. ff. *de pignor. act.* ubi inter pignus & hypothecam nominis ſonus tantum dicitur, intellige pignus & hypothecam generaliter conſiderando. l. 17. §. 2. ff. *de pact.* l. 5. §. 1. ff. h. t. l. 7. § 12. ff. *commun. divid.* l. 3. §. 3. ff. *ad exhibend.* alias ſpecialiter hæc duo accipiendo maximè differunt. Notandum; differentia olim ratione pignoris & hypothecæ erat inter res mobiles, & ſoli: illa enim ſolummodo poterant tradi, hæc non item. l. 238. §. 2. ff. *de V. S.* quæ poſtea ſublata eſt: ideo hæc poſtea inter pignus & hypothecam differentia eſſe cœpit, ut ea quæ tradita erant, ſive mobilia, ſive immobilia conſtituebant pignus, ea vero quæ non tradita, etiamſi res eſſet mobilis, formabant hypothecam. d. l. 9. § 2. ff. *de pign. act.* l. 4. ff. h. t.

(b) Pignus, de quo hic tractatur, deſcendit ex iure in re; contra actio pignoratitia ex iure ad rem, h. e. ex contractu reali. l. 1. *pr. ff. de pignor. act.*

TH. 4. Ratione pignoris, tria hic conſideranda veniunt, [1] eius conſtitutio, *de qua hoc tit. & ſeqq.* [2] operatio, *de qua tit.* 4. & [3] diſſolutio, *quam tit.* 5. *declarabimus.*

TH. 5. Quod pignoris conſtitutionem attinet, conſiderandæ ſunt [1] perſonæ pignus (intellige voluntarium) conſtituentes, (a) & quibus (b) conſtituitur, [2] res, quæ oppignorari queunt. (c)

(a) Illi pignus conſtituere poſſunt, (1) quibus liberrima rerum ſuarum adminiſtratio, alienandique facultas, iure eſt conceſſa, (2) qui rerum, quas pignori daturi ſunt, exiſtunt domini.

(b) Videlicet creditoribus; qui enim creditum inire & dominium acquirere poſſunt, iiſdem & pignora accipere eſt integrum.

(c) De ijs titulo 3. ſequenti agetur.

TH. 6. Conſtituitur pignus authoritate publica, vel privata, hæc diviſio eſt à cauſa efficiente deſumpta.

TH. 7. Quod authoritate publica conſtituitur, vocatur pignus neceſſarium, eſtque vel à lege, (a) vel à magiſtratu. (b)

(a) Sc. immediatè, citra aliquod hominis factum (Germanicè *ein ſtilſchvveigende verpfandung.*) qualia habent, pupillus in bonis tutorum, uxor in bonis mariti, cuius pecunia ædes refectæ in ædibus. l. 1. ff. *in quib. cauſ. pign. tac. l. 1. 2. & pen. C. eod. l. un. §. 1. C. de rei uxor. act. l. 6. §. ult. C. de bon. quæ liber. l. 1. C. comm. de legat.* hoc vocatur legale, ſive legitimum, ſive tacitum, de quo tit. ſequenti.

(b) Quod à Magiſtratu conſtituitur, hoc Iuſtinianus Imp. in l. 1. & 2. C. *de prætor. pign.* appellat pignus Prætorium, quod iterum diſpeſcitur in Prætorium, ſpecialiter ſic dictum, & iudiciale; illud decreto magiſtratus ob contumaciam debitoris latitantis coërcendam, ex primo decreto conſtituitur per miſſionem in bonorum poſſeſſionem. l. 26. *pr. &* §. 1. ff. *de pign. action.* l. 3. C. *qui potior in pign.* cauſa damni infecti. l. 4. §. 1. l. 15. ff. *de damn. infect.* aut propter non præſtitam cautionem. l. 7. §. 6. ff. *ex quib. cauſ. in poſſeſſ.* l. 14. *& t. t. ut legat. ſerv.* quod ideo à Prætore conſtituitur, ut reus tædio rerum ſuarum ab actore detentarum affectus, aut reſpondeat, aut debito modo cautionem præſtet. Hoc (nimirum iudiciale,) quod à Magiſtratu, latâ ſententiâ, pro eius executione in cauſam iudicati capitur, ut eo diſtracto, ſatisfiat creditori. l. 15. ff. *de re iudic.* l. 3. C. *de execut. iudic.* l. 10. ff. *qui potior. in pign.* l. 2. C. *eod.* l. 1. C. *ſi in cauſ. iudic.* l. 7. C. *quæ res pign.*

TH. 8 Differentia pignoris Prætorij in ſpecie dicti & iudicialis in eo conſiſtit; quod illud operetur ſaltem nudam bonorum detentionem; cum reus intra annum poſſit ſua bona recuperare, reſtituendo expenſas, déque judicio ſiſti cavendo. l. 8. §. 3. C. *de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* anno eo demum elapſo ad decretum ſecundùm pervenitur, quo ius diſtrahendi creditori, ſive actori conceditur; hoc verò (iudiciale) operatur poſſeſſionem, eo ipſo, quo actor debitoris bona occupat, & facultas diſtrahendi bona in eum tranſit, nec reus regreſſum ullum contra victorem amplius habet. l. 15. §. 3. ff *de re iudic.* l. 25. C. *de uſucap.*

TH. 9. Pignus authoritate privata conſtitutum, vocatur voluntarium, quod à privatorum voluntate dependet; hæc voluntas exprimitur, vel inter vivos, (a) vel per ultimam voluntatem. (b)

(a) Per conventionem, quæ vel contractus realis pignoris, ſi traditio accedat, vel pactum legitimum. l. 1. ff. *de pignor. action.* l. 17. §. 2. ff. *de pact,* quod fit, quoties conventio contrahentium celebratur abſque traditione.

(b) Per teſtamentum, quia teſtator teſtamento ſuo pignus conſtituere poteſt. l. 26. ff. *de pignor. action. de aliment. legat.*

TH. 10. Hypotheca eſt, quæ contrahitur ſine traditione, quod

accidit, vel authoritate legis, (a) vel facto hominis, & quidem aut ſolo, (b) aut cui lex aſſiſtit, (c) illudque qſ. fovet atque efficax reddit.

(a) Illa non immeritò nominatur legalis, quoniam à ſola lege immediatè eſt; hanc habent pupilli, & minores in bonis tutorum & curatorum, &c.

(b) Iſta vocatur conventionalis, cum ex ſolo, & expreſſo hominum conſenſu, ſive conventione ſit.

(c) Hæc dicitur tacita, quia ex præſumpto eſt conſenſu, quem per legem tamen ex facto aliquo elicimus.

TH. II. Pignus & hypotheca conventionalis, (a) ratione objecti, contrahi poſſunt generaliter, & ſpecialiter; inde diviſio eorum in generalem & ſpecialem deſcendit.

(a) Hypothecæ ideo additur vox conventionalis, ad differentiam hypothecæ tacitæ, ſive legalis, quæ ſemper eſt univerſalis, nunquam ſpecialis, uti titulo ſequenti declarabitur.

TH. 12. Pignus & hypotheca conventionalis generaliter contrahitur, cum ſine ulla bonorum notatione, omnia omninò bona ſimpliciter obligantur, quo ſenſu, non tantum præſentia, ſed & futura, & poſt pignus conſtitutum acquiſita, pignori data intelliguntur, *l. fin. C. quæ res pignor. dari, l. ult. ff. qui potior in pign.* l. 1 6. 29. ff. h. t. Excipe; ſequentia [1] ſub hac generali obligatione haud comprehenduntur ea, quæ quempiam ſpecialiter obligaturum eſſe, veriſimile non apparet. d. l. 6. h. t. eiuſmodi ſunt ad quotidianum uſum neceſſaria, [2] ea, in quibus debitor ſingularem habet affectionem. Ob id ſtatuitur; quamvis verba obligationis ſint generalia: attamen, cum hic de pignore conventionali agatur, præprimis voluntatis ratio eſt habenda, atque ſic ea in tali generali obligatione ſolummodo obligantur, de quibus debitor cogitaſſe præſumitur. [3] ea, quæ poſt mortem debitoris ab herede eius, ex alia, quam hereditatis cauſa, ſunt quæſita. l. 29. *pr.* ff. h. t.

TH. 13. Vnde ſequens naſcitur quæſtio; an ſub hypotheca generali nomina & iura contineantur? Reſp. diſting. inter hypothecam generalem omnium omnino bonorum ſimpliciter, & inter eam, quæ eſt omnium bonorum, mobilium & immobilium; illo modo, cum nomina, tum reliqua jura cenſentur obligata, l. 4. C. *quæ res pign. arg.* l. 49. ff. *de V. S.* hoc modo, aliud obtinet, quoniam nomina, iura & actiones appellatione bonorum mobilium & immobilium propriè non veniunt, ſed tertiam ſpeciem à duabus antecedentibus diſtinctam conſtituunt.

l. 78. §. 1. l. 86. ff. *de legat.* 3. l. 5. §. 2. ff. *de re iudic.* l. 7. §. 4. ff. *de pecul.*

TH. 14. Specialiter contrahitur pignus, quando nominatim res, vel certa aliqua bonorum pars, non verò omnia bona, obligatur, ſive res illa obligata ſit ſingularis, ut fundus, ſive univerſalis, ut grex, armentum, taberna mercatoria. l. 1. 13. *&* 34. ff. h. t. res namque hæ licet ratione ſuarum partium ſint univerſales, ratione tamen totius patrimonij, & omnium debitoris bonorum, meritò habentur ſpeciales.

TH. 15. In hac ſpeciali pignoris obligatione comprehenduntur & ea, quæ, vel (1) rei pignoratæ accedunt, ut pars fundo per alluvionem, uſusfructus proprietati per accretionem. l. 16. *pr.* ff. h. t. l. 18. §. 1. ff. *de pign. action.* vel (2) quæ ex re pignorata naſcuntur, atque proveniunt, ut ſunt pecorum fructus, & partus ancillarum. l. 26. §. *fin.* *&* l. 29. §. 1. ff. h. t. l. 44. ff. *de rei vindic.*

TH. 16. Pignoribus Prætorijs hodie annumerari ſolet arreſtum, quod quam primum iuſtè & legitimè impetratum, in bonis debitoris pignus conſtituitur neceſſariò, huius arreſti impetrandi requiſita ſunt, (1) ut ſummariè fidem iudici faciat de ſuo debito, illud impetraturus, (2) ut oſtendat iudici, periculum aliquod ſubeſſe; quare de conſequendo per hunc modum debito, proſpicere ſibi cogatur. *Magnif Dn. Mævius tract. de arreſt. c.* 4. *& Dn. Carpz. p.* 1. *c.* 29. *def.* 6. 7. 8.

TH. 17. Cum conventionalibus hypothecis & pignoribus pacta nonnunquam adjici ſoleant, de ijs quædam adjicere, compilatoribus placuit.

TH. 18. Pacta illa aut licita ſunt, aut illicita; licita dantur perplurima, quorum nobiliora in ſequentibus videbimus.

TH. 19. Pactum licitum eſt, [1] ut creditor, debitore non ſolvente, poſſit ſua authoritate poſſeſſionem fundi pignorati ingredi. l. *pen. C. de pignor. action.* eamque adipiſci, nec incidit in decretum D. Marci, de quo in *l.* 13. *ff. quod met. cauſ.* hoc tamen ita eſt intelligendum, ſi debitor creditori poſſeſſionem ingredienti non reſiſtat, hicque violentiam non adhibeat; ſecus enim ſe res habet, interveniente violentia. l. 3. C. h. t. [2] eſt, ut creditor certo tempore pignus in compenſationem debiti poſſideat, cuius hæc vis & effectus eſt, quod creditor fructus percipere poſſit, quos in debitum imputare cogitur. l. 39. ff. *pignor. act. l.* 2. *&* 3. *C. eod.* [3] pactum eſt, quo inter contrahentes convenit, ut loco uſurarum fructus pignoris percipiat creditor, hæc pactio à

ſuperiori differt; illic enim ſi fructus quidem uſuras ſuperant, in ſortem imputantur, hic verò cum uſuris compenſantur, & creditoris lucro cedunt, quæ pignoris ſpecies *antíchreſis* vocatur in l. 33. ff. *de pignor. act.* l. 11. §. 2. ff. h. t.

TH. 20. Hinc quæritur, an antichreſis legitimum modum uſurarum, hoc eſt, hodie quincunces excedere queat? Reſp. diſting. inter jus canonicum, naturale, & civile. Illo (ſc. canonico) negatur, quia uſurarium redolet, creditorem lucrari fructus tam immodicos, c. 1. *Extr. de uſur.* c. 6. *extr. de pignor.* Iſto iure, (naturali) uſuræ ſimpliciter non ſunt injuſtæ; hoc, puta civili, ſubdiſtinguendum; inter uſuram expreſſam & tacitam, hæc ſemper redigi debet ad certum modum uſurarum, & quod excedit, ſorti eſt imputandum, l. 8. ff. *in quib. cauſ. pign.* Illa iterum eſt vel certorum fructuum, vel incertorum; priori caſu, ſi quis habeat fructus oppignoratos, qui certò quotannis proveniunt, ut decimæ, prata, horti, tunc quotannis ſorti imputatur, quod excedit legitimam uſurarum quantitatem, l. 2. *in fin. C. de uſur.* Poſteriori caſu, ſi nimirum fructus ſint incerti, creditor ad reſtitutionem, vel imputationem fructuum haud tenetur, propter incertum proventum, & pretij eorundem inconſtantiam, ac mutabilitatem, l. 23. C. *de uſur. arg.* l. 17. C. *eod.* cum ex adverſo percipiens cogitur eſſe contentus, ſi parum aut nihil fructus, incidente ſterilitate, percipiat, quo caſu, ipſius labor in culturam agrorum collocatus non compenſatur.

TH. 21. Pactum illicitum eſt & pactum Legis (a) commiſſoriæ, (b) quo convenit inter contrahentes, ut niſi debitor ſua die debitum ſolvat, pignus ſit creditoris.

(a) Pactum hoc in rubrica. *t. ff. de lege commiſſoria* vocatur lex, quia venditioni adjicitur in continenti, proinde contractui ineſt, eundemque reformat, temperat, & reſtringit.

(b) Commiſſoria dicitur, quia emptor pretium non ſolvens in hoc pactum quaſi committit, atque ita poteſtatem creditori facit, pactum hoc exercendi, remque recuperandi. Committere enim in jure denotat propter delictum alicui qſ. poteſtatem facere, pœnam promiſſam, vel ſimile quid exercendi; ſic merces, quæ fiſco, ob delictum eas non profitentis, & vectigal pro ijs non ſolventis, vindicantur, committi, & merces ipſæ commiſſum dicuntur, l. 4. *&* 8 ff. *de publican.* Item feudum dicitur committi domino, quando illud domino aperitur.

TH. 22. Impium hoc pactum jam tempore ICtorum veterum fuit prohibitum, *arg.* l. 34. ff. *de pign. act.* l. 16. §. *ult.* ff. h. t. l. 45. ff. *de ſolut.* aſt cum illud inſatiabili improborum creditorum avaritia frequentius exerceretur, per Imperatorem Conſtantinum iterum eſt

prohibitum, l. *fin. C. de pact. pign. & L. commiſſ.* & quia res pignori data regulariter valore ſuo debitam pecuniam excedat, & indigus æris, neceſſitate coactus, quaſi ab iniquo creditore adducatur, ut in hanc duram legem, qua ob non ſolutum ſua die debitum, dominio rei ſuæ excidat, conſentiat; qua de cauſa, ne fraudibus his, & captionibus anſa præbeatur, eiuſmodi pacta non valent. Excipe, niſi inter contrahentes actum ſit, ut pecuniâ ad diem non ſolutâ, res pignorata iuſto pretio empta eſſe debeat, l. 16 §. *fin.* ff. h. t. quia tunc ceſſat iniquitas, ubi neuter contrahentium læditur, & pactum tale incidit in emptionem & venditionem; quo caſu arbitrio boni viri iuſtum illud pretium definitur, aut iuxta communem, quæ tunc erit, æſtimationem venditur; atque ſic id, quod ſupereſt debitori, pignoratitiam actionem inſtituenti, eſt reſtituendum, quod aliàs in L. commiſſoria fieri non conſuevit.

TITVLVS II.

In quibus cauſis pignus, vel hypotheca tacitè contrahitur.

Iung. tit. 15. lib. 8. C. d. t.

TH. I. QVOMODO pignora & hypothecæ legales (a) & expreſſæ conventionales conſtituantur, ex præcedentibus percepimus, de tacitis nunc differendum ſupereſt; nam non modo pignus & hypotheca expreſsè, (b) ſed & tacitè (c) contrahitur.

(a) Vbi lex ſola diſponit, & dominatur quæ differt à tacita, ubi conventio aliqua contrahentium præſupponitur.

(b) Puta [1] per expreſſam conventionem, vel [2] teſtatoris diſpoſitionem, vel [3] immiſſionem Prætoris, in Rei bona, ſi reus contumaciter lateat, nec copiam ſui faciat, unde pignus Prætorium ſpecialiter ita dictum; vel denique [4] in cauſa judicati per capionem in bonis Rei, ſententiæ parere recuſantis conſtituitur, vocaturque pignus judiciale; de hoc & illo ſuprà, *vide theſin 7. lit. b.*

(c) Tacitum pignus duplici modo intelligi poteſt, [1] impropriè, quatenus de pignore legali prædicatur, quo ſenſu per metaphoram, & analogiam, non verò propriè dicitur tacitum, vocatur enim ita, quia tacitè quaſi ab homine, inducitur. [2] propriè, ut eſt ſpecies pignoris ab homine conſtituti, hoc ſenſu conventionale pignus appellatur tacitum, quatenus non

expreſſo hominis conſenſu, ſed ex præſumpto tacito, & re ipſa reſtituitur, ubi ſecundum voluntatem veriſimilem (non expreſſam) lex operatur; hinc à pignore, ſive hypotheca legali, ubi lex ſola diſponit, operatur & dominatur, ſejungitur.

TH. 2. Pignus tacitum & hypotheca eſt generale, vel ſpeciale, illud in omnibus, hoc in quibuſdam debitoris bonis conſtituitur.

TH. 3. Eiuſmodi tacita pignora, & hypothecæ, ob iuſtam rationem diſpoſitione iuris inducuntur. Iuſta autem ratio, qua Legiſlator movetur, ut rem pignoris nexui obnoxiam velit, quamvis de eo contrahentes non convenerint, [1] eſt ſingularis creditorum, quibus debitores ſunt obſtricti, favor & conditio, [2] ſpecialis cauſæ & debiti favor, & [3] præſumpta civium voluntas.

TH. 4. Propter ſingularem creditorum favorem hypotheca tacita conſtituitur [1] fiſco ex cauſa contractuum, ſi quis ratione contractus, cum fiſco initi ei debeat, tunc in omnibus debitoris bonis, tam præſentibus, quam futuris hypothecam tacitam habet fiſcus, l. 28. l. 46. § 3. ff. *de jur. fiſc.* l. 6. C. *de priv. fiſ.* non tamen ex delicto, l. 37 ff. *de jur. fiſci.* l. *un.* *C. pœn. fiſc.* nec ſi in privati jus ſuccedat, l. 6. ff. *de jur. fiſc.* fiſcus habet quoque tacitam hypothecam generalem in bonis adminiſtratorum, contemplatione adminiſtrationis geſtæ, l. *ult.* C. *quo quis ord.* l. 1. C. *de privat. fiſc.* idem affirmatur de bonis adminiſtratoris civitatis, communitatis, Eccleſiæ, cœnobij, orphanatrophij, &c. *Carpz. part.* 1. *conſtit.* 28. *def.* 115. *& ſeq.* [2] Pupillis, & minoribus, in bonis tutorum & curatorum, etiamſi mater tutelam geſſerit, & qui pro tutoribus negotia gerunt, l. 20. C. *de adminiſt. tutor.* l. 49. ff. *locat.* l. 6. C. *in quib. cauſ. pign. tac.* *t. t. ff. de eo, qui pro tutor. vel curat.* Hypotheca hæc in bonis tutorum & curatorum, non competit à die rationum redditarum, nec à tempore cœptæ adminiſtrationis, ſed ab ipſo die ſuſcepti officij, vel confirmatæ tutelæ, l. 1. *& t. t.* C. *ſi tutor, vel curat. non geſ.* l. 19. §. 1. l. 20. *&* 23. ff. *de rebus auth. judic. poſ.* contra in bonis protutoris & curatoris, à die adminiſtrationis, quo is falſo ſe tutorem, vel curatorem geſſit. Conceditur etiam pupillis tacita hypotheca in bonis, ſuâ pecuniâ emptis, l. *pen.* C. *de ſerv. pign. dat.* l. 7. ff. *qui potior. in pign.* 1. Item in bonis Patris, ratione bonorum maternorum, aut aliorum adventitiorum, quæ à patre ſunt adminiſtrata, l. 6. §. *ult.* C. *de bon. quæ liber.* l. 8. §. 4. C. *de ſecund. nupt.* idemque obtinet in vitrici bonis, eo caſu, quo uxor, filiorum prioris matrimonij tutrix nupſit, non redditis prius tutelæ rationibus, aut nondum dato liberis tutore. l. 6. C. h. t. Specialem hunc favorem furioſis, mente captis &

prodigis, mutis, & ſurdis eſſe communicandum, doctores contendunt.

TH. 5. Ob ſpecialem cauſæ, ſive debiti favorem; qualis tribuitur, [1] fiſco in civium bonis pro tributis, l. 1. C h. t. horum enim intuitu cives obligantur, eorumque bona cenſentur oppignorata, ad munera Reip. præſtanda; hypotheca hæc potius jus habet, iure mulieris dotali, cum huic præferatur, l. 7. ff. *de publican. & vectigal. arg.* l. 4. C. h. t. [2] Marito ob matrimonij favorem, huic competit hypotheca in bonis uxoris, illius, qui dotem promiſit, ut fidejuſſoris, pro dote præſtanda, l. *un.* §. 1. C. *de rei uxor. act.* [3] Vxori competit ob eundem matrimonij favorem, pro dote reſtituenda, in omnibus mariti bonis, vel illius, qui dotem ſuſcepit, e. g. patris, mariti. §. 29. *Inſt. de act. d. l. un.* §. 1. C. tacita hæc hypotheca generalis conſtituitur à die promiſſionis & contracti matrimonij, quamvis non ſtatim, ſed poſtea dos ſit ſoluta, l. 1. ff. *qui pot. in pign. Magnif dn. Mevius ad jus Lubec.* 1. *tit.* 5. *art.* 14. *Gail.* 2 *obſ.* 86. Conceditur hypotheca, & pro donatione propter nuptias, l. 29. C. *de jur. dot. Nov.* 97. c. 6. item pro dotis augmento, l. 19. C. *de donat. ante nupt. Carpz* p. 1. c. 28. *def.* 91. ut & in paraphernalibus, à marito adminiſtratis, l. *fin.* C. *de pact. convent. Gail.* 2. *obſ.* 92. ultimò denique competit uxori ratione alimentorum ei à marito præſtandorum, [4] Ex Scto datur illi, qui ad reſtitutionem, vel refectionem ædificij collapſi, aut collapſuri pecuniam credidit, in illo ipſo ædificio, antea nunquam obligato, l. 1. ff. h. t. Secus ſe res habet, ſi quis in aliam rem, puta agrum, vel prædium emendum, vel navim fabricandam quid contulerit, l. 17. C. h. t. l. 7. C. *qui potior in pign.* quia in his ceſſat ratio politica, ne civitatis aſpectus, ob ædium ruinas deformetur; ideo tribuitur illis ſaltem privilegium prælationis inter chirographarios.

TH. 6. Ex præſumpta civium voluntate, [1] eiuſmodi tacitum pignus conſtituitur, quoties res in prædium urbanum à conductore inferuntur, quæ pro penſione & damnis (ſi nimirum habitatio à conductore, ſ. inquilino deterior ſit facta, l. 2. ff. h. t.) locatori ſunt oppignoratæ, ad huius pignoris conſtitutionem requiruntur hæc duo, primum eſt, ut eo animo ſint illatæ, ut tam diu, ibi maneant, quamdiu durat locatio, l. 7. §. 1. ff. h. t. E. merces in domum illatæ eo ſimpliciter non ſpectant, quia non eo animo inferuntur, ut ibi ſemper maneant, quotidie enim de ijs, data occaſione, quædam venditur; in genere tamen plerumque durare ſolet, quoniam in locum venditarum rerum aliæ ſubſtitui ſolent, l. 13. *pr. de arg.* l. 34. ff. *de pignor.* ob id, quæ

ex

ex his rebus tempore ſolvendæ penſionis in domo conducta extant, tacitè obligatæ cenſentur: ſecundum eſt, ut res in prædium urbanum illatæ & invectæ, l.5. C. *de loc. cond.* contra in prædijs ruſticis non ipſæ res illatæ ſunt oppignoratæ, (excipe, niſi expreſſe hoc à contrahentibus conſtitutum, d. l. 5. C. ſed fructus, qui ibi naſcuntur, l.4. *&* l.7. ff. h. t. [2] ex præſumpta teſtatoris voluntate conſtituitur pignus legatario, & fideicommiſſario in rebus à teſtatore deſcendentibus, §. 2. *Inſt. de legat. comm. de legat.* denique [3] & ſtudioſi ſuppellex litteraria in Muſæum conductum illata locatori eſt oppignorata; cum nullibi in legibus excipiatur.

TH. 7. Ratio diverſitatis inter pignus generale & ſpeciale, illud minus obligat quam hoc (ſc. ſpeciale.)

TITVLVS III.

Quæ res pignori, vel hypothecæ datæ obligari non poſſunt.

Iung. tit. 17. lib. 8. C. d. t.

TH. I. OMNES omnino res, quæ emi vendi poſſunt, oppignorari licet, l. 9. §. 1. l. 24. ff. ex adverſo quæ emi & vendi nequeunt, iure non oppignorantur. l. 1. §. 2. ff. h.t.

TH. 2. Hinc quæ in bonis noſtris (a) ſunt, nec alienari prohibitæ pignori dari poſſunt. l. *ult.* C. *de reb. alien. non alien.*

(a) Sive corporales, ſive incorporales ſint; illæ ſunt mobiles & immobiles, l. 1. §. *fin.* l. 6. ff. h. t. extantes, vel futuræ; præſentes & abſentes, l. 1. §. 2. l. 15. ff. h.t. hæc ſunt nomina, uſusfructus, intellige quoad jus reale, non verò perſonale, quod pignoris nexui ſubjici nequit, l. 11 §. 2. ff. *de pignor.* E. res alienæ proprio nomine oppignorari haud poſſunt, l. 16. §. 7. ff. *de pignor.* tutorio nomine poſſunt, l. 3. C. *ſi alien. res pign.* l. 16. ff. *de pign. action.*

TH. 3. Res quædam oppignorari prohibentur, vel naturâ, (a) vel lege. (b)

(a) Illæ ſunt, quæ in hominum commercio non exiſtunt, ut res ſacræ, ſanctæ religioſæ, univerſitatis, liber homo, dantur tamen ratione circumſtantiarum nonnullæ exceptiones, l. *ſancimus C. de SS. Eccleſ. c. aurum.* q. 2. c. 9. *Extr. de jureiur.*

(b) Quâ id impeditur propter ſupereminentem Maieſtatis potentiam,

qualia ſunt [1] arma, *arg.* l. 14. §. 1. ff. *de re milit.* [2] inſtrumenta ruſtica, l. 7. l. 8. *& Auth. ſeq.* C. *quæ res pign. oblig. poſ.* [3] fundus dotalis, [4] res litigioſæ, & [5] res feudales; quia feudalium rerum alienatio invito domino, aut agnatis non conſentientibus eſt interdicta; oppignoratio autem eſt quædam alienatio. l. *ult.* C. *de reb. alien. non alien.*

TH. 4. Cuilibet rem communem pro parte, quam in ea habet, oppignorare licet; aſt ſocij partem pignori dare nequit. l. *un.* C. *ſi commun. res pignor. dat. ſit.*

TITVLVS IV.

Qui potiores in pignore, vel hypotheca habeantur, & de his, qui in priorum creditorum locum ſuccedunt.

Iung. tit. 18. lib. 8. C. d. t.

TH. I. IN hoc titulo de pignoris effectu agitur. Effectus pignoris eſt jus creditoris, (a) quod habet in re pignorata. Vnde ex pignore eſt [1] actio hypothecaria, [2] jus prælationis, [3] diſtractionis, & [4] retentionis.

(a) In eo conſiſtens, quod ei magis in tuto ſit creditum, ſeu, quod ſecurus ſit creditor, atque ſi debito tempore non reſtituatur creditum, inde ipſi ſatisfieri poſſit. §. *fin. Inſt. quib. mod. re cont.*

TH. 2. Actio hypothecaria eſt duplex, Serviana, & quaſi Serviana.

TH. 3. Actio Serviana (a) eſt actio in rem, qua locator de rebus coloni, iure pignoris pro mercedibus fundi ſibi obligatis adverſus quemcunque poſſeſſorem experitur.

(a) Ita dicitur à Prætore Servio, qui eam introduxit, §. 7. *Inſt. de action.*

TH. 4. Actio qſ. Serviana (a) eſt actio in rem, (b) data creditori (c) ex iure pignoris, (d) adverſus poſſeſſorem rei pignoratæ, (e) ad eandem reſtituendam. (f)

(a) Vocatur ſic, quia ad exemplum Servianæ eſt introducta; hæc aliàs hypothecaria propriè dicta nominatur.

(b) Quia eſt ex iure in re. l. 17. ff. *de pignor.*

(c) Creditori competit jus pignoris perſequendi, ſi non poſſideat, l. 13. §. 2. ff. *de pign.* §. 7. *Inſt. de action.* l. 66. ff. *de evict.* aſt ſi poſſideat ius reti-

nendi habet, l. 4. C. *de pign.* l. 10. C. *de pign. act.* tandem debitore non ſolvente, jus diſtrahendi, vel interdum dominium impetrandi.

(d) Hinc creditorem probare oportet, rem ad debitorem ſpectaſſe eo tempore, quo inter eos de pignore conventum, aut cuius voluntate creditori hypotheca fuit data, l. 23. ff. *de probat.* h. e. probare tenetur, rem tempore contracti pignoris fuiſſe in bonis debitoris, l. 13. l. 15. §. 1. ff. h. t. In bonis autem dicitur res, quam debitor b. f. & juſto titulo poſſidet, nec neceſſe eſt probari, rem in debitoris dominio fuiſſe.

(e) Sive poſſeſſor pignoris ſit debitor, l. 24. C. *de pignor.* ſive alius, quia datur adverſus quemlibet poſſeſſorem, l. 12. C. *de diſtrah. pign.* Notandum; tertius ille poſſeſſor, ad quem pignus, debitore illud alienante pervenit, prius conveniri non poteſt, quam debitor, eiuſque fidejuſſor actione perſonali fuerint conventi; aut ſi conveniatur, exceptionem excuſſionis opponere poteſt. *Nov.* 4. c. 2.

(f) Actione hac qſ. Serviana vindicamus pignus, & petimus, ut res pignori nobis obligata tradatur, l. *66. pr.* ff. *de evict.* l. 10. *in fin.* ff. *de pignor.* etiam cum partu. l. 1. C. *de partu pign.*

TH. 5. Cum eadem res pluribus nonnunquam obligetur, ſive pignori detur; unde accidit, ut diſceptari in perſecutione, diſtractioneque pignoris ſoleat, uter alteri ſit præferendus.

TH. 6. Ius prælationis hic eſt, propter quod creditores, pignora habentes omnibus privilegijs (a) præferuntur, vel inter ſe alter alteri præfertur.

(a) Puta deſcendentibus ex actionibus perſonalibus; hypothecarij enim creditores ius in re ad eam conſequendam habent, atque ſic actionem realem, quæ quavis perſonali eſt potentior & fortior.

TH. 7. Ius illud prælationis eſt duplex, ordinarium & extraordinarium; in illo obſervatur regula, qui prior eſt tempore, potior eſt iure. l. 5. 8. 10. 11. *pr.* ff. h. t. l. 2. 4. 8. 9. C. h. t. hoc verò (ſc. extraordinarium) [1] ex privilegio hypothecæ annexo, (a) vel [2] modo, (b) quo reſpectu, tempore poſterior priori præfertur, quoties una, eademque res duobus, vel pluribus eſt obligata, ſive oppignorata.

(a) Creditores hypothecarij ſunt potiores, ratione cauſæ, ſive privilegij hypothecæ annexi, ob quod hypotheca eſt conſtituta; eiuſmodi privilegium competit [1] fiſco, qui præfertur, quoad tributa, collectas, annonam publicam, (non verò ratione contractus, &c.) quia priori loco omnia bona fiſco ſunt obligata, l. 1. *&* 2. C *ſi propter publ. penſit.* l. 3 *&* 4 C. *de primipil.* l. 4. C. *in quib. cauſ. pign.* [2] illis, qui ad militiam emendam crediderunt, *Nov.* 97. c. 4. [3] conceditur uxori, eiuſque liberis, favore dotis. l. *un.* C. *de privil. dot.* l. 12. C. h. t. [4] pupillis, reſpectu rei, nummis eius compa-

ratæ, l. 7. ff. h. t. ob perſonæ favorem, ut rem ſalvam habeat, l. *fin.* ff. h. t. [5] etiam iſtis, quorum pecunia res eſt empta, & quibus hæc expreſſe, ſive ſpecialiter eſt obligata, l. 17. ff. *de pignor.* l. 7. C. h. t.

(b) Creditores hypothecarij ſunt etiam potiores ratione modi, quo hypotheca eſt conſtituta; ſic præfertur creditor hypothecarius, hypothecam publicam habens habenti privatam; ille licet tempore ſit poſterior, huic præfertur, ob modum hypothecæ conſtitutæ, l. 11. C. h. t. Nota; hypotheca publica tripliciter fieri poteſt, (1) ſi quis rem oppignoratam habet coram Magiſtratu, eiuſque authoritate ius in pignore conſtitutum, l. 30. & 31. C. *de donation.* l. *fin.* C. *de re iudic. arg. auth. ſi quis* C. h. t. l. 10. ff. *de probat.* (2) per inſtrumentum Notarij publicum, l. 17. C. *de fid. inſtrum. arg* l. 11. C. h. t. *Nov.* 44. *pr. Nov.* 47. *præfat.* & c. 1. denique (3) ſi producatur ſcriptum privata debitoris manu, aut ab eo ſubſignatum, quod trium probatæ atque integræ opinionis virorum ſubſcriptione eſt munitum, d. l. 11. C. h. t. *Nov.* 73. c. 1. & 2. hoc ultimum, etiamſi propriè loquendo non ſit inſtrumentum publicum, jure tamen Romano æquiparatur publico; contrarium iure Saxonico obſervatur. *conſtit. Elector.* p. 2. c. 23.

TH. 8. Paſſim in Germania eſt receptum, ut hypothecæ rerum immobilium fiant coram Senatu, & libro publico, ſeu actis inſerantur; ut [1] iure Saxonico *conſtitut.* 23. p. 2. [2] iure Lubecenſi, *lib.* 3, t. 4. [3] Viennæ Auſtriæ, *Gail.* 2. *obſ.* 25. Imò, idem obſervatur in potentiſſimo & florentiſſimo Sueciæ Regno; ubi oppignorationes rerum immobilium publicè in Curia, aut iudicio fiant; quapropter eiuſmodi creditores jure prælationis præ hypothecarijs privatis gaudent. Vide famigeratiſſimum D. Loccenium *Synopſi iur. ad Leges* Suedicas *accommodata. diſſert.* 19. *Th.* 8. & 14. rationes autem quare in iudicio & publicè fiat, ex ſeqq. percipe. [1] ne res eadem obligetur pluribus, [2] ut ſecurior ſit creditor, palam factâ oppignoratione de oneribus alijs non inhærentibus, [3] quod in privatis inſtrumentis haud difficulter mutari poſſit dies obligationis, in fraudem antiquiorum creditorum. d. *Gail.* 2. *obſ.* 25.

TH. 9. In hypothecarijs, pari iure gaudentibus obſervatur regula iſta generalis, (a) qui prior eſt tempore, potior eſt iure, l. 8. & 10. ff. h. t. l. 2. 4. 7. 8. C. *eod.* quæ in illis adeo accuratè notatur, ut temporis prioritas, non modo ex menſium, hebdomadum, aut dierum, verumetiam ex horarum, imo & momentorum intervallis iudicetur. l. 16. §. 8. ff. *de pignor.*

(a) Ad hanc regulam referuntur hypotheca legalis, conventionalis & iudicialis, in quibus omnibus efficaciter valet.

TH. 10. Ex præcedenti theſi liquet; ſi creditor, qui prior hypothecam accepit, eam poſſideat, & alius contra eum agat hypothecariâ, po-

teſt ſe tueri exceptione prioritatis. E contrario, ſi alius eam poſſideat, & prior vindicet hypothecaria, tunc excipienti de hypotheca replicare poteſt, quod res ſibi prius fuerit oppignorata. l. 12. ff. h. t. etiamſi alter, qui poſſidet, rem ex immiſſione ſit nactus, quia in iure pignoris conſtituendo, non tempus traditionis, ſed conventionis obſervari oportet. l. 12. §. *fin.* ff. h. t. l. 1. ff. *de pignor. action. Gail. 2. obſervat.* 25.

TH. 11. Quæritur, quando creditores hypothecarij ſunt *ſynchronoi*, h. e. pares tempore concurrunt; quid iuris? Reſp. diſting. aut eodem tempore pluribus in ſolidum eadem res eſt oppignorata, aut pro parte ſaltem ſingulis, ratione debitæ quantitatis, eſt obligata. Priori caſu, ſinguli in ſolidum adverſus debitorem, vel extraneum poſſeſſorem habent actionem. l. 10. ff. *de pignor. l. 1. ff. de ſolvi. interd.* interim tamen prior poſſeſſionem nactus, alterum hypothecaria agentem excludit, quia in pari cauſa, melior eſt cauſa poſſidentis. l. 171. ff. *de R. I.* d. l. 10. Poſteriori caſu, ſecus ſe res habet, quilibet namque pro ea parte, qua obligatio ſibi eſt conſtituta, agit adverſus creditorem poſſidentem. l. 10. *&* l. 16. §. 8. ff. *de pignor.*

TH. 12. Quæritur, ſi quibuſdam bona generaliter ſint obligata, utrum illi creditores alteri, pignus ſpeciale habenti, illud auferre iure queant? Reſp. diſting. aut poſſunt ex alijs bonis creditum redigere, aut non poſſunt, hoc modo licet, illo modo non item. l. 2. C. *de pignor.*

TH. 13. Interdum in locum, & ius priorum creditorum alij ſuccedunt, ut nimirum alius creditor hypothecarius poſterior, qui licitè ſuccedere poteſt, non modo, priori hypothecario volente, ſi ei ſuum debitum ſolvat, ſed & invito, ubi eo nolente pecuniam oblatam accipere, obſignatam deponit, ſicque ius prioris hypothecarij in ſe transfert, & ſibi confirmando pignus, in prioris locum, quoad debitum alteri ſolutum, ſuccedit. *l. ult. C. de his, qui in prior. cred. loc. l.* 12. § 6. ff. h. t. l. 12. *C. de pignor.*

TH. 14. Contra ſi chirographarius priori hypothecario ſolvat, ius prioris in ſe minimè transfert. Excipe, niſi (1) hoc ſpecialiter inter eos conventum. l. 12. §. 8. ff. h. t. l. 1. C. *qui in prior. cred. loc. l.* 3. ff. *quæ res pignor.* vel (2) illud eo tempore per iudicem obtinuerit. *l.* 11. *C. de fideiuſſorib.*

TH. 15. Si alij, non verò creditores debitori nummos ita credant, vel pignus emant, ut debitor ſolvat priori creditori; tunc non aliter ius prioris creditoris impetrabunt, quam ſi de illo iure pacti fuerint, & nummi ad priorem creditorem pervenerint, quia neque in debitoris

neque in huius creditoris eſt poteſtate, ut prioris obligationem tollant. *arg.* l. 12. §. 8. ff. h. t. l. 1. & 3. C. *de his, qui in prior. locum.*

TITVLVS V.

De diſtractione pignorum & hypothecarum.
Iung. tit. 28. lib. 8. C. d. t.

TH. I. PRINCIPALIS pignoris effectus in eo conſiſtit, ut debitore non ſolvente, aut doloſè ſolutionem protrahente, creditori pignus vendendi, exque pretio eius, ſibi ſatisfaciendi libera facultas permittatur. l. 1. §. 1. ff. h. t. l. 3. §. *ult.* ff. *qui potior in pign.* l. 7. §. 1. ff. *de reb. eor. qui ſub tut.* etiamſi pignoris diſtractioni contradicat debitor, excipe niſi debitum offerat. l. 2. C. *debit. vend. pignor. imp. non poſſ.* idem affirmatur de poſteriori creditore. *l. ult.* C. h. t.

TH. 2. Ius diſtrahendi pignoris, vel hypothecæ eſt, quo creditor poſt moram, à debitore commiſſam, & denunciationes, pignus & hypothecam, palàm, ſolenniter, bona fide, (a) & citra ſimulationem, extraneo vendere poteſt.

(a) Quæ in eo præprimis conſiſtit, ne pignus à creditore vendatur vili & injuſto pretio. l. 14. ff. *de pignor. act.* quod bona fides non patitur. l. 3. C. *ſi vendit. pign. aga.*

TH. 3. Diſtractio pignoris eſt duplex iudicialis, & extraiudicialis.

TH. 4. In diſtractione pignoris judicialis, hic modus eſt obſervandus, [1] debitori condemnato 4. menſes ad ſolutionem faciendam conceduntur. l. 2. l. *ult.* §. 1 C. *de uſ. rei iudic.* quibus effluxis, ſi ſolutio nondum ſit facta, pignora capiuntur, pignoribus captis, duos expectant menſes, ijs elapſis pignus ab executore publicè ſub haſta venum exponitur, pluſque licitanti venditur. l. 21. ff. *de re iudic.* emptore non exiſtente, creditor admittitur. l. 2. C. *ſi in cauſ. iudic.* ſi verò pignus pluris conſtet, quam debeatur, ut regulariter ſolet, ſuperfluum reſtituere tenetur creditor. l. *fin.* §. 4. C. *de iur. dom. impetr. l.* 15. §. 1. ff. *de re iudic.*

TH. 5. In diſtractione pignoris extraiudicialis ſequentia deſiderantur requiſita, (1) ut debitor ſit in mora, vel ſuſpectus de ſolvendo. l. 7.

& 14. C. h. t. (2) ut debitori iure veteri, ter denuncietur teſtato, ſe velle pignus, ſive hypothecam diſtrahere, niſi fiat ſolutio. l. 4. C. h. t. inter unamquamque denunciationem, diebus 10. ad minimum intercedentibus, poſt ternam hanc denunciationem, iure veteri, & poſt unam denunciationem iure novo, expectandum eſt ſecundùm leges Iuſtiniani Imp. integrum biennium, quo elapſo, pignus publicè diſtrahi poteſt, & quidem rei immobilis, literis, ſive programmate publicè propoſito, quo pignus venditum iri ſignificatur. *arg.* l. 6. C. *de remiſſion. pign.* res verò mobilis ſub auctione publica. *l. fin.* C. *de iur. domin. impetrand. l.* 4. *& 9. C. de diſtract. pign. Carpz. part.* 1. *conſt.* 32. *d.* 5.

TH. 6. Si creditor rem oppignoratam, ſub auctione publica, ſive haſta venum exponat, nec emptorem inveniat; tenetur debitori iterum denunciare, ut pignus luat, quo omiſſo, à Principe impetrationem dominij petet creditor. *l. fin.* §. 2. 3. C. *de iur. dom. impetr.* & quamvis dominium rei oppignoratæ, ita creditori à Principe addicatur, competit nihilominus debitori, intra biennium, propter pietatem, redimendi facultas. d. l. *fin.* §. 3. & 4. C.

TH. 7. Poſtquam pignus hoc modo eſt diſtractum, tollitur, ſive exſpirat pignus, & dominium, vel ius, quod debitori in re pignorata competijt, omne in emptorem per traditionem irrevocabiliter transfertur. §. 1. *Inſt. quib. alien. lic. l.* 46. ff. *de O. & A. l.* 3. *in fin. ff. de diſtract. pign.* modo venditum ſit extraneo, non alij creditori; ideo debitor poſtea offerens debitum, pignus extinctum luere nequit. l. 1. C. *ſi antiquior. cred. pign. vend.* l. 5. §. 1. l. 6. ff. *de diſtract. pign.* aſt ſi pignus vendatur ſecundo creditori, tunc debitor huic offerre poteſt. d. l. 5. §. 1.

TH. 8. Si debitor priori creditori, vel extraneo pignus vendiderit, ius offerendi manet integrum poſteriori creditori; quia res cum onere ad priorem tranſit, qui ſervandi pignoris cauſa illud accepiſſe præſumitur: debitor enim non poteſt poſteriori creditori ſuum ius tollere. l. 12. C. h. t.

TH. 9. Si creditor pignus iure vendere non potuit, (a) debitor rem venditam à poſſeſſore, rei vindicatione petere poteſt. (b)

(a) Quoniam nulla adhuc mora à debitore fuit commiſſa.

(b) Ante moram namque commiſſam, inſtituta pignoris venditio declaratur, & eſt nulla. l. 2. C. *ſi vendit. pign. agat.*

TH. 10. Si creditor pignus non debito modo, ſive legitimè vendidit, (a) is conveniri poteſt actione pignoratitia ad intereſſe, (b) vel utili

actione, ex empto (c) ad rem cum fructibus, pro pecuniâ oblatâ reſtituendam.

(a) Putâ ſi mala fide, vel non obſervatis ſolennitatibus, pignus ſit venditum, ſcilicet (1) debitorem prius commonefaciendo, ut pretium offerat, (2) eidem teſtato denunciando, (3) denunciatione facta biennium expectando, antequam ad venditionem progrediatur, &c.

(b) l. 1. & 4. C. *ſi vendit. pign. agatur.*

(c) Si creditor non ſit ſolvendo, & emptor mala fide emerit. d. l. 4. C.

TH. 11. Quæritur, utrum creditor, rem oppignoratam vendendo, tenetur de evictione? Reſp. negando, quia [1] non habet dominium, nec quaſi dominium, quamvis ius reale in re pignorata conſtitutum habeat creditor, [2] non ſuo, ſed alieno nomine vendit; h. e. eo iure, quod debitoris fuit; E. debitor non verò creditor de evictione tenetur; quem inde per actionem utilem ex empto convenire poteſt emptor. l. 12. §. 1. ff. *de diſtract. pign.* quaſi ipſe debitor vendidiſſet, cui pretium acceptum profuit. l. 13. C. *de evict.* vel per actionem pignoratitiam contrariam, quàm creditor tenetur cedere emptori; æquiſſimum enim eſt, emptorem id ſaltem conſequi, quod ſine diſpendio creditoris futurum eſt. l. 13. ff. *de diſtract. pign.* l. 38. ff. *de evict.* Excipe, niſi creditor convenerit de evictione.

TH. 12. Ius retentionis eſt, quo creditor pignus ob chirographariam pecuniam (a) retinere poteſt contra debitorem, l. *un.* C. *ob chirograph. pet.*

(a) Cuius obligatio in chirographum collata eſt, abſque pignore, vel hypotheca; h. e. pignus non tantum ob debitum, in cuius ſecuritatem pignus eſt traditum, retineri licet, verumetiam debito pignoris ſoluto, ob quodlibet aliud debitum, nudo chirographo confirmatum.

TH. 14. Conceditur quoque retentio, [1] ob impenſas in pignus factas. l. 6. C. *de pignor.* [2] propter uſuras. l. 4. C. *de uſur.* l. 11. §. 3. ff. *de pignor. action.*

TITVLVS VI.

Quibus modis pignus, vel hypotheca ſolvitur.

Iung. tit. 26. lib. 8. C. *De remiſſione pignoris.*

TH. 1. PIGNORIS conſtitutionem, & conſtituti pignoris effectus vidimus; ſequitur nunc, quomodo pignus, vel hypotheca diſſolvatur, quod fit, vel ratione ipſius pignoris, vel intuitu obligationis principalis.

TH. 2. Ratione pignoris diſſolvitur ſequentibus modis. [1] pacto remiſſorio, (a) [2] elapſo tempore, ad quod pignus fuit conſtitutum. l. 6. ff. h. t. (3) rei interitu, rei pignoratæ, (b) [4] uſucapione, (c) [5] dominij impetratione. (d)

(a) Eiuſmodi remiſſio fit, voluntate creditoris expreſsâ, per pactum remiſſorium, quo convenit inter creditorem & debitorem, ut ille à pignore, vel hypotheca diſcedat. l. 5. ff. h. t. l. 2. & 4. C. *de remiſſ. pignor.* aut tacitâ, ut ſi [1] creditor conſentiat alienationi, ſive venditioni pignoris, l. 4. §. 1. l. 8. §. 4. & 11. ff. h. t. l. 2. C. *de remiſſ. pignor.* [2] Si creditor debitori chirographum, quo pignoris obligatio complectitur, reddiderit. l. 7. C. *de remiſſ pignor.* [3] ſi creditor conſentiat, ut pignus alteri oppignoretur. l. 12. *pr.* ff. h t. l. 12. §. 1. ff. *qui potior. in pign.* quia debitor aliàs, ceu dominus pignoris, inconſulto creditore rem pignoratam vendere, vel alio modo alienare, & in accipientem ſalvo iure creditoris dominium transferre poteſt; ideò, ſi conſenſus creditoris accedat, rationi & æquitati conveniens eſt, ut huius conſenſus aliquid ultro operetur, & faciat, ut liberè, & ſine onere in emptorem tranſeat, alioquin enim prorſus fruſtra conſenſum ſuum adhibuiſſet creditor; circa conſenſum hunc hic requiruntur duo, ut ſit habilis, & [2] expreſſus, habilitas præſupponit qualitatem perſonæ, quæ pignus apertè remittere poteſt, qualis eſt, cui libera rerum ſuarum adminiſtrandarum facultas iure eſt permiſſa. E. hic excluduntur, pupilli, minores, ſervi, filiusfam. procurator generalis abſque libera; conſenſus oportet ſit expreſſus; nuda enim ſcientia, & taciturnitas, ſeu patientia ſola non ſufficiunt; quoniam creditor ideo paſſus eſt, pignus vendi, quod ſciret, ius pignoris ubique ſibi durare, atque ſic tranſire rem cum onere in emptorem. l. 8. §. 16. ff. h. t. [4] ſi ſervum pignoratum debitor conſenſu creditoris manumittat. l. 1. C. *de remiſſ. pign.*

(b) Non modò, ſi corporalis ſit res, verùmetiam, ſi incorporalis, e. g. ſi

uſusfructus pignoris nexui obnoxius extinguatur. l. 3. l. 8. ff. h. t. hoc intelligendum eſt de interitu totius rei, non verò alicuius partis; ſi enim domus oppignorata comburatur, area domus combuſtæ nihilominus manebit obligata, & quicquid illi deinceps inædificatur. l. 21. l. 29 §. *domus. l. fin. ff. de pignor.* contrarium obſervatur in conceſſo ædium uſufructu. § 3. *Inſt. de uſufruct.* rationem diverſitatis ſic percipe, [1] pignus totam afficit rem, quantacumque illa ſit; uſusfructus verò tantum circa eius accidentia, nimirum emolumentum eſt conſtitutus: Hinc uſusfructus eſt longè debilius ius, ipſo pignore, quod eſt in ipſius rei ſubſtantia conſtitutum & comparatum.

(c) Pignori, vel hypothecæ longo tempore præſcribitur, propter diuturnum creditoris ſilentium, ſi videlicet quis rem oppignoratam bona fide poſſideat. l. 12. C. *de diverſ. & tempor. præſcript.* contra malæ fidei poſſeſſor 30. annis præſcribit. l. 3. C. *de præſcript. 30. annorum, auth. malæ fidei, C. de præſcript. long. temp.* quod de bonæ fidei, & malæ fidei poſſeſſore ratione præſcriptionis intra 10. vel 30. annos dicitur, intelligendum eſt de extraneo poſſeſſore; ſi enim creditor contra ipſum debitorem, eiuſque heredem agat, non niſi 40. annis præſcribitur. l. 7. § 1. C. *de 30. vel 40. annorum.* non enim æquum viſum eſt, debitorem, eiuſque heredem patientia creditoris abuti debere, neque, ſi creditor ex benignitate paſſus ſit, pignus à domino, ſive debitore poſſideri, ius propterea ſuum remiſiſſe videri. l. 1. & 2. C. *ſi adverſ. credit præſcript.*

(d) Quomodo hoc fiat in ſuperioribus expoſuimus, (1) ut præcedat denunciatio à creditore debitori teſtato factâ, ſcil. ut ſolvat, addita hac comminatione, niſi ſolverit, ſe pignus venditurum, (2) effluxo integro biennio, ab iſta denunciatione numerato, ſi nullum emptorem inveniat creditor, iterum (3) debitori denunciare cogitur creditor, ut pignus luat, quod ſi non fecerit, (4) Principem ſupplici libello adire poteſt, domini impetrationem petendo. *l. fin. C. de iur. domin. impetr.*

TH. 3 Intuitu obligationis ſolvitur pignus, ſublatâ obligatione principali, quæ tollitur (1) ipſo iure, per ſolutionem. l. 6. ff. h. t. (2) per aliam ſatisfactionem. l. 9. § 3. & l. 11. §. 2. ff. *de pignor.* pro totali debito. *l. ult. C. de luit. pign.* E. ſi unus ex pluribus heredibus creditoris, vel debitoris partem ſuam crediti, vel debiti acceperit, vel ſolverit, totum pignus non ſolvitur. l. 1. & 2. C. *ſi unus ex pluribus.* (3) per confuſionem, e. g. ſi debitor ſuccedat creditori, vel vice verſa. l. 9. ff. *de pignor. action.*

LIBER VIGESIMVS PRIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Ædilitio edicto & redhibitione & quanti minoris.

Iung. tit. 58. libr. 4. C. eod.

TH. I. PERSPECTO acceſſorio contractu, quoad eius ſecuritatem, perſpiciamus & hîc quoad implementum, ſeu conſervationem emptionis & venditionis, quæ in emptoris indemnitate à venditore præſtanda potiſſimum conſiſtit.

TH. 2. Ædilitium edictum eſt, quod ab Ædilibus Curulibus (a) partim ad extirpandas, coërcendaſque venditorum fallacias, (b) partim ad liberum viarum commeatum tuendum eſt propoſitum.

(a) Duo Ædilium fuerunt genera, (1) Plebeij, (2) Curules. Plebeij fuerunt antiquiſſimi, quos Tribuni plebis, miniſtrorum inſtar habuerunt, qui propriè non erant Magiſtratus. Ædiles Curules dicebantur à Sella Curuli, cui inſidebant, qui Magiſtratus erant; penes quos erat non modo ludorum, ædium & viarum, ſed omnium, principaliter quæ ad forum & res emendas, vendendaſque ſpectabant, cura. *Dion. lib.* 53.

(b) Dolus & fallacia venditorum huic edicto cauſam dedit, quo venditorum fallacijs occurri poſſit, & emptores contra damna defendantur, vel ijs ſuccurri poſſit. l. 11. §. 2. l. 37. ff. h. t.

TH. 3. Huius edicti tres ſunt partes: Prima eſt, qui mancipia vendunt certiores faciant emptores, (a) quid morbi, vitijve, (b) cuique ſit, quis fugitivus, errore ſit, noxave ſolutus non ſit: Secunda pars eſt, de iumentis, ſi quis ea vendat palàm, exprimere tenetur quid in quolibet eorum morbi, vitijve ſit, de tertia parte theſi 24. tractabitur.

(a) Venditores enim in vendendo tenentur omne vitium latens emptoribus detegere, niſi velint inde ob dolum, ſive fallaciam in reticentia commiſſam

obligati ad pretij ſolutionem. l. 1. & 38. ff. h. t. l. 14. §. 9. *eod.*

(b) Particula *ve* non eſt adverſativa, ſed habet vim explicandi; quamvis accuratè loquendo, morbus gravius quid ſit vitio, (e.g. cœcus, mutus, ſurdus dicuntur morboſi, luſcus, balbus, &c. vitioſi. *arg.* l. 1. §. 7. *verſ. vitiumque à morbo.* ff. h. t.) Ictis tamen pro ſynonymis ſunt, ita ut morbus & vitium dicatur affectus præter naturam, uſum miniſteriumve hominis, aut iumenti impediens. d. l. 1. §. 7. *verſ. ego puto Ædiles.* ff. h. t.

TH. 4. Huic edicto non ob quodvis vitium eſt locus, verum ſi tria conjunctim adſint, [1] requiritur vitium corporale, (a) [2] ut ſit vitium, morbuſve talis, qui vſum, miniſteriumve hominis, vel iumenti impedit, (b) ut ſit vitium internum & latens, quod in oculos non incurrit, & ex inſpectione ab emptore obſervari, ſive animadverti nequit. (c) l. 1. §. 6. l. 1. § *fin.* l. 55. ff. h. t.

(a) l. 1. §. 8 ff. h. t. Non verò animi vitium, ubi notandum, morbos, aut vitia ſpectare, vel ſolummodo ad corpus, ut febris, vel tantum ad animum, ut iracundia, timiditas, contumacia, &c. vel ad animum & corpus ſimul, ut furor, dementia; ad hoc edictum requiritur vitium corporale ſimpliciter tale, vel mixtum. l. 4. §. 3. ff h. t.

(b) Vnde ſtatuitur, ſi animal, vel homo laboret tantum levi febricula, vulnere modico, levi lippitudine, vel levi dentium dolore, &c. ob id emptionem non reſolvi, quia ob eiuſmodi malum uſus miniſteriumve hominis, vel iumenti non impeditur. l. 1. §. 8. l. 4. §. *fin.* l. 10. §. 2. ff. h. t.

(c) Hinc ubi animal venditum habuit morbum, aut vitium viſibile, emptor pretium ſolutum repetere non poteſt. *arg.* l. 43. ff. *de contrah. empt.* l. 15. l. 58. §. 1. ff. *eod.* nec venditor, etiamſi ſciat, manifeſta vitia exprimere non tenetur. *dd. ll.* quod multo magis etiamſi contrarium dixerit, non obligatur. l. 43. ff. *de contrah. empt.* ut ſi affirmaverit equum optimè progredi, curſuque eſſe celerrimum, cum claudus incedat, non obligatur.

TH. 5. Vitium, ob quod emptori à contractu recedere licet, tempore contractus, ſive venditionis adeſſe debet, atque ita vẽditione eſt vetuſtius. l. 54. ff. h. t. l. 4. C. *eod.* l. 3. ff. *de probat.* & ſi animal venditum intra triduum abſque emptoris culpa moriatur, tunc morbus venditione antiquior præſumitur. l. 1. C. h. t. aſt ſi plus temporis poſt venditionem, & inſecutam traditionem effluxum, morbus, ſive vitiũ poſt venditionem ſuperveniſſe præſumitur; imputet enim ſibi emptor, quod non diligentius in rei emptæ vitia inquiſierit. *Carpz. p. 2. conſt.* 34. *defin.* 18.

TH. 6. Secundum ius Saxonicum, venditorem de quatuor equi vitijs emptor convenire poteſt, [1] ſi ſit ſcabioſus, [2] ſi cœcitate latente laboret, [3] ſi ſit retrogradus, [4] ſi ſit pituitoſus; idem affirmat *Magnif. Dn. Mævius ad ius Lubec. lib.* 3. *tit.* 6. *art.* 12.

TH. 6. Cauſa damni hoc modo dati efficiens eſt duplex, generalis & ſpecialis.

TH. 7. Generalis eſt (1) reticentia morbi vitijve, l.1. §.1. ff. h.t. (2) cauſa generalis eſt promiſſio, fore rem ſine morbo, vitiove, d. l. 1. §. 1. l.38. §. 10. ff. h. t. ſi enim hoc non præſtetur, redhibitio habet locum, (3) conventio de redhibendo, h. e. ubi conventum, ut intra certum tempus redhibeatur, ſi non placuerit, l.31. §. 22. ff. h. t. (4) denegatio cautionis, ſi enim venditor de his, quæ edicto Ædilium continentur, non caveat emptori, perinde eſt, ac ſi probaſſet, rem eſſe vitioſam; atque ſic ſtatim emptori competit actio redhibitoria, vel quanti minoris. l. 17. l. 28. ff. h. t. l. 31. ff. *de eviction.*

TH. 8. Cauſa damni efficiens ſpecialis eſt [1] quoad mancipia, l. 1. §.37. ff.h.t. & [2] quoad iumenta, ut in mancipijs, ſi ſervus erro, fugitivus, vel noxa ſolutus non ſit; in iumentis eſt, ſi, uti optimè ornata vendendi cauſa fuerint, ita emptoribus non tradantur; ſi quid ita factum fuerit de ornamentis reſtituendis, iumentiſve ornamentorum nomine redhibendis in diebus 60. agi poteſt.

TH 9. Poſt cauſas damni generales, & ſpeciales, progredimur ad ipſas actiones, emptoribus ex hoc edicto propter cauſas recitatas competentes.

TH. 10. Actiones illæ ſunt duæ, redhibitoria, & quanti minoris, ſive æſtimatoria.

TH. 11. Actio redhibitoria eſt actio in perſonam redhibitionem perſequens.

TH. 12. Actio redhibitoria eſt directa, vel contraria.

TH. 13. Actio redhibitoria (a) directa competit emptori, (b) adverſus venditorem, (c) ut rem vitio affectam (d) recipiat, reſtituto pretio, (e) vel ſi neſciatur, an vitio laboret, (f) ut rem venditam recipiat, ſi cavere nolit. (g)

(a) Redhibere eſt facere, ut rurſus habeat venditor, quod habuerat, & quia reddendo id fiebat; idcirco redhibitio eſt appellata, qſ. redhabitio, l. 31. ff. h. t. hinc redhibitio eſt venditionis ſolutio, qua omnia in integrum reſtituuntur, perinde ac ſi neque emptio, neque venditio interceſſiſſet, l. 12. §. *præterea* ff. *de acquir. poſſeſſ.* l. 60. ff. h. t. l. 19. ff. *de uſucapion.*

(b) l. 1. §. 1. l. 19. §. 5. ff. h. t. & eius heredibus, ſive ſucceſſoribus. l. 31. §. 15. l. 48. §. 5. ff. h. t.

(c) Eiuſque heredem, l. *ſciendum* 19. §. *deinde* 5. ff. h. t. l. 31. §. 5. ff. h. t. l. 23. §. *hæ actiones* 5. ff. *eod.*

(d) Emptori incumbit probatio, rem vitio fuiſſe affectam tempore ven-

ditionis; quod ex circumſtantijs oſtendere & demonſtrare, haud difficulter poteſt.

(e) Emptori pretium reſtituere obligatur venditor, una cum uſuris, & quod intereſt, pretio non caruiſſe, l. 27. *&* 29. ff. h. t. puta ſi ſciens, vitium reticuerit; aſt ſi ignorans, tunc pretium ſolum reſtituit, l. 13. ff. *action. empti.*

(f) Vbi vitium non apparet, & ſuſpicio emptori ſubeſt rem vitio aliquo interno & latente ægrotare. l. 28. l. 30. §. 21. ff. h. t.

(g) Quo caſu apertè emptorem fallere cenſetur.

TH. 14. Actio redhibitoria contraria datur venditori contra emptorem, ut hic præter rem fructus reſtituat, & damnum datum (a) reſarciat. l. 31. §. 17. *& ſeqq.* l. 38. *pr.* ff. h. t.

(a) Sive illud damnum directo ab ipſo emptore proveniat, vel mediatè à ſuis committatur, d. l. 1. §. 1. l. 23. *pr. &* l. 25. §. 1. *& ſeqq.* ff. h. t.

TH. 15. Actio hæc redhibitoria 6. menſes tantum durat, qui à die contractus, vel promiſſionis numerantur. l. 19. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 16. Actio quanti minoris, ſive æſtimatoria (a) eſt actio in perſonam, (b) quâ emptor ſibi à venditore, quanti res minoris valuit, reſtitui petit. (c) l. 37. ff. h. t.

(a) Ita vocata, cum rem venditam æſtimet.

(b) Quia eſt ex contractu.

(c) Hac æſtimatoria actione non agit emptor ad reſcindendam emptionem & venditionem, ſed ut tantum pretium reſtituatur, quanto minoris res, ob vitium latens, cum veriret, fuit. l. 61. ff. h. t.

TH. 19. Actio hæc datur heredibus & adverſus heredes, l. 19. § 5. l. 31. §. 5. l. 23. §. 5. ff. h. t.

TH. 20. Actio æſtimatoria poſt elapſum annum utilem, qui à die ſcientiæ numeratur, expirat. l. 19. §. *fin.* ff. h. t. l. 38. *pr. &* l. 48. §. 2. ff. *eod.*

TH. 21. Emptori pro arbitrio eligere licet, utrum actionem redhibitoriam, an æſtimatoriam, ſive quanto minoris adverſus venditorem inſtituere velit; una tamen electa, & intentata, ab altera per exceptionem repelli poteſt. l. 25. §. 1. ff. *de except. rei jud.*

TH. 22. Actio redhibitoria & quanti minoris in quibuſdam conveniunt, in nonnullis differunt. Conveniunt in ſeqq. [1] in eo, quod utraque ſit temporalis, l. 2. C. h. t. quod utraque mutet ſuo modo illud, quod eſt contractum, & jure civili firmum & ratum, tametſi diverſimodè, illa in totum reſcindendo, hæc ex parte retractando, *arg.* l. *in honorarijs* 35. *in fin. pr.* ff. *de oblig. & act.* [2] quod utra-

que competat emptori, & qui in hac materia illi aſſimilatur, permutanti, vel in ſolutum accipienti, l. 19. §. *deinde* ff. h. t. adverſus venditorem,[3] quod utraque ſit in heredes tranſitoria,& contra venditoris heredes competat. d. l. 19. §. 5. *quod ſi nolit.* 31 §. *ſi plures.* 5. *&* 6. l. 23. §. 5. ff. h. t.

TH. 23. Differunt in his,[1] quoad durationem. Redhibitoria enim ſex menſibus; actio quanti minoris anni ſpatio concluditur, l. 2. C. h. t. l. 19. §. *fin.* ff. h. t. [2] quoad effectum, quia redhibitoria in totum venditionem reſcindit, ac ſi venditio nulla interceſſerit. Vnde omnia in integrum ſtatum ſunt reſtituenda, ut fructus, quos emptor percepit, item ſi quid pœnæ, vel eius nomine quod intereſt, accepit à venditore, quia forſan is tardius tradebat, venditori reddantur. Sicut & ſi res deterior ab emptore facta ſit, damnum præſtandum eſt.

TH. 24. Subſequitur tandem tertia edicti pars, quo cautum fuit ab Ædilibus, ne quis ibi, qua vulgo iter fit, canem, verrem, vel minorem aprum, lupum, urſum, pantheram, leonem, aliudve, quod noceret, animal, ſive ſoluta ſint, ſive alligata, ut contineri vinculis, quo minus damnum inferant, non poſſint. l. 40. §. 1. l. 41. ff. h. t. haberet.

TH. 25. Si contra factum, & liber homo perierit, pœnæ nomine in 200. ſolidos datur actio; ſi verò non perijt, ſed ſaltem ei nocitum, quanti bonum & æquum iudici videbitur, condemnatio fit. Cæterarum autem rerum damnum duplo vindicatur. l. 42. ff. h. t.

TH. 26. Actio hæc pro libero viarum commeatu conſervando datur contra eum, qui animal noxium habet. d. l. 40.

TH. 27. Edictum hoc & ad circulatores, ſive circumforaneos feras beſtias, & in his etiam ſerpentes ſecum ducentes propter rationis paritatem extenditur.

TITULUS II.

De evictionibus & duplæ ſtipulatione. Iung. tit. 45. lib. 8. C. *eod.*

TH. 1. DE primo contractus implemento t. ſuperiori diximus, ſequitur ſecundum contractus implementum, quod eſt evictio.

TH. 2. Evictio (a) (*Germanicè entwehrſchafft.*) eſt rei noſtræ, vel nobis obligatæ, (b) quam adverſarius legitimo titulo acquiſierit per judicem

facta ablatio, vel abductio. (c)

(a) Evincere eſt è bonis poſſeſſoris per victoriam in iudicio obtentam auferre; vel evincere eſt legitimo certamine vincere, h. e. cognitione iudicis & non ſaltem vincere, ſed & rem abducere. *arg.* l. 57. ff. h. t.

(b) Non ſolum obtinet in re noſtra, in qua ius dominij habemus, l. 34. §. *fin. ibi ſi quis dominium rei repetierit*, ff. h. t. verumetiam, vel aliud jus in re, ut eſt uſusfructus, l. 15. §. 1. ff. h. t. ius pignoris, &c. l. 4. C. h. t.

(c) l. 24. l. 57. *pr.* l. 67. ff. h. t.

TH. 3. Rubrica huius tituli ita intelligenda eſt, ac ſi dicerent compilatores de evictionibus præſtandis, & in ſpecie de duplæ ſtipulatione. Sicut enim dolum, vel culpam præſtare dicimus pro eo, quod per dolum, vel culpam adverſarij nocitum, damnumve datum eſt, ut nempe illius nomine ſatisfactio nobis fiat, ita & venditor præſtare dicitur evictionem, ſi emptorem ob rem evictam, ſive ablatam, vel per ſolutionem eius, quod intereſt, vel dupli, aut tripli in inſtipulationem deducti indemnem ſervet. Quod quidem naturæ emptionis venditionis admodum conſentaneum, & per ſe ſummè æquum. Ex quo etiam propter frequentiam & ſummam neceſſitatem huius contractus receptum eſt, ut res aliena quoque vendi queat, & dehinc venditor neceſſe non habet præcisè, ut in ſtipulationibus, permutationibus, & ſimilibus contractibus, dominium transferre, ſed obligatione ſua hactenus defungatur, ſi vacuam poſſeſſionem tradat, & dolo malo purgetur, l. 25. § 1. ff. *de contrahend. empt.* l. 30. § 1. ff. *de act. empt.* l. 75. §. *ult.* ff. *de verb. oblig.* l. 1. ff. *de permut.* l. 9. §. *ult.* ff. *de donat.* tranſlatio utique poſſeſſionis vacuæ hoc ad minimum operari debet, ut non ſaltem per venditorem, eiuſque heredes, ſed & per quoſcunque alios res emptori habere liceat, l. 13. §. *pen.* l. 30. §. 1. ff. *act. empt.* unde ſi hoc non fiat, & vel emptor à vero domino, vel alio ius potius in re habente, lite pulſetur, vel etiam iudiciali autoritate interveniente, ea prorſus decedere cogatur, bona fides requirit, ut venditor priori caſu de eo certioretur, emptori aſſiſtat, poſteriori verò caſu eundem indemnem ſervet: qua de cauſa evictionis præſtatio tanquam proprietas quædam naturaliter emptioni venditioni ineſſe cenſetur, l. 6. 37. & 60. ff. h. t.

TH. 4. Evictioni non tantum locus eſt (1) in emptione & venditione, l. 11. §. 2. ff. *de act. empt.* verumetiam (2) in permutatione, l. 1. C. *de rerum permut.* l. 29. C. h. t. (3) Locatione & conductione, l. 9. & 35. ff. *locat.* (4) emphyteuſi *arg.* §. 3. *Inſt. de locat. cond.* (5) datione in ſolutum, l. 4. C. h. t. (6) tranſactione, ratione rei in penſationem eius, quam retinet

quam retine datæ, l 33. C. *de tranſact.* (7) in diviſione rerum communium, vel hereditatis, l. 66. §. *ult.* ff. h. t. l. 14. *&* 25. §. *pen.* ff. *famil. erciſc.*

TH. 5. Evictionem venditor emptori præſtare obligatur, quam non modo in rebus corporalibus, (a) ſed & corporalibus (b) præſtat.

(a) Sive illæ ſint mobiles, ſive immobiles. l. 1. *&* l. 64. ff. h. t.
(b) Vt iura & nomina. l. 49. ff. h. t.

TH. 6. Ad præſtandam evictionem quis tenetur, vel ex contractus natura, (a) vel ſtipulatione (b) de evictione cavetur.

(a) Indeque competente actione convenitur, qua pretium rei petitur exſolutum ab emptore, & quanti intereſt, rem non eſſe evictum, l. 6. 9. l. 17. *&* 25. C. h. t. & ſumptus in rem neceſſarió, vel utiliter factos repetit.
(b) Quæ fit dupliciter, vel promiſſione ſimplæ, vel duplæ. In ſtipulatione ſimplæ promittebat venditor, ſi res emptori evicta eſſet, ſimplum reſtituere, l. 16. ff. h t. hoc eſt ſimplum pretium, & ex natura actionis ex empto, quod emptoris intereſſet, l. 60. l. *evicta* 70. ff. h. t. quæ ſtipulatio cum congrua ſit naturæ venditionis ſemper effectu ineſt contractui, niſi aliud ſit actum, d. l. 60. Duplæ ſtipulatio continet, ut re evicta venditor duplum, non quidem bonitatis rei, ſed pretij conventi præſtet. l. 48. l. 53. ff. h. t.

TH. 7. Quæritur, an cedens teneatur de ceſſi nominis evictione? Reſp. negando, & quidem has ob rationes, *(1)* quia ceſſionarius ſibi imputare debet, quod nomen, ut idoneum recipiendo approbaverit, & in debitoris ceſſi conditionem haud diligentius inquiſiverit, cum in contrahentibus leges curioſitatem quandoque deſiderent. l. 3. ff. *de fideiuſſ.* l. 1. §. 11. ff. *de ſeparat.* l. 17. ff. *ad SCt. Vellej.* l. 9. §. 9. ff. *de in rem verſ.* (2) quia cedens, debitorem eſſe locupletem præſtare non cogitur, ſufficit, ſi præſtet debitorem eſſe, hoc eſt talem, qui nulla tutus eſt exceptione peremptoriâ & perpetuâ, l. 74. ff. h. t. l. 4. ff. *de hered. vel act. vendit.* l. 45. §. *pen. ff. mandat.* cum non videatur accepiſſe, qui per exceptionem à petitione removetur, l. 13. ff. *de R. I.* & is demum debitor intelligatur, à quo invito pecunia exigi poteſt. l. 108. ff. *de V. S.* ceſſionis autem hæc eſt natura quod cedens ſaltem præſtet verum debitorem, non verò quod nomen ſit idoneum, vel debitor locuples & ſolvendo. l. 4. *&* 5. ff. *de hered. & act. vend.* (3) bonum nomen facit ceſſionarius, quando admittit debitorem ceſſum, atque ab eodem uſuras exigit, & ſolutas ſine exceptione accipit, quo ipſo debitorem ceſſum ſibi idoneum comprobat. l. 3. *in fin. ff. de fidejuſſ.*

l. 26. §. 2. *in fin. ff. mandat.* Aliud obtinet, ſi cedens expreſsè promittat, ſe velle præſtare debitorem, qui ſit ſolvendo, quo caſu ceſſionarius pecuniæ, quam à delegato accipere non poteſt, exactionem haud amittit, ſed adverſus cedentem habet regreſſum, l. 25. §. *pen.* ff. *mandat.*

TH. 8. Fidejuſſores quoque, ſi qui intervenerint, de evictione tenentur. l. 40. ff. l. 7. C. *eod.* eorumque heredes, l. 18. C. h. t.

TH. 9. Præſtanda eſt evictio rei revera in judicio, præcedente denunciatione, ablatæ, vel abductæ. Si verò venditori ab emptore non denuncietur, ſibi judicium eſſe dictatum, l. 29. *ult.* ff. h. t. l. 8. C. *eod.* regreſſum adverſus venditorem non habet emptor. l. 29. §. 2. l. 37. l. 53. 55. *&* l. 63. ff. h. t.

TH. 10. Hæc denunciatio non modo eâ intentione fit, ut lis mota venditori ſignificetur, ſed interpelletur quoque, ut ei aſſiſtat, remque defendat, quod veteres laudare autorem dicebant. l. 21. *&* 23. C. h. t.

TH. 11. Vt emptor contra venditorem evictionis nomine agere queat, ſequentia adſint oportet requiſita, [1] ut res per ſententiam in iudicio actualiter ſit evicta & executio facta, l. 16. §. 1. l. 34. §. 1 ff. h. t. aut æſtimationem præſtare coactus emptor, vel poſſeſſor ab eodem conventus ſit abſolutus d. textibus. Antequam enim res revera ſit evicta, non habet, quod conqueratur emptor. Excipe (1) & ante rem evictam agi poteſt, ſi in contractus initio appareat, rem eſſe alienam, tum enim emptor poteſt pretium retinere, donec ſibi idoneè caveatur de evictione, l. 24. C. h. t. [2] ſi venditor ſciens alienam rem eſſe ignoranti vendiderit, l. 5. C. h. t. l. 30. § 1. ff. *de action. empt.* requiſitum 2. eſt, ut emptor maturè denunciet venditori, ſive autori, ſibi dictatum eſſe iudicium, l. 29. §. *ult.* ff. h. t. quod ideo fit, ut à venditore inſtruatur emptor atque defendatur. [3] requiritur, ut venditor ad id citetur, eique ſimul acta litis motæ tranſmittantur, l. 17. C. h. t. & tunc venditor emptoris iudicium ſequi debet, nec poteſt opponere declinatoriam fori exceptionem, l. 49. ff. *de iudic.* c. *diligenti Extr. de for. compet.* cum forum hîc ſit fundatum ex re ſita, l. 1. C. *ubi in rem Gail.* 1. *obſ.* 37. debetque ille defendere emptorem, non quidem (niſi ſponte velit) litem in ſe totam transferendo, l. 21. C. h. t. totumve judicium ſuſcipiendo, l. 66. § 2. ff. h. t. ſed ſaltem aſſiſtendo, l. 75. ff. *de procurat.* [4] intervenire quoque debet, ut emptor in judicio ita ſe gerat, ne ei negligentiæ, aut culpæ nomine quid imputari poſſit, l. 55. l. 56. §. 3. l. 66. ff. h. t. l. 19. C. h. t. Hinc ſi abſque iudiciali diſ-

ceptatione rem tradiderit, aut ceſſerit ſine condemnatione per tranſanctionem, l. 17. C. h. t. aut cum potuiſſet rem uſucapere, non uſuceperit, l. 29. §. 1. ff. h. t. tum ob culpam emptoris ceſſat evictionis præſtatio.

TH. 12. Quæritur, an opus ſit denunciatione, ſi venditor notoriè iniuſtè poſſederit? Rep. affirm. ob tres rationes, [1] quia emptor non habet actionem de evictione, niſi prius venditori denunciaverit, l. 8. C. h. t. [2] quia aliàs venditor ſemper negaret notorium, ad excludendam actionem pro evictione, [3] quia hîc emptori non eſt credendum de iniuſtitia cauſæ venditoris, aſſerenti; præcipuè quia ſæpe allegatur cauſa iniuſta, vel pro notoria, quæ tamen talis non eſt. Interim communis eſt ſententia, denunciationem non requiri, ſi ipſe emptor probet evincentis iuſtitiam, iuſteque ſententiam fuiſſe latam, nec ullum ius defendendi habuiſſe venditorem, l. 53. §. 1. ff. h. t. *arg.* l. 11. §. 12. ff. *de action. empt.*

TH. 13. Hæc denunciatio non alium habet effectum, quam ut poſtea emptor adverſus venditorem habeat regreſſum. Idcirco ſive autor comparuerit, atque defenſionem emptoris ſuſceperit, ſive non, vel per contumaciam, vel quod ſuſcipere defenſionem ſe non obſtrictum eſſe, allegaverit, coram ſuo iudice deinde conveniendus eſt. *Perez in Cod.* h. t. n. 35.

TH. 14. Denunciationem hanc ſi omiſerit emptor, nullum contra venditorem, ſive autorem habet regreſſum, l. 8. C. h. t. Excipe, niſi venditoris cauſa notoriè ſit iniuſta.

TH. 15. In caſibus ſequentibus evictioni non eſt locus, (1) ſi ſciens emptor rem alienam emerit, l. *ſi fundus* c. 7. C. h. t. Excipe, niſi pacto evictionis expreſſo ſibi proſpexerit, d. l. *ſi fundus*, (2) ſi ſponte cum agente pepigit, tranſegit, compromiſit, l. 56. §. 1. l. 63. ff. h. t. (3) ſi juſtis defenſionibus & appellationibus non ſit uſus, l. 18. 29. §. 1. ff. h. t. l. 66. ff. *eod.* (4) ſi res perijt, antequam evincatur, (5) ſi per iniuriam emptori res auferatur, l. 51. ff. h. t. aut (6) ex facto, culpa & negligentia ſua, l. 27. l. 55. & 66. ff. h. t. In culpa eſt emptor, ſi cum rem uſucapere poſſet, non uſucepit, puta ſi poſſeſſionem culpa omiſerit, atque ita uſucapio interrupta ſit, l. 56. §. 3. ff. h. t. ſecundò in culpa eſt, ſi actionem quam facile intendere poterat, omiſit, d. l. 66. tertiò ſi emptor victus non appellavit, l. 63. §. 6. ff. h. t. quartò ſi interpoſitam appellationem non proſequatur. (7) ſi conventum fuerit, ne venditor, vel alius de evictione teneatur, l. 11. §. *fin. ff. de act. empt.* (8) nec in donatione ſimplici admittitur evictio,

licet donator rem donatam emiſſet, alijque donaſſet, & ea à donatario evicta eſſet. Ratio enim evictionis hic prorſus ceſſat, tam reſpectu donatoris, eiuſque emptoris, cuius non intereſt, eam rem non eſſe evictam, utpote quam ipſemet ſua voluntate habere deſijt ante evictionem, ob quam non eſt alij obligatus, l. *Iulianus* §. 1. *in fin. ff. de verbor. oblig.*

TH. 16. Actio de evictione tamdiu durat, donec legitima præſcriptione tollatur. Præſcriptio illa dupliciter conſiderari poteſt, vel (1) directo ratione venditoris, (a) vel (2) indirecto, ratione rei venditæ. (b)

(a) Ob ſolam poſſeſſionem longi, vel etiam longiſſimi temporis non ſummovetur. l. 21. C. h. t. quia non niſi ſub conditione, ſi res evicta ſit, competit, l. 70. ff. h. t. priuſquam igitur hæc conditio extiterit, dies eius obligationis, neque venit, neque ceſſit, adeoque actio nondum eſt nata, l. 213. ff. *de V. S.* in quo differt ab actione ex empto, ut & cæteris actionibus perſonalibus, quæ ab initio ſtatim contractus perfecti naſcuntur, & dehinc, ſi intra præſcriptum tempus in iudicium non ducantur, præſcriptioni propter negligentiam non agentium ſunt obnoxiæ. l. 1. §. *ad hæc* C. *de annal. except.* l. 8. C. *de 30. vel 40. ann. præſcript.*

(b) Per indirectum huic actioni præſcribitur, dum per poſſeſſionem longi temporis res adverſus verum dominum uſucapione acquiritur, & ita, dum dominus prior eâ completâ amplius agere nequit, per conſequentiam venditor quoque de evictione emptori teneri deſinit. l. 54. ff. h. t. l. 19. C. *eod.*

TITVLVS III.

De exceptione rei venditæ & traditæ.

TH. 1. NONNVNQVAM contingere poteſt, ut non à tertio aliquo, ſed ab ipſo venditore, aut eius ſucceſſore evictio intentetur; ſi forſan venditor fundum alienum vendiderit, cuius poſtea legitimus factus eſt dominus. l. 73. ff. *de eviction.* vel ſucceſſione, vel traditione à vero domino facta venditori; hic ſi ob ſuperveniens dominium fundum ab emptore petat, atque evincere velit. l. 2. ff. h. t. exceptione rei venditæ & traditæ repellitur. l. 11. C. *de eviction.* quem enim de evictione tenet actio, eundem multo magis agentem repellit exceptio. *l. cum à matre*, *C. de rei vend.* quod

in ipſa æquitate ſuam habet ſedem, qua nemo factum ſuum impugnare debeat. l. 14. C. *de rei vindic.* l. 3. C. *de reb. alien. non alien.* improbè enim facit, & dolo non caret, qui huiuſmodi quid intendit, & in ſpecie rem à ſe diſtractam evincere conatur. l. 17. ff. h. t.

TH. 2. Conceditur hæc exceptio rei venditæ, &c. non modo emptori, ſed & eius heredibus, ſive ſucceſſoribus, (a) etiam ſecundo emptori, etſi ei res nondum fuerit tradita; quia primus emptor illâ uti poterat contra venditorem; ideo haud iniquum, & ſecundo emptori idem permitti, qui aliàs adverſus ſuum venditorem, qui ab iſto evincente primum emit, haberet regreſſum. l. *fin.* ff. h. t.

(a) Quia heredes & ſucceſſores ab utraque parte, ſc. emptoris & venditoris, eadem omnino ſunt conditione, qua perſonæ principales. l. 14. *&* 23. C. *de eviction.* Hinc ſi domum filij vendiderit mater, eamque tradiderit, vindicanti poſtea filio, qui ei ſucceſſit, obſtabit hæc rei venditæ, & traditæ exceptio. *l. cum à matre, C. de rei vindic.* putà pro ea hereditaria portione, quâ heres exiſtit. d. l.

LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.

TITVLVS PRIMVS.

De uſuris, & fructibus, & cauſis, & omnibus acceſſionibus, & mora.

Iung. tit. 32. lib. 4. C. eod.

TH. 1. AD contractus implementum ſpectat & hic titulus (de uſuris, quæ multis contractibus eſt communis; reliqua hoc tit. propoſita, ut fructus acceſſiones, &c. interdum ob moram præſtanda veniunt.

TH. 2. Vſura (a) eſt acceſſio, ſive incrementum ad ſortem, ſive quantitatem, (b) in re eiuſdem generis, (c) ſecundùm modum à legibus definitum præſtanda.

(a) Vox hæc, uſura, h. t. ſignificat objectiuè acceſſionem, ſive rem, quæ accedit, aut incrementum, *arg.* l. 12. C. h. t. & (1) latè ſumitur pro eo, quod ex quocumque contractu, vel negotio, ſive bonæ fidei, ſive ſtricti iuris accedit præter id, quod ex eo debitum, in eodem genere. *arg.* l. 17. §. 3. ff. h. t. l. 17. l. 34. C. *eod.* l. 5. & 13. C. *de act. empt.* l. 87. § 1. ff. *de legat.* 2. l. 2. C. *depoſit. t. t.* C. *de uſur.* l. 32. §. 2. l. 34. ff. h. t. (2) ſtrictè, eſt incrementum præter rem mutuatam in eodem genere accedens. l. 2. & 19. C. h. t. (3) ſtrictiſſimè, augmentum tale præter pecuniam mutuatam. l. 3. & 10. C. h. t. aliàs fœnus.

(b) l. 1. 2. 3. 12. & 23. C. h. t.

(c) l. 23. ff. l. 14. & 16. C. h. t.

TH. 3. Vſuræ in univerſum omnes approbari non poſſunt, nec ſimpliciter damnari queunt; quia nihil humanæ naturæ eſt convenientius imò & æquius, quàm pro beneficio accepto gratiam referre; & ut mutuatarius, qui mutuantis pecunia ſæpè multùm lucratur, legitimam uſuram mutuanti præſtet, ne fiat pluris uſurpatur, ſibi ſolummodo lucrum inde acquiſitum tribuendo, cum alter ex pecuniæ ſuæ carentia damnum incurrat, qui ipſe idem lucrum fortaſſis inde haurire potuiſſet, quod mutuatarius percepit. Quapropter leges Romanæ haud iniuſtè certum uſurarum modum, de quo infrà, conſtituerunt.

TH. 4. Actio uſuraria ſi abſtractè conſideretur, ex ſe neque virtus, neque vitium eſt, ſed aliquid indifferens, ceu emptio venditio, negotiatio, divitiæ: idcirco ſi debitè fiat, & ad bonum finem ordinetur, licita eſt, & moraliter bona; ſi verò illicitè fiat, mala eſt, ut (1) ſi quis maximas uſuras contra charitatem proximi accipiat, hæc enim ad proximi oppreſſionem directo tendit, vel (2) quæ à paupere, & ab eo, cuius facultates attritæ, manuſque nutaverit, ſumitur. *Levit.* 25. 35. 36. & 37. *Exod.* 22. & 25. diverſa ratio eſt in ijs, qui mediocris ſunt fortunæ; id eſt, quibus vel bona ſua ad vitæ ſuſtentationem ſufficiunt, vel qui plus poſſideat, quam ad neceſſarios uſus requiritur, & tamen quia circa commercia, aut res alias gerendas occupantur, opus interdum habent pecuniæ mutuatione, ob ſuam utilitatem, in quibus uſura locum habet, cum in ijs ratio neceſſitatis & charitatis ceſſat, ideo creditor illis ſuo cum damno commodare non tenetur.

TH. 5. Non obſtat, quod ſancti Patres, Auguſtinus, Chryſoſtomus, &c. indifferenter uſuras redarguunt; cauſa eſt, quod tunc temporis illegitimæ & improbæ uſuræ in frequentiſſimo fuerint uſu, quas ideoque tantum voluerunt rejectas, non verò omnes omnino, tam legiti-

mas, quàm illegitimas; quoniam ipſe Salvator uſuram in parabola tanquam rem laudabilem introduxit, ob quam neglectam ſervus à domino merito redargueretur, meritus ut extremis tenebris & ſupplicijs manciparetur. *Matth.* 25. 30. unde *Luc.* 19. 23. oportuit, inquit, te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura. Sic etiam *Deuter.* 23. 19. 20. dicitur, non fœneraberis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno. Fratri autem tuo abſque uſura id, quo indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo, in terra, ad quam ingredieris poſſidendam. Hinc manifeſtè liquet, ſi omnis omnino uſura eſſet injuſta, etiam in extraneo fuiſſet prohibita, quem Dominus à populo ſuo diligi, iuvari, non verò opprimi, aut injuſtis exactionibus vexatum voluit. *Levit.* 19. 33. *&* 34. *Exod.* 23. 10.

TH. 6. Tres ſunt uſuræ ſpecies: Lucratoria, (a) punitoria, (b) & compenſatoria. (c)

(a) Illa ex mero mutuationis officio contra contractus naturam lucrum facit, eiuſmodi uſuræ ſunt illicitæ, vocantur etiam uſuræ mordaces. *Perez. in Cod. h. t.*

(b) Iſta non propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſolventium pro pœna, aut à lege, aut ab homine infligitur. l. 17. §. *ſi pupillo.* ff. *h. t.* hæ punitoriæ, ut & compenſatoriæ uſuræ omni iure ſunt licitæ.

(c) Hæc præſtatur, ut compenſet iuſtum intereſſe, quod habet creditor, eo quód pecunia caret.

TH. 7. Iure Romano uſuræ ex facto hominis extrinſeco veniunt, videlicet conventione, vel mora. l. 17. §. *ex locato.* l. 32. §. *in bonæ fidei iudicijs.* ff. h. t. l. 24. *& ſeqq.* ff. *depoſit.*

TH. 8. Conventio illa eſt pactum, (a) vel ſtipulatio. (b)

(a) Ex pacto debentur uſuræ in bonæ fidei iudicijs in continenti adjecto. l. 24. *in fin.* l. 26. §. 1. ff. *depoſit.* l. 3. *&* 4. C. h. t. l. 2. C. *de uſur.* In iudicijs ſtricti iuris diſtinguitur inter pecuniam creditam, & res pondere aut menſura conſtantes; illius uſuræ ex pacto regulariter non ſunt, ſed tantum ſtipulatione. l. 121. ff. *de V. S.* l. 24. ff. *de præſcr. verb.* Excipe (1) niſi argentarius pecuniam crediderit. *Nov.* 139. c. 4. (2) vel civitas. l. 30. *&* 33. ff. h. t. vel (3) pecunia ſit nautica. l. 5. ff. *de nautic. fœner.* harum (quæ pondere & menſura, &c.) uſuræ, ut frumenti, tritici, hordei, olei, vini, & ſimilium debentur quoque ex nudo pacto. l. 12. C. h. t.

(b) Ex ſtipulatione debentur uſuræ, tam in contractibus ſtricti iuris, quam bonæ fidei, quia illa omnium contractuum firmandorum cauſa eſt inventa. l. 24. ff. *de P. V.* l. 15. C. h. t.

TH. 9. Ex mora uſuræ ſaltem debentur in iudicijs bonæ fidei. l. 17. §. *ſi pupillo.* & §. *ſeq.* l. 32. §. 2. ff. h. t. contra, in ſtricti iuris contractibus, non item. l. 3. C. h. t. Hodie ex mora debentur uſuræ in mutuo, quod eſt ſtricti iuris. Receſſus imperij anno 1600. §. *So viel nun.* verbis, *So ordnen und wollen wir.*

TH. 10. Ante L. 12. Tabb. uſuræ pro fœneratorum libidine ſunt exactæ, ne autem hoc amplius fieret, L. 12. Tabb. leviſſima uſura, putà unciaria eſt conceſſa, quæ eſt duodecima pars cẽteſimæ partis ratione ſortis ſingulis menſibus, h.e. ut ſolvatur annuatim unum pro centum. Poſtea legitima uſura eſſe cœpit centeſima, quæ eſt quolibet menſe centeſima ſortis pars, ſive una uncia penditur, atque ſic in centum menſibus, ſive in 8. annis, & quatuor menſibus ſortem æquat; quod ſingulis annis eſt duodecim pro centum.

TH. 11. Tandem legitimum uſurarum modum, ut ſumma iſta mordacium uſurarum iniquitas tolleretur, conſtituit Imp. Iuſtinianus, qui pro negotiorum diverſorum qualitate, ac perſonarum conditione modo majores, modo minores definivit uſuras. Illuſtribus enim perſonis trientes, (a) argentarijs & negotiatoribus beſſales, (b) reliquis ſemiſſes (c) conceſſit l. 26. C. h. t.

(a) Sunt tertia pars centeſimæ, quæ quolibet menſe trecenteſima ſortis, ſive aſſis uſurarij partem repræſentat, ſortemque tercentum menſibus æquat, pariens annuatim 4. in centum, cum autem nobilibus & illuſtribus negotiationes ſint interdictæ. *l nobiliores, C. de commerc. & merc.* multo magis fœnus prohiberi par erat, quod utinam ſic moribus uſurparetur.

(b) Quæ ſunt bis trientes centeſimæ, ſeu 8. de annua centeſima, hoc eſt 12. annis & ſemeſtri ſortem æquantes. Mercatoribus quæſtum pecuniæ meditantibus duplicatæ uſuræ conceduntur, hi enim ſine uſu fœneris commodè ſuas negotiationes exercere nequeunt.

(c) Hoc eſt dimidia pars centeſimæ, quæ eſt *6.* in 100. æquantque ſortem 1*6.* annis & 8. menſibus.

TH. 12. Centeſima, quæ uſura dicitur maxima, non niſi in trajectitijs obtinet contractibus, de quibus tit. ſeqq.

TH. 13. Receſſus imperij quincunces (a) uſuras admittunt. (b)

(a) Hoc eſt 5. in 100. annuatim, quæ viginti annis æquantur ſorti. Nota. Sextantes uſuræ ſunt ſexta pars centeſimæ, id eſt, aurei duo. Quadrantes ſunt quarta pars centeſimæ, aurei tres de ſorte 100. aureorum.

(b) Receſſus Imperij de anno 1577. tit. 17. *und nachdem.* Receſſus Imp. Spirenſis de anno 1600. §. *So viel nun.* 152. Receſſ. Imp. de anno 1654. §. 174. *an reichend die Kunfftige Zinſe. Carpz. p. 2. conſt. 31. def. 1. & 3.*

TH. 14. Ex conſuetudine in quibuſdam Germaniæ locis 6. pro centum, quòd etiam ſtatuto aut conſtitutionibus in Bohemia, Holſatia, dulciſſima mea patria, in tota Saxonia receptum, ut & in Ducatibus Luneburgenſi. & Brunſvicenſi.

TH. 15. Ad hunc definitum uſurarum modum ſpectant ſequentia, hac theſi & ſequenti propoſita, uſuræ uſurarum tardius ſolutarum peti nequeunt, nec uſuras in ſortem redigere licet. l. 20. ff. h. t. l. *fin.* C. h. t. l. *ult.* C. *de uſur. rei iudic.* l. 26. §. 1. ff. *de condict. indeb.* & quamvis uſuræ per tranſactionem, ſive novationem à debitore & creditore in ſortem ſint redactæ, tamen non valet, quia debitorem creditor facillimo negotio ad ineundam eiuſmodi novationem adigere poteſt, ut modo ſeveram creditoris exactionem evitet, atque ſic leges in debitorum favorem latæ eluderentur.

TH. 16. Nec alterum tantum (a) petere eſt permiſſum.

(a) Hoc eſt uſuras ulteriores, ſi ſortem ſucceſſive æquaverint, etiamſi particulariter fuerint ſolutæ. l. 9. ff. h. t. l. 10. & 27. §. 1. C. *eod.* l. 26. §. 1. ff. *de condict. indebit.* l. 4. §. 1. ff. *de nautic. fœner.* *Nov.* 121. c. 1. & 2. *Nov.* 138. *Nov.* 160.

TH. 17. Romanis uſitatum fuit, uſuras in anteceſſum ſolvere. l. 57. *pr.* ff. *de pact.* l. 122. *pr.* ff. *de V. O.* Hinc cui in futurum à debitore uſuræ fuerunt ſolutæ, is tacitè pactus iure videbatur, ſe intra illud tempus ſortem non petiturum. d. l. 57. *pr.* Has uſuras anticipatas hodie Chriſtiani rejiciunt, legibuſque prohibent; tanquam rem iniquiſſimam.

TH. 18. Vſuræ deberi deſinunt, quoties debitum principale eſt ſublatum, (a) vel mora purgetur. (b)

(a) Sive tollatur ſolutione, ſive novatione, ſive acceptilatione, ſive compenſatione. l. 26. C. h. t. l. 29. ff. *de act. empt.* horum uno facto, uſurarum curſus ſiſtitur.

(b) Quando à debitore id efficitur, ut mora antea commiſſa in futurum ſibi non noceat. Purgatur autem mora [1] remiſſione expreſſa, vel tacita, [2] oblatione totius debiti reali, creditori, vel eo abſente, iudici opportuno loco & tempore facta. l. 9. C. h. t.

TH. 19. Ab uſuris diſcernuntur emptiones redituum; uſura enim ſolvitur ſupra ſortem, & unà cum ſorte eſt reddenda; at in venditione reditus neque ſors redditur; quia eſt vera venditio, ubi pretium perpetuò in venditorem tranſit, ut emptor illud repetere nequeat, neque quid ſupra ſortem ſolvitur, ſed aliud pro ſorte, nempe reditus, qui eſt

merx in hoc contractu. Hos igitur reditus emere aut vendere nihil prohibet, tam iure Canonico, c. 1. & 2. *Extravagant. de empt. & vendit.* quàm conſtitutionibus Imperij. Receſſus Imp. de anno 1548. *tit. von wucherlichen contract.* §. *und nachdem. Policey ordnung zu Franckfurt de anno* 1577. *tit.* 17. etiam cum pacto de retrovendendo, dummodo moderatio legum ſervetur, cum & eiuſmodi emptiones eſſe queant uſurariæ & illicitæ, terminos moderationis & æqualitatis nimium excedendo, e. g. ſi quis 100. aureis viginti aureos annui reditus emat. *Gail.* 2. *obſ.* 7.

TH. 20. Perinde eſt, an tales annui reditus in pecunia, aut frumento, domo, fundo, vel alia re conſiſtant, modo ſequentia duo adſint requiſita, [1] ne ultra quincunces in ſingula centena annuatim recipiantur, [2] ut ſoli venditori competat facultas cenſus annuos redimendi, non verò emptori.

TH. 21. Emptio redituum eſt iuſta, legitima & vera emptio venditio, quia [1] contrahentes hic non mutuum, ſed veram emptionem venditionem celebratam voluerunt, quod ex poteſtate & voluntate agentium præcipuè eſt æſtimandum. l. 6. C. *ſi quis alt. vel ſibi.* l. 55. ff. *de O. & A.* [2] quoniam hic contractus conſenſu de pretio & merce perficitur, quod proprium contractus conſenſualis, quem vocamus emptionem venditionem; cum mutuum nullum fiat, niſi rei interventu. §. 1. *Inſt. quib. mod. re contrah. oblig.*

TH. 22. Fructus (a) eſt acceſſio, (b) qui è corpore rei, (c) ad fruitionem, utilitatemque poſſidentis fertur, renaſciturus. (d)

(a) Vocabulum fructus varias habet ſignificationes, [1] ſignificat omnia à rerum natura propter hominem producta, ut quæ naſcuntur ex rebus animatis & inanimatis. §. 35. 36. & 37. *Inſt. de rer. diviſ.* l. 42. ff. *de uſu & uſufr.* l. 48. §. *ult.* ff. *de acquir. rer. dom.* [2] Ea quoque, quæ iure percipiuntur quo ſenſu uſura etiam fructus dicitur. l. 88. §. *ult.* ff. *ad L. Falcid.* [3] omnis utilitas rei; unde dicitur, fructus rei eſt, pignori dare licere. l. 72. ff. *de R. I.* l. 26. & *ult.* ff. h. t. l. 4. ff. *de oper. libert.* l. 9. ff. *de inſtruct. & inſtrum. leg.* l. 62. ff. *de uſufr.* [4] ſumitur pro acceſſione, ſupra definita.

(b) Quæ eſt omne commodum, quovis modo rei accedens, vel quavis ratione occaſione rei obveniens, ut per alluvionem, &c. l. 4. ff. *de iur. dot.* l. 34. ff. *de Rei vind.* l. 50. *in fin.* ff. *ad SCt. Trebell.*

(c) Cum perſona non ſit in fructu. l. 68. ff *de uſufr.* l. 28. §. 1. ff. h. t.

(d) Sic fructus arborum ſunt poma, fundi fruges. l. 7. §. 13. ff. *ſolut. matrimon.*

TH. 23. Fructus ſunt triplicis generis, [1] naturales, (a) [2] induſtriales, (b) & [3] civiles. (c)

(a) Qui ſine hominis facto ex ipſo rei corpore naturâ principaliter producuntur, ut fœnũ, pomum. l. *fructus*, 45. *in fin.* ff. h. t. l. 62. *verſ. nam etſi.* ff. *de Rei vind.*

(b) Qui ex facto hominis naſcuntur, ſive qui induſtriam, & factum hominis requirunt, ut fruges, l. *qui ſcit.* 25. §. *in alieno*, ff. h. t. d. l. 45. ff. *eod.*

(c) Qui non ex ipſo rei corpore naſcuntur, ſed ratione rei percipiuntur iure civili, ob id propriè non ſunt fructus, ſed eorum loco habentur ut uſura, penſio, &c. l. 62. ff. *de Rei vindic.* l. 34. ff. h. t. l. *reſtituere.* 35. ff. *de V. S.*

TH. 24. Cauſa ſumitur hic pro omni acceſſione, quæ cauſatur, & proficiſcitur, vel ex ipſa re, vel eius uſu, & generaliter, hoc verbo comprehenditur, quicquid actor habiturus eſſet, ſi tempore debito res ſoluta fuiſſet. l. 35. ff. *de V. S.* l. 17. §. 1. l. 10. ff. *de Rei vind.* *l. ſi videamus*, 38. §. *ſi actionem.* ff. h. t.

TH. 25. Mora eſt debiti iuſto tempore ſolvendi, vel accipiendi fruſtratoria dilatio; ſive mora eſt iniuſta dilatio debitoris tardius ſolventis, aut creditoris tardius recipientis. l. 8. ff. *de collat.* l. 21. ff. h. t. l. 3. §. *fin.* ff. h. t. l. 39. ff. *de ſolut.* *l. pen. ff. de vi & vi arm.*

TH. 26. Hanc moram ut plurimum committunt debitores, qui debito & iuſto tempore dare, vel facere prætermittunt, quod debent. l. 32. ff. h. t. l. 23. ff. *de V. O.* l. 5. ff. *ſi cert. pet.* Interdum & mora à creditoribus committitur, idoneè oblatum debitum accipere iniquè differentibus. l. 39. & 72. ff. *de ſolut.*

TH. 27. Mora eſt duplex, [1] quæ immediatè ex iuris diſpoſitione deſcendit, diciturque mora ex re, (a) [2] ex perſona. (b)

(a) Quæ ſolo tempore tardæ ſolutionis ipſo iure, abſque ulla hominis interpellatione contrahitur. l. 26. §. 1. ff. *de fideicomm. libert.* l. 3. C. *in quib. cauſ. reſt. in integr.* iuxta modum conventionis initæ, e. g. cum certus dies adjectus, quo non ſolvens ſtatim conſtituitur in mora, quamvis interpellatus de ſolutione non ſit, quia dies interpellat pro homine. l. 9. *pr.* ff. h. t. *arg.* l. 12. C. *de contrahend. ſtipul.* hæc mora etiam committitur, [1] quando pupillo, vel minori debetur. l. 3. C. *in quib. cauſ. reſt. in integr.* [2] quando emptor pro re vendita ſibi tradita pretium non ſolvit. l. 5. C. *de act. empt.* l. 13. §. 20. ff. *eod.* [3] prædones & fures hanc moram ex re committunt. l. 20. § 1. ff. *de petit. hered.* l. 8. §. *fin.* l. *fin.* ff. *de condict. furt.* l. 1. §. 34. ff. *de vi & vi arm.*

(b) Quæ ex facto, h. e. interpellatione hominis, opportuno loco & tempore facta oritur, intellige, ſi interpellanti competat actio, quæ per exceptionẽ elidi nequit. l. 14. ff. *de compenſat.* l. 127. ff. *de verb. oblig.* unica interpellatio, ſive iudicialis, ſive extraiudicialis conſtituit debitorem in mora. l. 32. *pr.* ff. h. t. l. 87. §. 1. ff. *de legat.* 2. l. 23. ff. *de V. O.*

TH. 28. Moram nonnunquam non committit debitor, etiamſi interpelletur, putà ſi iuſtam excuſandi ſeſe à mora habeat cauſam. l. 21. & 24. ff. h. t. l. 39. ff. *ſolut. matrimon.* l. 42. ff. *de R. I.* l. 29. ff. *mandat.*

TH. 29. Ob moram à debitore commiſſam perpetuatur obligatio. l. 91. § 3. ff. *de V. O.* fructus & uſuræ in bonæ fidei iudicijs præſtantur. l. 38. ff. h. t. transfertur periculum ab illo tempore, quo mora eſt commiſſa. l. 1. ff. *de peric. & com. rei vend.* l. 12. ff. *depoſit.* l. 23. 24. §. 2. & l. 122. ff. *de verb. oblig.*

TITVLVS II.

De Nautico fœnere,
Iung. tit. 33. lib. 4. C. eod.

TH. I. SPECIALE uſurarum genus eſt nauticum fœnus, quod pro pecunia trajectitia, ſeu trans mare vehenda debetur, ita ut eius periculum ſuſcipiat creditor.

TH. 2. Hæc periculi ſuſceptio efficit, ut creditor uſuras ſortis paciſci poſſit, ſi ea ſalva pervenerit, non modo legitimas, verumetiam centeſimas, quæ uſuræ erant maximæ. l. 7. l. *fin.* C. h. t. vocantur fœnus nauticum, quia ratione navigationis & periculorum maris permittitur, unde etiam abſque ſtipulatione ex nudo pacto debetur.

TH. 3. Omne periculum, quod in mari caſu abſque debitoris culpa contingit, ſuſcipit creditor; hinc nave ſubmerſa, amiſſaque pecunia nihil accipit creditor, ea verò ſalva ſortem petit cum uſuris centeſimis, quæ ſunt pretium periculi. l. *periculi.* ff. h. t. has tamen uſuras fœnus nauticum excedere, iure non conceditur. l. 26. §. 1. C. h. t. *Nov.* 110.

TH. 4. Ex adverſo periculum in ſe non ſuſcipit creditor, [1] ſi debitor fortè merces illicitas tranſportet, & omnes confiſcentur. l. 3. C. h. t. [2] ſi legitimum & conſuetum navigandi uſum non ſervaverit.

TH. 5. Cum trajectitia affinitatem habet [1] fœnus terrenum, quod eſt quando periculum pecuniæ tranſvehendæ per loca periculoſa à creditore ſuſcipitur. *arg.* l. 5. ff. h. t. l. 26. §. 1. ff. *de uſur. arg.* l. 2. C. h. t. [2] pecunia cambialis (Germanicè *wechſel geld,*) quæ dari ſolet propter periculum itineris infeſti pro pecunia in cambium tranſcripta. *Dn. Loccen. de iur. maritim.* l. 2. c. 5.

TITVLVS III.

De probationibus & præſumptionibus.
Iung. tit. 19. lib. 4. C. eod.

TH. I. PROGREDIENDVM nunc ad contractuum acceſſoria, quatenus ad contractuum probationes ſpectant, quoniam parum eſt ſcire quomodo contrahatur, niſi & illud conſtet, quemadmodum res, ut eſt geſta, probari poſſit; quæ enim probari & demonſtrari nequeunt, ea pro non geſtis, neque exiſtentibus habentur. l.77. ff. *de contrah. empt.*

TH. 2. Probatio (a) eſt actus judicialis. per quem iudici de re controverſa fit fides, ſive eſt rei dubiæ per idonea argumenta (b) demonſtratio. (c)

(a) Vox probationis denotat [1] actum, quo aliquid nobis placet, ut probatum, vel approbatum opus, probati fideijuſſores. l. 36. *&* l. *ult. ff. de locat.* [2] quo aliquid experimur, & tentamus, l. 10. ff. *qui ſatiſdar. cog.* l. 7. §. 3. ff. *de minor.* [3] quo iudicis dubium redditur certum, vel probabile, ut per jusjurandum, confeſſionem, l. 3. C. *de apoch.* [4] ſenſu magis iuridico; probare eſt judici fidem facere, cauſâ controverſiæ ab eo decidendæ. *arg.* l. 12. *&* l. 19. ff. h. t.

(b) Per hæc fidem facimus, remque confirmamus; argumenta illa ſunt duplicia, vel artificialia, vel inartificialia; illa ſunt, quæ arte & induſtria probantis ex ipſa cauſa, eiuſque circumſtantijs deducuntur, & ſunt, vel [1] neceſſaria, ut ex principijs phyſices deſumpta, & facto applicata, eiuſmodi utuntur ICti in partus legitimatione, l. 12. ff. *de ſtat. hom.* ædilitijs actionibus, &c. vel [2] probabilia, ex quibus oritur præſumptio; quam à probatione propriè dicta diſtinguimus, hæc ſc. inartificialia, quæ ad fidem faciendam extrinſecus aſſumuntur, qualia ſunt inſtrumenta & teſtes.

(c) l. *cum precibus.* 18. C. *de probation.* l. 5. C. *de teſtib.*

TH. 3. Probatio eſt plena (a) vel ſemiplena. (b)

(a) Illa plenam fidem iudici de re aliqua facit, l. 21. *&* l. *fin.* C. *de probat.* l. 19. C. *de rei vind.* l. 34. C. *ad L. Iul. de adult.* l. 2. C. *de teſtib.* ut (1) quæ fit per inſtrumenta publica (2) per duos teſtes, l. 11. C. *de fide inſtrum.* (3) per confeſſionem, (4) evidentiam facti, (5) per jusjurandum, (6) per iuſtam præſumptionem iuris, & de iure.

(b) Hæc non plenam & ſufficientem fidem facit, ſed opinionem quan-

dam inducit; hanc iterum diſtingunt gradibus, ut alia ſit maior ſemiplenâ, non tamen plena & perfecta, alia ſemiplena, ut quæ fit per unum teſtem omni exceptione maiorem, conſtans fama in cauſis civilibus; alia minor, ſemiplena, quæ tantum levem & modicam præſumptionem inducit, ut teſtes ſingulares, opinio, fama, literæ privatæ, rationes, confeſſio extraiudicialis.

TH. 4. Iudex ad petitionem partis interloquendo probandi neceſſitatem imponit illi, qui aliquid in iudicio dicit, aſſerit, aut intendit, ſive actor ſit (a) ſive reus, (b) non verò ei imponit probationem, qui negat. (c)

(a) Hic, quoties in iudicio quid intendit, probare tenetur. §. 4. *Inſt. de legat.* l. 21. ff. h. t. l. 8. C. *eod.*

(b) Eo in caſu, ubi excipiendo quid aſſerit, d. l. 9. quia quoad exceptionem loco actoris eſt, eiuſque vices ſubit, l. 19. *pr.* ff. h. t. l. 5. 12. 17. 18. §. 1. l. 22. ff. h. t. l. 1. C. *eod.* l. 9. C. *de exception.*

(c) Quia negantis per rerum naturam nulla eſt probatio, l. 23. C. *de probat.* Excipe, niſi negatio implicitam affirmativam in ſe contineat, ſæpe n. verbis quid affirmamus, re ipſa negamus, qui ſe in poteſtate patris eſſe negat, re ipſa ſe patremfam. affirmat, ideo probare debet, ſe eſſe emancipatum, (2) qui teſtatorem mentis fuiſſe compotem negat, is affirmat eum eſſe furioſum, (3) qui negat ſolennitates debitas actu non interveniſſe, magis affirmat, quam negat; qui negat alteri competere ſervitutem, affirmat, fundum ſuum eſſe liberum; ob has difficultates vitandas, negatio non tam figura verborum, quàm vi & poteſtate eſt æſtimanda. *Maſcard. de probat.* v. 2. *concl.* 1094.

TH. 5. In iudicium duo deducuntur, factum & ius; illud probatione indiget, l. 16. C. h. t. quoties non eſt notorium, & evidens, l. 1. §. 12. ff. *de obligat. & action.* hoc non item, cum ſit certum, & iudici notum eſſe debeat; idcirco litigantes demonſtrare tantum debent, rem ita ſe habere, vel non, vel factum quid eſſe, vel non eſſe; utrum verò magnum, vel parvum, iuſtum vel injuſtum, iudicis eſt cognoſcere, nec diſcere à litigantibus convenit.

TH. 6. Cauſa efficiens probationis eſt ſententia iudicis interlocutoria, eam decernentis, & alterutri parti imponentis. c. *licet Extr. de probat.* ſi enim à iudice, cui probatio eſt facienda, l. 12. ff. h. t. l. 3. ff. *de teſtib.* per ſententiam decreta & impoſita non ſit probatio, fieri non debet; meritò ſtultitiæ damnandus eſſet, qui tam grave onus, ac ſumptuoſum, nemine imponente, neque cogente in ſe reciperet; imponitur autem alleganti ſive aſſerenti quid in iudicio, l. 4. & 7. ff. h. t.

TH. 7. Materia probationis ſunt facta. l. *ſive* l. 6. C. h. t. quæ pro-

bationem admittunt aut directò, aut ſaltem per conjecturas, l. *dolum C. de dol. mal.* qualia ſunt, quæ ſui natura occulto & clam arbitris fieri ſolent, in quibus probationes per conjecturas, aut jusjurandum recipiuntur, l. 6. §. *à barbaris ff. de re milit.* item facta incerta, & de quibus dubitatur; nam notoria non indigent probatione. c. 3. *Extr. de teſtib. cog.*

TH. 8. Forma probationis, quæ in iudicio ſuſcipitur, in eo conſiſtit, [1] ut id, quod probandum, includatur articulis probatorijs, qui ad libelli ſpeciem ſunt accommodandi, & debent eſſe perſpicui, non obſcuri, *Gail.* 1. *obſ.* 82. [2] ut probatio fiat poſt litem conteſtatam, quia ante eam ignoratur, utrum reus negaturus, an confeſſurus ſit, quod ab actore intenditur, [3] parte citata, c. 2. *Extr. de teſtib. cog.* [4] intra terminum à judice præſtitutum. *Auth. ſed & ſi quis C. de teſtib.*

TH. 9. Finis probationis eſt iudici fidem facere. l. 12. ff. h. t.

TH. 10. Effectus eius eſt, ut poſt factam legitimè probationem iudex ſententiam ferens æſtimet, an & cuius probatio ſit ſufficiens, juxta quam pronunciare tenetur, l. 1. §. 3. ff. *de teſtib.* Vnde ſi intentionem ſuam actor ſufficienter probaverit, reus à judice condemnatur. Contra, ſi actor, intentionem ſuam, vel plane non, vel non ſatis demonſtraverit, reum definitivè abſolvit judex, quamvis à reo nihil probatum, l. 4. C. *de edend.* imò, ſi reus in probatione, ad quam ſe obligavit, defecerit, tamen non condemnatur, actore nihil probante. *Maſcard.* v. 1. *concl.* 36.

TH. 11. Ex præcedenti Theſi hæc emergit quæſtio, utrum judex teneatur iudicare ſecundum acta & probata, an verò ſecundum conſcientiam ſuam privatam? Reſp. affirm. prius membrum, ſequentes ob rationes. [1] quia iudex acta & probata in iudicando ſequens, conſcientiam ſuam non lædit; iudices enim hodie, ratione ſuſcepti officij, inviti iudicare coguntur, adeoque ex probationibus adductis, quæ ipſis à litigantibus per teſtes & ſcripturas propoſitas ſunt ſuppeditatæ. [2] quia præſtant juramentum, quod velint judicare ſecundum acta & probata, l. 14. *& auth. ſeq.* C. *de judic.* quæ vix ac ne vix conſcientiæ judicis contraria cornua obvertunt, cum eiuſmodi caſus magis ſit Metaphyſicus, inque idea conſiſtens, quam in praxi obveniat. [3] poſito, ſed non conceſſo, talem accidere caſum, ubi actis & probatis privata judicis conſcientia eſſet contraria, iudex conſcientiam ſuam, eiuſque veritatem alijs approbare nequit, quoniam ipſi unico, & ut privato in tali caſu non creditur, verùm duobus, vel tribus teſtibus, qui veritatem iurato dixerunt, fides habetur, l. *fin.* C. *de probat.*

[4] quia iudicis non eſt ea, quæ ſunt facti, & ad acta probataque pertinent, ſupplere, ſed tantum, quæ ſunt iuris. l. *un.* C. *utquæ deſ. advocat. part.*

TH. 12. Expoſita probatione, ad alteram huius tituli partem, quæ de præſumptionibus inſcribitur, perveniendum eſt.

TH. 13. Præſumptio (a) eſt opinio, qua judex concluſioni ob rationem probabilem (b) aſſentitur.

(a) Præſumere eſt aliquid ante coniectando ſumere, vel capere, vel credere, aut opinari, quam aliter de rei certitudine, ac veritate conſtet.

(b) Præſumptio hæc dicitur probabilis coniectura, ex certo ſigno proveniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur. Omnis itaque præſumptio eſt ratiocinatio de probabili ex argumentis probabilibus.

TH. 14. Præſumptio eſt duplex, [1] hominis, (ſ. judicis) [2] legis.

TH. 15. Præſumptio hominis eſt, qua judex per argumenta probabilia ſive ratiocinationem, ex ipſius negotij qualitatibus quid inducit, inductumque pro vero habet, uſque dum ille, adverſus quem eſt præſumptio, eam elidat, contrarium probando, l. 8 9. *&* 14. ff. h. t. l. 2. ff. *de pact.* l. 18. ff. *de adim. & transfer. legat.* hæc præſumptio fidem ſolidè non facit, l. *judicia* C. *de rei vindicat.* ſufficit tamen interdum ad jurisjurandi delationem, vel in ſupplementum probationis, vel ad ſuſpicionis purgationem. *t. t. Extr. de purga.* l. *non omnes* §. *fin. ff. de re militar.*

TH. 16. Præſumptio Legis textu aliquo iuris eſt confirmata, eſtque iterum duplex [1] iuris tantum, [2] iuris & de iure.

TH. 17. Præſumptio juris eſt, quam lex ſine diſpoſitione facit, ubi à lege ex probabilibus rationibus civilibus circa negotium aliquid inducitur, inductumque pro vero habetur, donec contrarium probetur. l. 24. ff. h. t. l. 16. C. *eodem.*

TH. 18. Eiuſmodi præſumptiones tribus regulis includi poſſunt, [1] naturalia (ſive natura, ſive lege talia) ſemper præſumuntur adeſſe; hinc dicimus, quod naturaliter ineſt homini, (a) ſemper adeſſe præſumitur. l. 4. C. *de ſponſal. arg.* l. 2. §. 2. ff. *ad SCt. Vellejan.*

(a) Vt vis generandi. E. non ſterilitas; mulieribus naturaliter ineſt imbecillitas; in quolibet homine ſenſus communis. l. 14. C. *de teſtam.* l. 2. C. *qui teſtam. facer. poſſ.*

TH. 19. Secunda regula. Præſumitur res in eodem ſtatu, ſeu mutatio non præſumitur, quia eſt facti, & facta non præſumuntur. l. 11. ff. h. t. huc ſpectat illud, ſemel malus, talis ſemper præſumitur.

TH. 20. Ter-

TH. 20. Tertia regula. Præſumptio ſemper debet fieri in meliorem partem; ratio eſt, quia præſumptiones ſumuntur ex ijs, quæ naturâ, ut plurimum extrinſecus adeſſe, abeſſe, vel accidere ſolent, vel ſine quibus res eſſe non poteſt; huc refertur, quod quilibet in ſtatu civili præſumatur bonus. l. 51. ff. *pro ſocio.*

TH. 21. Tales iuris præſumptiones ſunt infinitæ, aliquod eorum exempla, majoris perſpicuitatis gratia, afferre placet. *A cauſa efficiente;* ſtudet diligenter. E. præſumitur, quod doctus ſit futurus; variat aſſertionem. E. mentiri præſumitur; perſuadet ſervo, furtum domino facere. E. eum corrumpet. *A cauſa inſtrumentali*, ſtrinxit gladium. E. occidit. *A fine & effectu.* gerit ſe pro herede. E. præſumitur adijſſe hereditatem. Incendium eſt exortum. E. inhabitantium culpa præſumitur. Mater filium ab hoſte redemit. E. præſumitur maternâ charitate commota id feciſſe. *A ſubjecto* eſt filius E. amat patrem. Natio eius eſt mala. E. & ipſe talis præſumitur. Eſt Notarius. E. præſumitur fideliter functus officio. *Ab accidente.* Varias dilationes quærit. E. malam fovet cauſam; mulier vagatur cum juvenibus, vel creberrimè cum ijs converſatur, ita, ut inſuper palpationes, oſcula, & cætera libidinis incitamenta ad circumſtantium offenſionem accedant. E. eſt parum pudica; ex converſatione enim tali meretrix præſumitur, licet non probetur illicitus ille venereus actus. *A toto*: tota res cum fructibus eſt reſtituenda. E & ſors. *A connexo*. ſuccedit in hereditate. E. tutor quoque erit legitimus, & vice verſa. *Ab objecto*. eſt patrimonium eius. E. vires non ignorat. *A loco*. juvenis nudus cum virgine nuda in lecto eſt repertus. E. ſcortatur, cum non præſumantur recitare pater noſter; eſt vicinus, vel domeſticus. E. facta vicini, vel domeſtici ſcire præſumitur. *A tempore*, quæ undecimo menſe à morte mariti peperit, ex alio concepiſſe præſumitur. *A comparatione*. ſibi non pepercit. E. multo minus alijs parcere præſumitur. Ab oppoſito; non probatur mortuus. E. vivere præſumitur; pater ex communi naturæ affectione præſumitur amare liberos, l. *iſti* §. *fin.* ff. *quod met. cauſ.* ijſque optimè conſulere, l. 3. § 1. ff. *de adminiſt. tut.* In minoribus præſumitur inconſulta ignorantia, l. *ſi quis ff. ad SCt. Maced.* l. 1. & *t. t. ff. de minorib.* in ſenibus prudentia, l. *ſemper ff. de iur. immu.* Omnes hæ præſumptiones transferunt onus probandi in adverſarium: qui n. præſumptionem modicam pro ſe habet, probare non tenetur, l. *ab ea* ff. l. *ſive* C. *de probat.* Excipe, niſi alter habeat fortiorem. Ideo dicimus; ſpecialis præſumptio tollit generalem, plures vincunt pauciores, majores vincunt minores. Obſervandum, quod in criminalibus ne-

mo ex præſumptionibus ſit condemnandus, quia ibi probationes luce meridiana clariores requiruntur. l. *ult.* C. *de probat.*

TH. 22. Præſumptio juris (a) & de iure (b) eſt, quam lex ita facit, ut ſimul de ea diſponat, ubi à lege ex fortioribus rationibus probabilibus circa negotium aliquid inducitur, inductumque adeo pro verò habetur, ut probationem in contrarium non amittat. l. 34. ff. *ad L. Julian. de adult.* c. 30. *Extr. de ſponſalib.*

(a) Iuris vocatur præſumptio, quia iure eſt introducta.

(b) De iure, quia ſuper tali præſumptione lex inducit firmum ius, & habet eam pro veritate, ita ut non admittat probationem in contrarium. l. *antiqua* C. *ad SCt. Vellej.* l. *fin.* C. *ad SCt. Macedon.* l. *fin.* C. *arbit. tutel.*

TH. 23. Cauſa efficiens præſumptionis eſt ratio probabilis, qua homo, vel lex utitur, ut aliquid ſtatuat, aut definiat; & ſicuti ratio illa gravis eſt vel levis, ita etiam fortior, aut levior eſt præſumptio.

TH. 24. Materia ſ. objectum præſumptionis ſunt negotia hominum, ex quibus, prout geſta ſunt, diverſimodè præſumptiones oriuntur.

TH. 25. Forma & modus præſumptionis pro varietate objectorum ſignorum eſt varius, nonnunquam lex uſque adeo certo præſumit, ut probationem in contrarium admittere omninò non patiatur: interdum præſumit quidem, aſt tamen ita, ut contrariam probationem audiat, atque admittat: aliquando præſumptio non eſt fortis, ubi aliquid ſuſpicione, aut conjectura colligit, quo caſu non firmiter pręſumit, niſi alia documenta cum illa pręſumptione levi concurrant.

TH. 26. Finis & effectus eſt. Pręſumptio iuris & de iure indubitatam facit fidem, nec admittit probationem contrariam, l. 23. C. *ad SCt. Vellej. vid. Th.* 22. Pręſumptio iuris pro documento idoneo eſt, intellige in cauſis civilibus, l. *ſive* C. *de probat.* Vnde actus à iure pręſumptus eo ipſo probatur, quod non probetur contrarium. l. 2. C. *de error. calcul.* & tamdiu ſtatur pręſumptioni, donec contrarium expreſſe fuerit probatum. l. *fin. in pr. ff. quod met. cauſ.*

TH. 27. Pręſumptio affinitatem habet cum iuris fictione, quę eſt legis adverſus veritatem ex iuſta cauſa diſpoſitio; hęc legis fictio ob æquitatem (a) ad multarum legum intellectum, & explicationem perinde habetur, atque concipitur, ac ſi per rerum naturam ita ſe haberet, quod revera ita non eſt.

(a) Vbi enim nulla eſt æquitas, ibi nulla quoque eſt fictio; & lex non fingit, niſi veritate deficiente.

TH. 28. Tres ſunt juris fictionis ſpecies, [1] affirmativa, ſive poſitiva, (a) [2] Negativa ſive privativa, (b) & [3] tranſlativa. (c)

(a) Illa eſt, cum fingendo ponitur aliquid eſſe, quod nunquam fuit, vel eſt, e. g. quod mortuus pro ſalute Reip. in æternum vivere cenſeatur: quod in utero exiſtens, etiam ante tempus illud, quo anima corpori infunditur pro nato vivo habeatur, ut & alia exempla. *pr. Inſt. de excuſat. tutor.* l. 6. ff. *de magiſt. conven.* l. 26. ff. *de ſtatu hom.* l. 4. §. *fin. ff. de fidejuſſor.* l. *un.* C. *de rei uxor. act.* §. 5. *Inſt. de adopt.* §. 4. *Inſt. de tutel.* §. 4. *Inſt. de action.*

(b) Iſta fingit ius aliquid non eſſe, quod tamen eſt. l. 1. §. *ult. ff. de bon. poſſeſſ. contr. tabb.* §. 5. *Inſt. de action.*

(c) Hæc eſt, cum nihil novi fingitur, ſed quod eſt in uno transfertur in aliud. Eiuſmodi tranſlatio fit (1) à perſona in perſonam, quod quis cenſeatur ipſe feciſſe, quod per alium fecit, l. 1. §. 12. *de vi & vi arm.* in iure repræſentationis, primogenituræ, &c. quod pater & filius pro una, eademque perſona habeantur, l *fin.* C. *de impub. & al. ſubſt.* quod filiusfam. in bonis caſtrenſibus ſit pro patrefam. l. *fin.* C. *de inoffic. teſtam.* l 6. § *fin.* ff. *de inj. rupt. irrit teſtam.* (2) de re ad rem. §. 44. *Inſt. de rer. diviſ.* l. *clavibus* ff. *de contrah. empt.* l. 51 ff. *de acq. poſſ.* l. *ult.* ff. *de ſervit.* l. 1. C. *de donat.* l. 9. §. 5. ff. *de rer. diviſ.* (3) de tempore ad tempus, e. g. fictio poſtliminij facit, ut captus ab hoſtibus, domumque reverſus, nunquam captus fuiſſe, ſed ſemper liber manſiſſe cenſeatur, l. 12. § 1. l. 16. ff. *de captiv. & poſtlim. reverſ.* ſic etiam fictio L. Corneliæ ponit captum ab hoſtibus, prima hora captivitatis eoque ipſo momento, quo capitur, mortuum fuiſſe, & ita liberum deceſſiſſe, l. 10. §. 1. l. 11. §. 1. ff. *de capt. & poſtl. reverſ.* l. 20. ff. *de vulg. & pupill. ſubſtit.* §. 5. *Inſt. quib. mod. patr. pot. ſol.* huc etiam refertur, quod qui dolo poſſidere deſijt, adhuc poſſidere intelligatur, l. 13. ff. *de R. I.* quod heres, quandocunque adeundo hereditatem, tamen à morte defuncti ſucceſſiſſe fingatur, l. 135. ff. *de R. I.* l. 54. ff. *de acquir. hered.* (4) de loco ad locum, quando præſens pro abſente habetur, & vice verſa.

TH. 29. Quæritur, an duæ ſemiplenæ probationes, e. g. unius teſtis & inſtrumenti privati faciant plenam probationem? Reſp. quod hoc poſſit admitti in cauſa civili non ardua, ſi teſtis ſit fide dignus, & inſtrumentum, vel aliud adminiculum concurrens ſemiplenam probationem adimpleat, qua in re judici cautè advertendum. *Monoch.* 1. *de præſumpt. c.* 41. In arduis non facile conjungendæ ſunt ſemiplenæ probationes, præcipuè in criminalibus, propter præjudicium partis. In criminalibus enim non obtinet regula, quæ non poſſunt ſingula, plura iuvant. *Mynſing.* 1. *obſ. ult. & cent.* 5. *obſ* 33.

TITVLVS IV.

De fide inſtrumentorum & amiſſione eorum.

Iung. tit. 21. lib. 4. C. eod.

TH. 1. PER inſtrumenta & teſtes præprimis informatur iudex, nec minor eſt vis probandi inſtrumentis, quam teſtibus. l. 15. C. h. t.

TH. 2. Inſtrumentum (a) eſt ſcriptura, fidem rei, quæ in illa continetur, faciens. l. 5. ff. h. t. l. 14. C *de contrah. ſtipulat.*

(a) Vox hæc ab inſtruendo derivatur, l. 99. ff. *de* V. S. l. 1. ff. h. t. varias habens ſignificationes, (1) denotat omne illud, quo res aliqua inſtruitur ad neceſſarium, vel commodiorem uſum; ſic inſtrumenta domus & fundi dicuntur ea, quibus domus aut fundus inſtruitur, l. 12. *pr. ff. de inſtruct. & inſtrum. legat.* (2) omne id, quod cauſam inſtruere poteſt, quo ſenſu & teſtimonia, & confeſſionem, & aliam quamvis probationem continet, l. 1. ff. h. t. (3) ſcripturam, qua geſtum quid complectitur ubi per inſtrumenta judici fit fides, atque ita hic accipitur; verba enim ſecundum ſubiectam materiam ſunt intelligenda.

TH. 3. Inſtrumentum dividitur ratione cauſæ efficientis in publicum & privatum. l. 17. C. h. t. l. 5. C. *de probat.* l. 11. C. *qui potior in pign.*

TH. 4. Inſtrumenrum publicum (a) eſt, ſolennis ſcriptura, quæ authoritate publicæ perſonæ eſt confecta, & confirmata.

(a) Quod dividitur in publicum ſimpliciter & ſecundum quid; illud eſt, quod autoritate iudicis eſt munitum, vel in iudicio, apud acta publica, puta Magiſtratum, vel iudicem, ſive ex archivo publico eſt prolatum, l. 10. ff. *de probat.* l. 30. & 31. C. *de donat.* l. *ult.* C. *de re judic.* hoc ſc. ſecundum quid publicum, quod extra iudicium à Notario legitimè creato, & ad hoc faciendum rogato eſt confectum, l. 17. C *de fid. inſtrum. Nov.* 44. *pr. Nov.* 47. *in præfat.* vel quod à privato factum, qui hoc una cum tribus teſtibus ſubſcribit, l. 11. C. *qui potior in pign.* In actibus ultimæ voluntatis 5. requiruntur, & à Notario ſunt adhibendi, ut in codicillis, donationibus mortis cauſa, pactis dotalibus, in quibus agitur de futura ſucceſſione. Excepto teſtamento, in quo ſeptem intervenire debent, l. *fin.* C. *de donat.* l. *ult.* §. *ult.* C. *de Codicill.* Inſtrumentis publicis etiam annumerantur libri collegiorum (*Germanicè zunfftbucher*) libri Parochorum (*tauffbucher*) li-

bri Magiſtratuum, hæc inſtrumenta publica plenam merentur fidem, l. 31. C *de donat.* l. 15. C. h. t.

TH. 5. Inſtrumentum privatum eſt ſcriptura, quæ abſque ſolemnitate à privata perſona eſt confecta. l. 5. 6. 7. C. *de probat.* l. 9. & 10. C. hoc tit.

TH. 6. Inſtrumentum privatum, ſive ſcriptura privata eſt triplex; [1] chirographum, (a) [2] epiſtola, (b) & [3] liber, ſive codex rationum, qui data & accepta continet. (c)

(a) Sunt literæ de debitis & creditis ſecuritatis cauſa confectæ, (Germanicè *ein hand ſchrifft*) chirographum hoc eſt, vel creditoris, vel debitoris, vel tertij. Primum eſt de debiti ſolutione, ut Apocha, ſive quitantia, quæ eſt ſolutæ, datæque pecuniæ cautio, qua creditor ſe pecuniam à debitore accepiſſe teſtatur; hæc plenè probat contra ſcribentem, non verò pro ipſo. l. 2. & 3. ff. *de pignor.* l. 44. §. 4. & 5. ff. *de legat.* 3. Secundum eſt de debendi cauſa, qualis eſt antapocha, quæ eſt ſcriptura, qua debitor confitetur debitum; hæc creditori ob faciliorem debiti probationem datur. l. 19. C. h. t. tertium eſt cum ſcriptura alterius manu voluntate debitoris eſt ſcripta, & à debitore ſaltem ſubſcripta, quæ plenam omnino fidem facit. l. 11. *auth. ſi quis, C. qui potior. in pign.*

(b) Si illa eſt teſtimonialis, plenè probat; quapropter experientia teſtatur, quod teſtimonio natalitio, e. g. quod quis creatus ſit Notarius, addiderit artem ſartoriam, ſutoriam, &c. plena fides adhibeatur. Porrò Epiſtolę credititiæ (Germanicè *Credentz briefe*) quas Principes, alijque imperij ſtatus ſuis legatis dant.

(c) Qui confectus eſt, vel [1] ratione ſingularis conditionis, & de re ſingulari, nobiſque propria, ut libri mercatorum, libri rationum ſocietatis, vel [2] ratione adminiſtrationis rerum alienarum, ut libri inſtitorum, præpoſitorum, tutorum, &c. vel [3] de vulgaribus acceptis & expenſis, à quocumque patrefam. conſignatis. Nota. Scriptura privata plenè probat contra ſcribentem, vel tantum ſubſcribentem; non pro ipſo; de libris tamen hodie mercatorum aſſeritur, ſi illi legitimè conſignatis datis & acceptis, adſcripto die, & expreſſa debendi cauſa ab integræ fidei homine, ſive ipſo mercatore, ſive eius inſtitore conſcripti ſemiplenam faciant probationem. *Carpz. 3. part. reſp.* 58. *part.* 1. *conſt.* 17. *defin.* 35. 36. & 37.

TH. 7. Ratione objecti inſtrumentum fit ſuper quavis materia, deque omnibus actibus iuriſdictionis, ſc. voluntariæ, ut adoptionis, emancipationis. l. 11. C. h. t. de actibus litigioſis, ſive contentioſæ iuriſdictionis, inſtrumenta conficere non poteſt, niſi ipſi à iudice hoc fuerit conceſſum. l. 6. *in fin. C. de re iudic.* & de omni contractuum genere. l. *contractuum.* 17. C. d. t.

TH. 8. Quæritur, utrum ad inſtrumenti confectionem, nominis di-

vini invocatio ſit ſolennitas neceſſaria, ita ut eâ omiſsâ vitietur inſtrumentum? Reſp. neg. Quamvis jure noviſſimo inſeri ſoleat, omiſſa tamen non vitiat.

TH. 9. Notarius eſt perſona, quæ rogata (a) ex privilegio à Principe conceſſo, (b) coram ſe & teſtibus geſta in publicam fidem notare poteſt.

(a) Sine partium rogatione Notarius inter privatos inſtrumentum conficere nequit. Si utriuſque partis conſenſus deſideratur, ab utraque parte rogari debet, ut ſunt contractus; ſin autem actus ab unius voluntate dependeat, unius rogatio ſufficit, ut in appellationibus, proteſtationibus, teſtamentis, &c.

(b) Scil. immediatè, vel mediatè per Comitem Palatinum, cui poteſtatem Notarios creandi Princeps indulſit; quia hic actus creandi Notarios eſt ſummi imperij, ideo Magiſtratibus municipalibus & alijs non eſt conceſſus. l. 12. ff. *de iuriſdict.*

TH. 10. In inſtrumento conficiendo octo ſolemnitates à Notario obſervari ſolent, [1] invocatio Nominis divini, [2] annus Salvatoris noſtri, [3] Nomen regnantis Imperatoris, Conſulis & indictionis. *Nov.* 47. *c.* 1. [4] ſeries facti ac negotij, ſive contractus celebrati ſumma, quod verbis claris & perſpicuis exprimi debet, [5] tempus, hoc eſt menſis, dies, hora *d. Nov.* 47. *c.* 1. *in pr.* [6] locus contractus omninò eſt apponendus, non modò in genere, verumetiam in ſpecie, h. e. locus loci, ut vocant, ſive ſitus, quod videl. in priori, vel poſteriori ædium conclavi ſit factum, [7] teſtes inſtrumento ſunt inſcribendi, ut per eos, ſi dubium oriatur, de veritate conſtare poſſit, quorum tamen ſubſcriptio non ſemper eſt neceſſaria, ſi modo Notarius ſubſcribat, ſignoque corroboret, aliàs inſtrumentum ſubſiſtere haud poteſt. [8] Notarius ſit de inſtrumento conficiendo rogatus.

TH. 11. Inſtrumentum dividitur in originale, ſive authenticum, (a) & exemplum. (b)

(a) Illud appellatur primum & principale inſtrumentum de re aliqua confectum, eiuſmodi inſtrumentis authenticis ineſt vis probandi. l. 5. *famil. erciſc. l. ult. ff. de probat. l.* 7. *& auth. ſi quis in aliqua, C. de edend.*

(b) Hoc eſt, quod ex originali, ſive authentico inſtrumento deſcribitur, ſive id fiat manu publica, ſive privata, perinde eſt. Hoc regulariter non probat, vel fidem facit, ſed tantum conjecturam & ſuſpicionem inducit; interdum tamen probat, virtute authentici, cum videl. palàm ſit, exemplum ex originali, vel protocollo eſſe deſumptum, e.g. quando fide publica deſcriptum eſt. l. 57. ff. *de adminiſt. tutor.*

TH. 12. Inſtrumentum non tantum de re privata, (a) ſed & publica (b) confici poteſt.

(a) Vt inſtrumentum priuati pacti, contractus, teſtamenti, &c.
(b) Quale eſt hodie inſtrumentum pacis.

TH. 13. Inſtrumentum de re privata poteſt eſſe publicum (1) ratione cauſæ efficientis, ſive perſonæ, à qua eſt confectum, (2) intuitu formæ, quæ eſt à lege, vel conſuetudine.

TH. 14. Inſtrumentum iudici poſt litem conteſtatam uſque ad concluſionem produci poteſt, *c. 5. Extr. ut lit. non conteſt. c. 9. Extr. de fid. inſtrum.*

TH. 15. Inſtrumentum publicum duas habet præſumptiones, unam veritatis, (a) alteram ſolemnitatis.

(a) Quód res verè ſit geſta, & inter partes ita acta, ut in inſtrumento p. annotatum, e. g. empta, locata, donata, &c.
(b) Quod omnia ritè, perfectè, & ſolenniter geſta ſint. l. 14. C. *de contrah. & commit. ſtipul.* §. 14. *Inſt. de inutil. ſtipul.*

TH. 16. In inſtrumento ea interpretatio eſt accipienda, quâ actus potius valet, quam perit. l. 12. ff. *de reb. dub.*

TH. 17. Amiſſio inſtrumenti creditori non obeſt, ſi aliàs de debito conſtare poſſit. l. 1. & 4. C. h. t. quoniam inſtrumentum eſt ſaltem loco probationis, quæ ſuppleri poteſt. Probatur autem amiſſio per iuramentum, in probationis defectum. l. *fin.* C. h. t.

TH. 18. Inſtrumenta ad duplicem finem fiunt, (1) ad ſolennitatem actus perficiendam, (2) ad cautionem probationis, ut ſemper in promptu adſit probatio. l. 4. ff. *de pignor.*

TH. 19. Fides inſtrumenti infringitur, (1) quod non ſit à Magiſtratu vero, vel idoneo Notario confectum. l. *ſed ſi quis, C. quemadm. teſtam. aper. l. ſi quis, C. de falſ.* (2) quod aliquid ex ſolennibus omiſſum. *l. divus, ff. de in integr. reſtit.* vel non debito modo ſignatum, (3) quod ſit cancellatum, raſum, inductum, innovatum. l. 24. ff *de probat.* (4) quod ſibi ſit contrarium, vel aliqua ex parte falſum; ſi enim pro parte eſt falſum, totum redditur ſuſpectum, falſumque iudicatur, *can. pura, 3. q. 9.* ubi tota teſtimonij fides irrita, partis mendacio declaratur.

TH. 20. Si ab una parte contraria proferantur inſtrumenta, quæ inter ſe omnino conciliari nequeunt, indiſtinctè rejiciuntur, quia ſibi imputare debet producens. l. 14. C. h. t. aſt ſi hinc inde producantur contraria, publica prævalebunt privatis, quia ſunt potiora. l. 13. ff. *de probat.*

TITVLVS V.

De Teſtibus.
Iung. tit. 20. lib. 4. C. *eod.*

TH. I. NECESSARIVS ac frequens eſt teſtimoniorum in iudicijs uſus. l. 1. *pr.* ff. h. t.

TH. 2. Teſtis eſt perſona, quæ ad alicuius rei faciendam fidem à iudice vocatur, & examinatur.

TH. 3. Teſtes alij ſunt idonei & habiles, ſive omni exceptione majores, (a) alij ſuſpecti, & non omni exceptione majores.

(a) Illi propriè vocantur teſtes, contra quos nulla exceptio de iure datur. l. 14. *in fin. C. de contr. & comm. ſtipul.*

(b) Hi impropriè dicuntur teſtes, contra hos datur exceptio.

TH. 4. Ad plenam fidem faciendam ad minimum duo teſtes, omni exceptione majores produci debent. l. 12. ff. h. t. l. 9 §. 1. C. h. t. quia in ore duorum, aut trium conſiſtit omne verum. Fallit hæc regula imprimis in actibus ultimæ voluntatis, in quibus, excepto teſtamento, regulariter quinque teſtes requiruntur. *l. fin. §. ult. C. de iur. Codicil. l. ult. §. ult. C. de donat. mort. cauſ.* unus autem teſtis omni exceptione major ſemiplenè ſaltem probat. *Ord. Cam. art.* 30.

TH. 5. Iudex probè obſervare debet tempore examinis, & depoſitionis teſtimonij, an teſtes ſint omni exceptione majores, nec ne. l. 2. & 3. ff. h. t. Hinc plus fidei tribuet dignioribus, quàm humilioribus; ſenioribus, quàm iunioribus; affirmantibus, quàm negantibus, maſculis quàm fœminis, pluribus, quàm paucioribus. *l. ult.* C. *de fid. inſtr.* l. 3. & l. 21. §. 3. ff. h. t. l. 15. §. 1. ff. *de quæſt. Nov.* 90. *c.* 1. *l.* 1. & 2. *ff. ad Sctum Vellej.*

TH. 6. Teſtimonium exceptione à circumſtantijs perſonarum, vel qualitate dictorum, vel formâ examinationis ſumptâ impugnari poteſt.

TH. 7. Contra perſonam excipi poteſt, quod ſit inhabilis ratione perſonæ, ut (1) ob ætatem, ut impuberes, qui veritatem liquido ſcire non cenſentur, propter defectum iudicij. l. 3. §. 5. ff. h. t. & quia ætas illa ad mentiendum eſt facilis. l. 15. ff *de quæſt.* ideo ad jusjurandum non admittuntur,

tuntur, ne perjuri exiſtant. Minores audiuntur in cauſis civilibus, non etiam in criminalibus, niſi excesserint 20. annum. l. 20. ff. h. t. [2] ob morbum intellectum excludentem; hinc rectè rejiciuntur furioſi, qua tales, ebrij, quamdiu ſunt tales, mente capti, lunatici, fatui, & ſimiles; his accenſentur prodigi. §. 6. *Inſt. de teſtam.* Circa mutos & ſurdos diſtinguendum, vel ſunt diſtinctim tales, vel conjunctim, illi teſtimonium ferre poſſunt ſuper re, cadente in ſenſum, in quo non ſunt impediti, ut, ſi mutus poſſit nutu aut ſignis mentem ſuam exprimere; hi ſi natura tales, rariſſimè, aut nunquam ad teſtimonium ob inhabilitatem admittuntur, ſin ex accidenti, non aliter admittuntur, niſi nutibus, ſignisve mentis concepta infallibiliter exprimere poſſint, vel etiam pingere literas. Cæcus non admittitur, niſi in ijs quæ viſu non percipiuntur, ſed auditu, ut ſunt verba ſtipulationis, contractus, &c. [3] ob crimen, ſic propter infamiam à teſtificando repelluntur maleficus, homicida, fur, ſacrilegus, adulter inceſtum committens, veneficus, falſarius, ſortilegus, ſodomita.

TH. 8. [2] Contra perſonam excipi poteſt ratione cauſæ, ac reſpectu eorum, pro quibus, & contra quos teſtimonium eſt ferendum: quod fit ob ſuſpicionem ab odio, amore, lucro, falſitate deſumptam, ut (1) ob odium capitale. l. 17. C. h. t. talis non tantum in cauſa criminali, ſed & civili repellitur; ſi verò odium non eſt capitale, talis in civilibus quidem admittitur, qui tamen non eſt omni exceptione major; adeoque ſemiplenè non probat, (2) ob amorem, ſic filij non poſſunt pro parentibus teſtes admitti, & vice verſa. l. 9. ff. l. 6. C. h. t. nec conjuges ſibi teſtimonium dicere poſſunt. l. 10. C. *de re milit.* idem dicitur de deſponſatis. *arg.* l. 8. ff. *de condict. cauſ. dat.* domeſtici quoque repelluntur. l. 24. ff. *de teſtib.* ut & ſubditi, liberti in cauſa patroni. l. 11. §. 1. ff. *de pœn.* l. 6. §. *pen. C. de his, qui ad Eccleſ. confug.* nec quis in propria cauſa poteſt eſſe iudex. l. 10. ff. l. 10. C. h. t. (3) ob lucrum, & commodum inde perceptum. l. 3. §. 5. ff. l. 17. C. h. t. aut cuius percipiendi ſpes eſt, ſic cedens non poteſt eſſe teſtis in cauſa eius, cui ceditur, &c.

TH. 9. Contra dicta excipi poteſt (1) ratione obſcuritatis, (a) [2] contrarietatis, (b) [3] falſitatis, (c) & denique [4] irrelevantiæ. (d)

(a) Quæ eſt ex varietate, ambiguitate & vacillatione, quia teſti varianti non creditur, niſi incontinenti errorem ſuum correxerit. *Mynſ. 2. obſ. 86. cent. 6. obſ.* 14.

(b) Quæ eſt ex negatione & affirmatione unius, eiuſdemque rei, ubi teſtis ſibi ipſi contradicit, vel teſtes ſibi invicem.

(c) Quæ eſt ex non veriſimilitudine, præmeditatione & compoſitione.

(d) Quæ eſt ex interrogatis extra articulos, & ex dictis abſque idonea ſcientiæ cauſa.

TH. 10. Contra formam excipi poteſt, quod teſtis ante litem conteſtatam ſit receptus; (a) vel non citatus, (b) vel pars adverſa non ſit citata, vel teſtis non ſit iuratus, (c) vel non ſit interrogatus ſuper eo, de quo iuravit, vel non ſecreto, (d) vel non ſigillatim, vel non ad omnia, aut ſuper eo, de quo non iuravit, interrogatus ſit. (e)

(a) Regulariter productio teſtium coram iudice poſt litem conteſtatam fieri debet. c. 5. *Extr. ut lit. non conteſt.* irregulariter ante litem conteſtatam, ubi iuſta aliqua cauſa ſubeſt, putà cum teſtium qualitas, valetudo, ſenium, peregrinatio, accelerationem examinis urget. *c. quoniam, Extr. ut lit. conteſt.* l. 8. ff. h. t. *Gail.* 7. *obſ.* 92. atque ſic ad perpetuam rei memoriam examinantur.

(b) Ad formam productionis teſtium requiritur eorum citatio, qui ſi non compareant, cogi poſſunt. l. *pen.* C. h. t. teſtimonij enim dictio iuris eſt publici, ad quod exſequendum cogi quis poteſt, cum publici interſit ſcire veritatem; qua ratione, ſi aliàs de veritate conſtare nequeat, etiam inhabiles admittuntur. l. 21. §. 1. ff. h. t.

(c) Quia teſti injurato non creditur. l. 9. C. h. t. Hinc ſacerdotes non admittuntur teſtes, dicentes ſe velle teſtimonium ferre ſub ea fide, quam ſemel præſtiterunt altari, aut Eccleſiæ, c. *nuper nobis. Extr.* h. t. quia experientia teſtatur, clericos quandoque non minus affectibus laborare, ac regi, quam alios privatos, ut ſic periculoſum ſit ipſis remittere iuramentum; nec liberat eos à iuramento, *Auth. ſed iudex, C. de Epiſc. & Cleric.* quia verba illa, non tamen iurent in *Nov.* 123. c. 7. ex qua d. Auth. ab Irnerio deſumpta, non reperiuntur. Hoc iuramentum tamen poteſt remitti à partibus, quia in partium favorem ſit introductum. c. *fin. Extr.* h. t.

(d) Quia teſtes ſecretò ſunt examinandi, clàm partibus, & ſeorſim ſinguli, voce, non autem per ſcriptum, ut ex circumſtantijs de fide dictorum magis conſtare queat, præmiſſo iuramento de dicenda veritate.

(e) Examen fieri debet ſuper articulis probatorijs, id eſt, capitulis ipſius negotij controverſi ab actore prolatis, hos articulos iudex communicat parti adverſæ pro formandis interrogarorijs. *Gail.* 1. *obſ.* 95. In ipſo examinis actu iudex præloquitur, & altera pars producit teſtes, altera pars exhibet interrogatoria, deinde præſtant teſtes iuramentum prævia admonitione. l. 9. & 18. C. h. t. præſtito iuramento, partes ſecedunt, & teſtes ſinguli ſeorſim à iudice, eiuſve Notario ritè ad articulos & interrogatoria examinantur, & teſtes ritè examini reſpondere tenentur; finito examine, teſtis impoſito ſilentio dimittitur.

TH. 11. Teſtium reſponſiones ſunt annotandæ, & poſtea publicari poſſunt, ubi ad publicationem atteſtationum prius citantur partes, ut certa & conſtituta die publicationi adſint.

TH. 12. Cauſa efficiens eſt citatio & compulſio iudicis. l. 17. C. *de fide*

inſtrum. l. 3. §. *exhiben ff de tabul. exhib.* cauſa impulſiva eſt petito litigatoris, teſtium examinationem ad cauſam ſuam inſtruendam poſtulantis. *c. 2. & fin. Extr de teſtib. cog.* niſi enim petitū fuerit, non debet iudex officium in examinando ſuū impertiri. l. 4. §. 8. ff. *de damn. infect.*

TH. 13 Materia circa quam ſunt facta, ad quæ ſe teſtes referre debent (jus enim quod certum eſt, teſtium approbationem non poſtulat. l. 2. ff. *de iur. & fact. ignor.*) cauſarum tam criminalium, quàm civilium. l. 1. *pr.* ff. h.t. in cauſis tamen criminalibus magis idonei requiruntur, quam in civilibus.

TH. 14. Forma ex Th. 10. aliquatenus percipi poteſt, huic annectitur quoque, quod teſtes ſumptibus producentis poſt litis conteſtationem citari. l. 10. C. *de probat.* l. 3. & 4. ff. h. t. & poſt produci debent. l. 19. C. h. t. aſt ſi teſtes ibi non reperiuntur, ubi teſtimonium eſt ferendum, ſed longè remoti ſunt, per ſubſidium iuris, imploratur, & requiritur per literas mutui compaſſus illius loci iudex, ut teſtem, depoſito prius iuramento, examinet. l. 17. *Authent. apud eloquentiſſimum, C. de fid. inſtrument.* aut ſi perſonæ egregiæ ſint vel debiles, miſſo ad eos Notario examinatio inſtituitur. *l. ad perſonas, ff. de iurejur.*

TH. 15. Finis, uſus teſtimoniorum ad eruendam veritatem eſt introductus; ideo enim adhibentur teſtes, ut veritati teſtimonium perhibeant.

TITVLVS VI.

De iuris & facti ignorantia.

Iung. tit. 18. libr. 1. C. eod.

TH. 1. AD probationum materiam refertur hic titulus quoad poſteriorem rubricæ partem, de facti ignorantia tractantem; quia ignorantiam facti alieni quis probare non cogitur l. 21. ff. h. t. cum ea præſumatur, ideo pars adverſa ſcientiam, vel affectatam & craſſam ignorantiam probare obligatur. l. 2. ff. h. t. l. 23. C. *de probat.* c. 47. *de R. I. in 6.*

TH. 2. Ignorantia eſt duplex, (1) juris, & (2) facti. Huic diviſioni haud abſimilis eſt illa Philoſophorum, inter ignorantiam vincibilem & invincibilem diſtinguentium. Vincibilis eſt rerum, quas quis adhibita morali diligentia ſcire poterat & debebat, ut ignorantia iuris divini, aut naturalis, item facti proprij; eiuſmodi ignorantia dicitur [1] affe-

ctata, malitioſa, & fit cum electione, cum quis ſua ſponte ignorare vult, vel [2] craſſa, quando quis non adhibet debitam diligentiam, & hæc fit abſque electione. Invincibilis eſt rerum, quas quis ſcire non poterat, ut (1) facti alieni, vel (2) ipſius, ut ſi quis, dum feram venatur, hominem in ſylva latentem occiderit, vel (3) circumſtantiarum.

TH. 3. Ignorantia iuris alia eſt naturalis, ſive divini moralis, (a) alia poſitivi, ſive civilis.

(a) Quæ in Decalogo complectitur; talis iuris ignorantia nullam meretur excuſationem, ſed ſemper indiſtinctè nocet. l. 2. C. *de in ius vocand.* l. 38. §. 1. *&* 2. ff. *ad L. Iul. de adult.* ne quidem mulieres excuſat. d. l. 38. nec milites aut ruſticos; quia nemo neſcire debet, quod ab ipſa natura ingenitum, & mentibus noſtris inſcriptum.

TH. 4. Quòd ius poſitivum, ſive civile concernit, duæ formandæ ſunt regulæ; (1) iuris ignorantia non prodeſt, ſive non excuſat, ſed nocet acquirere, quod noſtrum non eſt, volentibus, hoc eſt, in compendijs quærendis, & faciendo lucro non prodeſt, quod & in fœminis obſervatur. Hinc error iuris non prodeſt ad uſucapionem. l. 4. 7. *&* 8. ff. h. t. l. 4. *&* 31. ff. *de uſucap.* l. 2. *&* l. 10. C. h. t. (2) juris ignorantia ſuum petentibus non nocet, hoc eſt, rem propriam non incommodat. l. 7. ff. h. t. juris enim error in damnis rei ſuæ amittendæ nemini obeſſe debet, ubi volumus retinere, quod noſtrum eſt. l. 8. ff. h. t. l. 10. *&* 11. C. h. t.

TH. 5. Quod de juris poſitivi ignorantia dictum, in civilibus obtinet, in pœnalibus verò iuris error à pœnis latæ culpæ (a) non excuſat. (b) l. 11. §. *fin.* ff. *de his, qui notant. infam.* cum ea nimirum tendit in alterius injuriam.

(a) Quoniam jus commune ignorare eſt lata culpa. *l. leges. C. de legibus.*

(b) Sequentes tamen perſonæ excuſantur, quibus ius ignorare conceditur, (1) militibus. l. 9. §. 1. ff. l. 1. C. h. t. l. 22. *pr. C. de jur. deliber. l. 56. ff. de acquir. hered.* (2) minoribus. l. 9. *pr.* ff. l. 11. C. h. t. (3) fœminis in quibuſdam cauſis, propter ſexus infirmitatem. l. 11. *& l. fin.* C. h. t. (4) ruſticis, certis in caſibus, quos leges exprimunt. l. 25. §. 1. ff. *de probat.* l. 1. §. *fin.* ff. *de edend. l. fin. C. de teſtam.* l. 2. §. *fin. ff. de iur. fiſc.*

TH. 6. Ignorantia facti duplex eſt, (1) alieni, (a) & (2) proprij. (b)

(a) Illa eſt probabilis & excuſat, cum & prudentiſſimos fallere queat. l. 2. ff. h. t. ideoque nec in damno evitando, nec in lucro captando obſtat. l. 9. §. *ſed facti.* ff. h. t. l. 7. 8. *&* 9. C. *eod.* Excipe niſi factum alienum ignorantis cura ſit commiſſum, vel ignorantia illa ſit affectata, malitioſa aut craſſa. l. 6. ff. h. t. l. 42. ff. *de R. I. arg.* l. 6. ff. *ad SCt. Vellej.* l. 1. §. 1. l. 9. §. 1. ff. h. t.

(b) Hæc eſt improbabilis, nec excuſat, cum iuris ſit præſumptio, à nemine factum proprium ignorari, l. 7. ff. *ad SCt. Vellej.* de damno tamen vitando agentibus non nocet, l. 22. ff. *de condict. indeb.* quia iniquum foret, aliquem ex alterius errore commodum ſentire.

TH. 7. Eſt ignorantia facti, (1) ſi quis ignoret fratrem, de cuius ſucceſſione agitur, deceſſiſſe, aut (2) ſi quis neſciat ſe ſcriptum eſſe à teſtatore heredem. Contra; ignorantia iuris eſt, (1) ſi quidam ſciat fratrem eſſe defunctum, opinetur verò illius uxorem in ſucceſſione ſibi prȩferri, l. 1. ff. h. t. (2) ſi neſciat ſibi cognato, proximitatis nomine, deferri bonorum profeſſionem.

TH. 8. Quæritur; quomodo quis latam culpam iuris ignorantia committat? Reſp. accuratè hic differentiam iuris civilis publicè propoſiti diſcernendam eſſe, vel enim (1) continet ea, quæ omnes Reip. ſubditi facile ſcire poſſunt, & debent, vel (2) complectitur ea, quæ non niſi exactiſſima, vel exacta diligentia cognoſcuntur ex conſilio peritiorum, vel (3) comprehendit ea, quæ hic, vel ille ratione ſuæ conditionis cognoſcere certis caſibus nequit, ut fœmina, miles, ruſticus, minor. Primo caſu ignorans poſitivum jus cenſetur latam culpam committere, l. 9. C. *de legib.* l. 12. C. h. t. ſic hos Legiſlatores puniunt, cum ignorent legibus comprehenſa, quæ ſcire oportet, nec ſcitu difficilia ſunt. Secundo caſu levis, vel leviſſima culpa committitur ab ijs, qui peritiores non conſuluerunt; alia enim eſt ſcientia, quæ cadit in juriſprudentes, alia, quam quis per ſe, aut per alios aſſequi potuit, ſcilicet conſulendo peritiores, ut diligentiorem patremfam. conſulere decet. l. 10. ff. *de bonor. poſſ.* l. 2. §. *fin.* *ff. quis ord. in bonor. poſſ.* Tertio caſu nulla culpa committitur, ſed talis ignorantia excuſat certis caſibus, in fœminis minoribus, l. 9. *pr.* ff. h. t. l. *fin.* C. *eod.* militibus, l. 1. ff. h. t. Deinde inter homines diſtinguendum eſt jus & peritiam profitentes. Nam qui id, quod omnes eius rei periti ſciunt, ignorant, latam culpam committunt, qui illud, quod excellentes, culpam levem committunt; qui verò ignorant, quod ſaltem excellentiſſimi ſciunt, culpam leviſſimam. l. 9. §. *pen.* l. 13. §. 5 ff. *locat. conduct. arg.* l. 7. §. *fin.* *ff. ad L. Aquil.* l. 4. §. 9. l. 14. §. 1. ff. *de re milit.*

LIBER VIGESIMVS TERTIVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Sponſalibus.

Iung. tit. 1. lib. 5. C. eod.

TH. 1. IVDICIA, quæ ad res vindicandas & condicendas pertinent, jam in ſuperioribus ratione inſtituti expoſuimus, reſtant nunc ea, quæ ad perſonas ſpectant; hæcque pertinent, vel ad liberorum procurationem & tuitionem, vel ad ſucceſſionem. Procuratio ac tuitio fiunt per nuptias & tutelas: ſucceſſio contingit per teſtamentum vel legem. Duo enim ſunt hæc principia naturâ nobis inſita, ut nos, vitamque noſtram tueamur, & natos à nobis in locum noſtrum ſubſtituamus. Ob propagationem & conſervationem ſobolis nuptiæ & tutelæ, ob liberorum noſtrorum ſubſtitutionem ſucceſſiones diverſorum generum inventæ ac conſtitutæ fuerunt.

TH. 2. Sponſalia (a) de jure civili ſunt mentio & repromiſſio (b) nuptiarum futurarum, (c) ritè inter eos, quibus iure licet, facta. Sive ſunt promiſſio mutua & reciproca de præſtando conſenſu coniugali. l. 1. ff. h. t.

(a) Quæ nuptias præcedunt à ſpondendo ſunt dicta; unde ſponſi ſponſæque appellatio, l. 2. *&* 3. ff. h. t. ſpondere à ſponte venit; hinc ſpondeo, quaſi ſponte do, vel promitto; atque ſic omnis ſtipulatio & promiſſio appellatur ſponſio, l. 7. ff. *de* V. S. quia veteribus Romanis uſitatiſſimum, ut ſibi futuram uxorem ſtipularentur, eamque ſponderet is, cuius in poteſtate illa eſſet, l. 4. C. *de ſponſalib.* Hodie nudus ſufficit conſenſus ad conſtituenda ſponſalia.

(b) Mentio hic idem eſt, ac interrogatio, & promiſſio idem quod reſponſio; quotieſcunque enim fit promiſſionis mentio, intelligitur interrogationem præceſſiſſe.

(c) Sponſalia de futuro hodiè ſunt promiſſio futurarum nuptiarum, non

continens in ſe purum, aut abſolutum conſenſum, ſed cum quodam tractu futuri temporis. Contra, Sponſalia de præſenti fiunt per verba abſolutum, purum & præſentem conſenſum exprimentia. *Carpz. in iuriſpr. Eccleſ.* l. 2. t. 2. d. 18.

TH. 3. Sponſalia tam voluntate eorum, qui conjunguntur, l. 13. ff. h. t. quam eorum, quorum ſunt in poteſtate, contrahi debent. l. 7. §. 1. l. 10. ff. h. t.

TH. 4. Sponſalia contrahere poſſunt, qui non ſunt minores 7. annis, (a) quia antea nullum habent intellectum, l. 9. l. 14. ff. h. t. eiuſmodi ſponſalia ab impuberibus celebrata non ſtatim ſubſequuntur nuptiæ, ſed differuntur ad pubertatem.

(a) Si nuptias iure inter illas ſubſiſtere poſſunt, ubi enim nuptiæ ſunt interdictæ, ibi ſponſalibus, quæ ſunt aditus nuptiarum, locus eſſe non poteſt. l. 16. ff. h. t.

TH. 5. Sponſalia non modo inter præſentes, ſed & abſentes rectè contrahuntur, l. 4. §. 1. *&* l. *fin.* ff. h. t. puta per nuncium, literas, procuratorem, &c. *d. ll.*

TH. 6. Sponſalia purè, (a) vel in diem, (b) vel ſub conditione (c) contrahi poſſunt.

(a) c. *pen. Extr.* h. t. c. 3. *Extr. de ſponſ. duor.*

(b) Si dies adjiciatur ſponſalibus, tunc ipſa promiſſio, ſeu obligatio non ſuſpenditur, ſed ex illa demum veniente die poteſt agi. l. 12. 13. ff. *de V. S. arg.* §. 2. *Inſt. de verb. obl.*

(c) Conditio illa adjecta, vel eſt poſſibilis & honeſta, vel impoſſibilis, & quidem talis naturâ, vel lege. In poſſibili, ſive poteſtativa, ſive mixta, ſive caſualis fuerit, conditionis eventus eſt expectandus, qua deficiente ſponſalia non cenſentur contracta, ea verò exiſtente, habentur rata & firma. Obſerva, ſi ante conditionis exiſtentiam copula carnalis fuerit ſubſecuta, à conditione receſſiſſe videntur. c. 6. *Extr. de condit. appoſ.* Poſſibilis illa conditio eſt etiam expreſſa, quæ à contrahentibus apponitur, e. g. ſi doctor ſis futurus, vel tacita, quæ à contrahentibus non apponitur, ſed tacitè intelligitur ex juris autoritate, ſi vixero, ſi es Chriſtiana, niſi ſis conſanguinea, affinis, ſi honeſtè vixeris. Si impoſſibilis natura, vel lege adjiciatur conditio, ſponſalia ſunt irrita, cum eiuſmodi conditiones impoſſibiles ſint contra legum prohibitionem. l. 31. ff. *de obl. & act.* l. 7. ff. *de verb. oblig.* l. 26. *&* l. 137. §. 6. ff. *eod.*

TH. 7. Sponſalia de futuro non ponunt vinculum indiſſolubile, quia unius voluntate altero invito diſſolvi poſſunt, l. 1. C. h. t. E. multo magis utriuſque voluntate, l. 4. ff. h. t. Aſt ſi ab una parte ob non

juſtam cauſam diſſolvantur ſponſalia eiuſmodi, arrham, ſi qua data, amittit. Si ſponſus diſſolvat ſponſalia, arrham datam amittit; ſin verò ſponſa, duplicatam reſtituere ſponſo tenetur, l.3. & l.5. C. h.t. l.15. C. *de donat. ant. nupt.* Nota; arrha de honeſtate, non verò de neceſſitate adhibetur. c.*noſtrates* c.*qualis* 30.*quæſt.*5. quod a. illa interveniat, ratio eſt, ut eo firmiora ſint ſponſalia, & contrahentes & teſtes, qui adfuerunt, certiores redditi affirmare poſſint, ſponſalia eſſe iuſta, idque ſe non modo auribus, verum etiam oculis, atque ita duobus ſenſibus percepiſſe. Arrha itaque eſt ſymbolum ſaltem matrimonij promiſſi, vel implendi.

TH. 8. Si tempus non eſt præſtitutum, & ſponſus eſt præſens in eadem provincia, nec intra biennium exſequitur ſponſalia, puellæ iure conceditur alij nubere. l. 2. C. h. t.

TH. 9. Si ſponſus abſens ſit triennium, diutius expectare non tenetur, (a) puta ſi ignoretur, in quo loco verſetur ſponſus.

(a) Quod fit ob hanc rationem, ne opportunum nubendi tempus amittat ſponſa. l. 2. C. *de repud.*

TH. 10. Interdum non modo biennium aut triennium, ſed & quadriennium, imo longius tempus expectare cogitur ſponſa, ſi ob iuſtam vel neceſſariam cauſam ſponſus abſens ſit, vel valetudo ſponſi, &c. ſit impedimento, l. 17. ff. h. t.

TH. 11. Iuxta ius Canonicum ſponſalia ſunt duplicia, alia de futuro, alia de præſenti, c. 22. c. *pen.* & *ult. Extr. de ſponſal.* Illa ſuperius jam definivimus. Hæc ſunt promiſſio præſentis conjugij, ubi purè & ſimpliciter promittitur coniugium. Hanc diſtinctionem ignorat jus civile; licet ſponſalia olim facta ſint per verba præſentis temporis, tamen illa fuerunt nuptiarum futurarum; aliud enim ſponſalia ſunt, aliud nuptiæ, l. 1. ff. h. t. neque à verbis futuri, vel præſentis temporis ſponſalia dicuntur, ſed à nuptijs futuris.

TH. 12. Iure Eccleſiaſtico ſponſalia de futuro & de præſenti differunt, ut pactum de vendendo & ipſa venditio conſenſu contracta. Nuptiæ verò concubitu conſummatæ à ſponſalibus de præſenti diſtant, ut venditio conſenſu contracta, & ea, quam traditio eſt ſecuta.

TH. 13. Sponſalia de præſenti, unius voluntate, vel mutua etiam voluntate ob præſentem conſenſum coniugalem diſſolvi nequeunt, cum vinculum coniugale ſubſit, c. *pen. Extr.* h. t. c. 1. *Extr. de ſponſ. duor.* Excipe, niſi graviſſimæ cauſæ, ob quas à iudice diſſolutio impetrari poteſt, intercedant. e. g. [1] fornicatio cum antecedens, tum ſubſequens

ſequens

ſequens [2] furor, [3] impotentia coëundi, [4] atrox delictum, [5] inimicitiæ capitales & irreconciliabiles, (6) morbus contagioſus. *Carpz. juriſp. conſiſtit.* l. 2. *def.* 177. *& ſeqq.*

TH. 13. Sponſalia ſunt publica, vel clandeſtina.

TH. 14. Publica ſponſalia ſunt; quæ palam, coram pluribus teſtibus contrahuntur, aut parentibus adhibitis, in quorum ſunt poteſtate. *arg. c. aliter* 31. q. 5. c. *conſanguineorum* 3. q. 4. c. 2. *Extr. de clandeſti. deſponſat.*

TH. 15. Clandeſtina ſunt, quæ clanculum [1] nullis teſtibus adhibitis contrahuntur ab ijs, qui ſui iuris ſunt, [2] quæ ſine autoritate parentum contrahuntur ab ijs, qui ſui iuris non ſunt; talia habentur, ſive uterque contrahentium, ſive alter tantum ſit in parentum poteſtate, ſive præſentibus teſtibus, ſive clam contraxerint ea; ratione enim parentum clandeſtina ſunt.

TH. 16. Tametſi clandeſtina ſponſalia omni iure prohibeantur. *cap. fin. Extr. de clandeſt. deſponſat.* c. *aliter. cauſ.* 30. q. 5. Si tamen ad clandeſtinam hanc promiſſionem acceſſerit concubitus, illa ſubſiſtunt, & tolerantur, modò de ſponſalibus conſtet, e. g. ex eorum confeſſione, chirographo, literis, vel etiam per teſtes. Ratio eſt, quod tunc ex concubitu inducatur præſumptum matrimonium præſumptione canonis, *arg.* l. 1. §. 1. C. *de rei uxor. act.* c. 6. c. *de illis.* c. *per tuas. Extr. de condit. appoſ.* c. 30. *Extr.* h. t. quapropter pater ſponſo vitiatam etiam invitus dare cogitur, ne filia per totam ætatem infamis vivere cogatur. Excipe; niſi pater prægnantes diſſentiendi cauſas habuerit; ut ſi ſtuprator ſit viliſſimæ conditionis, cui filiam non ſine ignominia in uxorem dare non poteſt.

TH. 17. Si quis publica & clandeſtina celebraverit ſponſalia, publica ſemper pręferuntur, c. 2. *de clandeſt. ſponſal.*

TH. 18. Quęritur, ſi quis ſponſalia de futuro prius contraxerit, poſtea cum alia, vel alio ſponſalia de pręſenti celebret, an priora ſubſiſtant? Reſp. neg. ut ut ſponſalia de pręſenti fuerint poſteriora, tamen ſponſalia de futuro diſſolvunt. c. 22. *Extr.* h. t.

TH. 19. Quæritur, ſi quis cum duabus ſponſalia de præſenti publicè celebraverit, quænam prævaleant? Reſp. priora; etiamſi ad poſteriora concubitus acceſſerit, quia prius matrimonium eſt validum, & duplex valere nequit.

TH. 20. Diſſolutis ſponſalibus pars nocens innocenti expenſas reſtituere obligatur, arrhamque amittit, & inſuper punitur. *Carpz. juriſpr. conſiſt.* l. 2. *def.* 66. *& prax. crim.* 2. q. 38.

TH 21. Quæritur, quid iuris, ſi ſtuprator neget promiſſionem coniugij eſſe factam, puella affirmet? Reſp. ſi de promiſſione matrimonij conſtet, matrimonium eſt contrahendum, nec admittitur ad iuramentum purgationis ſtuprator. Sin verò nihil certi conſtet, ſtupratori iuramentum purgationis deferri ſolet. Aſt ſi puella magis quam ſemiplenè probet, admittitur puella ad iuramentum ſuppletorium. *Carpz. iuriſpr. for.* p. 2. c. 6. *def.* 14.

TH. 22. Quæritur, an licet nonnunquam liberis à parentibus in contrahendis ſponſalibus diſſentire? Reſp. affirm. quod ſequentibus in caſibus contingere poteſt, [1] ſi filius malit cœlibem vitam agere, [2] ſi pater filio iniungat, ſpuriam in uxorem ducere, *arg.* l. 12. §. 1. ff. h. t. [3] ſi ei obtrudere velit inſigniter informem, quam amare, ipſius natura abhorret, [4] ſi pater filiæ indignum moribus, vel infamem, aut turpem, aut ſuæ dignitati haud convenientem elegerit, d. l. 12. §. 1. h. t. [5] ſi filia attigerit annum ætatis 25. tunc poteſt etiam parentibus invitis nubere, quia parentes iniuria nubere prohibent; ſiquidem periculoſum ſit diutius expectare, l. 19. ff. *de rit. nupt.* [6] ſi filius ſit emancipatus, (7) ſi pater ſuo iuri renunciaverit, liberis concedens pro arbitrio coniugem eligere, (8) ſi pater ſit furioſus, l. 9. ff. *de rit. nupt.* (9) ſi ille abſens ſit, vel ab hoſtibus captus, modo eius reditus aliquandiu expectetur, & filius non indignam duxerit. l. 11. ff. *de rit. nupt.*

TH. 23. Ex ſponſalibus olim erat actio ex ſponſu, quia olim mutuæ ſtipulationes ſuper ſponſalibus fieri ſolebant, unde oriebatur hæc actio: iure Iuſtinianeo eſt imploratio officij iudicis. Iure verò canonico eſt condictio. c. 2. c. 16. 17. 22. *Extr. de ſponſal.*

TH. 24. Actio ea ſponſo, vel ſponſæ, vel parentibus eorum datur, contra ſponſam, vel ſponſum matrimonij conſummationem recuſantem, (a) vel nimis diu, & in fraudem factæ promiſſionis differentem.

(a) Intellige ſi ſponſalia ſint de præſenti; ſi enim ſint de futuro, non datur hæc actio, quoniam alter contrahentium, altero etiam invito ſponſalia de futuro diſſolvere iure poteſt.

TH. 25. Actio ea eò tendit, ut reus condemnetur ad nuptias legitimè perficiendas & conſummandas.

TH. 26. Cauſa efficiens ſponſaliorum olim fuit ſtipulatio & repromiſſio mutua, §. *ſi ſcriptis Inſtit. de inutil. ſtipulat.* Hodie verò ſicut nuptias efficit conſenſus, l. 30. ff. *de R. I.* ita ſponſalia abſque verborum ſolennitate contrahuntur ſolo conſenſu, l. 4. 7. & 11. ff. h. t. tam eo-

rum, qui coniunguntur, quam eorum, quorum ſunt in poteſtate. dd. *ll.*

TH. 27. Materia circa quam verſantur ſponſalia ſunt futuræ nuptiæ, de quibus ultro citroque datis arrhis (a) ſolet in ijs tractari & conveniri.

(a) Hæ plerumque in annulis, catenis, nummis aureis, vel argenteis conſiſtere ſolent. l. *fin. C. de ſponſ.*

TH. 28. Forma ſubſtantialis conſiſtit in conſenſu, l. 4. 7. *&* 18. ff. h. t. hic autem interponitur, vel expreſsè, vel tacitè. Expreſsè per ſtipulationem, l. 1 *&* 2. ff. h. t. vel per alia verba, conſenſum de futuro conjugio inducentia, d. l. 4. ff. h. t. ut accipio te in meam. Ego vir tuus ſuum, ego uxor tua promitto, quod te accipiam, retinebo te perpetuò meum. Tacitè fit promiſſio conjugij ſignis aut factis, ut ſi juvenis puellæ nomine fidei conjugalis munus offerat, idque illa tacens accipiat, tunc videtur in eandem cauſam accipere, in quam oblatum eſt.

TH. 29. Olim per ſtipulationem certa pœna ſponſalibus adjiciebatur, ſi ijs ſtatum non fuerit, l. 7. ff. h. t. Hanc pœnæ adjectionem hodie ſponſalia non ferunt, l. 5. *in fin.* C. h. t. l. 2. §. *fin.* ff. *de divort.* l. 134. ff. *de verbor. obligation.* propter matrimonij libertatem, quam pœnis obſtringi non oportet, ne exitus patiatur difficiliores.

TH. 30. Finis eſt, ut conjugium contrahatur.

TH. 31. Effectus ſponſaliorum eſt, quod inducat obligationem ad futuras nuptias, quod ſponſa ſit quaſi loco uxoris, ſponſus mariti loco, l. 58. ff. *de iur. dot.* l. *item apud* 5. §. *ſponſ.* ff. *de injur.* l. 2. §. *ſi ſponſ.* ff. *de privileg. credit.* cingendus enim habetur pro cincto, l. *pen.* ff. *de teſtam. milit.* & ad aliquem finem deſtinata, eo loco ſunt habenda, ac ſi finem ſuum eſſent adſecuta, l. *à Divo Pio* 15. *ſed etſi* 11. *ff.* ff. *de re iudic.* l. 15. C. *de donat. ant. nupt.* Nota; bina ſponſalia contrahens æque notatur infamia, ac is, qui binas nuptias contrahit. l. 1. ff. *de his qui not. infam.*

TITVLVS II.

De ritu nuptiarum.

Iung. tit. 4. lib. 5. C. *De nuptijs.*

TH. 1. DECLARATIS ſponſalibus, quæ nuptias præcedere ſolent, ad ipſas jam pervenimus nuptias.

TH. 2. Nuptiæ (a) ſive matrimonium eſt viri & mulieris legitima conjunctio, individuam, (b) vitæ conſuetudinem continens. §. 1. *Inſt. de patr. poteſt.*

(a) Quæ à nuptu, hoc eſt opertione & velamento; exemplo Rebeccæ, ad conſpectum Iſaac ſe obnubentis atque velantis. Hic obnubendi modus fuit antiquiſſimus, *cap. nec illud* 30. *quæſt.* 5. *Geneſ.* 24. mulier enim apud Romanos olim nupta & obvoluta, tectaque velamine lutei coloris, in mariti domum deducebatur. Hæc deductio & pompa non tã ad ſubſtantiam actus, quam ad extrinſecam ſolennitatem adhibebatur; l. *ſi donationum.* C. h. t. Hodie feſtivitatem nuptialem præcedit publica ex ſuggeſtu proclamatio, ut plurimum trina. c. 3. *Extr. de clandeſt. deſponſ.* quæ denunciationes banna vocantur, c. 27. *de ſponſal.* poſt trinam proclamationem, alius ad impediendum matrimonium non auditur. Deinde ipſo nuptiarum die ſequitur in Eccleſia, vel cœtu fidelium Saderdotalis copulatio & benedictio.

(b) Individua dicitur ratione intentionis, quia ea mente initur matrimonium, ut ſola morte dirimatur; contingit tamen, ut certas ob cauſas divortia legibus permittantur. Excluditur hîc concubinatus, quia non eadem illi adeſt intentio, uxor enim matrimonij cauſa habetur, concubina veró conſuetudinis cauſa; ob id uxor dicitur à concubina diſtare dignitate, l. 49. §. 4. ff. *de legat.* 3.

TH. 3. Ex definitione nuptiarum, antecedente Theſi propoſita, conſtat, quod non ſit contractus, quia non definitur per conventionem; Nuptiæ enim definiuntur per conjunctionem viri & mulieris, l. 1. ff. *de rit. nupt.* conjunctio autem eſt actus, non conventio, aut contractus, *arg.* l. 29. ff. *de V. S.* Secundo, neque certum & ſingulare nomen, præter nudum & appellativum, neque cauſam habent nuptiæ, quod alioquin proprium eſt contractuum, neque actionem ex contractu producunt, qua adverſus mulierem non obtemperantem agere poſſit maritus; quippe qui eo nomine habet implorationem officij iudicis. Si tamen velimus dicere nuptias eſſe contractus, tunc contractum in latiſſimo, & improprio ſignificatu accipimus, quatenus contractus factum quodcumque denotat, unde obligatio & actio deſcendit, l. 52. ff. *de re judic. arg.* l. 20. ff. *de iudic.* vel per metonimiam, quatenus conjunctio viri & mulieris per contractum perficiuntur. [3] quia omnes contractus propriè dicti ſunt rerum, nulli perſonarum, licet perſona in illis aſtringatur; hæc tamen aſtrictio non eſt ſimplex, ſed ad rem, hoc eſt ad dandum, vel faciendum, l. 3. ff. *de oblig. & act.* Nota, contractus verſantur circa res objectivè, circa perſonas verò tantum ſubjectivè. Imò & jus in re non omnino excludit perſonas, ob id tamen non poteſt dividi in jus in re perſonarum, & rerum, [4] quam-

vis tutela, qua ſignificat tutelæ adminiſtrationem, eſt quaſi contractus, tamen eo non perſona ſimpliciter aſtringitur, ſed ad rei præſtationem.

TH. 4. Concurrunt in matrimonio conjunctio animorum, & copula ſeu conjunctio corporum, ordinata ad prolium procreationem. Nota. Inter plures, quam duos uno eodemque tempore hæc corporum conjunctio conſiſtere non debet. l. 2. C. *de inceſt. nupt. l. cum qui duas, C. de adulter.* iuxta præceptum. *Matth.* 22. erunt duo in carnem unam, quamquam hæc prohibitio non omnium temporum, neque gentium fuit, videmus enim non modo apud Ethnicas quaſdam gentes, verum etiam in populo Dei *polygamiam*, quandoque receptum fuiſſe, *Geneſ.* 4. exemplum Abrahæ, Iacobi, Davidis, &c.

TH. 5. Iure Romano iuſtas nuptias contrahunt cives Romani, (a) maſculi puberes, (b) fœminæ viripotentes, (c) qui conſentire poſſunt. (d)

(a) Ideo Servi & peregrini hic excluduntur, ſervorum enim uxores non coniuges, ſed contubernales iure Rom. dicuntur. *l. ult. ff. de grad. & affin. pr. Inſt. h. t.*

(b) Ante pubertatem ob teneram ætatem à nuptijs arcebantur impuberes, niſi malitia ſuppleat ætatem, per malitiam hic non tantum intelligitur potentia ad copulam, ſed & diſcretio in conſenſum vinculi conjugalis. *c. de illis, 9. c. ult. Extr. de deſponſ. impub.*

(c) §. 1. *Inſt. de nupt.* l. 4. ff. h. t.

(d) Conſenſus principia ſunt intellectus, voluntas; & potentia, ſive facultas, quorum uno deficiente legitimus non adeſt conſenſus. E. furioſus, mente captus, fatuus, &c. conſentire nequit. l. 8. *de ſponſal.* l. 16. §. *ult.* ff. h. t. l. 12. §. 7. ff. *de ſolut. matr.* nec (2) extremè ebrius, quem furioſo comparant, in illo namque mentis ratio, & iudicandi facultas omnis exulat; quapropter fidem in eiuſmodi vinolentia datam ſervare non tenetur. *c. unuſquiſque,* 12. *q.* 4. *c. ſanè,* 15. *q.* 1.

TH. 6. Iuſtæ ut ſint nuptiæ, requiritur, ut præter conſenſum, tam contrahentium, quàm parentum, (a) neque (1) ob cognationem, (2) neque affinitatem, (3) neque honeſtatem, (4) neque delictum, neque (5) poteſtatem, neque (6) ob ſtatum ſint prohibitæ.

(a) Parentes conſenſus regulariter iure civili eſt neceſſarius, (1) propter patriam poteſtatem. l. 2. ff. h. t. *pr. Inſt. eod.* quia velle habere non cenſetur, qui in patris eſt poteſtate. l. 4. ff. *de R. I.* (2) quod aliàs nuptiæ ſint iniuſtæ, & liberi illegitimi. l. 11. ff. *de ſtat. homin.* §. 12. *Inſt.* h. t. contrarium obtinet in liberis emancipatis, tam fœminis, quàm maſculis, quoniam emancipata filia non conſenſum patris, ſed eius iudicium & aſſenſum explo-

rare obligatur. l. 18. & 20. ff. h. t. matris conſenſus non eſt neceſſarius; ſed eius iudicium requiritur. l. 20. ff. h. t.

TH. 6. Ob cognationem prohibentur nuptiæ, ubi tres regulæ ſunt obſervandæ, (1) in linea recta in infinitum prohibentur, ut inter aſcendentes & deſcendentes, ſeu parentes ac liberos; ſic inter patrem & filiam, avum & neptem, matrem & filium, aviam & nepotem, & ita conſequenter nuptiæ conſiſtere nequeunt. l. 14. §. 2. l. 53. ff. h. t. l. 12. §. *pen.* ff. *de accuſat.* §. 1. *Inſt.* h. t. l. 17. C. *eod. Nov.* 12. c. 1. *Levit.* 18. *v.* 7. item inter vitricum & privignam, novercam & privignum. l. 1. §. *ult.* ff. *de concubin.* Idem affirmatur de ijs, qui per adoptionem parentum, liberorumve loco ſibi eſſe cœperunt. l. 12. §. *fin.* l. 14. *pr* §. 1. l. 55 *pr.* ff. h. t. & ſi nuptiæ inter tales contrahuntur, vocantur nefariæ, qſ. de ijs fari non licet ob conjunctionis turpitudinem.

TH. 7. Ratione prohibitionis ob cognationem ſecunda regula eſt. In linea collaterali inter fratrem & ſororem nuptiæ ſunt prohibitæ; in quibus non obſervatur utrum ab ijſdem parentibus, an ab altero horum ſunt prognati. §. 2. *Inſt.* h. t. l. 35. §. 1. ff. *de verb. obl.* l. 14. §. 2. l. 18. l. 54. ff. h. t. item ſi per adoptionem quis habuerit ſororem, eam durante adoptione in uxorem ducere iure non licet. l. 12. §. *fin.* l. 17. § *ult.* ff. h. t.

TH. 8. Tertia regula eſt. In reliquis præter fratres & ſorores collateralibus eatenus nuptiæ prohibentur, quatenus parentum liberorumque locum inter ſe obtinent. §. 3. & 4. *Inſt.* h. t. l. 39. ff. h. t. l. *ult.* C. *de inceſt. nupt.* h. t. Hinc fratris, aut ſororis filiam, aut neptem ducere non licet, d. §. 3. *Inſt.* h. t. nec amitam, materteram, amitam magnam, materteram magnam. §. 5. *Inſt.* h. t.

TH. 9. Iure divino & civili in linea æquali, non niſi inter fratres & ſores nuptiæ prohibentur, qui iure civili ſunt in ſecundo gradu, iure autem Canonico ſunt primo gradu, indéque patrueles & conſobrini, hoc eſt, duorum fratrum, vel ſororum liberi, (qui iuxta civilem computationem quarto ſunt gradu; iure Canonico verò diſtant ſecundo gradu) utrâque iure divino, & civili licitè conjungi poſſunt *Geneſ.* 28. 29. *Exod.* 2. 2. *Num.* 36. *Ioſ.* 15. §. 4. *Inſt. de nupt.* Aſt iure canonico in linea collaterali nuptiæ uſque ad quartum gradum incluſivè conjugia prohibentur. c. 3. *Extr. de conſang. & affin.*

TH. 10. Ob affinitatem prohibentur nuptiæ, inter affines in linea recta, (2) & in collaterali eadem eſt prohibitio, quæ eſt iure civili, iure divino, & iure canonico, ratione cognationis, ſic ob affinitatis venerationem, (1) in linea recta aſcendentes & deſcendentes matrimonio jungi non poſſunt; ut parentes, aut liberi unius coniugis, & alter coniux

nuptias contrahere nequeunt, e. g. ſocer & nurus, ſocrus & gener, vitricus & privigna, noverca & privignus. *Levit.* 18. *c.* 8. §. 6. *& ſeqq. Inſt.* h. t. l. 4. §. 6. *&* 7. ff. *de gradib. affin.* l. 12. §. 1. l. 14. *pr.* §. 1. *&* 4. l. 15. ff. h. t. c. 1. *Extr. de conſanguin.* Sicut enim nefas eſt cum matre miſceri, ſive nefarium concubitum exercere, ita naturaliter ratio humana abhorret, cum parentis ſui uxore, & cum vxoris ſuæ, cum qua unum quaſi corpus conſtituit maritus, matre rem habere. (2) In linea collaterali æquali, qui fratrum ſororumque locum obtinent, inter ſe nuptias contrahere non poſſunt. Sic ſororem uxoris meæ ducere non licet, quia eſt ſororis meæ inſtar, contra nec uxor, me defuncto, fratri meo nubere poteſt, cum ei ſit fratris loco. In linea collaterali inæquali jungi vetantur, qui ſibi invicem loco parentum ſunt, ut vidua patrui & avunculi, filia fratris, vel ſororis meæ, & ita conſequenter, unde regula, quam ducere non poſſum ratione cognationis, eandem nec ratione affinitatis ducere licet, &c.

TH. 11. Affinitas eſt duplex, perfecta, (a) & imperfecta. (b)

(a) Perfecta affinitas ex iuſtis nuptijs & conjunctione corporis, ſive ex conſummato matrimonio deſcendit. l. 4 §. 3. *&* 8. ff. *de gradib.* ad perfectam hanc affinitatem tria requiruntur conjunctim, (1) ut interveniat concubitus, (2) ut is concubitus ſit nuptialis, & (3) inter eas perſonas, quæ tempore unionis marito, aut uxori actu ſint cognatæ.

(b) Imperfecta eſt, quæ non eſt ex conſummato matrimonio, cui unum horum trium deeſt; ſic (1) quis affinis eſt mulieris, cum qua venerem illicitam exercuit, cognatis, (2) ubi ſponſalia contracta, ita inter me, & ſponſam patris mei nuptiæ contrahi iure nequeunt. §. 9. *Inſt. h. t.*

TH. 12. In cognatione & affinitate ratione prohibitionis non attenditur, utrum illa ex legitima, vel illegitima conjunctione ſit, utraque enim matrimonium impedit.

TH. 13. Tria numerantur affinitatis genera, *c. non debet, Extr. de conſanguin. & affinit.* (1) quod per primam carnis copulam, ſive mediante una perſona contrahitur, ut à cognatis uxoris cum marito, vel à cognatis mariti cum uxore, tales ſunt in linea aſcendenti, vitricus, noverca, avi mei coniux, in linea deſcendenti, filiorum, nepotum & reliquorum conjuges. In linea collaterali, patruorum, avunculorum, amitarum, &c. conjuges, (2) quod per perſonam primo generi additam mediante copula carnali conſtituitur, ſive quod fit per duas perſonas. e. g. ſi fratris tui uxor, quæ tibi primo genere affinitatis eſt iuncta, fratre tuo mortuo, Titio nubat, hic Titius tibi in ſecundo genere affinitatis erit iunctus, (3) quod per tertiam carnis copulam, ſive tribus perſo-

nis intervenientibus contrahitur. e. g. ſi fratris tui vidua mortua, ipſius ſecundus maritus Titius Sejam in uxorem ducat, Seja mihi tertio genere affinitatis erit iuncta, quia hic ſunt tres perſonæ, ſucceſſivè contrahentes nuptias, nimirum [1] frater cum uxore ſua, [2] Titius cum fratris demortui vidua, [3] Titius cum Seja. Ex his tribus affinitatis generibus primum obſervatur, & quidem iuxta jus canonicum ad quartum uſque gradum incluſiuè. Secundum & tertium nullam prohibitionis cauſam habent. Excipe tamen in ſecundo, quoties aliquis parentum liberorumve reſpectus ſubſit l. 15. ff. h. t.

TH. 14. Quæritur, an hodie comprovignorum nuptiæ iure prohibeantur? Reſp. negando, per §. 8. *Inſt.* h. t. l. 34. §. 2. ff. *eod c.* 5. *Extr. de conſang. & affin. Levit.* 18. 11. quia unius conjugis conſanguinei, propriè loquendo non ſunt affines conſanguineis alterius conjugis. l. 4. §. 3. ff. *de gradibus*. Hinc ob rationis paritatem, ſororis ſuæ privignam ducere uxorem nemo prohibetur; ſic pater & filius, matrem & filiam, vel duas ſorores matrimonio ſibi iungere poſſunt, item duo fratres duas ſorores ducere iure non vetantur. *Carpz. l. 2. Iuriſp. conſiſt. def.* 104. 105. & 106.

TH. 15. Ob honeſtatem nuptiæ prohibentur, quamvis nec cognatio, nec perfecta inter eas perſonas intercedat affinitas; ita patri non eſt permiſſum ſponſam filij fortè defuncti uxorem ducere, nec filio ſponſam patris. §. 9. *Inſt.* h. t. l. 9. ff. *de gradib.* l. 12. §. 1. & ff. h. t. Nec ſponſus ſponſæ defunctæ matrem ducere poteſt, nec filia ſponſo matris, aut neptis ſponſo aviæ mortuæ nubere, nec mater filiæ ſponſo iungi poteſt. Imò abſtinendum quoque eſt à matrimonio cum ſponſa fratris defuncti. *Carpz. 2. Iuriſprud. conſiſt. defin.* 106. & *ſeqq.*

TH. 16. Ob honeſtatem vetantur nuptiæ inter eos, qui ſibi invicem viva alterutrius priore conjuge matrimonium promiſerunt, & ſimul concubuerunt, factâ antea matrimonij promiſſione. *c. ſignificaſti. Extrav. h. t.*

TH. 17. Ob delictum nuptiæ prohibentur, [1] ſic nuptiæ vetantur inter raptorem & raptam ob violentiæ præſumptionem. *l. un. C. de rapt. virgin. Nov.* 143. & 150. [2] quod tutor cum pupilla ſua, vel etiam eius filius; item curator, vel eius filius cum adulta, ſi rationes nondum redditæ, & mulier non ſit facta major, nuptias contrahere nequeat. l. 66. & 67. §. 5. ff. h. t. l. 1. & 6. C. *de interdict. matrim.* ratio conſiſtit [1] in fraudis ſuſpicione, quoniam plerumque à tutoribus, vel curatoribus eiuſmodi nuptiæ appetuntur, ut fraus adminiſtrationis abſcondatur, & reſtitutio, quæ poſſet competere ex fraudulenta ge-
ſtione,

ſtione impediatur; [2] in præſumpta violentia, cum pupilla ob metum reuerentialem ei contradictura non cenſeatur. Purgatur tamen ſuſpicio, ſi pupilla vel adulta talibus nuptijs à patre, cum decederet, fuerit deſtinata. l. 36. ff. h. t. l. 6. C. *eod.* vel à Principe nuptiæ ſunt impetratæ. l. 7. C. *eod.* iure canonico hæc prohibitio non obſtat. *Gloſſ. in can.* 1. *in fin.* 30. *quæſt.* 3. Vnde hodie eiuſmodi conjunctiones in quibuſdam locis frequentantur.

TH. 18. Ob poteſtatem nuptiæ ſunt prohibitæ, ſi Præſes, vel poteſtatem habens cum provinciali velit matrimonio jungi; tales verò nuptiæ cenſentur minus liberæ propter poteſtatem. l. 63. ff. h. t. aliud obtinet, ſi ante officium fuerit ſponſa, tunc non præſumitur coacta. *l ſi quis*, 38. ff. h. t. Pòſt depoſitum officium ſi provincialis in eadem voluntate perſeveret, iuſtæ efficiuntur nuptiæ. l. 65. ff. h. t.

TH. 19. Ob ſtatum matrimonium prohibetur, [1] inter ſervos & homines liberos, [2] inter cives & peregrinos. *pr. Inſt. h. t. l. ult. ff. de gradib. & affinit.*

TH. 20. Quæritur, an ob diverſitatem religionis matrimonium prohibeatur? Reſp. diſting. inter diverſitatem religionis totalem & partialem; illa interueniente nuptiæ non ſubſiſtunt, ut inter Ethnicos, Paganos, Iudæos, Turcas, & Chriſtianos; ideo prohibentur nuptiæ inter Chriſtianos & Iudæos. l. 5. §. 1. C. *de ſponſal.* l. 16. C. *de Epiſc. audient.* l. 6. C. *de Iudæis*, *c. ſi quis*, *ult.* 28. *quæſt.* 1. *c. non oportet*, *c. cave.* 28. *q.* 1. item inter Chriſtianos & Turcas. Aſt ſi particularis fuerit religionis diverſitas, nuptias non impedit; quapropter inter Pontificios, Lutheranos & Calvinianos nuptiæ ſubſiſtere iure queunt. *c. decrevit. de hæretic. in* 6. 1. *Corinth.* 7.

TH. 21. Quæritur, an diſpenſatio in gradibus iure prohibitis ſit admittenda? Reſp. diſting. inter prohibitionem iure divino & iure humano & Eccleſiaſtico factam; contra prohibitionem iure divino factam diſpenſatio non conceditur, quia Dei legem nemo tollere, vel corrigere poteſt, niſi ſit major ipſo, at nullus eſt talis. Ergo contra hanc ſc. iure humano factã licita eſt diſpenſatio. *Carpz. L. 2. Iuriſp. conſiſt. t. 7.*

TH. 22. Hactenus de primis nuptijs diximus, operæpretium eſt, ut paululum & de ſecundis nuptijs diſſeramus. Secundas, tertias, vel quartas nuptias leges ſimpliciter non damnant, vel prohibent. *c. penult. & ult. Extr. de ſecund. nupt.* ſed tali in caſu, ſi vidua intra annum luctus ad ſecundas nuptias tranſeat, pœna eſt ſtatuta. l. 1. & 2. C. *de ſecund. nupt. Nov.* 22. *c.* 40. *Nov.* 39. *c.* 2. §. *fin.* ob prolis incertitudinem; quoties enim olim mulier ante partum intra annum luctus nubebat, [1] igno-

minia ei inurebatur, [2] quæſita à priori coniuge ei auferebantur. *l.* 1. *&* 2. C. *de ſecund. nupt.*

TH. 23. Quæritur, quid iuris, ſi mulier ad ſecunda vota tranſire velit, antequam de prioris mariti morte conſtet? Reſp. quod non poſſit, mors enim illius duobus teſtibus, aut atteſtatione Magiſtratus loci, ubi expiravit, vel ex libris parochialibus eſt probanda. *Dn. Carpz. l.* 2. *Iuriſpr. conſiſt. def.* 167.

TH. 24. Quæritur, an cœlibatus matrimonio ſimpliciter ſit præferendus? Reſp. neg. quia ille non eſt ſimpliciter bonus, cum ſocietatem honeſtam, à Deo ad conſervationem Eccleſiæ, Reip. & familiarum inſtitutam planè evertit; ſed ſaltem cœlibatus in ijs, quos Deus dono continentiæ donavit, eſt bonus, hi ſine diſtractione Deo adhærere poſſunt, & curare, quæ Dei, cum uxor ab his per negotia domeſtica ſæpius avocare ſoleat. 1. *Corinth.* 7 ob id tamen coniugium non eſt contemnendum, quod abſolutè & in ſe bonum, ob finem primarium, cuius gratia eſt inſtitutum; qui eſt procreatio ſobolis, non verò libido; quoniam libido & inordinatus appetitus matrimonio per accidens tantum ineſt.

TH. 25. Cauſa matrimonij efficiens eſt remota, vel proxima, illa eſt Deus conjugij author, qui non modo naturalem inclinationem, ſive propenſionem, qua mares & fœminæ in coniunctionem feruntur, omnibus animalibus (a) per naturam indidit. *pr. Inſt. de I. N. G. & C.* ſed etiam ſingulariter inter homines coniugalem ſtatum inſtituit, certiſque legibus determinavit. *Matth.* 9. 4. *Geneſ.* 2. 22. Hæc ſcilicet proxima eſt conſenſus contrahentium & eorũ, quorum ſunt in poteſtate.

(a) Quoad actus naturæ coniunctio maris & fœminæ hominibus cum brutis eſt communis, non verò quoad conſenſum conjugalem; eatenus enim nemini, niſi ratione prædito, & conſentire valenti, eſt communis.

TH. 26. Forma coniugij, conſenſu ſemel initi, atque benedictione ſacerdotali conſummati conſiſtit in vinculo matrimoniali, ſeu in illa indiſſolubili conjunctione, qua alter alteri ita jungitur, ut perpetuo inde teneatur ad fidem conjugalem, & cohabitationem.

TH. 27. Finis matrimonij eſt varius, (1) ut ſuſcipiantur liberi Reip. & generis humani propagandi cauſa. l. 220. ff. *de V. S. l ſi cum dotem*, 22. §. *ſi maritus*, *ff. ſolut. matrim.* ut in prima conjugij inſtitutione ordinatum eſt, creſcite & multiplicamini. *Geneſ.* 2. *Tob.* 8. (2) ut propagetur ad poſteritatem in Dei gloriam Eccleſia, (3) ut vitentur ſtupra & adulteria. 1. *Cor.* 7. (4) ut homo omnium ſtudiorum ac laborum ſibi habeat ſociam, quæ vitæ ærumnas leniat, atque laboranti opẽ præſtet; iuxta dictum. Non eſt bonum homini eſſe ſolum, faciamus ei ad-

jutorium, quod ſit coram eo, (5) ut ſit imago, & typus fœderis ſancti, perpetui, ſpiritualis inter Chriſtum & Eccleſiam. *Epheſ.* 5.

TH. 28. Effectus conjugij eſt, (1) quod inducatur perpetua vitæ conſuetudo, conſortium divini, (hoc eſt ſacrorum, quæ privata cuiuſque familiæ apud Romanos erant,) & humani iuris. l. 1. ff. h. t. (2) maritus efficitur rerum dotalium dominus, unde & fructus dotales lucratur. *l. dote. C. de rei vind. l. in rebus. C. de iur. dot.* (3) bona conſtante matrimonio quæſita regulariter ad maritum ſpectant. l. 51. ff. *de donat. inter vir. & uxor.* (3) licet uxor iure civili non ſit in poteſtate viri. l 1. 2. 3. ff. *de lib. exhib. l. 2. §. quod ſi l. quoties. ff. ſolut. matrim. l. eum qui. §. nupta. ff. de injur.* iure tamen conſuetudinario, canonico & divino in mariti eſt poteſtate, (4) maritus uxori alimenta ſubminiſtrare tenetur, item veſtes expenſas pro curanda valetudine. *arg. l. 31. pr & §. 1. ff. de donat. inter virum & uxor. Geneſ.* 3. 18. etiam defendere. l 2. ff. *de injur.* (5) uxor marito debet obſequium. l. 1. §. 7. C. *de rei uxor. act.* (6) uxor conſequitur nobilitatem & dignitatem viri. l. 13. C. *de dignit. l. fin. C. de nupt. l.* 10. *C. h. t. l.* 8. *ff. de Senator.* (7) participat mariti forum. l. 65. ff. *de iudic.* (8) mutantem domicilium ſequi obligatur. Eadem iura & privilegia competunt viduæ. l. 22. §. *vidua.* ff. *ad municipal.* (9) acquirit ſingulare dominium in donatione propter nuptias. *Auth. ſive. C. ad SCt. Vellej.* (10) gaudet univerſali hypotheca in omnibus mariti bonis. *l. ult. C. qui pot. in pign.*

TH. 29. Contraria matrimonio ſunt quam plurima, quæ matrimonium impediunt, ex quibus eminet diſſenſus; cum enim conſenſu nuptiæ contrahantur. l. 30. ff. *de R. I.* ſequitur ex contrariorum natura, nihil tam contrarium eſſe nuptijs, quam diſſenſum, & abſque conventione nuptias conſtitui & conſtare non poſſe. Hanc autem conventionem multa impediunt, ut diſſenſus apertus, metus, (hinc matrimonium metu initum eſt nullum. l. 13. C. *de ſponſal. c.* 14. 15. *&* 21. *Extr. de ſponſal.*) dolus, ebrietas, furor, error & violentia. Circa duo ultima notandum, quod cum matrimonio imprimis pugnent; matrimonium enim conſenſu conſtare debet, cuius duo ſunt principia, cognitio & appetitus; cognitioni officit error, appetitui violentia; quoniam actus voluntatis eſſe nequit ſine intellectus actu, voluntas enim nihil vult, niſi prius intelligat; Error tollit actum intellectus debitum, cum ponat perverſum iudicium, ex quo ſequitur conſenſus diverſus ab eo, qui ſecutus fuiſſet ex recta cognitione & iudicio. Error dividitur communiter in errorem perſonæ, (a) conditionis, (b) fortunæ, (c) & qualitatis. (d)

(a) Si error perſonæ interveniat, matrimonium redditur nullum, tam iure naturali, quàm iure poſitivo ob conſenſus defectum. Talis quoque error erat in matrimonio Iacobi cum Lea, quæ à patre eius Laban probo illi Patriarchæ ſupponebatur. *Geneſ.* 29. *& ſeqq.* conſenſerat enim in perſonam Rachelis; ideoque ad Leam retinendam, ſi iure ſuo uti voluiſſet, non potuiſſet compelli.

(b) Si error conditionis olim intervenerit, ut ſi quis liberam putans ancillam duxiſſet. *c.* 2. *de conjug. ſerv.* quia iure civili non poterat eſſe cum ſerva matrimonium.

(c) Si quis pauperem pro divitē duxerit, hic error matrimonium non vitiat, cum ſit circa qualitatem accidentalem, non verò ſubſtantialem; non enim ob dotem præcipuè contrahuntur matrimonia.

(d) [1] Si quis ignobilem pro nobili ducat, conjugium ſubſiſtit, quia eſt tantum error accidentalis. c. 1. 29. q. 1. nec pertinet ad matrimonij ſubſtantiam, aut cauſam finalem, ſed eſt ſaltem cauſa impulſiva, quia non ob nobilitatem præcipuè contrahuntur matrimonia, ideoque hæc abſque illis adminiculis rectè ſubſiſtunt. *l. fin. C. de donat. ant. nupt. Nov.* 51. *Nov.* 78. c. 2. ſibique imputet, qui cum ea, cuius conditionem exactius explorare debuit. l. 19. ff. *de R. I.* [2] ſi quis malè moratam pro bonis moribus prædita ducat, matrimonium valet, quia in qualitate matrimonij accidentali errant, non verò in ſubſtantiali. [3] ſi quis circa potentiam generandi erret, coniugium declaratur nullum, quia circa ſubſtantialia matrimonij, ſive qualitatem eſſentialem errat.

TH. 30. Quæritur, ſi quis compreſſam ab alio & vitiatam ducat, vel cum corrupta ſponſalia de præſenti contrahat, an promiſſis ſtare cogatur, ſi poſtea comperiat? Reſp. ſi ſufficienter & expreſsè demonſtrare poſſit, eam ab alio eſſe vitiatam, divortium eſſe concedendum, ſi nimirum conjugia eiuſmodi reconciliari nullo modo poſſint. *Deuter.* 22. quamvis ius canonicum adſerat contrarium. *c* 1. 29. *q.* 1. *c. quemadmodum. ff de iurejur.* rationem addens hanc, ne occulta delicta denudentur, & quieta conjugia diſtrahantur. l. 26. ff. *de adulter.* aſt ſi non ſufficienter à marito & ſponſo probari poſſit, diſtrahenda non ſunt matrimonia; quia ſæpiſſimè accidit, ut innocentibus perſonis à levibus, ſatiatiſque maritis periculum ficto eiuſmodi crimine intentetur.

TH. 30. Quæritur, an Polygamia iure naturali fuerit prohibita? Reſp. diſting. inter Polygamiam ſimultaneam & ſucceſſivam, hæc omni iure eſt licita. *c.* 7. *ad Rom. & ad Corinh.* 7. circa illam verò iterum diſtinguo, vel una mulier plures habet maritos, vel mariti plures habent uxores; prior naturali iure eſt illicita, ex ſe & ratione objecti, cauſa libidinis & proſtitutionis, quæ fini matrimonij omnino contrariantur. Poſterior non modo divino iure veteri. *Deut.* 21. 15. *Geneſ.* 16. 3.

27. 28. 2. *Sam.* 12. 8. verumetiam naturali iure permiſſa, & licita eſt, quia [1] primarium matrimonij finem magis promovet, nimirum procreationem ſobolis, [2] quia vir plures uxores æquali amore coniugali proſequi, & ſingulæ uxores virum, [3] quia vir pluribus uxoribus fœcundandis, liberiſque alendis ſufficere poteſt; officit ſaltem fini ſecundario, ſeu cohabitationi pacatæ & gubernationi domus; cum longè tranquillior & commodior ſit cohabitatio unius cum una, imo etiam perfectior ac intenſior amor conjugalis; undę etiam poſtea lege Evangelica eiuſmodi ſimultanea polygamia eſt prohibita. *Matth.* 19. 9.

TITVLVS III.

De jure dotium.

Iung. tit. 12. lib. 5. C.

TH. 1. NVPTIAS conſequuntur jura dotium, quæ ad ſuſtinenda matrimonij onera maritis dari ſolent, l. 7. ff. h. t. l. 20. ff. *famil. erciſc.* l. 20. C. *eod.* quamvis nuptiæ ſine dote ſubſiſtere legitimè queant, quia non ſunt de conjugij ſubſtantia, *Nov.* 74. c. 4. dos tamen abſque nuptijs eſſe nequit, l. 3. l. 39. 48. & 68. ff. h. t.

TH. 2. Dos (a) eſt pecunia nuptiarum cauſa data. Sive eſt ius univerſale (b) à marito (c) in rebus dotalibus, conſtante matrimonio, pro oneribus eiuſdem conſtitutum.

(a) Vox *dotis* accipitur [1] pro omni eo, quod à Deo, vel natura homini datur, taleſque ſunt dotes animi & corporis, [2] pro acceſſione, quo ſignificatu dotes prædiorum leguntur, l. 12. §. *ult.* l. 20. §. 1. l. 15. C. *ad L. Falcid.* [3] pro ipſa re dotali, ſive in dotem data, l. 41. ff. *ſolut. matrim.* quo ſenſu dos dicitur vindicari. l. *rebus* C. h t. item numerari. *t.* C. *de dot. caut. non numer.* [4] pro dotis promiſſione, titulo & cauſa transferendi dotem. §. *per traditionem* 41. *Inſt. de rer. diviſ.* l. 73. ff. h. t. *t. t.* ff. *pro dote.* [5] pro iure in re dotali conſtituto, l. 5. ff. *de impenſ. in rem dot. fact. t. t.* ff. & C. *de jur. dot.* In hoc tit. dos denotat ius dotis.

(b) Ita vocatur, quia dos eſt univerſitas, l. 1. §. 4. ff. *de dot. præleg.* non quidem iuris, neque corporum (ut grex) ſed mixta, ut peculium ex iure & corporibus compoſita, *arg.* l. 40. §. 1. ff. *de pecul.* ideo dos non ratione objecti, ſed effectus, & utilitatis dotis dicitur ius univerſale.

(c) Hinc maritus dotis eſt dominus, l. 9. §. 1. l. 71. ff. h. t. l. 23. C. *eod.* qui non modò ratione utilitatis, conſtante matrimonio eſt dominus verus,

quia [1] dominium rei dotalis verè acquiſivit, d. §. *per traditionem* 41. *Inſt. de R. D.* [2] habet ius poſſidendi, utendi fruendi, l. 7. *pr.* ff. h. t. [3] vindicandi, l. 30. C. h. t. l. 9. C. *de Rei vind.* [4] ſervum dotalem manumittendi, l. 3. C. h. t. & [5] ius aliquando alienandi. Contrà, mulier dicitur dotis domina per anticipationem, quatenus ſoluto matrimonio dos certo ad eam eſt reditura, ipſo iure ſine retrotraditione; atque ita ob ſpem illam certam habetur pro eo, ac ſi iam de præſenti rediiſſet, fictione iuris tranſlativâ.

TH. 3. Dos eſt duplex, profectitia & adventitia.

TH. 4. Dos profectitia eſt, quæ à mulieris patre, ut patre, (a) vel alio in linea paterna aſcendenti proficiſcitur, l. 5. §. 11. ff. h. t. l. 10. *pr.* ff. *ſolut. matrim.*

(a) Hoc eſt ex re pâtris, & non ex aliorum bonis proficiſcitur. dd. *ll.*

TH. 5. Dos adventitia eſt, quæ filiæ ab extraneo, vel matre, aut avo paterno data eſt, l. 5. *pr.* ff. l. 6. C. h. t. l. *un.* §. 13. C. *de rei uxor. act.* vel quæ filiæ à patre, ut non patre eſt data, cum filiæ deberet, & ex iſto debito dotem ei daret. l. 5. §. 10. ff. h. t.

TH. 6. Ad dotis dationem alii ſimpliciter obligantur, alii ſecundum quid, ex iure ſingulari & certis tantum caſibus.

TH. 7. Pater ex officio dotem dare, ſimpliciter tenetur; l. 34. ff. *de negot. geſt.* l. *fin.* C. *de dot. promiſſ.* quia omnes, qui liberos in poteſtate habent, immediatè ex lege ad dotis dationem obligantur, l. 19. ff. *de rit. nupt.* & quidem pro modo facultatum, & ratione dignitatis, l. 60. *&* 69. §. 4. ff. h. t.

TH. 8. Mater, (a) avus maternus, (b) frater (c) ad dotem filiæ dandam non ſimpliciter, ſed certis caſibus dotem dare tenentur; videlicet ſi pater, vel avus paternus inopia laborare cognoſcatur.

(a) l. 14. C. h. t. l. *fin.* C. *de dot. pomiſſ.*

(b) l. *Gaius Seius* 45. ff. *ſolut. matrimon.*

(c) Hic ita demum tenetur, ſi ſoror ſit inops & egena, nec aliter nubere poſſit, l. 12. §. 3. *in fin.* ff. *de adminiſt. tutor.*

TH. 9. Tutores pupillis, & curatores adultis dotem conſtituere debent, l. 9. C. *de adminiſt. tutor.* pro modo facultatum & dignitate mariti, l. 60. ff. h. t.

TH. 10. Quæritur, an dos promiſſa ſine certa quantitate peti poſſit? Reſp. diſting. vel dos à patre promiſſa eſt, vel ab uxore, aut extraneo, ſi ab illo incertitudo non obſtat, quo minus peti queat, & tunc dos conſueta intelligitur, l. 3. C. *de dot. promiſſ.* l. 69. §. 4. ff. h. t. quia pater etiam non promittens dotem, filiam dotare obligatur, d. l. 19. ff.

de rit. nupt. qui iuxta patrimonij vires dotem promiſiſſe cenſetur; ſi ab hac nim. muliere ſine certa quantitate promiſſa, propter incertitudinem peti nequit, l.2. C.h.t. ratio eſt, quod mulier ad dotem præcisè non teneatur, cum & indotata poſſit nubere. Idem obtinet in alio extraneo qui liberatur ſi minimum dederit, l.1. C. *de dot. promiſ.*

TH. 11. Quæritur, ſi pater promiſerit dotem pro filia, cui erant alia bona, quorum pater erat legitimus adminiſtrator, an de bonis filiæ, an de ſuo dotem dediſſe videatur? Reſp. de ſuo dotaſſe præſumitur ob paternum officium, l. *fin.* C. *de dot. promiſſ.* Excipe, niſi circumſtantiæ contrarium ſuadeant, ſi nimirum ſit inops, &c.

TH. 12. Quæritur, ſi dos ſine filiæ culpa perierit, an pater ad dotem filiæ iterato nubenti teneatur? Reſp. affirm. l. 22. § 1. ff. *ſolut. matrim.* & *auth. quod locum C. de collat.* quia pater tenetur ad dotem ex legis neceſſitate dotem non habenti.

TH. 13. Res quævis (a) in dotem dari poſſunt, modo ſint in commercio.

(a) Sive corporalis & vel mobilis, vel immobilis ut res ſoli, domus, lapidicinæ, l. 43. & 44. ff. h. t. ſive incorporalis, ut nomina, l. 2. C. *de action.* actiones, jus hereditarium, l. 13. §. 10 ff. *de petit hered.* uſusfructus, l.17. C. h.t. l. *un.* §.7. *verſ. exactio* C. *de rei uxor act.* l. *ult.* §.2. C. h.t. ſervitutes, iuriſdictiones, feuda, ubi ſocer genero commoditates, & fructus feudi in dotem concedit, quamdiu ſc. vivit. 2 *feud.* 9. c. 1.

TH. 14. In modo conſtituendi dotem accuratè diſtinguendum eſt [1] inter dotis promiſſionem, (a) [2] conſtitutionem (b) & [3] acquiſitionem. (c)

(a) Promittitur dos vel [1] ultima voluntate, ut teſtamento, codicillis, legato, donatione mortis cauſa, l. 20. l. 48. §. 1. l. 76. ff. h. t. l. 71. §. 7. ff. *de condit. & demon.* l. 4. ff. *ubi pupill. educ.* vel [2] inter vivos, ut pollicitatione, l. 6. C. *de dot. promiſſ.* pacto legitimo, d. l. 6. ſtipulatione, l. 20. & *ſeqq* ff. h. t. ubi notandum, ſi per pactum facta ſit dotis promiſſio, datur condictio ex lege, l.6. C. *de dot. promiſſ.* ſi verò per ſtipulationem actio ex ſtipulatu, l 63. ff. h t. Neutra tamen eſt b. fidei; quia actio ex ſtipulatu, quæ contra iuris regulas ibi dicitur b. fidei, tantum illa eſt, quæ pro dote repetenda datur, non verò quæ pro dote petenda.

(b) Conſtituitur traditione vera, l.46. ff. h. t. vel ficta (cautione l. 3. §. ſi iter ff. *de act. empt.* patientia, *arg.* l.3. ff. *de uſufr.*) aut æquipollenti, ut acceptilatione, l. 41. §. 1. l. 43. §. 1. ff. h. t. delegatione, d l. 41. §. 3. l. 40. ff. *ſolut. matr.* ceſſione, l. 2. C. *de O. & A.* debiti remiſſione. l. 58. §. 1. l. 59. l. 77. ff. h. t.

(c) Acquiritur à marito, acceptione, vel acceptatione & uſucapione pro dote. l. 40. ff. h. t.

TH. 15. Cæterum promiſſioni dotis ſemper ineſt hæc conditio, ſi nuptiæ fuerint ſecutæ; his enim non inſequentibus, datur contra petentem exceptio. l. 21. ff. h. t.

TH. 16. Maritus rerum æſtimatarum dotalium, & rerum conſumptibilium (a) irrevocabiliter, (b) rerum autem inæſtimatarum (c) reuocabiliter fit dominus.

(a) Quæ numero, pondere & menſura conſtant, l. 42. ff. h. t. harum rerum periculum ſubit maritus.

(b) Hic transfertur dominium, quaſi contracta emptione, ideo non res data, ſed eius æſtimatio reſtituitur. l. 10. *pr. &* 5. l. 16. 17. §. 1. l. 18. ff. h. t. l. *un.* §. 9. C. *de rei uxor. action.* l. 5. *&* 10. C. h. t.

(c) In his levem culpam præſtat maritus, l. 18. §. 1. l. 24. §. 5. ff. *ſolut. matrim.* excipe, niſi mulier ſit in mora, quo minus dotem reciperet, quo caſu dolum ſaltem præſtat. l. 9. ff. *ſolut. matrim.* caſus verò fortuitus rei dotalis non ad maritum, ſed ad uxorem ſpectat. l. 10. §. 1. ff. h. t. l. 18. §. 1. ff. *ſolut. matrim.*

TH. 17. Majoris perſpicuitatis gratia cauſas dotis ante implicitè explicatas breviter repetam. Cauſa efficiens dotis eſt conſenſus, quo conſtituitur. Materia ſunt omnes res in commercio exiſtentes, tam corporales, quam incorporales. Forma, conſtituitur dos vel ſtipulatione, vel ſolo pacto. Finis eſt, dos ideo datur, ut ſublevetur maritus in oneribus matrimonij perferendis, & apud illum coniugij cauſa maneat. l. 3. ff. h. t.

TH. 18. Effectus dotis eſt, [1] quod uxor habeat ius tacitæ hypothecæ, (a) quia habet omnia mariti bona obligata contra eius creditores, non tantum excipiendo, verum & agendo, ac vindicando res eius à tertio poſſeſſore, etiam ſtante matrimonio, ita tamen, ut eas alinare vivente marito nequeat, ſed fructus tantum in ſui, & mariti, & liberorum ſuſtentationem recipiat, l. 29. C. h. t. [2] quod maritus, poſt dotis conſtitutionem & traditionem, fructus percipiat, & lucretur, tam naturales, quam civiles, l. 10. §. 3. *&* 6. ff. h. t. l 5. *pr.* l. 20. C. *eod.*

(a) Cui privilegium prælationis eſt annexum, hæc beneficia ideo mulieribus conceduntur, quia Reip. intereſt, ut mulieres dotes ſuas ſalvas habeant, l. 2. ff. h. t. propter quas nubere poſſunt, & in l. 1. ff. *ſolut. matr.* publicè intereſſe, dotes mulieribus conſervari, cum dotatas eſſe mulieres ad ſobolem procreandam, replendamque liberis civitatem, maximè ſit neceſſarium.

TH. 19. Donatio propter nuptias fit in ſecuritatem ad inducendam inter coniuges æqualitatem; fiebat enim eadem quantitate, qua dos

dos data. *auth. æqualitas C. de pact. convent.* Hodie in Germania conſuetudine communiter receptum, æqualitatem dotis & donationis non eſſe neceſſariam, *Gail. 2. obſ.* 78. Donatione hac propter nuptias maritus compenſat dotem, *Nov.* 97. c. 1. Nota, rebus his ita propter nuptias donatis uti frui non poteſt uxor.

TH. 20. Donatio propter nuptias cum dote comparatur, ſicut dos ſoluto matrimonio revertitur ad uxorem, & ad repetendum datur actio, l. *un. §. illo procul. C. de rei uxor. act.* Ita etiam donatio propter nuptias ſoluto matrimonio ad maritum redit. c. *donatio §. ſane. de donat. inter vir. & uxor.* Excipe, niſi pactum, ſtatutum, aut mores obtineant de lucranda ab uxore huiuſmodi donatione.

TH. 21. Dotalitium (*Germanicè Leibgeding*) eſt pars bonorum mariti aſſignata ex conſuetudine, vel conventione mulieri, ut pro dote eam habeat obligatam, & poſt mortem mariti in ea uſumfr. habeat ad vitam. Excipe, niſi ſe per adulterium, aut injuſtam ſeparationem, aut turpitudinem vitæ, &c. poſt mortem mariti illa fecerit indignam. Hoc tam in bonis feudalibus, quam allodialibus conſtituitur. Beſold. in theſ. pract.

TITVLVS IV.

De pactis dotalibus.

Iung. tit. 14. lib. 5. C. *De pactis conventis tum ſuper dote.*

TH. 1. CONIVGES poſſunt paciſci, vel pacta dotalia ſuper dote & donatione propter nuptias conficere, ſi modo non repugnent legibus, bonis moribus, l. 5. *&* 6. ff. h. t. aut indotatas reddant mulieres ſuperſtites, l. 3. *&* 4. ff. h. t. vel in alterutrius detrimentum eiuſmodi pacta vergant.

TH. 2. Quoties igitur in neutrius præjudicium, contra leges, vel bonos mores talia pacta doti, vel donationi propter nuptias adjiciuntur, valent. Sic valet pactum, ut apud ſuperſtitem maneat dos, vel donatio propter nuptias tota, vel eius pars; quia hoc non eſt contra leges, nec mulier fit indotata, & demum poſt eius mortem pactum illud operatur. Æqualitas tamen in eiuſmodi pactis eſt ſervanda, ut dotis & donationis nuptialis, pares utrinque ſint conditiones. l. 9. C. *de pact. convent. auth. æqualitas. C. eod.*

TH. 3. Ad huiuſmodi pacta conficienda non opus eſt ſcriptura, modo 5. teſtes ijs adſint, l. *fin. in fin.* C. *de codicill.* l. *fin.* C. *de donat. mort. cau.*

TH. 4. Quæritur, an dotalibus pactis conventum poſſit poſtmodum alterutrius, aut utriuſque conjugum voluntate mutari, & ius quæſitum ex pacto alterutri auferri? Reſp. affirm. l. 15. ff. *de pact.* l *fin.* ff. h. t. exemplo ultimæ voluntatis, in quam incidit, *arg.* l. 19. C. *de pact. Carpz.* 2. c. 43. *def.* 10. *&* 11.

TH. 5. Quæritur, an donatio propter nuptias inſinuatione indigeat, ſi ſummam quingentis aureis majorem complectatur? Reſp. olim indiſtinctè erat inſinuanda, niſi collata fuiſſet in matremfam. minorem, l. 24. §. *alias vero* C. *de donat.* l. *fin.* §. *ſimili quoque* C. *de iure dot.* aſt in *Nov.* 119. c. 1. conſtitutum, ut indiſtinctè, quantacunque ſit, non indigeat inſinuatione, neque ex parte viri, neque ex parte mulieris. Poſtmodum in *Nov.* 127. c. 2. hoc iterum ſic correctum fuit, ut requiratur inſinuatio, ſed tantum à parte viri.

TH. 6. Conſuetudine hodie eſt introductum, ut pacta dotalia etiam de futura ſucceſſione fiant, quod iure civili non eſt permiſſum.

TITVLVS V.

De fundo dotali.

Iung. tit. 3. lib. 5. C. eod.

TH. 1. MARITVS rem dotalem immobilem inæſtimatam (a) per legem Iuliam invita uxore, vel abſque neceſſitate (b) alienare (c) prohibetur. l. 1. *pr.* ff. l. 2. C. h. t.

(a) Hinc prohibitio hæc ad res æſtimatas dotales non extenditur, l. 9. § 1. ff. h. t. quas maritus alienare iure poteſt, l. 42. ff. *de jur. dot.* niſi facultatibus ſit lapſus, l. 21. ff. *de manumiſſ.*

(b) Ob æs alienum uxoris, quod aliter, quam venditione prædiorum ſolvi non potuit.

(c) Alienationis vox tam latè patet, l. *fin.* C. *de reb. alien. non alien.* ut omnis actus prohibeatur, non modo transferendi dominij, l. 1. C. *eod.* ſed etiam diminuendi, ut ſervitutis impoſitio, vel eadem ademptio, l. 5. 6. 7. ff. h. t. uſucapionis patientia, &c. l. 28. ff. *de V. ſignif.*

TH. 2. Poſtea omnis rerum dotalium immobilium inæſtimatarum

alienatio eſt prohibita, ſive contradicat, ſive conſentiat alienationi mulier, quod ob ſexus muliebris fragilitatem, & imbecillitatem factum, ne illæ in perniciem ſubſtantiæ alienationem admittant, l. 2. C. h. t. l. *un.* §. *cum lex* C. *de rei uxor. act.* quia maritorum ſuaſionibus aut minis facillimo negotio ad id adigi poſſunt.

Th. 3. Iure Canonico valet alienatio à muliere facta, ſi eam juramento confirmaverit, c. 2. *iurej. in* 6. *arg.* l. 28. *de iurejur.*

Th. 4. Quæritur, an mulier bona extra dotem alienare poſſit? Reſp. diſting. inter bona paraphernalia & receptitia, illorum dominium, vel tranſlatum eſt ad maritum, vel non, l. 9. §. *fin.* ff. *de iur. dol.* paraphernalia prioris generis mulier alienare nequit, quia dominium in maritum tranſtulit; poſterioris verò generis ad alium rectè transfert cum mariti conſenſu & authoritate, utpote, qui horum eſt adminiſtrator, *arg.* l. *ult.* C. *de pact. convent. tam ſupr. dot.* quod receptitia concernit, alienari poſſunt, & in maritum & in alium. l. 6. C. *de revocand. donat.*

LIBER VIGESIMUS QUARTUS.

TITULUS PRIMUS.

De donationibus inter virum & uxorem.

Iung. tit. 16. lib. 5. C.

Th. 1. CONIUGES ſibi invicem conſtante matrimonio inter vivos regulariter donare (a) prohibentur, l. 1. & 3. ff. h. t. ratio eſt [1] quia honeſtus amor ſolis animis æſtimari debet; [2] ne concordia maritalis pretio concilietur, ſicut adulteria & ſtupra ut plurimum conciliari ſolent, [3] ne alter ditior, alter pauperior inde exiſtat, d. l. 3. [4] ne mutuo amore invicem ſpolientur, donationibus haud temperantes, ſed profuſâ erga ſe facilitate omnia prodi-

gentes ad incitas redigantur. l. 1. ff. h. t.

(a) Donationes hic intelligimus ſimplices, quæ inter coniuges liberalitatis exercendæ ergo fiunt. E. quæ libidinis ſolius cauſa fiunt, non ſunt interdictæ, ideoque meretrici & concubinæ factæ donationes valent.

TH. 2. Prohibitio hæc donationum extenditur etiam ad eos, qui coniuges contingunt ratione poteſtatis, l. 4. C. h. t. Hinc donatio prohibita eſt inter ſocrum & generum, ſocerum & nurum, item inter conſoceros, qui conjuges in poteſtate habent. l. 3. §. 1. l. 26. l. 32. §. 16. ff. h. t.

TH. 3. Contra; donatio mortis cauſa inter coniuges non eſt prohibita, ratio eſt, quia in ea ceſſat prohibitionis cauſa, cum talis donatio effectum ante mortem non ſortiatur, l. 9. *in fin.* & l. *ſeq.* ff. h. t. Excipe, niſi fiat irrevocabiliter, quam vetant leges, quia donationem inter vivos ſapit. l. *ubi* 27. ff. *de mort. cauſ. donat.*

TH. 4. Donationes inter coniuges ſunt licitæ, quæ neque donantem pauperiorem, neque accipientem locupletiorem reddunt, l. 7. §. 2. ff. h. t. qualis eſt [1] donatio reciproca, ſeu remuneratoria æqualis, quæ ita perficitur, ut eodem contextu, & veſtigio eodem alter ab altero, atque ita uterque confeſtim aliquid capiat. In his donationibus debet eſſe æqualitas & ratione temporis, & ratione rerum. Quod moribus hodie non obſervatur. *Gail.* 2. *obſ.* 78. [2] ſi uxori detur ad mundum, & veſtimenta quotidiana, quòd loco alimentorum contineantur, l. 6. *in fin.* ff. *de aliment. legat.* vel ſepulturam, undè neuter fit locupletior, cum locus ſepulturæ fiat religioſus, l. 5. §. 8. ff. h. t. vel ad eleemoſynam aut manumiſſionem, [3] aut ad perfruendas rei utilitates, ut ſi uxor marito donet, ad adipiſcendam dignitatem. l. 40. 41. & 42. ff. h. t.

TH. 5. Alij contractus non cenſentur prohibiti, quoniam ratio prohibitionis in ijs ceſſat, l. 7. §. 8. & 7. l. 36. §. *fin.* l. 58. *pr.* ff. h. t. Excipe, niſi fraus ſubſit, ubi donationis cauſa in talibus contractibus diminutio pretij fit, eatenus enim in prohibitionem hanc incideret, l. 32. §. 24. l. 52. *pr.* ff. h. t.

TH. 6. Donatio inter conjuges morte donantis (a) confirmatur, quia perſeverando in eadem voluntate donans videtur poſt mortem concedere, l. *cum hic ſtatus* 32. *pr.* & §. 1. 2. ff. h. t. l. 25. C. *eod.* c. *fin. Extr.* h. t. atque ita ceſſat ratio prohibitionis, nimirum ne conjuges mutuo amore ſe ſpolient, cum demum poſt mortem donatio firmitatem ſuam habeat, ſoluto jam matrimonio; & quidem hoc ex vi legis aut Scti:

cum aliàs, quæ ab initio nulla ſunt ex poſt facto non convaleſcant; hæc confirmatio retrahitur retro ad tempus, quo donatio primum confecta, d.l.25. C. h. t. ſic etiam donatio inter patrem & filium morte confirmatur.

(a) *Sive naturali, ſive civili, ut ſubſecuta deportatione.* l.13. §.1. h.t. l.24. C. *eod.* quia eſt morti ſimilis, quod ita extenditur in mulieris favorem ad excludendum fiſcum.

TITVLVS II.

De divortijs & repudijs.

Iung. tit. 17. lib. 5. C.

TH. I. QVOMODO matrimonia contrahantur, quæque circa illa accidant in ſuperioribus conſideravimus, nunc, qua ratione diſſolvantur, quæque diſſolutionem conſequantur, conſiderandum reſtat.

TH. 2. Vox repudij eſt generalior, quam divortij, quia complectitur & ſponſalium diſſolutionem. l.191. ff. *de V. S.* divortium verò propriè ſic dictum denotat tantum ſeparationem conjugum. d. l. 191. & l. 2. ff. h. t.

TH. 3. Matrimonium non temerè ab hominibus eſt diſſolvendum, quoniam ipſe Deus virum & uxorem vi primævæ inſtitutionis conjunxit. *Matth.* 9. 6. unde dicitur, quos Deus conjunxit homo non ſeparet *c. quos Deus,* 33. *q.* 2. quod regulariter verum. Aſt nonnunquam ſeparatio conjugum, & matrimonij diſſolutio ex graviſſima aliqua cauſa, & ſingulari ratione admittitur.

TH. 4. Matrimonium diſſolvitur propriè, vel impropriè.

TH. 5. Propriè diſſolvitur (1) morte, (2) divortio.

TH. 6. Olim pro arbitrio conjuges divortio ſeparari potuerunt. l.9. C. h. t. *Nov.* 22. *c.* 4. quòd inſanum arbitrium Iuſtinianus Imper. reſtrixit, ita ut non aliter niſi ex iuſta cauſa matrimonium diſſolvatur. *Nov.* 117. *c.* 10. ut ſunt adulterium, (2) inſidiæ, & inimicitiæ capitales, (3) ſævitia intolerabilis, (4) malitioſa deſertio, &c. l. 8. C. *de repud.* Iure divino duæ tantum ſunt cauſæ legitimæ, ob quas coniugium diſſolvitur, ut (1) adulterium, *Matth.* 5. *verſ.* 3. *Matth.* 19. *verſ* 9. & (2) malitioſa deſertio. 1. *Corinth.* 7. *verſ.* 15. 39. contra quod Ius ca-

nonicum pugnat, indiſtinctè ſeparationem conjugum quoad vinculum negans. *c. fin. Extr. de tranſact.* Nota. Hodie ob impotentiam tam mariti, quàm uxoris matrimonium quoque ſolvi poteſt, aut nullum declarari, ſi videlicet talis defectus ante matrimonium, altera parte ignara, iam adfuerit, non verò ſi poſtea ſupervenerit. *Dn. Carpz. Iuriſpr. conſiſtor. l. 2. tit.* 11. *def.* 202.

TH. 7. Impropriè diſſolvitur coniugium quoad thorum & menſam; quod fit (1) ob ſævitiam intolerabilem, (2) inimicitias capitales, (3) inſidias, (4) ſodomiam, (5) morbum contagioſum, & ſonticum, &c. eiuſmodi ſeparationi ſemper adhæret ſpes reconciliationis.

TH. 8. Iuxta Proteſtantium mentem, ſacris literis etiam convenientem. *Matth.* 19. 1. *Corinth.* 7. licet parti innocenti poſt matrimonij diſſolutionem, ob adulterium, & malitioſam deſertionem ad ſecunda vota tranſire, ſi nimirum ſe continere nequeat. l. 8. C. *de repud.* l. 7. *cum auth.* C. *eod.* ad vitandam ſcortationem, vel pejora mala.

TH. 9. Quæritur, apud quem, divortio facto, liberi morari & educari debeant? Reſp. diſting. vel divortium fit patris, vel matris culpa, ſi illius, apud matrem ſumptibus patris educari debent; ſin huius, ſumptibus patris apud eum educari licet. *l. un.* C. *de divort. fact. ap. quem lib. mor. Nov.* 117.

TITVLVS III.

Soluto matrimonio dos quemadmodum petitur.

Iung. tit. 18. lib. 5. C. eod.

TH. 1. SOLVTO matrimonio dos repeti (a) poteſt.

(a) Quod regulariter fit. *rubr.* ff. h. t. l. 240. ff. *de V. S.* Excipe (1) niſi aliud pactum fuerit de dote tota, vel parte lucranda, eiuſmodi pacta dotalia hodie plerumque fiunt. l. 12. ff. *de pact. dotal.* pactis his deficientibus videndum, an ſtatutis locorum, de dote quid diſponatur: ubi verò & hoc abeſt, res juxta jus commune novum eſt decidenda; ubi conſideratur, an ipſa uxor dotem conſtituerit, an alius, ſi illa, dos ad mulierem redit, heredibus mariti planè excluſis. l. 11. C. h. t. ita quidem, ut pro rebus extantibus habeat rei vindicationem, utilem quoque pro rebus æſtimatis. l. 30. C. *de iure dot.* Pro conſumptis verò datur actio ex ſtipulatu dotis. *l. un. C. de rei uxor. act.* ſi alius quam uxor dederit, dos vel profectitia eſt, vel adventitia, & diſtinguendum, an ſolutio matrimonij contigerit per maritum, an

verò per uxorem, alterius morte, vel divortio interveniente. Si per maritum profectitiam dotem, vel pater, vel filia nupta repetunt, mortuo autem patre, aut emancipatâ filiâ, illa ſola. l. 7. C. h. t. l. 71. ff. *de evictio*n. aut eius heredes. *l. un.* §. *6. & 14.* C. *de rei uxor act.* mortua filia in patria poteſtate adhuc exiſtente, ſolus pater. l. 4. C. h. t. dotem adventitiam repetit extraneus, ſi de ea reddenda expreſsè convenit; ſin ſecus, uxor emancipata ſola eam repetit, nondum emancipata, patre conſentiente. Sin per uxorem ſolutum eſt matrimonium, diſtinguendum eſt, an morte eius, aut divortio diſſolutio ſit facta, (1) inter dotem profectitiam & adventitiam. Si morte ſolutum ſit coniugium, profectitiam dotem repetendi ius penes patrem eſt. *d. l. un.* §. 2. *6. &* 13. C. *de rei uxor. act.* neque intereſt, utrum in poteſtate exiſtat filia, an non. l. 4. C. h. t. quod fit ſolatij loco, ne & filiæ amiſſæ, & pecuniæ damnum ſentiat. l. 6. *fin. de iure dot.* l. 26. §. 2. ff. *de pact. dotal.* Si matrimonium per uxoris culpam divortio ſit ſolutum, filia ſi adhuc in poteſtate fuit, & pater, ſi vivat, dotem repetit. *Nov.* 22. *c.* 19. vel fuit emancipata, aut pater defunctus, tunc dotem lucratur maritus. l. 71. *de evictio*n. *l. un.* §. 11. C. *de rei uxor. act. l. fin.* ff. l. 24. C. h. t. Adventitiam dotem recipit, qui dedit, modo de reddenda caverit. d. l. *un.* §. 13. C. l. 38. h. t. Si matrimoniũ ſolvatur per divortium, maritus ſibi retinet, ſi liberi non adfuerint. d. l. 4. C. h. t. *Nov.* 117. c. 3. Excipe, (1) niſi filia ob delictum dotem amiſerit, ut adulterium, &c. l. 38. *&* 47. ff. h. t. vel (3) res dotales ſine mariti culpa perierint. l. 26. *&* 49. ff. h. t. vel (4) ſi maritus ſolvendo non fuerit. l. 12. ff. h. t. vel (5) ſi dote reddita egeſtatem ſit paſſurus; maritus enim non cogitur ſolidum tali in caſu ſolvere, cum beneficium competentiæ habeat, ne egeat. *l. un.* §. 7. *C. de rei uxor. act.* vel (6) ex communi Doctorum ſententia, ſi filia ſuperſtites liberos reliquerit.

TH. 2. Quamvis dominium rei dotalis ipſo iure ad mulierem ſoluto matrimonio revertatur, non tamen poſſeſſio, quæ facti eſt, transfertur. l. 23. ff. *de acquir. poſſeſſ.* eaque iure & legibus eſt repetenda, non violenter auferenda.

TH. 3. Dos actione ex ſtipulatu, (a) vel vindicatione, vel hypothecaria repeti poteſt.

(a) Iuſtiniano iniquum viſum eſt, dotem, ut proprium fœminarum patrimonium abſque cauſa, ſoluto quippe matrimonio, apud maritum remanere; ideo voluit ſemper intelligi, ac fingi ſtipulationem de reddenda dote interveniſſe, atque ita heredibus, (non etiam extraneis, in quibus tacitæ ſtipulationis fictio ceſſat. *l. un.* § *accedit*, *C. de rei uxor. act.*) hanc actionem dari. *d l. un. pr.*

TH. 4. Actio illa datur, vel mulieri ſoli, (a) vel mulieri cum patre, (b) vel patri ſoli. (c) quod ex Theſi 1. *lit. a*, latius patet, & hic tantum breviter, ob maiorem declarationem diſtinctius repetitur.

(a) Si eſt emancipata, vel mortuo patre. d. l. 71. ff. *de evict.* l. 5. ff. *de divort.* dotem adventitiam repetit,

(b) Quando filia adhuc in patris poteſtate exiſtit. l. 2. 3. 22. §. 3. ff. h. t. l. 7. C. h. t.

(c) Mortua verò filia in poteſtate patris adhuc exiſtente ſolus pater habet actionem, hanc ad dotem repetendam. l. 4. C. h. t. etiamſi defuncta filia relinquat liberos, quod fit in parentis ſolatium, ne & dote, quam dedit, & filia privetur. l. 6. ff. *de iur. dot.* Moribus per totam Germaniam contrarium eſt receptum; quia æquius eſt, mortuâ filiâ, liberis, quam parenti dotem accedere.

TH. 5. Actio illa ex ſtipulatu datur contra maritum, (a) eiuſve heredes. (b)

(a) Illi competit beneficium competentiæ, in id quod facere poteſt ne egeat. l. 22. §. 12. ff. h. t. *l. un.* §. 7. *C. de rei uxor. act. Gail.* 2. *obſ.* 38. *&* 84. quia contra reverentiam conjugalem eſt, virum à muliere arctari, ut ne quidem alimenta ſalva habeat, ceſſat autem hoc competentiæ privilegium, ſi mulier repetens dotem ſit quoque inops; quo caſu in pari inopiæ cauſa, mulieris cauſa debet eſſe potior. l. 6. C. *de ſervitut.* l. 41. ff. *de R. I.*

(b) Hi non habent beneficium competentiæ, quia eſt perſonale, perſonam non egrediens. l. 9. C. h. t. l. 24. §. 1. l. 25. ff. *de re indicat.*

TH. 5. Actio datur ad id, ut dos reſtituatur, ſi numerata & tradita ſit, (a) fructibus, (b) pro proportione anni, (c) quo divortium eſt factum. l. 2. 7.

(a) Probare enim debet mulier dotem revera numeratam & illatam. l. 1. C. *de dot. caut. non numer.*

(b) Fructus percepti poſt ſolutum matrimonium uxori ſunt reſtituendi quod intelligendum ratione rerum immobilium, & inæſtimatarum, quia maritus quoad eas continuò in mora ponitur, quarum debet dolum, latam & levem culpam præſtare. l. 18. l. 24 §. 5. l. 25. ff. h. t. non verò quoad res mobiles æſtimatas, quas tanquam emptas habet, ideo earum fructus percipit, & periculum ſuſtinet maritus; pro his pretium reſtituit, nec neceſſariò in ſpecie ſunt reſtituendæ, ſi tamen extent, eas vindicare licet. l. 30. C. h. t.

(c) Hoc in caſu fructus ultimi anni pro rata ſunt dividendi, detractis impenſis. l. 7. §. 1. l. 8. § *impendia,* ff. h. t. e. g. ſi fructus anni ſint centum, & matrimonium ſteterit quarta anni parte, fructuum pars quarta ſcilicet 25. cedent marito.

TH. 6. In dote reſtituenda eſt diſtinguendum inter res mobiles, (a) & immobiles. (b)

(a) Illas poſt annum reſtituere debet. *d. l. un.* §. *cum autem,* 7. *C. de rei uxor. act.*

(b) Has

(b) Has ſtatim reſtituere tenetur. *d. l. un.* §. 7. niſi de alio tempore inter contrahentes conventum. l. 14. 15. 16. ff. *de pact. dot.*

TH. 7. Olim diſtinctio erat inter actionem ex ſtipulatu pro dote, & rei uxoriæ actionem; illa marito dabatur ſaltem pro petenda dote promiſſa; hæc verò mulieri tantum pro dote repetenda. Sed ſublata planè rei uxoriæ actione, voluit Iuſtinianus in *l. un. C. de rei uxor. act.* actionem ex ſtipulatu dari, tam marito ad petendam dotem, quam mulieri ad repetendam, & huic tria præcipuè privilegia aſſignavit, ſcilicet [1] quod debeat eſſe bonæ fidei, quatenus pro dote repetenda competit. §. 29. *Inſt. de action.* contra ſtricti juris eſt actio ex ſtipulatu pro dote petenda, marito competens, [2] fingatur interveniſſe ſtipulatio, licet non intervenerit, [3] mulier habeat ius tacitæ hypothecæ.

TH. 8. Vindicatio dotis uxori contra maritum ad dotem (a) reſtituendam competit.

(a) Sive æſtimata ſit, ſive inæſtimata, modo extet. *l.* 30. *C. de iure dot.*

TH. 9. Actio hypothecaria dotis uxori adverſus maritum, vel quoſlibet rerum dotalium poſſeſſores competit. d. l. 30. C.

TH. 10. Sicut mulier, ſoluto matrimonio, dotem repetit; ita etiam maritus res propter nuptias donatas ſoluto matrimonio retinet. *l. un.* §. 6. C. *de rei uxor. act.* niſi [1] pactis dotalibus aliter diſpoſitum, aut [2] culpa mariti matrimonium ſolutum. l. 8. §. 4. C. *de repud.*

TH. 11. Vt mulier amittit dotem ob adulterium, ita viciſſim vir donationem propter nuptias ex ratione correlativorum, ne huic delictum ſuum ſit impunitum. l. 38. l. 47. ff. h. t. l. *fin.* C. *de repud.*

TH. 12. Dotem conſtante matrimonio regulariter repetere nequit uxor, nec rectè ſolvitur, niſi iuſta cauſa ſubſit, e. g. ſi forſan maritus facultatibus labi incipiat. l. 29. & 30. C. *de jur. dot.* quia dotis reſtitutio ante matrimonij diſſolutionem facta incideret in donationem, inter conjuges prohibitam. *l. un. C. ſi conſtant. matr. dos fuerit ſolu.*

LIBER VIGESIMVS QVINTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De impenſis in res dotales factis.

TH. I. DOTIS repetitioni olim exceptiones impenſarum, & rerum amotarum objici poterant, quod hodie correctum, ita, ut ſi ex voluntate uxoris quicquam impenſum, contra eam competat actio mandati, ubi verò maritus utiliter rem geſſit, actio negotiorum geſtorum.

TH. 2. Impenſæ ſunt triplices, [1] neceſſariæ, [2] utiles, [3] voluptuariæ.

TH. 3. Impenſæ neceſſariæ ſunt, quæ in ſe habent neceſſitatem impendendi, ita ut ſi factæ non ſint, dos, aut peritura, aut deterior futura, quam antea fuit. l. 1. §. 1. l. 14. ff. h. t. l. 79. *pr.* ff. *de V. S.* Vt ſunt refectiones, inſtaurationeſque rerum, &c. Hæ impenſæ ipſo iure dotem minuere dicuntur, adeo ut dote integra ſoluta, condictio indebiti concedatur. l. 5. *pr.* & § *fin.* ff. h. t. vel actio mandati, aut negotiorum geſtorum.

TH. 4. Vtiles impenſæ ſunt, quæ dotem meliorem faciunt; hæ ſi factæ non eſſent, dos quidem deterior non fieret, factis autem fructuoſior eſt effecta. e.g. ſi tabernam ædibus adjecerit. d. l. 79. ff. *de V. S.* l. 5. § *ult.* l. 10. ff. h. t. l. *ult. pr.* ff. *de fund. dot.* l. 39. *pr.* ff. *de petit. hered.* propter has impenſas olim deductio (a) fieri poterat, hodie ea non conceditur, ſed datur [1] actio mandati, ſi eas voluntate mulieris fecerit, vel [2] actio negotiorum geſtorum, ſi eas fecerit, voluntate mulieris non interveniente. l. *un.* §. 5. C. *de rei uxor. act.*

(a) Impenſas deducere, eſt dotem, ſive rem, in quam impenſum, iure exceptionis doli, mali, tamdiu retinere, donec impenſarum æſtimatio præſtetur. l. 5. *ff. de dot. prælegat.* l. 38. *ff. de petit. hered.*

TH. 5. Voluptuariæ impenſæ ſunt, quæ ad voluptatem fiunt, & ſpeciem tantum exornant, fructum autem non augent; ſive quibus omiſſis dos non fieret deterior, neque factis fructuoſior. d. l. 79. l. 7. *pr.* l. 14. §. 2. ff. h. t. l. 3. §. 4. ff. *de in rem verſ.* cuiuſmodi ſunt viridaria, aquæ ſalientes in hortis, balnea non neceſſaria, pro his impenſis nulla marito datur actio, etiamſi mulieris voluntate ſint factæ. l. 11. *pr.* ff. h. t. l. 12. §. 11. ff. *mandat.*

TH. 6. Neceſſarias impenſas, tam malæ fidei, quàm bonæ fidei poſſeſſori deducere licet. d. l. 38. ff. *de petit. hered.* aſt non indiſtincte, ille enim ita demum eas deducere poteſt, ſi res, ſive dos, in quam impenſum, adhuc extet. Excipe furem, raptorem, invaſorem violentum. l. 1. C. *de infant. expoſ.* quales non modo malæ fidei poſſeſſores, ſed & in delicto, & perpetua mora ſunt. l. 67. §. 2. ff. *de furt.* l. 13. ff. *de condict. indebit.* Hic verò (bonæ fidei poſſeſſor) indifferenter eas deducit, ſive extat, ſive non.

TH. 7. Impenſas utiles, licet res non extet, bonæ fidei tamen poſſeſſor deducit. d. l. 38. Excipe, niſi petitor ſit pauper, tunc enim illas ſaltem tollit. l. 28. ff. *de pignor. action.* l. 5. C. h. t.

TH. 8. Impenſas utiles, ſi res extet melior, eamque poſſideat malæ fidei poſſeſſor, in petitione hereditatis deducere. d. l. 38. in rei vindicatione tantum tollere (a) poteſt. l. 5. ff. *de rei vindic.*

(a) Tollere non tribuit ius retinendi, aut recuperandi id, quod impenſum, *h. e.* æſtimationem, ſed tantum ius auferendi illud, quod impenſum, ſi modo abſque rei læſione fieri queat.

TH. 19. Impenſas voluptuarias bonæ fidei poſſeſſor ſervat per circuitionem aliquam, objecta doli mali exceptione, ſi & dominus tales facturus fuiſſet. l. 39. §. 1. ff. *de petit. hered.* aut poſſeſſor rem venalem habens, plus ex pretio eius conſecuturus ſit propter artificium. l. 9. ff. h. t. Extra hos caſus & bonæ fidei poſſeſſor eas ſaltem tollit. d. l. 9.

TH. 10. Impenſas voluptuarias malæ fidei poſſeſſor indiſtinctè tollit, modo ſine rei diſpendio tolli poſſint. l. 9. *in fin.* ff. h. t. l. *un.* §. 5. C. *de rei uxor. act.* Si enim hoc fieri nequeat, eas perdit. l. 39. §. 2. ff. *de petit. hered.*

TH. 11. Si mulier marito non velit permittere, ut tollat, ſed ſibi habere ea, quæ ita ſunt impenſa, velit, debet marito æſtimationem ſolvere, aliàs per exceptionem doli mali à marito removeri poteſt. d. l. 9. h. t.

TITVLVS II.

De actione rerum amotarum.

Iung. tit. 21. lib. 5. C.

TH. 1. OLIM ſoluto matrimonio, rerum amotarum exceptio competebat, quam ius noviſſimum ſuſtulit. l. *un*. §. 5. C. *de rei uxor. act.* Ideo datur hodie actio rerum amotarum, (a) quæ tam marito, quàm uxori competit.

(a) Res amotæ dicuntur, quas conjux conjugi celavit, abſcondidit, conſumpſit dolo malo. l. 3. §. *pen*. l. 17. §. 2. & 3. ff. h. t. hoc eſt cogitatione divortij, quod poſtea ſecutum eſt, inverſæ. l. 25. ff. h. t.

TH. 2. Actio rerum amotarum eſt actio in perſonam (a) debitum ex rei amotione, conſtante matrimonio, divortij cauſa facta, (b) perſequens.

(a) Quia eſt ex delicto, revera enim furtum committitur, etſi lenius coërceatur. l. 21. §. *fin*. h. t. *arg*. l. 26. ff. h. t.

(b) Huic actioni non eſt locus, niſi [1] res ante matrimonij diſſolutionem ab uxore amoveantur, [2] divortij conſilio, & divortium eſt ſecutum. Si verò ſoluto matrimonio res ſint amotæ, datur condictio furtiva, non actio furti, ob matrimonij reverentiam & honorem. l. 2. ff. h. t. l. 5. ff. *expilat. hered.* unde patet hanc actionem non eſſe famoſam. l. 2. ff. l. 2. C. *eod.*

TH. 3. Actio illa ſoluto matrimonio competit conjugi, eiuſque heredibus. l. 6. §. *fin*. ff. h. t. contra conjugem eum, (a) qui conſtante matrimonio divortij cauſa aliquid amovit. l. 25. ff. h. t. hic allegari, & probari debet, res dolo malo amotas eſſe.

(a) Non datur contra eius heredes, niſi quatenus ad eos pervenit. l. *fin*. C. h. t. Nota. Hic probè diſtinguendum inter actiones rei perſecutorias ex contractu, & ex delicto, illæ contra heredes in ſolidum dantur. l 12. *in fin*. ff. *de obl. & act.* hæ verò, ad quas & hæc condictio refertur, non item. l. 26. ff. h. t. ſed quatenus ad eos pervenit.

TH. 4. Actio hæc datur ad id, vt res amota reſtituatur, ſi extet. l. 26. ff. h. t. vel æſtimata cum intereſſe. l. 21. §. 4. ff. h. t. ſi videlicet res amota non extet, quamvis caſu interierit. l. 17. §. 2. ff. h. t. interdum quoque æſtimatio, quanti in litem iuravit actor, eſt præſtanda. l. 8. §. 1. ff. h. t.

TH. 5. Ex hac actione condemnatus reus non gaudet beneficio competentiæ, ſed in ſolidum convenitur, quia ex delicto oritur, quod excuſationem non habet. l. 21. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 6. Hodie non uſque adeo frequens huius actionis eſt uſus, ut olim, cum pro arbitrio quis etiam, alterâ parte invitâ, à conjuge per divortium ſeparari potuit, l. 9. C. *de repudi. Nov.* 22. c. 4. Hodiè enim non ob divortium quodcunque matrimonium ſolvitur, ſed ob adulterium & malitioſam deſertionem, (quod Pontificij negant, nullam coniugij quoad vinculum diſſolutionem concedentes) quorum nomine actio rerum amotarum competit.

TITVLVS III.

De agnoſcendis & alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis.

Iung. tit. 25. lib. 5. C.

TH. I. DE matrimonij perfectione, & diſſolutione, quæque circa illam accidunt, pro inſtituti noſtri ratione diſſeruimus, transeamus nunc ad liberos legitimos, qui coniugij habentur fructus.

TH. 2. Liberi conſiderantur, vel ut nati, vel adhuc in utero exiſtentes, de natis agitur, ut agnoſcantur & alantur; de non natis, ut in poſſeſſionem miſſi nutriantur.

TH. 3 De natis liberis agnoſcendis duplex hoc tit. proponitur Senatusconſultum, primum SCtum Plautianum, (a) alterum SCtum temporibus D. Adriani factum. (b)

(a) Illud duas partes in ſe complectitur; in prima cavetur, mulierem debere, facto divortio intra 30. dies continuos denunciare marito, ſe eſſe ex eo prægnantem, maritum autem cuſtodes ad ventrem ſervandum mittere, aut renunciare, quod ex ſe non ſit prægnans, alioquin partum agnoſcere & alere cogitur, l. 1. ff. h. t. in ſecunda parte agitur de illis, quæ falſum partum ſubjiciunt, hæ mulieres tenentur pœna falſi. l. 19. §. 1. l. 30. ff. *ad L. Cornel. de falſ.*

(b) Hoc SCtum pertinet ad partum, qui conſtante matrimonio editur, ut is agnoſcatur. l. 3. §. 1. ff. h. t.

TH. 4. Pater (a) ad alimenta (b) pro modo facultatum ſtatim (c) tenetur.

(a) Pater intelligitur, quem nuptiæ demonſtrant, l. 5. ff. *de in ius vocand.* l. 6. ff. *de his qui ſunt ſui vel alien.* Hic ſi mortuus ſit, aut egenus, tunc mater, avuſque maternus ob neceſſitatem liberos alere tenentur. l. 5. *pr.* & §. 1. 2. 4. l. *pen.* ff. h. t.

(b) Alimentorum nomine cibaria, veſtitus & habitatio comprehenduntur, l. 6. & 7. ff. *de aliment. & cib. legat.*

(c) Quamprimum natus eſt infans, l. 4. & l. 5. §. 1. 7. 10. ff. h. t. quia poteſt fieri, matrem lac nullum, vel noxium habere, vel morbo corruptum, ut ita nutricem adhibere cogatur certo ſumptu, quem pater, non mater ſolvere tenetur.

TH. 5. Si pater liberos non alat, actione præjudiciali (a) conveniri poteſt. §. 13. *Inſtit. de action.*

(a) Quæ eſt ex jure perſonarum, diciturque præjudicium, l. 1. §. 12. ff. h. t. quia agitur de præjudicio, quod toti negotio remoram facit, *arg.* l. 5. §. 10. ff. h. t. uti hic partus ali prius non debet, quam ſummariè demonſtretur, ipſum eſſe parentem, quod ex nuptijs ob præſumptionem demonſtrari poteſt, l. 5. ff. *de in jus voc.* l. 5. §. 8. ff. h. t. l. 10. ff. *de his, qui ſunt ſui vel alien. jur.* vel filium eſſe in qſ. poſſeſſione filiationis. l. *fin. C. de ord. cognit.*

TH. 6. Actio hæc præjudicialis datur uxori contra maritum, partum, ut ſuum agnoſcere recuſantem; præſumptio iuris & favor matrimonij contra maritum militat, cum is pater præſumatur, quem nuptiæ demonſtrant. Interim ſi maritus oſtendere poſſit, partum non ex ſe, ſed ex alio à muliere conceptum, tunc alere non tenetur, quod difficillimæ eſt probationis. Probatur autem filium non eſſe, [1] ſi maritus diu abfuit, aut [2] non concubuit cum uxore, interveniente infirmitate, vel alia cauſa.

TH. 7. Actione ea peti poteſt, ut partus declaretur ex eo natus, & ut ab eodem alatur, l. 1. & ff. h. t. & ſi hoc detrectet & nolit, pignoribus captis, aut alio modo per officium iudicis ad id aſtringi poteſt, l. 5. § *ſi vel parentes* ff. h. t. quia necare videtur, qui non alit, cum alere debet, l. 4. ff. h. t. c. *paſce* 86. *diſtinct.* Excipe [1] niſi is alimenta petat, qui ſuis operis, ac induſtria adhibitâ, alimentis ſibi proſpicere poteſt, d. l. 5. §. 21. pigris enim & negligentibus iura non ſubveniunt, l. *pupillus* 24. ff. *quæ in fraud. cred.* l. 16. ff. *ex quib. cauſ. major.* [2] niſi iuſta exheredationis cauſa extet, cui enim exheredandi facultas eſt libera, ei multo magis alimenta denegandi ius conceditur. d. l. 5. §. *ſi vel parens*. ff. h. t.

TH. 8. Vulgò quæſitos liberos alere obligatur mater, & illi matrem. l. 5. §. 2. ff. h. t. Moribus receptum, quod liberos per concubitum ex fœmina, meretriciam vitam non profitente procreatos alere

teneatur ſtuprator. *Richter deciſ.* 88.

TH. 9. Inceſtuoſis & adulterinis parentes alimenta ſubminiſtrare vetantur, quod in eorum pœnam legibus eſt conſtitutum; his namque perquam durum, imo intolerabile, egentibus & fame pereuntibus liberis ſubvenire non audere, *auth. ex complexu* C. *de inceſt. nupt. Nov.* 89. c. *ult.* Hoc ut iniquum, Ius Pontificium, æquitatem reſpiciens tollit, liberoſque ex damnato & nefario coïtu natos alij iubet. c. 5. *in fin. Extr. de eo, qui dux. in matrim.*

TH. 10. Sicuti liberi à parentibus alendi ſunt, ita ratio pietatis, charitas ſanguinis, & ipſa æquitas exigit, ut vice verſa liberi ſuos alant parentes, & alios aſcendentes, ſi facultatibus lapſi egere incipiant, l. 5. *pr.* & §. 2. & 17. ff. h. t. l. 1. & 2. C. *cod.* Idem affirmatur de libertis, qui patronos alere coguntur, ob ſimilitudinem parentum. d. l. 5. §. 16. 17. & 18. ff. h. t.

TITVLVS IV.

De ventre inſpiciendo, cuſtodiendoque partu.

TH. 1. QVA ratione Prætor ſuccurrat liberis iam natis in titulo præcedenti audivimus. Cæterum, de liberis adhuc in utero exiſtentibus tractat hic titulus cum duobus ſequentibus.

TH 2. De liberis naſcituris duplex quæſtio occurrit, [1] an mulier ſit gravida, quod probatur inſpectione ventris, à tribus obſtetricibus probatæ artis & fidei facta, ſi hæ omnes, vel duæ tantum renunciaverint, eam eſſe prægnantem: quod fit eum in finem, ut partus cuſtodiatur & agnoſcatur, nec falſus ſubjiciatur, [2] an mulier ventris nomine in poſſeſſionem ſit mittenda, quod affirmatur, ſi ex obſtetricum inſpectione & renunciatione conſtiterit, mulierem eſſe prægnantem, l. 1. §. 10. ff. h. t. t. ff. *de vent in poſſeſſ. mittend.* hæc miſſio in favorem partus conceditur.

TH. 3. Inſpectio ventris (a) olim Romanis ob divortiorum frequentiam valde erat neceſſaria, & quidem tribus in caſibus, [1] ſi mulier facto divortio neget, ſe ex eo eſſe prægnantem, l. 1. ff. h. t. [2] ſi mumulier facto divortio denunciet marito, ſe ex eo eſſe prægnantem, l. 1. § 12. ff *de agnoſc. & alend. lib.* quod nõnunquam propter divortij odium per injuriam ab illis fiebat; idcirco ad veritatem expiſcandam obſtetrices ad inſpiciendum, & tangendum ventrem, muliere etiam invita,

mittebantur, [3] ſi mulier, mortuo marito, ſe ex eo prægnantem aſſerat. l. 1. §. 1. ff. *de agnoſc. & alē. lib.*

(a) Venter hic non phyſicè, ſed iuridicè intelligitur pro muliere prægnante, unde ventrem in poſſeſſionem mittere, eſt mulierem, quæ heredem ſe dicit, parituram immittere. l. 6. ff. h. t. l. 1. ff. *de ventr. in poſſeſſ. mit.*

Th. 4. Mulier ante dies 30. quam parituram ſe putat, denunciet his, quorum intereſt, partum non eſſe, vel eorum procuratoribus, ut mittant, ſi velint, qui ventrem cuſtodiant, quibus præſentibus pariat, quique partum inſpiciant, ac provideant, ne partus alienus ſubjiciatur. Ob id in quo conclavi mulier paritura erit, ibi nec plures aditus ſint, quam unus, ſi erunt, ex utraque parte tabulis præfigantur. Cuſtodes ad conclave cuſtodiendum conſtituuntur, qui ingredientes excutiunt; ne alienum partum ad familiarum confuſionem ſubſtituant.

Th. 5. Hodie huic edicto locus eſt, ſi viduæ præſertim nobiles poſt mortem maritorum ſe prægnantes afferant, petantque immiſſionem ad bona feudalia; quo in caſu diligenter obſervandum, ne in fraudem aliorum, ad quos aliàs hereditas eſt ventura, alienum partum ſubſtituant.

TITVLVS V.

Si ventris nomine muliere in poſſeſſionem miſſa, eadem poſſeſſio dolo malo ad alium tranſlata eſſe dicatur.

Th. 1. HOc edicto optimè proſpexit Prætor, ne alijs prædæ occaſionem præbeat, vel mulieri dolus ſuus proſit, dum in partus favorem poſſeſſionem haud difficulter concedit.

Th. 2. Actio ex hoc edicto deſcendens eſt actio in perſonam in factum, debitum ex doloſa poſſeſſionis ad alium tranſlatione perſequens. l. 1. *pr.* ff. h. t.

Th. 3. Actio illa datur ei, qui ſucceſſurus eſt defuncto adverſus mulierem, quæ poſſeſſionem ventris nomine acceptam, dolo malo in alium tranſtulit. l. 1. §. 1. ff. h. t.

Th. 4. Actio hæc datur ad id, quanti intereſt actoris, poſſeſſionem ad alium non fuiſſe tranſlatam. d. l. 1. §. 1. & l. 2. ff. h. t.

Th. 5. Huic-

TH. 5. Huic edicto Prætor adjecit, ut dolo in poſſeſſionem veniens decedere cogatur per interdictum quorum bonorum.

TITVLVS VI.

Si mulier ventris nomine in poſſeſſione calumniæ cauſa eſſe dicatur.

TH. I. SICVTI Prætor facilis eſt circa bonorum poſſeſſionem mulieri ob partus favorem concedendam, ita calumniam (a) eius non impunitam dimittere pollicetur.

(a) Quæ committitur à muliere, prægnantem ſe ſimulante, ubi revera ſcit, ſe talem non eſſe.

TH. 2. Actio ex hoc edicto oriens eſt actio in perſonam, (a) debitum ex calumnia mulieris, in poſſeſſionem miſſæ perſequens. l. 1. §. 1. ff. hoc tit.

(a) Quia eſt ex delicto mendacij, unde etiam eſt pœnalis.

TH. 3. Actione hæc competit illis, quorum intereſt, miſſionem non decerni, e. g. coheredibus, legatarijs, &c.

TH. 4. Datur contra mulierem, quæ per calumniam in poſſeſſionem eſt miſſa. l. 1. §. 1. 2. 6. 7. & 8. ff. h. t.

TH. 5. Actione hac petitur, quanti intereſt, cuius in æſtimationem quoque alimenta in ventrem collata veniunt, d. l. 1. §. 4.

TH. 6. Actio hæc eſt [1] annalis, [2] pœnalis & famoſa, d. l. 1. §. 3. ff. h. t. unde mulierem ex hac cauſa damnatam immediatè ſequitur infamia; quod ideo fit, quia Prætorem decepit, l. 15. & 16. ff. *de his, qui notan. infam.* Excipe; niſi mulier ex errore ſe prægnantem affirmet, quæ ignominia non notatur.

TITVLVS VII.

De Concubinis.

Iung. tit. 26. lib. 5. C.

TH. I. DE licita maris & fœminæ conjunctione, ſive legitimis nuptijs in ſuperioribus egimus, de illicita conjunctione extra nuptias facta, quæ in concubinatum incidit, hic tractatur.

TH. 2. Concubinatus (a) eſt conjunctio viri & mulieris, diuturnæ cohabitationis & concubitus gratia, inita citra affectionem conjugalem, l. 4. ff. h. t. l. 31. ff. *de donat.* l. 3. §. 1. ff *de donat. int. vir & uxor.* l. 41. §. 1. ff. *de rit nupt.* l. 144. ff. *de V. S.* l. 49 §. 4. ff. *de legat.* 3.

(a) Vnde concubina, quæ dupliciter accipitur propriè & impropriè. Propriè dicta eſt fœmina ſoluta, minus honeſta, l. 1. §. 1. l. 3. ff. h. t. quæ ad tempus concubitus cauſa citra affectionem uxoris habetur, l. 1. *pr.* l. 4. ff. h. t. Impropriè accepta ſignificat veram quidem uxorem, aſt illa dicitur concubina, quoad effectus quoſdam civiles, e. g. quæ marito non eſt juncta cum pactis dotalibus, aut nuptiarum ſolemnibus. Liberi ex tali concubina nati, ſunt legitimi, quoniam ſunt ex vera uxore prognati. l. 9. C. *de nupt.* c. *is qui diſtinct.* 34.

TH. 3. Concubinatus jure civili extra legis pœnam, hoc eſt permiſſus eſt, l. 3. §. 1. ff. h. t. l. *un.* C. *eod.* l. 5. C. *ad SCt. Orphit. Nov.* 18. c. 5. ſimpliciter tamen non eſt approbatus, quia liberi in concubinatu procreati non legitimi, ſed naturales exiſtunt, *t. t. de natural. liber.*

TH. 4. Permittebatur concubinatus non ut res bona, ſed mala, quæ vetanda non erat ob hominum imbecillitatem, ad maiora mala evitanda puta ſcortationem, adulterium, ſodomiam, &c. hominum enim nequitiæ omni ex parte reſiſti nequit.

TH. 5. Gradus permiſſionis lege factæ ſunt tres, [1] ſimpliciter res legibus permittitur, quia bona eſt, aut indifferens, [2] res legibus permittitur, non tamen ſimpliciter, verùm ita, ut potius dehortentur & diſſuadeant, § 8. *Inſt. de nupt.* aut dicant non vetari, quod in ijs obtinet, quæ per ſe mala non ſunt, aliquid tamen mali ſecum trahunt, ita ut per indulgentiam in ijs procedatur, [3] res legibus permittitur per ſe mala, quam connivendo, diſſimulando, & tolerando non puniunt, majoris mali vitandi cauſa, quo ſenſu concubinatus, qui &

iure divino & naturali, eſt turpis, legibus ſive iure civili permittitur. *Menoch.2.arb.q.* 418. Iure canonico concubinatus eſt prohibitus, c.*audite. diſtinct.* 34. c.*dicat.* 32. q. 4. idem ſtatuunt conſtitutiones Imperij. *Receſſus Imp. de Anno* 1530. 1548. *Ordin. Polit. tit.* 26.

TH. 6. Concubina ab uxore in tribus ſequentibus differt [1] ut illa habeatur concubitus cauſa, non affectionis maritalis, l. 1. ff. h. t. [2] ut conſuetudo ſit diurna, non perpetua, §. *fin. Inſt. de nupt.* l. 2. & 3. ff. h. t. *arg.* §. 1. *Inſt. de patr. poteſt.* [3] ut fœmina ſit minus honeſta. Si enim fœmina honeſta ſit in concubinatu, ſtuprum propriè committitur. d. l. 3. ff. h. t.

TH. 7. Cum patris vel filij concubina rem habere, omni iure eſt vetitum, quia eiuſmodi conjunctio propriè eſt nefaria, & quædam naturalis honeſtatis violatio, quæ nemini concedenda eſt, l. 1. §. 3. ff. h. t. l. 2. C. *de in ius voc.* contrahitur enim & per eiuſmodi conſuetudinem affinitas imperfecta.

LIBER VIGESIMVS SEXTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Tutelis.

TH. 1. LIBEROS ex legitimo & iuſto conjugio prognatos ſicuti conſilio & autoritate regit pater, ita & orphanos, patre ſcil. deſtitutos, ſi ſe propter ætatem regere nequeant, tutorum conſilio & autoritate regi, iuri naturali conveniens eſt.

TH. 2. Tutela (a) eſt vis ac poteſtas (b) in capite, libero (c) ad tuendum eum, (d) qui propter ætatem ſuam ſe ipſe defendere nequit, (e) iure civili data & permiſſa.

(a) Vox tutelæ accipitur (1) latiſſimè, pro quavis defenſione, ut tutela corporis, cum quis pro aliorum iniuria & læſione intentata corpus ſuum de-

fendit, l. 3. ff. *de I. & I.* (2) latè, pro defenſione pupilli, quo ſenſu curam continet, l. 5. C. *de curat. furioſ.* l. 101. §. 2. ff. *de condit. & demonſt.* (3) propriè denotat poteſtatem defendendi pupillum, l. 1. *pr.* ff. h. t. §. 1. *Inſt. eod.*

(b) Hæ voces ſunt ſynonimæ, quarum una explicat alteram, denotantes ſingularem facultatem & autoritatem, l. 7. C. *de codicil.* §. 3. *Inſtit. de interdict. arg.* l. 17. ff. *de legib.*

(c) Hoc eſt in caput liberum, quo homo à ſervitute & patria poteſtate liber indigitatur, qui enim in poteſtate dominica, vel patria non ſunt, referuntur ad perſonas, quæ in tutela, vel cura, in quas tutor dicitur habere aliquam poteſtatem, l. 1. § 1. h. t. §. 2. *Inſt. eod.* Hinc patet, in patria poteſtate exiſtenti tutorem non eſſe dandum, etiamſi pater ſit furioſus, l. *cum furioſus C. de curat. furioſ.* vel in hoſtium poteſtate; in quibus caſibus curator tantum datur bonis, ne intermedio tempore pereant, l. *mutuo 6.* §. *ei cuius* 4. ff. h. t. ratio eſt (1) quod pupillis detur tutor, non alijs, l. *pupillus* 239. ff. *de V. S.* (2) quod pater ob affectionem naturalem præſumatur omnium optimè liberis proſpecturus.

(d) Hoc eſt pupillum, qui, cum impubes eſt, in patris poteſtate eſſe deſijt, aut morte, aut emancipatione, d. l. 239. *pr.* ff *de V. S.*

(e) Quia pupillorum & minorum ætas ita eſt comparata, ut ijs per prudentiores conſulendum ſit, l. 3. *pr.* & §. 1. ff. h. t. pupillis quidem magis, unde perſonis principaliter præficitur tutor; rebus minus principaliter, per quandam conſequentiam, quia hæ à perſona abſque maximo pupilli incommodo ſeparari nequeunt; minoribus verò minus, ita tamen, ut nihilominus auxilio & quaſi poteſtate curatoris illi regi dicantur, datur tamen his curator principaliter ratione bonorum, minus principaliter reſpectu perſonæ. l. 1. §. *fin.* ff. *de minor.*

TH. 3. Tutela eſt ius publicum authoritate, (a) privatum verò utilitate. (b)

(a) Non ratione obiecti, ſed ratione cauſæ efficientis, quatenus à Magiſtratu imponitur. l. 9. ff. *de his, qui ſunt ſui, vel ali.* quod invito in invitum datur, l. 2. ff. h. t. quia eſt munus neceſſarium, *pr. Inſt. de excuſ. tutor.*

(b) l. 239. §. *munus* ff. *de V. S.*

TH. 4. Tutela fungi poſſunt, qui non prohibentur, hique vocantur tutores, §. 2. *Inſt.* h. t.

TH. 5. Quidam tutela fungi prohibentur, vel ob morbum, (a) vel ætatem, (b) vel ſexum (c) vel ſuſpicionem, (d) vel ſtatum (e) vel infamiam, l. *teſtamento* 17. §. *non omnino* 1. ff. *de teſtamentar. tutel.*

(a) Quales ſunt, [1] ſurdi, [2] muti. l. 1. § *fin. l. pen.* ff. h. t. §. 4. *Inſt. de curator.* [3] furioſi. §. 2. *Inſt. qui teſtam. tut. dar. poſſ.* [4] cæci. l. 3. C. *qui tutor. dar. poſſ.* quia hi aliorum cura & ope indigent. l. *fin.* C. *de legit. tutel.*

(b) Vt minores. §. 2. *Inſt. qui teſtam. tut. dar. poſſ.* l. 32. §. 2. *in fin ff. de teſtam. tutel.* §. 13. *Inſt. de excuſ. tut.*

(c) Vt mulieres. l. 16. *pr. & l. ult.* ff. h. t. quia eſt officium virile. l. 1. C. *quand. mul. tutel.* Excipe, matrem & aviam, quibus rectè tutela demandatur. *Nov.* 118. c. 5.

(d) [1] Debitores & creditores pupilli. *Nov.* 72. *&* 92. niſi ſint à teſtatore per teſtamentum dati, tunc enim ſuſpicio & præſumptio fraudis purgatur per approbationem & iudicium defuncti patris, qui præſumitur optimè liberis providere voluiſſe. l. 22. ff. *de adulter.* [2] vitricus eiuſdem. l. 1. C. *ubi pupil. educ. deb.* [3] Maritus. l. 2. C. *qui dar. poſſ. tutor.*

(e) Servus. l. 7. C. *qui dar. tutor. poſſ.* §. 1. *Inſt. qui teſtam. tutor. dar.*

TH. 6. Tutela eſt triplex, teſtamentaria, (a) legitima, (b) & dativa, (c) l. 52. *in fin. C. de Epiſc. & Cler.*

(a) Quæ teſtamento à teſtatore conſtituitur.

(b) Quæ à lege 12. Tabb. immediatè datur, & defertur proximis agnatis. *Inſt.* ff. *& C. de legit. tutel.*

(c) Quæ à Magiſtratu, qui ſummus qſ. tutor eſt, datur & decernitur. Nota. Magiſtratus non proprio, ſed æquivoco ſenſu eſt tutor; quatenus eius officium eſt, etiam nullo interpellante, curare, ne damnum capiant res pupilli.

TH. 7. Cauſa efficiens remota eſt Lex 12. Tabb. propinqua teſtator & Magiſtratus, cauſa impulſiva eſt indigentia pupilli. §. *fin. Inſt. de Attil. tut.* & ius naturæ, quo unumquodque ad ſe gubernandum proprijs viribus non ſufficiens, præſtantioris alicuius ductu regitur. d. §. *fin.*

TH. 8. Materia circa quam tutela verſatur eſt principaliter caput liberum (quia exiſtentibus in aliena poteſtate tutor non datur,) pupilli, (a) non res eius, quibus ſecundariò, & per conſequentiam tantum datur. l. 12. §. *fin. ff. de adminiſtr. tutor.*

(a) Tutorem non habentis; habenti enim tutorem tutor dari nequit. l. 11. §. 1. ff. §. 1. *de teſtam. tutel.* §. *fin. Inſtit. de curat.* Excipe, niſi cauſâ cognitâ l. 10. C. *qui dar. tut. poſſ.* huc refertur etiam *t. t. C. in quib. caſib. tut. vel curat. habenti tutor, vel cur dari poteſt.* Ratio, quod interdum ſic tutor detur, quando datus tutelam adminiſtrare nequeat, e. g. propter perpetuum impedimentum, (ut ſi tutor excuſatus, vel remotus fuit in perpetuum. l. 40. ff. *de adminiſtr. tutor.* ſi ad hoſtes transfugerit. l. 15. ff. h. t. in locum ſurdi, muti, furioſi, alius datur tutor. l. *pen. ff. eod.* item in locum ſuſpecti, qui con-

victus, aut remotus eſt, & in locum excuſati & remoti alius datur tutor. l. 11. §. *fin. de teſtam. tutel. l.* 23. *ff. de tutel. & cur.* hic obſeruandum, quod nihil interſit, cujus ſit fortunæ, aut dignitatis pupillus, quoniam & Regi, atque Illuſtribus perſonis tutores dantur. l. 1. C. *de tutor. Illuſt. perſ.*

TH. 9. Forma tutelæ eſt tuitio & gubernatio perſonæ. Nota. Tutelam non aliter adminiſtrare poteſt tutor, ſive legitimus, ſive dativus, quàm ſi decreto Magiſtratus ei adminiſtratio ſit commiſſa. l. 3. §. *fin.* ff. *de adminiſtr. tut. l.* 5. §. *pen. ff. de legit. tut.* quæ non ante decernitur, quam tutor inventarium conficiat, & jusjurandum, cautionemque præſtet, rem pupilli ex bona fide defenſum iri. *l. fin.* §. *pen. C. de adminiſt. tut.* ſubjecta bonorum ſuorum omnium hypotheca. *l. de creationibus* 27. *C. de Epiſc. audient.* Hodie ad conſtitutionem tutoris cuiuſque, ut adminiſtrationem legitimè ſuſcipere queat, 5. Sequentia requiruntur, [1] decretum Magiſtratus, ſine quo nulli planè tutori adminiſtratio conceditur, [2] confectio inventarij, [3] ſatisdatio, [4] iuramenti præſtatio, denique [5] requiritur, ut tutor promittat, ſe ſingulis annis iuſſu Magiſtratus rationes redditurum. *Reform. guter Policey. ordnung. Caroli V. de anno* 1548. *& Rudolphi II. de anno* 1577. *tit. von der pupillen, und minder jahrigen Kinder, &c.*

TH. 10. Finis eſt, ut impubes ætas paterno conſilio & præſidio deſtituta, tutelæ beneficio regatur, & defendatur.

TH. 11. Effectus tutelæ eſt, quod ſimulatque tutor datus eſt, poteſtatem gerendi liberam habeat. l. 35. *pr.* ff. *de jurejur.* & ad adminiſtrandum ſtatim obligetur, ſuoque periculo ceſſet. l. 1. *pr.* ff. *de adminiſt. tut.* & de dolo, lata & levi culpa tenetur. *l. quicquid* 7. *C. arbit. tut.* quamvis iuxta communes regulas. l. 5. §. 2. ff. *commod. &* l. 108. §. 12. ff. *de legat.* 1. ſolummodo teneretur tutor de dolo, quia [1] invitus ad tutelam accedit, [2] ſolius hic pupilli utilitas, nulla tutoris interveniat, ſed æquum eſt ob favorem, cauſamque pupillorum, ut hic tantum mediam diligentiam præſtet, non duriorem, aut remiſſiorem. l. 10. l. 13. §. 1. l. 33. ff. *de adminiſt. tut.* l. 2. C. *ſi tutor. vel curat. non geſſ.* Idcirco ſtatim inventarium conficere debet, & ut ſibi à Magiſtratu decernatur adminiſtratio, petere.

TH. 12. Contraria tutelæ ſunt excuſationes, quibus tutela evitatur. *t. t. infra*, ff. *de excuſ. tutor.* dolus malus, ob quem tutores ut ſuſpecti à tutela, quæ bonæ fidei eſt. §. 28. *Inſt. de action.* removentur. *t. t. Inſt. ff. & C. de ſuſpect. tut.* item pubertas, qua finitur tutela. *pr. Inſt. quib. mod. tut.*

TH. 13. Cum cura tutela affinitatem habet, quæ enim de tutoribus

ſunt conſtituta, eadem & in curatoribus, qui adultis dantur, obtinent. l. 1. ff. *de adminiſt. tutor.* l. 23. C. *eod.* in nonnullis tamen differunt; ut [1] tutores dantur impuberibus, curatores puberibus. *pr. Inſt. de curat.* [2] tutores perſonæ principaliter præficiuntur, curatores bonis. l. 8. C. *de nupt.* ſecundariò tamen perſonis. l. 7. ff. *de curat. furioſ.* [3] tutores ad universa patrimonia. §. *fin. Inſt. de excuſat. tut.* curatores ad ſingula etiam negotia, ſingulaſque cauſas, [4] tutores etiam invitis, curatores extra litem ſaltem volentibus, & petentibus dantur. §. 2. *Inſt. eod.* l. 7. §. 2. ff. *de minor. l. 13. in fin. ff. de tutor. & curat. dat.* l. 43. §. 3. ff. *de procurat.* Excipe, puberibus quoque invitis datur curator, [1] ad litem. l. 1. C. *qui pet. tut. vel cur. d.* §. 2. *Inſt. de curat. l. 1. C. qui hab. leg. perſ. ſtand. in iud.* [2] ſi res ſuas profundere incipiant. l. 12. §. *fin.* ff. *de tutor. vel curat. dat.* [3] ad recipiendas tutoris rationes. l. 7. C. *qui pet. tutor. vel curat.* [4] ſi debitor minori ſolvere velit, vel cogatur. l. 7. §. 2. ff. *de minor.* Moribus receptum, quod minor abſque curatore vix ad contractus validè celebrandos admittatur. *Ordin. Polit. de anno* 1577. *tit.* 32. §. *So wollen wir.*

TH. 14. Cura eſt vis ac poteſtas ad curanda bona minorum, (a) vel eorum, (b) qui rebus ſuis ſupereſſe nequeunt. l. 6. §. 4. l. 13. §. 2. ff. h. t. l. 1. *pr. &* §. 1. ff. *de curat. furioſ. pr. Inſt. de curat.*

(a) Hi etſi puberes ſint, eius tamen adhuc ætatis non ſunt, ut negotia ſua tueri rectè queant. *d. pr. Inſt. de curat.*

(b) Animi, corporiſve vitio laborantium, illo laborant furioſi, & mente capti, hoc valetudinarij, muti & ſurdi.

TH. 15. Quæritur utrum maritus uxoris curator iure eſſe poſſit? Reſp. diſting. inter bona mulieris dotalia, paraphernalia, & receptitia, quod dotalia attinet, eorum non modo eſt curator, verumetiam dominus conſtante matrimonio. l. 29. & 30. C. *de iur. dot.* Paraphernalium verò legitimus eſt adminiſtrator, unde curam ipſo iure habet. *l. fin.* C. *de pact. convent. tam ſup. dot.* Quod receptitia bona concernit, eorum cura ei prohibita eſt ſub pœna infamiæ. l. 4. & 17. C. *de excuſ. tutor.* ob id dicitur, nec dari, nec creari poſſe, quia ea bona ſibi retinuit uxor, in l. 2. C. *qui tutor. dar poſſ. l. 14.* ff. *de curat furioſ.* ratio in eo conſiſtit, ne indulgentia uxoris fretus malè adminiſtret, & inter coniuges ſcandalum oriatur. l. 2. C. *ne fideiuſſ. vel mandat. dot. dent.*

TITVLVS II.

De Teſtamentaria tutela.

Iung. tit. 28. lib. 5. C.

TH. I. TVTELÆ teſtamentariæ ex tribus tutelæ ſpeciebus primus locus datur, permittiturque parentibus ex Lege 12. Tabb. liberis ſuis impuberibus tutores teſtamento dare. l. 1. ff. h. t.

TH. 2. Teſtamentaria tutela iterum dividi poteſt in ſimplicem, (a) & mixtam, ſive confirmatam (b) ob aliquem defectum.

(a) Puram, abſolutam & per ſe ſubſiſtentem, de qua *hoc tit.*

(b) Hæc per ſe non ſubſiſtit, ſed confirmatione indiget ad perfectum robur aſſequendum. l. 1. §. 1. ff. *de confirmat. tut. de qua tit. ſeq.*

TH. 3. Tutela teſtamentaria ſimplex, ſive pura eſt, qua pater (a) liberis ſuis impuberibus in poteſtate conſtitutis teſtamento perfecto, (b) vel codicillis teſtamento rectè confirmatis, (c) dat tutorem. (d)

(a) Qui vi patriæ poteſtatis iuxta Leg. 12. Tabb. dat tutores. l. 20. §. 1. ff. h. t. l. 40. ff. *de adminiſtr. tut.* unde conſtat, matrem iure civili liberis ſuis impuberibus tutorem teſtamento dare non poſſe. *arg.* §. 3. *Inſt. de tutel.* §. 10. *Inſt. de adopt.* l. 1. §. 1. *&* 2. l. 2. 3. 4. ff. h. t. *Nov.* 118. c. 5.

(b) l. 9. ff. h. t. l. 1. §. 1. ff. *de confirmat. tutor.*

(c) Quia tutores codicillis dati abſque confirmatione pro teſtamentarijs non habentur. l. 3. ff. h. t.

(d) Ab eiuſmodi tutore teſtamentario ſatisdatio non requiritur, quia ipſius fides & diligentia ab ipſo teſtatore eſt approbata. *pr. Inſt. de ſatisdat. tut.*

TH. 4. Requiſita dationis tutoris in teſtamento ſunt, (1) ut tutor detur à patre, qui filium in poteſtate habet, E. emancipato dari non poteſt, (2) ut detur impuberi, in poteſtatem alterius non recaſuro; ob id non rectè dat avus tutorem nepoti, in poteſtatem patris, poſt avi mortem recaſuro; quia non eſt caput liberum, ſed alieni iuris, cui per patrem magis, quam extraneum conſuli præſumitur, (3) ut in teſtamento perfecto, vel codicillis teſtamento confirmatis detur. §. 3. *Inſt. de tutel.* l. 16. §. 2. ff. h. t.

TH. 5. Si teſtator filijs dederit tutorem, etiam filiabus dare præſumitur,

ſumitur, cum ſermo maſculinus concipiat fœmininum; aſt non vice verſa. *l.45.pr.* ff. *de legat.2.l.*16.*pr.* ff. *de teſtam. tut.l.* 122. ff. *de verb. ſignificat.* Si filijs & filiabus tutores dati, etiam poſthumis dati intelliguntur, quia filij & filiæ appellatione poſthumus & poſthuma continentur. §.5. *Inſt. qui teſtam. tut. dar.* Cæterum ſi filijs teſtator dederit tutores, nepotes non comprehenduntur, aliter enim filij, aliter nepotes appellantur. d. §.5. *in fin.*

TH.6. Tutor teſtamento dari poteſt, ſive ſit paterfamilias, ſive filiusfamilias, (a) qui in publicis muneribus pro patrefamilias habetur. (b).

(a) *pr. Inſt. qui teſtam. tutor. dar. poſſ.* modo ad tutelam gerendam non ſit inhabilis, ut furioſus & minor, ille tunc habilis cum compos mentis, hic cum major viginti quinque annis fuerit factus. § 2. *Inſt. eod. l.1.* §. *pen. & ult. ff. de tutel.*

(b) *l. nam quod* 14. *ff. ad SCt. Trebell.*

TH.7. Teſtator, & ſervum proprium purè tutorem, (a) alienum ſub conditione tantum conſtituere poteſt. (b)

(a) Qui conſequitur inde libertatem, etiamſi ea adſcripta non ſit. §.1. *Inſt. h. t.*

(b) Si liber fuerit. d. §.1. quia in eo nihil eſt iuris teſtatori.

TH.8. Tutor teſtamento purè, vel ad certum tempus, (a) vel ex certo tempore, (b) vel ſub conditione, (c) vel ad certam conditionem dari poteſt. §. 2. *Inſt. quib. mod. tutel. fini.*

(a) §.3. *Inſt. h.t. l. tutorem*, 8. §.2. *ff. eod.*

(b) *l. ſi quis* 11. *pr. ff. h. t.*

(c) d. §.3. quamdiu conditio, aut dies pendet, tutor interim datur. Nota. Tutor dativus nunquam ſub conditione, ſed ſemper purè datur.

TH. 9. Tutor teſtamentarius præfertur omnibus legitimis, etiam matri & aviæ. l. 11. ff. h. t. quamdiu enim teſtamentaria ſperatur tutela, legitima ceſſat. *pr. Inſt. de legit. agn tut. d. l.* 11. *pr. ff. h. t.* Hodie ceſſante teſtamentaria tutela, omnium primo admittitur, mater & avia, ſi in rerum natura adhuc exiſtant, modo renuncient ſecundis nuptijs, & SCto Vellejano. *Nov.* 118. *c.* 5. *Auth. mater & avia. C. de legit. tutor.*

TITVLVS III.

De confirmando tutore, vel curatore.

Iung. tit. 29. lib. 5. C.

TH. I. ACCIDIT aliquando, ut tutor, licet teſtamento datus, authoritate Magiſtratus ſit confirmandus, quod fit, ſi tutor ſit datus ijs, quibus dare non oportet, ut emancipatis, aut puberibus, vel non quomodo oportet, ut ſi non per teſtamentum, vel rebus, & non perſonæ datus.

TH. 2. Tutela teſtamentaria mixta eſt, quâ pater liberis ſuis impuberibus in teſtamento imperfecto, quod magiſtratus confirmatione indiget, dat tutorem. §. *fin. Inſt. de tutel.*

TH. 3. Hic attendendum, ſi à patre tutor detur filio legitimo, qui eius poteſtati non eſt ſubjectus, tunc nuda tantum requiritur Magiſtratus approbatio abſque ſatiſdatione, & inquiſitione in tutoris perſonam. l. 1. §. 2. l. 3. ff. h. t. l. 21. §. 5. ff. *de curat. dat. ab his.* quod fit ob præſumptionem, pater enim liberis optimè providere præſumitur. Aſt ſi à matre liberis tutor in teſtamento datus ſit, inquiſitio Magiſtratus requiritur, ob fragile matris iudicium. l. 4. ff. *de teſt. tut.* ubi diſtinguendum, utrum confirmatio tutoris à matre dati fiat à Magiſtratu minore, an verò à majore; priori caſu ſatiſdatio eſt neceſſaria, pupillo rem ſalvam fore. l. 5. ff. h. t. poſteriori caſu non item. l. 2. ff. *eod.* Reliqui extranei ſi tutores dent, ex inquiſitione confirmari debent, & ſatiſdare, rem pupilli fore ſalvam. Hodie omnes omninò tutores abſque diſtinctione à Magiſtratu ſunt confirmandi.

TITVLVS IV.

De legitimis tutoribus.

Iung. tit. 30. libr. 5. C.

TH. I. SI neque ex teſtamento perfecto, neque per Magiſtratum confirmato tutor exiſtat, agnatis (a) proximis ex Lege 12. Tabb. defertur tutela. *l.* 5. *&* 6. ff. h. t.

¶ a) Qui ſunt cognati per virilis ſexus cognationem conjunćti, quaſi à patre cognati. l. 7. ff. h. t. *pr. Inſt. de legit. agnat. tutel.* ratio in eo conſiſtit, quia eadem lex agnatos tantum vocat ad ſucceſſionem, excluſis cognatis, qui per fœmini ſexus perſonas cognatione iunguntur; qui enim vult commoda, incommoda reſpuere non debet. l. 1. ff. h. t. l. 73. ff. *de R. I.* Hodie, ut inter cognatos & agnatos ſublata eſt differentia ſucceſſionis admiſſis utriſque indifferenter iuxta graduum prærogativam, ita & tutela indiſtinćtè deſerenda, prout quiſque gradu proximus eſt, *Nov.* 118. *c.* 4. vel ſi plures eiuſdem gradus ſint, perfećtæque ætatis omnes ad tutelam vocantur, ſi autem quidam ſint minores 25. annis, tam illi ſolum vocantur, quibus ætas tutelæ gerendæ conveniens eſt, minoribus excluſis. l. 8. *&* 9. ff. h. t. eius tamen administratio maximè idoneo à judice demandanda. l. 9. ff. h. t. *Auth. ſicut.* C. h. t.

TH. 2. Tutela legitima (a) eſt, quæ proximis pupilli ſucceſſoribus à ſola lege (b) defertur, ſi teſtamento tutor datus non eſt. (c)

(a) Legitima vocatur non excluſivè, quaſi reliquæ tutelarum ſpecies ſint illegitimæ, ſed quia lex eam abſque ullius hominis facto, ſive diſpoſitione immediatè defert, cum reliquas tutelarum ſpecies homines lege permittente & approbante deferant. Ideo per excellentiam vocatur legitima agnatorum. l. 5. *pr.* ff. *de legit. tut.*

(b) Hoc eſt, vel [1] Lege 12. Tabb. l. 5. *pr.* ff. *de legit. tutor.* vel [2] Senatuſconſulto. l. 3. *pr.* ff. *de capit. min.* vel [3] conſtitutione. *Nov.* 118. *c.* 5.

(c) Quod & ijs caſibus accidere intelligitur, [1] ſi tutor datus vivo adhuc teſtatore decedat. §. 2. *de legit. agnat. tut.* [2] ſi teſtatore mortuo tutor ante ſuſceptam tutelam è vivis decedat, [3] vel ſi poſt cœptam tutelam deceſſerit. l. 11. §. 3. *&* 4. ff. *de teſtam. tut.* l. 6. ff. *de legit. tutel.* tandem [4] ſi tutor eſt deportatus. d. l. 11. §. 4.

TH. 3. Enumerantur & aliæ ſpecies tutelæ legitimæ, ut [1] legitima patronorum tutela, & [2] quaſi legitima parentum tutela.

TH. 4. Legitima patronorum tutela eſt, quæ non ex Lege 12. Tabb. nominatim, ſed per interpretationem ex mente legis (a) patrono, eiuſque liberis in libertum & libertam defertur.

(a) Ratio adæquata in eo eſt fundata; ubi ſucceſſionis eſt emolumentum, ibi & tutelæ onus eſſe debet; patronus autem ſperat emolumentum ſucceſſionis in bona liberti. *rubr. Inſt. de legit. patron. tutel. l.* 6. §. 1. *ff. de V. ſignificat.*

TH. 5. Quaſi legitima (a) parentum tutela (quæ & fiduciaria dicitur) eſt, quæ nec ex Lege 12. Tabb. nominatim, (h. e. ex ipſis legis verbis) neque per interpretationem ex legis mente, ſed exemplo patronorum (b) parentibus in liberos à ſe emancipatos defertur.

(a) Quia pater propriè non eſt tutor legitimus filij emancipati, cum Lege 12. Tabb. non ſit eius heres. *l. fin. C. de emancipat.* patres enim liberis emancipatis non ſunt agnati. *arg.* l. 3. l. *fin.* ff. *capit. min.* unde quoque in l. 3. *in fin.* ff. h. t. pater dicitur legitimi tutoris vicem ſuſtinere.

(b) Propter ſimilitudinem manumiſſionis & emancipationis, parentes pro patronis habebantur; reuera tamen patroni non erant; quoniam parentes filios emancipando non verè, ſed imaginariè ſaltem manumittebant, ob quam manumiſſionem ad legitimam filij inteſtati hereditatem vocari dicebatur pater manumiſſor, ſive emancipator. l. 10. ff. *de ſuis & legit. hered.*

TH. 6. Tutela fiduciaria (a) eſt triplex, [1] competit patri, ſi avus nepotem, vel neptem emancipaverit, & mortuus fuerit, [2] datur fratribus, ſi pater filio, aut filia impubere emancipata deceſſerit, alijs filijs majoribus in poteſtate relictis. [3] Patruis, ſi quis filio impubere emancipato decedat, fratremque relinquat. *t. t. Inſt. de fiduci. tutel.*

(a) Ita dicitur non ob ius ſucceſſionis, aut agnationem, quæ emancipatione erat ſublata, ſed propter fiduciam diligentiæ, & fidei paternæ, vel fraternæ. *arg. l.* 31. §. *pen. ff. de negot. geſt.*

TH. 7. Quæritur, an avo paterno, vel materno præferatur mater, vel avia in tutelæ adminiſtratione? Reſp. negando. *arg. Nov.* 118. *c.* 5. *Carpz. part.* 2. *conſt.* 11. *def.* 13.

TH. 8. Quæritur, ſi avia materna & paterna concurrant, utra præferenda? Reſp. utraque ſimul ad tutelæ adminiſtrationem eſſe admittendam. *Carpz.* 2. *deciſ.* 122.

TITVLVS V.

De tutoribus & curatoribus datis ab his, qui ius dandi habent, & qui, & in quibus cauſis ſpecialiter dari poſſunt.

Iung. tit. 34. lib. 5. C. *Qui dare tutor res, vel cur. poſſ.*

TH. 1. QVOTIES teſtamento tutor non eſt datus, neque legitimus invenitur, vel non ſupereſt idoneus, Magiſtratui, (a) qui eſt lex loquẽs, competit, impuberibus tutores dare: l. 2. 3. 6. & 15. ff. h. t. puberibus verò prodigis & furioſis curatores. *pr. Inſt. de curat.* l. 12. ff. h. t.

TH. 2. Tutela (& cura) dativa eſt, quam Magiſtratus ex poteſtate ſibi ſpecialiter conceſſa conſtituit. §. 4. & 5. *Inſt.* l. 6. §. 1. ff. *de tutel.*

TH. 3. Non omnis Magiſtratus tutorem dare poteſt, quia non iure Magiſtratus competit, ſed is ſaltem, cui nominatim & ſpecialiter lege, Senatuſconſulto, vel Principis conſtitutione conceſſum. *pr. Inſt. de At-*

tilian.tutor. l. 6. §. 2. ff. *de tutel.* §. 4. *&* 5. *Inst.* h. t. Hodie Magiſtratui, qua Magiſtratui, vi iuriſdictionis, tutores & curatores dandi facultas eſt integra. *Ordin. Pol.* 1577. *tit.* 32.

TITVLVS VI.

Qui petant tutores, vel curatores, & ubi petantur. Iung. tit. 3. lib. 5. C.

TH. I. MAGISTRATVS tutorem, vel ex officio, (a) vel requiſitione (b) dare ſolet.

(a) l. 6. C. h. t. *arg.* l. 1. ff. *de juriſdict.*

(b) Quia Magiſtratus regulariter niſi requiſitus, ſive imploratus, officium ſuum impertiri ſolet, l. 4. §. 8. ff. *de damn. infect.* ideo tutor vel curator ab eo petendus; ab hac regula excipitur in materia tutelæ, ubi Magiſtratus interdum ex officio tenetur pupillis dare tutores. Hæc petitio eſt, vel neceſſaria, vel voluntaria; ad illam aſtringuntur (1) mater; ſi enim ea tutorem intra annum non petat, tanquam indigna à legitima liberorum hereditate rejicitur, l. 2. §. 1. ff. *qui pet. tut.* l. 3. *&* l. 6. C. *ad SCt. Tertull.* (2) liberti impuberis, niſi petierint tutores liberis impuberibus ſui patroni, tanquam deſertores officij puniuntur, d. l. 2. *in fin.* (3) cognati, ſi intra annum non petant, hereditate impuberis ad quam ex teſtamento, aut ab inteſtato vocantur, indignos ſe reddunt, l. *ſciant.* 10. C. *de legitim. hered.* ad hanc (voluntariam) nemo cogitur, ſed reliqui omnes pro arbitrio & voluntate petere poſſunt, d. l. 2. ut affines, familiares, amici parentum, educatores puerorum. d. l. 2. *pr.*

TH. 2. Minores pro arbitrio ſibi ipſi petunt tutores, l. 2. §. *fin.* ff. h. t. tutores tamen eos adhortari oportet, ut iam puberes facti ſibi curatores petant, l. 5. §. 5. ff. *de adminiſt. tutor.* quia hoc quaſi connexum eſt tutelæ officio, aliàs actione tutelæ conveniri queunt. d. l. 5. § 5. l. *ad ronem.* 7. C. h. t. l. 3. §. *ſi pupillus* 2. ff. *de tutel.*

TH. 3. Magiſtratus tutorem & curatorem impuberi & puberi iuriſdictionis ſuæ ſubjecto (a) conſtituere licitè poteſt. §. 4. *Inſt. de Attil. tutor.* l. 9. C. h. t.

(a) Subjectus quis eſt iuriſdictioni ratione domicilij, originis, vel bonorum. Hinc tutor & curator dari & peti poſſunt in loco, unde pupillus, vel minor eſt oriundus, vel maximam bonorum patrem habet. l. 17 ff. h. t. l. *un. C. ubi pet. tutor vel cur.*

TITVLVS VII.

De adminiſtratione & periculo tutorum & curatorum, qui geßerint, vel non; & de agentibus, vel conveniendis uno vel pluribus.

Iung. tit. 37. lib. 5. C.

TH. 1. QVOMODO tutela & cura tutoribus, & curatoribus deferatur, hactenus expoſuimus, exponamus nunc huius & illius adminiſtrationem, quæ delatam tutelam & curam ſubſequitur; adminiſtratio hæc ab ipſis ſtatim eo ipſo, quo cognoſcunt, ſe tutores & curatores eſſe conſtitutos, eſt ſuſcipienda, l. 4. C. *de ſuſpect. tutor.* niſi velint ſuo periculo ceſſare. l. 7. C. *arbit. tut.* l. 2. C. *ſi tutor vel curat. non geß.*

TH. 2. Adminiſtratio tutelæ (a) eſt, qua tutor pupillum ſuum defendit, eiuſque res fideliter ac diligenter conſervat, auget, curat, (b) & interdum alienat. (c)

(a) Quæ hîc de tutela aſſeruntur, eadem fermè omnia de cura ſtatuimus.

(b) Inſtar boni, & diligentis patrisfamilias, l. 10. l. 12. § 3. ff. h. t.

(c) Quod fit ob æs alienum urgens, vel ſi aliter pupillus ali nequeat, &c. l. 35. *pr. ff. de iurej.* l. 23. C. h. t.

TH. 3. Adminiſtrationis ſpectanda ſunt antecedentia & conſequentia.

TH. 4. Adminiſtrationem antecedunt [1] decretum Magiſtratus, ſine quo adminiſtratio tutori non conceditur, *Conſtit. Imp. de anno* 1548. *tit.* 31. §. 2. [2] confectio inventarij, (a) [3] ſatisdatio, (b) [4] iuramenti præſtatio. (c)

(a) Quæ fieri debet publicè, hoc eſt coram Notario, quæ eſt perſona publica; & teſtibus, l. 24. C. h. t. l. *ult.* §. 1. C. *arbit. tutel.* ne fraus aliqua lateat; expenſis tamen pupillorum ea forma, ut contineat omnia pupilli vel minoris bona, mobilia & immobilia, item iura, nómina, clarè enarrata, ut inde debitores poſſint conveniri: moroſos debitores iudicio cogere debent, litem nomine pupillorum ſuſcipiendo abſque ſatiſdatione, l. *tutores* 13. C. h. t. non modo debita ab alijs exigere tenentur, verumetiam à ſemetipſis, ſi quid debent, l. 13. l. 46. §. *fin.* ff. h. t. l. 18. C. *eod.* Si autem inventarium hoc modo non fecerit, ut ſuſpectus & infamis habetur, l. *fin.* C. *arbitr. tutel.* & tanquam dolosè verſatus, in quantum pupilli intereſt, factum id fuiſſe, contra ip-

ſum in litem iuratur, l. 7. ff. h. t. Excipe, niſi parens inventarij confectionem prohibuerit, d. l. *fin.* §. 1. C. ob patrimonij ſecreta non propalanda & detegenda, l. 2. C. *de aliment. pup. præſt.* Interim hoc caſu privata bonorum pupilli annotatio à tutore, majoris ſecuritatis gratia, fieri poteſt. *Carpz. part. 2. conſt. 11. def. 4.*

(b) Non omnes tutores indifferenter tenentur ſatiſdare; qui enim ex teſtamento, vel ex inquiſitione dati ſunt, non obligantur, quoniam eorum fides eſt approbata; reliqui ſi non ſatiſdederint, removentur & ab ijs adminiſtrata & geſta cenſentur nulla, l. 1. 2. & 3. C. *de tut. vel curat. qui ſatis non ded.*

(c) Quod inſtar boni patrisfam. res pupilli ſit adminiſtraturus, nec quicquam neglecturus, unde pupillo damnum emergere poſſit. *Nov.* 72. c. *fin.*

TH. 5. Adminiſtrationem ſequuntur periculum & actio.

TH. 6. Periculum tutorum eſt damnum ad tutores ex eo, quod tutelam non diligenter & fideliter geſſerint, vel plane non geſſerint, ſpectans. l. 1. §. 1. ff. h. t. l. 33. *pr.* ff. h. t. l. 3. C. h. t.

TH. 7. Tutoribus & curatoribus in rebus pupillorum & minorum cautè verſandum eſt, hinc ſi quid damni dolo, lata, & levi tutorum & curatorum culpa (a) factum, vel pupillis & minoribus abeſt, ad id præſtandum, finita tutela obligantur. (b)

(a) Leviſſimam culpam non præſtant, niſi ad eam præſtandam ſe obtulerint, l. 53. §. 3. ff. *de furtis.* E. multo minus caſum præſtare obligantur, l. 50. ff. h. t. l. *ſi res.* 3. l. *tutoribus* 4. C. *de pericul. tutor.*

(b) l. *contractus quidam* 23. ff. *de R. I.* l. *ſi tutores* 23. C. h. t. l. 10. l. 13. §. 1. l. 33. l. 39. §. 6. & 7. ff. h. t. l. 1. *pr.* ff. *de tutel. & rat. diſtra.* Vnde conſtat, tutores & curatores teneri, pecuniam pupillorum & minorum, ſi illis inde utilitas emergere poſſit, in emptiones prædiorum, aut alio convenienti modo collocare, l. 24. C. h. t. *Novel.* 72. c. 6. & 7. quo omiſſo ad uſuras tenentur tutores. l. 7. §. 1. l. 28. §. 1. ff. h. t. l. 24. C. *de uſur.*

TH. 8. Si plures tutores ſint dati, curæ erit Magiſtratui, ut unus tutelam ſaltem adminiſtret, quia uni facilius eſt, actiones exercere, excipere, aliaque negotia explicare, quam ſi plures tutelam gerant. Quod enim multis commune eſt, illud nemini ſedulo curæ eſſe ſolet. Eligendus autem eſt, quem teſtator gerere voluit, aut cui major pars tutelam decernit, aut qui Prætori, ſive Magiſtratui maximè probatur. Si tutores Prætori non conſentiant, ſed omnes tutelam adminiſtrare deſirant, quia fidem non habent electo, nec velint ſuccedanei eſſe alieni periculi, aut ſi tutelam partibus, vel regionibus dividi inter ſe petant, audiendi ſunt. l. 3. & 4. ff. h. t. §. 1. *Inſt. de ſatiſdat.* l. 2. & t. t. C. *de divid. tut.*

TH. 9. Si adminiſtratio tutelæ inter tutores non fuit diviſa, ſed æqualiter omnes ſimul adminiſtrarunt, regulariter ſinguli ipſo iure in ſolidum tenentur, l. 55. ff. h. t. Interim quatuor remedijs leges tutoribus ob æquitatem ſuccurrunt, concedendo beneficium [1] diviſionis, [2] ordinis, [3] cedendarum actionum, [4] utilis actionis.

TH. 10. Beneficium diviſionis competit pluribus tutoribus, qui non diviſam tutelam ſimul adminiſtrarunt (a) dummodo ſolvendo omnes ſint, aut idoneos fidejuſſores habeant; aliàs enim cæteri tenentur. (b) Hoc beneficium ad id datur, ut inter eos obligatio dividatur, & quilibet prout ſolvendo eſt, pro portione virili conveniri queat. l. 1. §. 10. 11. & 12. ff. *de tutel. & rat. diſtr.*

(a) Vbi veró diviſim tutela eſt adminiſtrata, (intellige conceſſione Magiſtratus, vel legis, l. 8. C. h. t. l. *ult.* C. *de dividend. tutel.*) ipſo iure tuti ſunt, quia ſinguli pro partibus ſuæ adminiſtrationis tantum tenentur. l. 2. C. *de divid. tutel.* nec periculum pertinet ad contutores, d. l. 2. Ex adverſo ſi tutores adminiſtrationem tutelæ inter ſe abſque Magiſtratu, aut teſtatore diviſerunt, quilibet eorum in ſolidum conveniri poteſt. d. l. 2. l. 46 §. 1. ff. h t. Prius tamen is excutiendus eſt, qui geſſit, l. 3. C. *eod.* ſi hic non ſit ſolvendo, & unus ex reliquis conveniatur, beneficio diviſionis gaudebit, l. 1. § 11. ff. *de tutel. & rat. diſtra.*

(b) Quia tutoris alicuius inopia, non pupilli, ſed contutorum periculo eſt. l. 1. §. *nunc tractemus* 7. ff. *de tutel. & ration. diſtr.*

TH. 11. Beneficium ordinis locum habet, quando alter geſſit tutelam, alter non geſſit, neque geri mandavit; mandans enim perinde habetur, ac ſi geſſiſſet, l. 5. §. 1. ff. *de adminiſt. tutor.* Beneficium hoc ordinis datur ad id, ut, prius bona eius, qui tutelam geſſit, & fideiuſſores; ac tum demum, quatenus tutelam gerens una cum fidejuſſoribus non ſolvendo invenitur, Magiſtratus, qui parum idoneos tutores dedit, convenitur, & poſt ad reliquos contutores honorarios pervenitur. l. 1. §. 10. & 15. ff. *de tutel. & rat. diſtr.* l. 3. §. 2. ff. h. t.

TH. 12. Beneficium cedendarum actionum eſt quando tutor, pro collega exactus ſolvit ſolidum, qui à pupillo petere poteſt, ut actiones ſibi adverſus contutorem cedat, quibus contra collegam ſive ſolvendo, ſive non exiſtentem experiatur, d. l. 1. §. 13. ff. *de tut. & rat. diſtr.* & ſi non ſolvendo ſit, tunc actio in melius tempus differtur, h. e. donec contutor ad meliorem fortunam perveniat. d. l. 1. §. 10. & 15.

TH. 13. Vt huic beneficio locus ſit, requiritur, [1] ut conventus omiſſa diviſionis exceptione (ſi eà uti potuit) ſolverit in ſolidum, [2] ut ſit conventus ex culpa alterius tantum, vel [3] ex culpa, geſtave communi,

ni, d. l. 1. §. 13. ſi verò ex propria culpa conventus, hæc exceptio ei non tribuitur; contra non obtinet, ſi quis ex communi dolo convenitur, quia proprij delicti pœnam ſubijt, quæ res eum indignum fecit, ne quid à cæteris delicti participibus conſequeretur, cum nulla ſocietas ſit maleficiorum, vel iuſta communicatio damni ex maleficio. d. l. 1. §. 14. ff. *de tut. & rat. diſtr.*

TH. 14. Beneficium utilis actionis eſt, quando tutor omiſſâ cedendæ actionis petitione ſolvit, hoc beneficium datur contra collegam, ad conſequendam portionem pro eo ſolutam, l. *ex facto* 30. ff. *de negot. geſt.*

TITVLVS VIII.

De autoritate & conſenſu tutorum & curatorum.
Iung. tit. 59. lib. 5. C.

TH. I. OFFICIVM tutoris & curatoris in eo præprimis conſiſtit, ut imperfectum pupilli & minoris iudicium, ſua autoritate ſuppleant; quod fit [1] generaliter adminiſtrando; [2] ſpecialiter, actibus pupilli & minorum aſſiſtendo. Hinc tutoris eſt præſtare autoritatem, curatoris verò adhibere conſenſum.

TH 2. Præſtatio ſive interpoſitio autoritatis (a) huius eſt, quâ negotium pupilli (b) cum alijs geſtum tutores probant. (c)

(a) Vox autoritatis ambigua eſt, & (1) latè ſumpta denotat exiſtimationem, dignitatem & honorem, & ita curatori quoque competit, l. 8. ff. *de adopt.* l. 8. C. *de nupt.* l. 17. §. 1. ff. *de appellat.* (2) ſpecialiter accepta ſignificat conſilium & interventum tutoris in rebus ad pupillum ſpectantibus, quo ſenſu tutori ſolummodo tribuitur; curatori verò conſenſus. l. 2. C. l. 2. C. *qui legit. perſ. ſtand. in jud.*

(b) Putà infantiæ, vel pubertati proximi, § 9. *Inſt. de inutil. ſtipulat.* l. 5. ff. *de R. I.* ſi verò infans, qui infra 7. annum negotium cum alio contrahat, tutoris autoritas defectum ſupplere nequit, l. l. 2. *pr.* ff. *de adminiſt. & peric. tutor.* quia infantibus nullus ineſt intellectus; ideo etiam furioſis comparantur. §. 10. *Inſt. de inutil ſtipul.*

(c) Eiuſmodi interveniens præſentis tutoris approbatio quatuor in caſibus præprimis fieri poteſt, (1) ſi negotium à ſolo quidem pupillo, ſed coram & præſente tutore geſtum, hicque ſtatim interveniat, & illud approbet, l. 9. §. 5. ff. h. t. §. 2. *Inſt. eod.* (2) ſi tutor præſens authoritatem interponat negotio futuro, cui certum modum & limites præſcripſerit, ſecundùm quos negotium mox celebratum fuit. (3) ſi ipſe tutor negotium cum

pupillo celebret. (4) ſi tutor, quod ſe abſente à ſolo pupillo geſtum, mox interveniens, & de omnibus circumſtantijs edoctus approbet. l. 25. §. 4. ff. *de acquir. heredit.* §. 2. *Inſt.* l. 1. §. *ult.* l. 3. ff. h. t.

Th. 3. In omnibus pupilli obligationibus tutor intercedere, ſuoque conſenſu obligationem approbare debet, aliàs pupillus non obligatur, l. 5. § 1. ff. h. t. puta civiliter, licet naturaliter obligetur, ratione conſenſus naturalis; l. 1. *in fin.* ff *de novat.* obligatur tamen civiliter, quatenus inde factus eſt locupletior. l. 1. §. 11. ff. *depoſit.*

Th. 4. Quod negotium pupilli conditionem deteriorem facere poteſt, (a) in illo autoritas tutoris eſt neceſſaria. (b) Ex adverſo, quod negotium eius conditionem efficere poteſt meliorem, (c) in eo tutoris autoritas non eſt neceſſaria.

(a) Quando id agitur, ut pupillus obligetur, vel alienet, quod ut plurimum abſque tutoris approbatione in eius præjudicium fieri ſolet; ideo favore pupillorum eiuſmodi contractus inſcio tutore, vel non approbante à pupillo cum alio celebratus declaratur nullus, quatenus ſcil. pupillo nocet.

(b) Quod ideo legibus introductum, ne imbecillis & improvida ætas haud difficulter circumveniatur, *pr. &* §. 1. *Inſt. de autorit. tutor.* l. 9. *pr. &* §. 1. *&* 2. ff. h. t. l. 2. 3. *&* 4. C. h. t. §. *fin. Inſt. quib. alien. lic. vel non.*

(c) Quando agitur, ut pupillus tantum acquirat, d. *pr. &* d. l. 9. *pr.* l. 1. C. h. t.

Th. 5. Tutor in rem ſuam autor eſſe nequit, directò ſcilicet, (a) per conſequentiam tamen poteſt. (b)

(a) Cum turpe ſit, eum, quem debet curare, ne obligetur, ſibi obligare; Hinc à pupillo non poteſt emere tutor, nequidem per interpoſitam perſonam, quia fraus ſubeſſe putatur, eſſetque idem & emptor & venditor. §. *ult. Inſt.* h. t. l. 5. *pr. &* §. 2. l. 7. *pr.* l. 18. *&* l. *ult.* ff. *eod.*

(b) Vt ſi agatur de adeunda hereditate tutori oblata, l. 1. ff. h. t. d. l. 7. *pr.*

Th. 6. Minores ſive curatores, habeant, ſive non, ſemper poſſunt obligari ſine conſenſu curatorum, l. 101. ff. *de V. oblig.* Aſt læſi reſtituuntur in integrum, *t. t.* ff. *de minorib.* nihil tamen alienare poſſunt, ſi illis ſint curatores. l. 3. C. *de in integr. reſtitut.*

Th. 7. Cauſa efficiens huius autoritatis præſtandæ eſt lex, à qua inintroducitur, ſicuti ipſa tutela. l. 1. ff. h. t.

Th. 8. Materia ſunt omnes contractus & obligationes, in quibus pupillus, quia obligatur, rem ſuam facere deteriorem poteſt, l. 5. *&* 9. ff. h. t. ut emptio, locatio, hereditatis aditio, §. 1. *&* 2. *Inſt.* h. t. l. 9. ff. *de acquir. hered.* tranſactio; l. 1. *&* 2. C. *eod.* idem affirmatur de ſolutione, liberatione, acceptilatione, &c. quatenus detrimento ſunt pupillo, l. *obligari* 9. ff. h. t.

TH. 9. Forma eſt, quod tutor in ipſo negotio (a) præſens ſtatim & purè autor eſſe debet, l. *non multum* 14. ff. h. t. l. 8. ff. *eod.* l. 25. §. 4. ff. *de acquir. vel amitt. hered.*

(a) Vt tutor quid, qua fide, animove geratur, certius cognoſcat. §. 2. *Inſt.* l. 9. §. 2. ff. h. t.

TH. 10. Finis autoritatis præſtandæ eſt, ne pupillus damnum ſentiat.

TH. 11. Effectus, quod autoritate, conſenſuque interveniente contractus valeat, non interveniente ſit nullus, l. 3. C. *de in integr. reſtit.* authoritas tutoris non præſumitur, niſi probetur. l. *quæcunque* 13. §. *fin.* ff. *de publ. in rem act.*

TITVLVS VI.

Quando ex facto tutoris, vel curatoris minores agere, vel conveniri poſſunt.

Iung. tit. 39. lib. 5. C.

TH. I. EX rubrica conſtat, duas eſſe huius tituli partes, altera, quando ex contractu, vel geſtu tutoris, vel curatoris actio detur pupillo, vel minori, altera, quando exinde alijs detur contra pupillum. Vbi ſciendum, eiuſmodi actiones non eſſe directas, ſed utiles, quia ſunt, contra iuris regulam, quod nemo ex aliena perſona obligari queat, l. 11. ff. *de oblig. & action.*

TH. 2. Favore ætatis effectum, quod pupillo, vel minori, per tutorem, vel curatorem actio utilis competat. l. *ult.* C. h. t. Idcirco, [1] ſi à tutore, vel curatore pecunia pupilli alijs ſit credita, datur pupillo, vel minori actio utilis ad pecuniam mutuam exigendam, etiamſi tutor, vel curator eam ſibi reſtitui, & non alijs ſtipulatus fuerit, l. 2. ff. h. t. l. 2. C. *eod.* item, [2] ſi tutor ſuo nomine pecunia pupillari prædia emerit, actio utilis ei ad rem vindicandam competit, d. l. 2. ff. h. t. [3] ſi tutor, vel curator prædia pupilli, vel minoris alijs locaverit, utilis locati actio pupillo, vel minori competit.

TH. 3. Ex adverſo ob factum tutoris, vel curatoris pupillus, vel minor conveniri poteſt, hoc eſt actio inde contra pupillum datur, [1] ſi in pupilli, vel minoris utilitatem (ſive pupillus inde factus locupletior, ſive non, tamen tenetur, contrarium obtinet, ſi m. fide tutor rem pu-

pilli gerat, l. 4. ff. *de evictíon.*) res bona fide à tutore, vel curatore fuerit geſta, l. 3. C. h. t. licet actio in tutorem, vel curatorem dirigatur, tamen is ex bonis pupilli, vel minoris ſatisfacit, inque illis executio facienda, l. 2. ff. *de adminiſtr. tutor.* Hinc ſi tutor tutorio nomine condemnetur, & antequam ſatisfaceret, officium ſuum deponeret, quia forſan pupillus pubertatem attigit, tunc actio utilis judicati contra minorem, non autem contra tutorem inſtitui iure poteſt; hunc enim, depoſito officio, actio non amplius tangit, l. 1. C. h. t. l. *fin.* C. *de peric. tutor.* l. 26. C. *de adminiſt. tutor.* [2] ſi quid ob dolum malum, vel culpam tutoris aut minoris acquirat, vel locupletior eſt factus; quoniam æquum eſt dolum tutoris, vel curatoris pupillo, vel minori neque nocere, neque prodeſſe, l. 1. *&* 3. *&* l. 5. ff. h. t. unde ex delicto tutoris pupillus non tenetur, cum nemini delictum alterius nocere debeat. l. 3. *pr.* ff. h. t.

TITVLVS X.

De ſuſpectis tutoribus & curatoribus.

Iung tit. 43. lib. 5. C.

TH. 1. ADMINISTRATIO tutelæ, vel curæ varijs modis deſinit; finitur tutela [1] exiſtentiâ conditionis, vel temporis, (a) [2] pubertate, (b) [3] morte, (c) [4] excuſatione, (d) [5] remotione. (e)

(a) Ad quod fuit datus, §. 2. *&* 5. *Inſt. quib. mod. tutel. finit.*

(b) Pubertas pupilli in maſculis poſt decimum quartum annum, completum, in fœminis poſt duodecimum illicó initium ſumit, *pr. Inſt. quib. mod. tut. fin.* l. 1. *&* 2. C. *quando tut. vel cur. eſſe deſin.* Obſervandum, quod hodie tutores poſt pubertatem pupilli maneant curatores uſque ad adultam ætatem. *Gail. 2. obſ 96.*

(c) Pupilli vel tutoris (1) naturali. §. 3. *Inſt. quib. mod. tut. fin.* l 4. ff. *de tut. & rat. diſtrah.* (2) civili. §. 1. *&* 4. *Inſt.* d. t. l. 14. §. 1. ff. *de tutel.*

(d) Si tutor juſtam & ſufficientem excuſandi cauſam habuerit, tunc onus adminiſtrandæ tutelæ deponit. §. *ult. Inſt. quib. mod. tut. fin.*

(e) Quæ fieri conſuevit, ſi tutor ſit ſuſpectus, d. §. *ult.* qualis eſt propter fraudem, negligentiam & deſidiam.

TH. 2. Vt eo melius pupillis & minoribus conſulatur, ſolet Magiſtratus in tutorum & curatorum mores inquirere, utrum ſint ſuſpe-

cti; quales ſunt judicandi, [1] quando non ex fide, (a) ſed doloſè tutelam gerunt, vel [2] negligenter (b) eandem adminiſtrant. (c)

(a) Hoc eſt dolo malo, ſive malis artibus. § 5. *Inſt. de ſuſpect. tutor.* bona diſſipando, non decernendo alimenta, ſi nimis magnos ſumptus facit, aut res pupilli ſine iuſta cauſa alienet, & ſimilia agendo, quæ bonæ fidei repugnant. l. 4. *&* 7. *in fin.* ff. h. t. § 9. *Inſt.* d. t.

(b) Ideo ob culpam latam, non levem ut ſuſpectus iure removeri poteſt. l. 3. §. 5. l. 4. § *fin.* ff. h. t. §. 5. 9. *&* 10. *Inſt. de ſuſpect. tut.*

(c) Poteſt etiam tutor ante adminiſtrationem ſuſpectus poſtulari. l. 1. 3. *&* 7. C. h. t.

TH. 3. Poſtulantur de ſuſpecti crimine tutores non modò legitimi, ſed & teſtamentarij, & ex inquiſitione dati; nec obſtat, quod fides eorum ſemel fuerit approbata, inde non ſequitur, eam durare, cum contingat ſemel probatam fidem mutari, proboſque mores perverti. l. 8. 9. *&* 10. ff. *de confirm. tut.* l. 1 §. *oſtendimus,* ff. h. t.

TH. 4. Hæc actio cum ſit popularis, & quaſi publica, ideo omnibus patet, etiam mulieribus, quæ pietate neceſſitudinis ductæ ad accuſandum procedunt, permiſſa. §. 1. *&* 2. *Inſt.* h. t. l. 1. §. *pen. & ult.* ff. *eod.* ut matri, aviæ, amitæ nutrici, &c. etiam adoleſcentibus conceditur, dummodo id ex conſilio neceſſariorum, ſive cognatorum faciant, contrarium de impuberibus aſſeritur. *l. impuberibus*, 7. ff. h. t. *l. pietatis*, *C. eod.* poteſt & tutor contutorem ſuſpectum accuſare. l. 8. C. h. t.

TH. 5. Tutor non niſi ex iuſta ſuſpicionis cauſa removeri poteſt, (a) qualis eſt dolus, (b) & lata culpa. (c)

(a) *l tutor quoque*, 3. §. *nunc videamus*, 5. § 12. 13. 14. 15. l. *impuberibus*, 7. §. 1. ff. h. t. quæ ante remotionem probanda eſt. l. 4. *&* 6. C. h. t.

(b) Ob quem remotus fit infamis. §. 6. *Inſt.* h. t. Excipe, niſi tutor ſit cum pupillo neceſſitudinis, vel affinitatis vinculo iunctus, tunc omiſsâ doli mentione, actio in factum datur, ut exiſtimationi eorum, quibus charitas honor & reverentia debetur, pareatur. l. 1. §. 5. ff. h. t.

(c) Ob eam non item, ideo eiuſmodi remotio fit abſque pœna. l. 3. §. *fin.* *l. hæc enim.* 4. ff. h. t.

TH. 6. Finis huius accuſationis eſt, ut removeatur tutelam malè adminiſtrans, & ut pupillo ſua bona ſint ſalva.

TH. 7. Effectus eſt, quod ſuſpectus ad tutelam non admittatur, ſed probata ſuſpicionis cauſa, quam accuſator probare tenetur. l. 18. §. 1. ff. *de probat.* removetur tutor, etiamſi cautionem offerat, quia ſatisdatio tutoris malevolum propoſitum non mutat, ſed diutius graſſandi in re familiari facultatem & occaſionem præbet. §. *ult. Inſtit. h. t.*

LIBER VIGESIMVS SEPTIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Excuſationibus.

Iung. tit. 62. lib. 5. C.

TH. 1. QVOTIES iure tutor datur, ex quo datum ſe ſcivit, ſuo periculo ceſſat, niſi ſe excuſaverit. l. 6. ff. *de teſtam. tutor.* quia tutela & cura ſunt onera publica, ad quæ tutores cogi poſſunt. *l. 1.* ff. *de admin. tutor.* ne autem alicui inferatur gravamen, ſubjungitur hic tit. de excuſationibus tutorum ac curatorum, déque temporibus excuſationum proponendarum.

TH. 2. Excuſatio tutoris eſt allegatio immunitatis à tutela, qua quis onus tutelæ, vel curæ deprecatur, *pr. Inſt.* l. 1. C. h. t. l. 1. C. *ſi tutor vel curat. falſ. allegat. excuſat. ſit.*

TH. 3 Excuſatio competit tutori ex iuſta cauſa, (a) quæ eſt ex privilegio, (b) vel inhabilitate.

(a) Cauſam hanc allegare tenetur tutor coram Magiſtratu, ante cœptam adminiſtrationem. l. 2. C. *ſi tutor.* & quidem intra quinquaginta dies, ex quo cognovit, tutelam ſibi eſſe delatam; probanda tamen eſt allegata cauſa intra alios ſexaginta dies. l. 13. §. l. 38. ff. h. t. l. 18. l. 21. §. 1. C. *eod.* ſi 50. illos dies elabi neglexerit, excuſationi præſcribitur. l. 11. C. *de excuſat. tutor.* quod ideo fit, ne, protracto excuſationis tempore, res pupilli, vel minoris detrimentum patiantur.

(b) Sic immunes à tutela ſunt [1] milites veterani, qui ſtipendia meruerunt. §. 14. *Inſt.* h. t. [2] athletæ, ter coronati in ſacris certaminibus. l. 6. §. 13. ff. h. t.

TH. 4. Inhabilitas eſt [1] ex ætate, (a) [2] occupatione, (b) [3]

morbo, (c) [4] affectione, (d) [5] fortunâ, (e) & [6] abſentia. (f)

(a) Qualis inhabilitas eſt ex ætate nimis tenera, vel nimis provecta, illa eſt in minori 25. annis, hæc in majore 70. annis. l. 2. ff. h. t. §. 13. *&* 14. *Inſtit. h. t. l. un. C. qui ætate.* unde liquet, ſi minor 25. annis in teſtamento detur, ipſo iure excuſatur, & conditio intelligitur adſcripta, quando major factus fuerit, ideoque tutela hæc tamdiu eſt in ſuſpenſo. §. *furioſus. Inſt. qui teſtam. tut. dar.*

(b) Quæ eſt [1] circa tres tutelas, vel curas diverſi patrimonij, ratio adæquata in eo fundata, ne multitudine negotiorum tutores onerati, res pupillares malè adminiſtrent. l. 31. §. *fin.* ff. h. t. §. 5. *Inſt.* h. t. l. *un. C. qui num. tutel.* nihil intereſt, utrum tria onera ſimplicia ſint, hoc eſt, tres tutelæ, vel tres curæ, aut mixta, h. e. duæ tutelæ & una cura, vel è converſo. l. 2. §. 9. ff. h. t. ſufficiunt quoque tria iſta onera in una domo, h. e. familia, ſive in pluribus perſonis eiuſdem poteſtati ſubjectis. l. 5. ff. h. t. l. 3. C. *de filijs, & quemadmod. pater.* Itaque ſi patri, tria tutelæ onera ſint impoſita, ad quartam filiusfam. vocari nequit, tutela enim, quam gerit filiusfam. patrem onerat. l. 7. ff. *de tutel.* ſic etiam ſe res habet cum duobus fratribus in eadem patria poteſtate exiſtentibus, ſi unus tribus tutelis gravetur, ad quartam non vocabitur alter, quia familia una plus, quam tribus tutelis non eſt oneranda; etiam una oneroſa, & diffuſa tutela à reliquis tutelarum muneribus liberat, quia non tutelarum numerus, ſed difficultas rationum conficiendarum à Magiſtratu conſideratur. l. 31. §. *fin.* ff. h. t. [2] occupatione excuſatur tutor, ſi habeat Romæ tres, in Italia quatuor, & in Provincia quinque liberos, vivos, tempore excuſationis, nam mortui non excuſant, excipe niſi in bello, & quidem acie amittuntur, quod tales in perpetuum per gloriam vivere cenſeantur. l. 2. §. 2. 3. *&* 4. l. *bello.* 18. ff. h. t. *pr. Inſt. eod.* Hodie cum ex conſtitutione Antonini omnes ſint effecti cives, qui degunt in orbe Romano. l. 17. ff. *de ſtatu hom.* Ideo tres tantum liberi indiſtinctè excuſare videntur. [3] propter profeſſionem excuſantur, ut Theologi. *arg. l. generaliter. C. de Epiſcop. & Cleric. Nov.* 123. Iuriſconſulti regulariter non excuſantur, hi enim pupillis optimè præeſſe intelliguntur. l. 6. §. 12. ff. h. t. Excipe, niſi in Academia, vel Gymnaſio actu doceant, atque ſic excuſantur etiam Profeſſores Philoſophiæ, Medicinæ, &c. l. 6. §. 9. ff. h. t. vel ſit Conſiliarius Principis. l. 30. ff. h. t. [4] ob dignitatem Præfecturæ Prætorio, Præſidis, Præfecti vigilum, Conſiliariatus, & Magiſtratus, adminiſtrationis rerum fiſci. l. 17. §. 5. l. *adminiſtrantes.* 41. ff. h. t.

(c) Qui eſt duplex, animi & corporis; ob animi morbum excuſantur furioſus, mente captus, prodigus; ob corporis morbum excuſantur, qui adverſa valetudine vexati, nec proprijs rebus ſupereſſe valent. §. 7. *Inſt.* h. t. l. *un. C. qui morbo.*

(d) Huc referuntur, [1] inimicitiæ capitales, quas tutor cum patre pupilli exercuit, quæ etiam in filio durare cenſentur. § 9. *&* 11. *Inſt.* h. t. [2] lis, quam tutor cum pupillo habet. §. 7. *Inſt.* h. t. *Nov.* 72. quæ eſt, vel de om-

nibus fortunis, vel majore earum parte.

(e) Vtpote (1) ob paupertatem, quæ tutelæ gerendæ ipſum reddit imparem. §.6. *Inſt.* l.7. ff. h t. (2) ob imperitiam propter quam quis non ſimpliciter excuſatur, ſed ſi ruſticitatem adjunctam habet, & imperitiam rerum agendarum, quia aliàs literarum expers poteſt eſſe rerum & negotiorum peritus. §. 8. *Inſt.* l. 6 §. *fin.* ff. h. t.

(f) Abſentes hic intelliguntur, qui Reip. cauſa abſunt, vel profecturi ſunt, licet nondum abſint. l. 41. §. 2. ff. h. t. Excuſantur hi tripliciter, (1) qui abſunt, poſſunt ſe excuſare à tutela ſuſcipienda, (2) à ſuſcepta, dum abſunt. l. 10. *in fin.* l. 11. 20. 21. *&* l. *fin.* ff. h. t. (3) redeuntibus anni eſt vacatio ad novam ſuſcipiendam; quod tempus illis conceditur, (1) ob res feliciter expeditas, (2) ad recolligendas vires, & (3) ad curam rerum familiarum ſuſtinendam.

TH. 5. Excuſatio non modo ante ſuſceptam adminiſtrationem eſt allegandа, coram Magiſtratu competente, verumetiam tota excuſatio intra quatuor menſes (a) finienda. §. 16. *Inſt.* h. t. l. 13. §. 1. l. 38. ff. l. 21. §. 1. C. h. t.

(a) Quos intelligimus continuos, itaut dies feriati computentur, non tamen currunt, niſi ex quo quis ſe tutorem datum eſſe intellexerit. d §. 16. *Inſt.* l. 6. 11. *&* 18 C. h. t.

TH. 6. Si quis plures excuſationis cauſas habeat, unâ propoſitâ & rejectâ, alias ſucceſſivè intra tempora conſtituta proponere poteſt. d. §. 16. *Inſt.* l. 21. §. 1. ff. h. t. quia nemini, pluribus defenſionibus uti, jure denegatur. l. 43. ff. *de R. I.*

TH. 7. Si tutor ob falſas allegationes decreto Magiſtratus fuerit excuſatus, ob id obligari non deſinit ex tempore, quo datus eſt, ad periculum ſuſtinendum. l. 1. C. *ſi tutor. vel curat. falſ. alleg.* ne dolus excuſantium pupillis noceat, & impunitus maneat.

TH. 8. Tutori à tutelæ datione appellare licet, ſed neceſſe non eſt appellare. l. 13. ff. l. 18. C. h. t.

TH. 9. Cauſa efficiens excuſationis eſt lex, cauſa impulſiva eſt æquitas. l. 1. ff. *de vacat. muner.*

TH. 10. Materia circa quam verſatur hæc excuſatio eſt tutela, vel cura delata, nondum tamen inchoata; ab inchoatis enim & ſuſceptis tutelis non datur excuſatio. l. *tutores*, 2. C. *ſi tutor. vel curat falſ. allegat. excuſ. ſit.*

TH. 11. Forma eſt, ut intra 50. dies à tempore ſcientiæ computatos apud Magiſtratum pro tribunali ſedentem, vel ipſe tutor, vel eius Procurator compareat. l. 25. ff. h. t. & excuſationem proponat. l. 18. C. h. t. quam

C. h. t. quam ſi rejiciat Magiſtratus, tum demum eſt appellandi licentia, propter gravamen impoſitum. l. 13. *pr.* l. 16. ff. h. t.

TH. 12. Quoniam tutorum excuſationes cauſæ cognitionem requirant, an nimirum ſint iuſtæ & ſufficientes, ideo ad audiendam & impugnandam excuſationem pupillos, eorumque proximos cognatos citare convenit. l. 1. C. *ſi tutor. vel curat. ex falſ. alleg.* vel datur pupillis curator ad litem. §. *fin. Inſt. de author. tutor.* § *fin. Inſt. de curator.*

TH. 13. Finis excuſationis eſt, ut tutor liberetur à tutelæ onere.

TH. 14. Effectus (1) ut approbetur excuſatio, atque ita excuſans liberetur, (2) aut rejiciatur, atque excuſans ad tutelæ munus ſuſcipiendum cogatur.

TITVLVS II.

Vbi pupillus educari, vel morari debeat, & de alimentis ei præſtandis.

Iung. tit. 49. lib. 5. C. *Vbi pupillus educ.* & tit. 50. C. *ibidem de aliment. pupill. præſtand.*

TH. 1. INTEREA dum de excuſatione cognoſcitur, pupillus educari & ali debet, ut ei victus, veſtimenta, habitatio & inſtructio in artibus liberalibus adhibeatur, quia per alimenta & educationem hæc omnia ſubintelliguntur. l. 2. *pr.* l. 3. & 4. ff. h. t. l. 12. §. 3. ff. *de adminiſt. tutor.*

TH. 2. Præprimis apud eum, quem pater ad id deſtinavit, pupillus eſt educandus. l. 1. §. 3. ff. h. t. niſi Prætor à patris voluntate ob malignam ſuſpicionem recedendum arbitretur. l. 1. §. 1. ff. h. t. Hinc (1) ſanguine iunctus propter ſpem ſucceſſionis ad pupillum educandum non cenſetur habilis, (2) nec is intelligitur habilis educator, qui impuberis pudicitiæ inſidiari præſumitur. l. 5. ff. h. t. atque ſic peſſimo exemplo impuberis mores corrumpit.

TH. 3. Qui ſemel ad educandum eſt electus, invitus ad id compelli poteſt. *l.* 1. *in fin. C. ubi pupill. educ.*

TH. 4. Si pater in teſtamento de liberis educandis non caverit, edu-

catio matri potiſſimum eſt committenda. l. 1. C. h. t. Excipe, niſi vitricum ſuperinduxerit. d. l. 1. *l.* 15. *C. de negot. geſt. l. fin. C. de contr. tutel. Nov.* 22. *c.* 38.

TH. 5. Patri in teſtamento, quantitatem alimentorum, liberis ſuis præſtandorum determinare, iure eſt permiſſum; hic ſi legitimam quantitatem ad liberorum alimenta definiverit, eius definitioni eſt ſtandum. e. contrario, ſi illegitimam quantitatem imprudenter determinaverit, vel planè nihil ad ea conſtituit, tunc pro modo facultatum, & ætate pupilli, ſive minoris, Prætor alimenta liberis decernit. l. 2. §. 1. l. 3. ff. h. t. l. 2. *pr.* C. *de alim. pupill. præſtand.*

TITVLVS III.

De tutelæ & rationibus diſtrahendis, & utili curationis cauſa, actione.

Iung. tit. 51. lib. 5. C. *Arbitrium tutelæ.*

TH. 1. PRÆCOGNITIS tutelæ expoſitis, ſubjiciuntur nunc iudicia, quæ dantur (1) adverſus tutorem. h. t. 3. (2) pupillum. *tit. ſeq.* 4. (3) adverſus protutorem. *tit.* 5. (4) falſum tutorem. *tit.* 6. (5) fidejuſſores & nominatores. *tit.* 7. (6) Magiſtratus. *tit.* 8.

TH. 2. Duplex pupillo adverſus tutorem datur actio, quarum prima eſt actio tutelæ directa, altera de diſtrahendis rationibus.

TH. 3. Actio tutelæ in genere eſt actio in perſonam, debitum ex adminiſtratione tutelæ perſequens.

TH. 4. Actio tutelæ eſt duplex, directa, & contraria, *de qua tit. ſequ.*

TH. 5. Actio tutelæ directa pupillo, (a) & eius heredibus competit. l. 1. §. 17. ff. l. 12. C. h. t.

(a) Iam adulto facto. § 2. *Inſt. de obligat. quæ ex qſ. contr. l.* 6 9. *&* 10. C. h. t. l. 5. §. 1. ff. *de O. & A.*

TH. 6. Actio ea adverſus tutores, (a) eorumque heredes (b) inſtitui poteſt.

(a) l. 1. *pr.* ff. l. 1. C. h. t. d. l. 5. §. 1. ff. *de O. & A.* d. §. 2. *Inſt.*

(b) l. 1. §. 16. ff. h. t. In heredes, ſive ſucceſſores datur hæc actio, quatenus eſt ex quaſi contractu. l. 49. ff. *de O. & A.* attamen non tranſit eadem qualitate, qua adverſus tutorem, hic enim de levi quoque culpa tenetur, heres verò tantum de dolo & lata culpa. l. 1. C. *de hered. tutor.* Excipe, niſi lis cum defuncto tutore fuerit conteſtata. d. l. 1. *in fin.* C. nam licet ratione levis culpæ actio de novo in heredes non detur, lite tamen conteſtatâ tranſit actio cum ordinarijs ſuis qualitatibus. *arg.* l. 2. §. 2. ff. *de V. O.*

TH. 7. Actio ea ad id competit, ut res pupilli iuxta inventarium reſtituat tutor, rationeſque reddat, & quicquid, dolo culpâ latâ & levi, tutoris negligentia, vel abeſt commodi, vel adeſt damni, reſarciat. l. 1. ff. h. t. l. 2. 3. 4. 6. 7. & 11. C. *de arbitr. tutel.* unde liquet actionem hanc eſſe perſecutoriam.

TH. 8 Actio hæc eſt bonæ fidei. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 9. Actio tutelæ utilis datur minori adverſus curatorem, ut rationem reddat, & damna, ſi quæ facta reſarciat. l. 16. §. *fin* l. 20. §. 1. ff. h. t.

TH. 10. Præter actionem tutelæ, datur pupillo contra tutorem actio (a) de rationibus diſtrahendis, (b) quando tutor ex bonis pupilli, durante adhuc tutela, quid abſtulit. l. 1. §. 19. §. 22. l. 2. §. 1. ff. h. t.

(a) Actio hæc, ubi quis ob dolum condemnatur, eſt famoſa.

(b) Hoc eſt, iam diſtractis, conturbatis, finitis, propter rem pupilli illis interverſam. l. 1. §. 21. 22. l. 2. *pr.* ff. h. t.

TH. 11. Actio hæc eſt ex delicto, & datur in duplum, E. non eſt propriè perſecutoria, ſed pœnalis, & mixta, (a) quæ in hæredes non datur.

(a) Ita vocatur, quia in duplum datur, quod rei perſecutionem & pœnam continet. l. 2. § *fin.* ff. h. t. l. 1. §. 23. *eod.*

TH. 12. Ob dolum & latam culpam à tutore (idem de curatore affirmatur) commiſſam, pupillus major factus adverſus tutorem contumacem (a) in litem iurare poteſt. l. 1. & 4. C. *de in lit. iurand.* l. 2. C. *de pact.* ſi nimirum tutor pupillum indefenſum relinquat, ſi non confecit inventarium, ſi non exhibuit cum effectu librum rationum, qui accepta & expenſa continet.

(a) Non autem contra tutoris heredem, niſi lis cum defuncto fuerit conteſtata. l. 4. C. *de in lit. iur.* quia heres neque dolum neque latam culpam, ob quæ duo iuramentum in litem conceditur, commiſit, ſed ipſe tutor.

TH. 13. Tutores & curatores conveniuntur etiam actionibus communibus, e. g. furti, damni, injuriæ, condictione furtiva; has tamen actiones pupillus adverſus tutorem intentare prius non poteſt, quam tutor tutelam depoſuit.

TH. 14. Quæritur, an actio tutelæ directa intentata, quæ eſt rei perſecutoria, tollat actionem de rationibus diſtrahendis? Reſp. quod illa hanc tollat, aſt non ſimpliciter & in totum, verum quoad partem tantum, hoc eſt ratione ſimpli, ad quod tutelæ actio competit. l. 53. ff. *de O. & A. arg.* l. 7. §. 1. ff. *commod.*

TITVLVS IV.

De contraria tutelæ & utili actione.

Iung. tit. 58. lib. 5. C. *De contrario iudicio tutelæ.*

TH. 1. SICVTI pupillo actio tutelæ directa contra tutorem, ita contraria tutori adverſus pupillum ex quaſi contractu competit, (a) quam Prætor (b) ideo propoſuit, ut facilius tutores ad adminiſtrationem accederent, & promptius de ſuo pro pupillo impendant. l. 1. ff. h. t. dum ſciunt, pupillum quoque ſibi obligatum fore ex ſua adminiſtratione, ne officium ſuum ſibi ſit damnoſum. *l. ſi ſervus.* 61. §. 5. *in fin.* ff. *de furt.*

(a) l. 1. §. 1. ff. h. t. §. 2. *Inſt. de obligat. quæ ex qſ. contract.*

(b) Licet Prætor eam proponat, ob id non eſt Prætoria, ſed civilis, quia & actionem commodati, depoſiti edicto ſuo propoſuit. *l.* 1. *ff. commod. & l.* 1. *ff. depoſit.* quæ ob id Prætoriæ non fiunt.

TH. 2. Actio tutelæ contraria datur, finito tutelæ officio. l. 1. §. *fin.* l. 4. ff. h. t. adverſus pupillum (a) ad ea conſequenda, quæ ei ratione tutelæ geſtæ ex bonis ſuis abſunt. d. §. 2. *Inſt.* l. 5. §. 1. ff. *de O. & A.* l. 1. §. 4. 5. l. 3. §. 1. 4. 7. 8. ff. h. t.

(a) Vel adoleſcentem, quod de curatore intelligendum, qui etiam depoſito officio eandem actionem inſtituere poteſt, dummodo ex officio & bona fide ſumptus ſint facti. d. l. 1. § *pen.* l. 3. *pr.* ff h. t.

TH. 3 Quia actio hæc eſt rei perſecutoria, ideo perpetua eſt, & heredibus contra heredes datur. d. l. 3. §. *fin. l. pen.* ff. h. t.

TH. 4. Quæritur, an tutor uſuras exigere queat, ſi in pupilli emolumentum impendat pecuniam? Reſp. diſting. vel tutor antea ex bonis pupillaribus ſibi ſolvere potuit, vel non. Priori caſu uſuras exigere non poteſt, ſibi imputet, quod pecuniam in pupilli uſum collocatam

non priùs receperit; pupillus enim non cenſetur in mora, l. 9. §. 4. & 5. ff. *de adminiſtrat. tut.* Poſteriori caſu uſuras exigere licet, etiam excurrentes poſt tutelam, uſque dum ſors reddatur, quia pecunia ſua ei ſterilis eſſe non debet, l. 3. §. 4. ff. h. t. contrarium ſtatuit Ius Canonicum, omnes omnino uſuras tanquam rem ſimpliciter illicitam damnans.

TITVLVS V.

De eo, qui pro tutore, vel curatore negotia geſſit.

Iung. tit. 45. lib. 5. C. eod.

TH. 1. INTERDVM evenit, ut, qui tutor non eſt, gerat negotium pupilli, quaſi tutor ſit, unde actio protutelæ, quæ eſt actio in perſonam, debitum ex protutela proſequens.

TH. 2. Protutela eſt, qua quis negotia, ſive res pupilli munere tutoris, abſque illius mandato fungitur, ſive bona fide putet, ſe eſſe tutorem, ſive ſciat, ſe non eſſe, fingat tamen ſe talem. l. 1. §. 1. ff. h. t. l. 4. C. *de negot. geſt.*

TH. 3. Actio protutelæ eſt directa, vel contraria.

TH. 4. Actio protutelæ directa datur pupillo, ſive impuberi, cuius negotia protutor geſſit, & datur adverſus protutorem, (a) ad id, ut protutor quicquid dolo, culpa lata, vel levi damni dederit, vel amiſerit, (b) reſtituat, imò & uſuras ſolvat. l. 1. §. 8. ff. h. t.

(a) l. 1. §. 2. 3. 4. 5. 6. ff. h. t.

(b) Quia pro tutore negotia gerens, eandem fidem & diligentiam præſtare tenetur, quæ à tutore requiritur, l. 1 §. 9. ff. l. *pen.* ff. h. t. ideo & bona eius, nomine tutelæ pupillo ſunt obligata, in quibus tacitam habet hypothecam, l. 20. C. *de adminiſt. tutor.*

TH. 5. Actio hæc non modo finita tutela, verumetiam ante pubertatem, durante adminiſtratione, intentari poteſt, l. 1. §. 3. & 4. ff. h. t.

TH. 6. Actio tutelæ contraria protutori adverſus pupillum de impenſis in rem pupilli utiliter, & ex officio viri boni factis competit. l. 5. ff. h. t.

TITULUS VI.

Quod falſo tutore authore geſtum eſſe dicetur.

TH. I. HAC de re ideo edictum propoſuit Præ to, (a) ne contrahentes cum pupillo facile decipiantur, dum falſus tutor (b) per dolum adhibetur.

(a) Prætor dat in integrum reſtitutionem ei, qui ignoravit, ſe cum falſo tutore rem gerere, l. 9. §. 1 ff. h. t. ſcienti autem non ſubvenit, quia ſemetipſum fefellit. l. 1. §. *fin.* ff. h. t.

(b) Qui differt à protutore, hic enim plerumque bona fide negotium pupilli adminiſtrat, ille veró dolosè.

TH. 2. Actio contra falſum tutorem eſt actio in perſonam, debitum ex negotio cum falſo tutore ex ignorantia geſto perſequens; actio hæc eſt in factum Prætoria (a) ei, qui ignoravit, ſe cum falſo tutore rem gerere, eiuſque heredibus (b) competit.

(a) Prætor pollicetur in integrum reſtitutionem contrahenti ignoranti, l. 9. §. 1. ff. h. t. contrà, ſcienti non ſubvenit, qui ſemetipſum fefellit. l. 1. §. *fin.* ff. h. t.

(b) In heredes tamen non datur, quia eſt ex delicto, & nihil ad delinquentem, multo minus ad eius ſucceſſores inde pervenit, d. l. 9. §. 1. h. t. l. 35. ff. *de O. & A.*

TH. 3. Datur adverſus eum, qui, cum tutor non eſſet, dolo malo tutor fuiſſe dicetur. l. 1. *pr.* & l. 7. *pr.* ff h. t.

TH. 4. Datur ad id, ut falſus tutor intereſſe præſtet. d. l. 9. §. 1.

TH. 5. Actio hæc ratione actoris eſt rei perſecutoria, quapropter & heredi datur, l. 7. §. 2. & 4. ff. h. t. ratione autem rei eſt, quaſi factum punitur cum ſit ex delicto, ideo effluxo anno expirat actio. d. l. 9. §. 1.

TITVLVS VII.

De fidejuſſoribus & nominatoribus & heredibus tutorum & curatorum.

Iung. tit. 57. lib. 5. C. *De fidejuſſ. &c.* tit. 54. C. ibid. *De heredibus tutorum & curatorum.*

TH. 1. QVOMODO, & quibus actionibns perſonæ, tutelam vel curam adminiſtrantes conveniantur, in antecedentibus conſideravimus, conſideremus jam perſonas eas his in ſubſidium accedentes, puta fideiuſſores.

TH. 2. Actio ſubſidiaria ex ſtipulatu etiam contra fidejuſſores (a) & nominatores (b) tutorum datur, ad id, quod tutores præſtare debent. (c)

(a) Fidejuſſores hîc non illi modò æſtimandi ſunt, qui expreſsè pro tutoribus intervenerunt, & promiſerunt, l. 12. C. *de fidejuſſ* verum etiam iſti, qui tacite, hoc eſt; qui præſentes non contradixerunt, nominaque ſua tanquam fidejuſſorum in acta publica referri paſſi ſunt, illud in favorem pupillorum iure ſingulari eſt conceſſum, per fictionem iuris poſitivi, cum aliàs fideiuſſio nulla ſit, niſi mediante ſtipulatione inter præſentes perficiatur. l. 4. §. *fin.* ff. h. t.

(b) Qui idoneos eſſe tutores affirmarunt, l. 3. & 4. §. 3. ff. h. t. hi eo nomine tenentur, quia videntur, tutores idoneos præſtare velle. l. 2. ff. h. t.

(c) l. *etiam* 3. l. *pupillus* 6. ff. h. t.

TH. 3. Olim iure Digeſtorum & Codicis electio penes pupillum, vel minorem fuit, utrum prius actionem contra ipſum tutorem, vel curatorem inſtituere voluerit, an verò contra illius fidejuſſorem, ſive in ſolidum, ſive diviſis actionibus, hoc eſt partim contra tutorem, partim contra fideiuſſorem, l. 1. C. h. t. Quod hodie eſt correctum, quoniam prius principalis debitoris, ſcil. tutoris, vel curatoris facultates ſunt excutiendæ, his non ſufficientibus, tunc demum fideiuſſores conveniuntur. *Nov.* 4. c. 1.

TH. 4. Illud in his fideiuſſoribus eſt ſingulare, quod beneficio diviſionis non gaudeant, ob favorem pupillorum, l. *fin.* ff. *rem pupill. ſalv. fore.* interim tamen beneficium ordinis illis non denegatur, d. *Nov.* 4. c. 1. l. 6. ff. h. t.

TH. 5. Actio tutelæ quoque heredes tutorum tenet obligatos, tam nomine defuncti tutoris, quam proprio nomine, e. g. ſi (1) forſan negotia pupilli à defuncto patre, ceu tutore ſint inchoata, quo caſu ea abſolvant, vel ſi (2) res pupillares poſſideant, l. 1. & 4. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 6. Heredes tutorum ob facta defunctorum dolum, & latam culpam, quæ illi in contractibus æquiparatur, præſtare tenentur, l. *fin.* ff. l. 1. 2. & *fin.* C. h. t. Excipe, niſi lis cum defuncto fuerit conteſtata, tunc enim levem culpam præſtare obligantur, d. l. *fin.* idem affirmatur de heredibus ob facta propria, quod nim. levis culpa ſit præſtanda.

TITVLVS VIII.

De Magiſtratibus conveniendis.

Iung. tit. 57. lib. 5. C.

TH. 1. EXCVSSIS tutoribus, eorumque heredibus & fidejuſſoribus, ſi necdum ſatisfactum fuerit pupillo, vel minori, datur actio ſubſidiaria (a) in Magiſtratum, qui minus idoneum tutorem dedit, & non ſufficienter cautionem, ſive ſatiſdationem exegit. l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) Quæ propter aliarum actionum defectum, adverſus Magiſtratum atque eius heredes ex æquitate conceditur. Huic actioni non erat locus in teſtamentaria tutela, & ubi tutores ex inquiſitione dabantur; ſi verò Magiſtratus ſine inquiſitione dedit tutores, ut in tutela legitima & dativa fieri poteſt, obſtringitur.

TH. 2. Actio hæc occaſione tutelæ oriens eſt in perſonam (a) Civilis, & utilis, l. 5. C. h. t.

(a) Quia eſt ex delicto Magiſtratus, dolo, vel culpa illud committentis.

TH. 3. Actio hæc datur illis, qui in tutela fuerunt, & majorennes ſunt facti, eorumque heredibus, l. 1. §. 4. ff. h. t. datur quoque tutori. l. 2. & l. 3. ff. h. t.

TH. 4. Datur contra Magiſtratum (a) eiuſque heredes, l. 2. C. h. t.

(a) Non omnem indifferenter, ſed contra minorem, & municipalem tantum, l. 4. & 5. C. h. t. qui ſatiſdationem dolo, vel lata culpa non exegit; ad caſus fortuitos præſtandos non obligatur, unde ſi ſatis idoneum fidejuſſorem exigit,

git, Magiſtratui nihil imputari poteſt, l. 11. §. 11. ff. h. t. nec ad levem culpam tenetur.

TH. 5. Datur ad id, ut Magiſtratus damnum pupillo illatum reſtituat. l. 7. ff. h. t. l. 3. C. *eod.*

TH. 6. Vt Magiſtratus ab hac actione ſit immunis, probare oportet, idoneam cautionem à tutore eſſe exactam, atque ſic dolum & culpam abfuiſſe, l. 1. §. *ſi Magiſtratus* 11. *&* §. *probatio* 13. ff. h. t. ſuoque officio rectè functum eſſe, quia exactio Magiſtratus eſt facti, quæ non præſumitur.

TH. 7. Hæc actio non datur adverſus majores Magiſtratus, ut Prætorem, Præſidem, Proconſulem, &c. propter dignitatem.

TH. 8. Quæritur, an huic actioni hodiè ſit locus? Reſp. affirmando, (1) quia illud, quod hac actione ſubſidiaria legibus conſtitutum eſt, nullibi mutatum legitur, (2) quamvis hodiè non caveant fideiuſſoribus tutores, coguntur tamen omnes promittere fidem iurato, ſub hypotheca omnium bonorum.

TITVLVS IX.

De rebus eorum, qui ſub tutela, vel cura ſunt, ſine decreto, non alienandis, vel ſupponendis.

Iung. tit. 71. lib. 5. C. *De præd. & ali. reb. min. ſine decret. non alien.*

TH. 1. CONCEDIT etiam Prætor pupillo actionem contra poſſeſſorem rei pupillaris, non iure alienatæ; quia res pupilli regulariter alienari prohibentur. Hinc res pupilli immobiles (a) & mobiles quædam, (b) nec ipſi pupillo, nec tutoribus (c) eius alienare (d) eſt permiſſum.

(a) Sic prohibentur alienari [1] prædia ruſtica, l. 1. §. 2. ff. h. t. l. 4. 9. 12. C. h. t. ſive illa ſint propria, ſive communia, nihilominus eorum alienatio prohibetur, l. 8. §. *fin.* ff. h. t. l. 17. C. h. t. ſive bona fide poſſeſſa, l. 5. §. 2. ff. h. t. ſive pignorata, d. l. 5. §. 3. *eod.* ſive vectigalia, ſive emphyteutica, l. 13. C. h. t. [2] urbana. l. 22. C. *de adminiſtr. & peric. tut.* [3] prædia ſuburbana, l. 1. §. 2. ff. l. 4. 5. *&* 6. C. h. t.

(b) Per eas intelligimus hic res, quæ ſervando ſervari poſſunt, ut mancipia ruſtica & urbana, d. l. 22. §. *ante omnia* C. in alijs enim rebus prohi-

bitio alienationis eſt pupillo, vel minori inutilis & damnoſa, ac proinde permittitur eiuſmodi alienatio tutoribus ac curatoribus, quos earum rerum manet periculum.

(c) l. 2. 9. *&* 16. C. h. t. etiamſi ipſe pater tutelam gerat. l. 3. C. h. t.

(d) Vox alienare hic non propriè & ſtrictè accipitur, ſed latè, ut in l. 7. C. *de reb. alien. non alien.* Res enim pupillares, quæ alienari ſunt prohibitæ, vendi nequeunt, l. 4. *&* 6. C. h. t. nec tranſactione dari, nec permutari, nec donari, d. l. 4. *&* 7. C. h. t. nec ante nuptias ſponſaliorum nomine, l. 8. C h. t. nec in ſolutum dari, l. 15. C. h. t. nec dividi, l. 17. C. *eod.* nec pignori dari. *rubr.* C. h. t. l. 1. §. *fin.* ff. h. t. nec uſusfructus, nec uſus, nec ſervitus alia ei imponi poteſt, l. 3. §. 5. ff. h. t. nec legata repudiari à pupillo abſque prætoris decreto, l. 5. §. 8. ff. h. t. nec per non uſum amitti poteſt. d. l. 3. §. 5.

TH. 2. Res pupilli, quæ ſervando ſervari non poſſunt, (a) alienari non prohibentur (b) etiam ſine prætoris decreto.

(a) Vt animalia ſupervacua, l. *fin.* C. *quand. decret. non eſt opus.* veſtes, fructus &c. quæ in naturali ſua bonitate non cenſentur ultra triennium duraturæ, quin corrumpantur.

(b) Et quod magis eſt, ſi tutor in talium rerum diſtractione ceſſet, in proprium incurrit periculum, l. 7. §. 1. ff. *de adminiſt. tut.* l. *fin.* §. *fin.* C. *eod.*

TH. 3. Vt alienationi rerum pupillarium immobilium, mobilium, quæ ſervando ſervari poſſunt, ſit locus, (qualis tamen alienatio eſt irregularis) ſequentia requiruntur, [1] ut probetur coram Prætore, vel iudice, cui de hoc cognoſcere convenit, ſubeſſe urgentem & iuſtam alienationis cauſam, e. g. ſi æs alienum ſit ſolvendum, cuius ſolutionem creditores actu inſtanter urgent, nec id aliunde ſolvi poteſt, l. 12. C. h. t. l. 5. §. 9. ff. *eod.* ſi pupillus aliàs ali haud poſſit, niſi rebus diſtractis. Hoc autem non procedit, ſi obreptum per falſam cauſam Prætori probetur, l. 5. §. 15. ff. h. t. l. 5. C. *eodem* l. 1. *pr.* *&* §. 2. ff. h. t. [2] ut interveniat decretum Magiſtratus, quo decerni oportet, rem alienari poſſe, l. 6. *& ult.* C. h. t. [3] autoritas tutoris, vel conſenſus curatoris, l. 1. ff. h. t. qui enim verè non eſt tutor, vel curator, ſed protutor, vel pro curator negotia gerunt, illi non poſſunt res pupillorum, vel minorum diſtrahere, l. 8. ff. h. t. His non attentis alienatio ipſo iure eſt nulla. l. 2. C. h. t.

TH. 4. Decretum non requiritur, [1] quando parentes pupilli caverunt, ut prædia alienarentur, l. 1. §. 2. ff. l. *probare.* 1. l. *prædium* 3. C. *quand decret. non op.* vel [2] Princeps alienationi conſenſit, l. 2. C. *eod.* vel [3] minor res ſuas vendens, iuramento præſtito ſe majorem dixit,

l. 3. C. *ſi minor ſe maior.*

TH. 5. Si alienationis requiſita, Theſi 3. expoſita non adfuerint; alienatio ipſo iure eſt nulla, l. 5. C. h. t. ideoque reſtitutio in integrum in tali caſu non eſt neceſſaria, l. 2. ff. *eod.* ſed remedijs iuris ordinarijs quis uti poteſt, qualia ſunt [1] contra tutorem illegitimè alienantem, actione tutelæ, l. 3. *&* 6. C. *arbitr. tutel.* [2] contra illum, qui rem minoris ita alienatam poſſidet, rei vindicatio, ut reſtituat rem cum fructibus, l. 16. C. h. t. quia in pupilli dominio manſiſſe cenſetur, quam pupillo illegitimè alienarunt.

TH. 6. Quæritur, an pupillus, vel minor teneatur rei venditæ pretium refundere? Reſp. diſting. inter b. fidei, & m. fidei emptorem; ſi b. f. emptor rem comparavit, tunc poſſeſſor minorem doli mali exceptione licitè repellere poteſt, ſi nolit pretium cum uſuris reſtituere, l. 7. §. 1. ff. *de curat. furioſ.* dummodo probet in rem pupilli, vel minoris eſſe verſum, l. 14. *&* l. 16. C. h. t. quia in eo doloſe agit, & ne pupillus cum alterius damno contra moralia principia fiat locupletior. Si m. fidei emptor rem acquiſivit, minor pretium reſtituere non obligatur, ſed rem cum fructibus, ſine pretij refuſione repetere licet, l. 10. *&* 11. C. h. t. quia contra legum prohibitiones & interdicta mercatus, uti hic m. f. emptor, pretium in pœnam amittit. Cæterum ſciendum, rem talem, à b. f. emptore emptam, ab eodem poſſe uſucapi, uſucapio tamen non prius incipit, quam pupillus vel minor, cuius res empta eſt, vigeſimum ſextum ætatis annum attingat. l. 1. *in fin.* l. 3. *&* l. *fin.* C. *ſi quis ignor. rem min.*

TH. 7. Alienatio talis abſque decreto injuſtè facta interdum ex poſt facto confirmari poteſt, ſequentibus in caſibus, [1] ſi quis rem b. f. emerit, quam, ignorante minore per legitima tempora ad uſucapionem neceſſaria poſſederit, quæ tamen poſt vigeſimum quintum ætatis pupilli, vel minoris annum demum currunt, l. 3. *&* l. *fin.* C. *ſi quis ignor.* [2] ſi minor alienationem eiuſmodi major factus ſpecialiter & expreſſe approbet, l. 3. C. *ſi major fact. alienat. fact. ſin. decr.* [3] ſi eam tacitè ratam habeat, ut ſi intra legitima tempora non fuerit revocata. Vbi diſtinguendum, an res titulo oneroſo; an verò lucrativo ſit alienata, ſi titulo oneroſo, minori non conceditur alienationis annullatio, & per conſequens, nec rei vindicatio, ſi nimirum, poſt 25. ætatis annum, elabi ſinat integrum quinquennium. Si verò titulo lucrativo alienaverit, poſt majorem ætatem deſideratur longi temporis lapſus, id eſt inter præſentes decennium, inter abſentes vicennium, l. *ult.* C. *ſi major. fact. alien. fact. ſin. decr. rat. hab.* In perſona here-

dis minoris reſtat illud tantum tempus, quod poſt majorem defuncti ætatem adhuc ſupereſt, & non elapſum, e. g. ſi minor factâ alienatione onerosâ, poſt 25. ætatis annum ſilentio triennium tranſigat, tunc heredi minoris duo adhuc anni reſtant. l. 5. C. *de temp. in integr. reſtit.*

TITVLVS X.

De Curatoribus furioſo & alijs extra minores dandis.

Iung. tit. 70. lib. 5.

TH. I. CVRATORES regulariter dantur propter ætatis infirmitatem & lubricum conſilium minoribus, de quibus ſupra tractavimus; ob æquitatem & juſtas rationes dantur & majoribus, ut (1) furioſis, (2) mente captis, (3) prodigis, (4) mutis, (5) ſurdis, & (6) perpetuo morbo laborantibus, hi omnes rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt, partim propter imperfectum iudicium, partim corporis morbum. Nota; his omnibus curatores conſtitui poſſunt, ſi ſint ſui juris, nam aliàs curatione non indigent. l. *fin. in pr.* C. h. t.

TH. 2. Lex 12. Tabb. jubet furioſum in curatione agnatorum eſſe. l. 12. *&* 13. ff. h. t. l. 2. 5. *& fin.* C. *eod.* ſed quia lucrum ſucceſſionis ab inteſtato emãcipatis fratribus reſerratum eſt, ita etiam onus huius curationis injunctum, quaſi & ipſi legitimi ſint curatores, d. l. 5. C. h. t. Aſt ſi agnatos furioſus non habeat, vel ſint inhabiles ad curam ſuſcipiendam; Prætor ex ſua juriſdictione furioſo dat curatorem, quem non legitimum, ſed honorarium appellamus. l. 12. *&* 13. ff. h. l. 2. C. *eod.*

TH. 3. Mente captis quoque & prodigis l. 12. Tabb. dantur curatores, non quidem directo ex ipſis legis verbis, ſed ex mente & interpretatione; ideo in l. 1. ff. h. t. dicitur, curatorem prodigo dari, exemplo furioſi. l. 1. l. 13. ff. h. t. *l. pen.* §. 1. ff. *eod.*

TH. 4. Quæritur utrum furioſis & prodigis ipſo iure adminiſtrationi bonorum interdicatur, an vero opus ſit Magiſtratus decreto? Reſp. membrum poſterius affirmando; & quidem ſequentes ob rationes, (1) quia ubicunque opus eſt curatoris datione, ibi quoque opus decreto Magiſtratus, §. 3. *Inſt. de curator.* l. *ult.* C. *de Magiſtr. conven.* atqui cum bonis interdicitur furioſo, vel prodigo, opus eſt curatoris datione. d. §. 3. *Inſt.* l. 5. 13. *&* 16. §. 1. ff. h. t. E. (2) quia hoc eſt facti, eſſe

prodigum, quod ex actionum circumſtantijs prius coram Magiſtratu probandum, ideo vita adoleſcentis prius inſpicienda exque ea judicandum, an iuſto tempore, loco, vel modo, expenſarum habeat rationem, vel eas inutiliter abſque iuſto tempore loco, modo & fine profundat. (3) quia geſta à prodigo, antequam ipſi bonorum adminiſtioni interdicatur, ipſo iure valent. *arg.* l. 27. ff. *de minorib.* (4) ad affirmativam probandam maximè faciunt. l. 10. ff. h. t. *&* §. 2. *quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.*

TH. 4. Effectus interdictionis eſt, quod contractus cum prodigis initus non teneat, quatenus in eorum vergit detrimentum, contrarium ſtatuitur, ſi in eorum commodum, in eo enim non ſunt prodigi.

TH. 5. Hæc furioſorum, prodigorum, valetudinariorum, &c. cura æquiparatur ei, quæ in minoribus obtinet; quapropter eorum curatores ſatiſdare, æque ac alij curatores tenentur, rem furioſi, vel prodigi fore ſalvam, niſi prædia idonea habeant, hæc enim ſi adſint, ad ſatisdandum non coguntur, l. *fin.* §. *6.* C. h.t. etiam inventarium facere, ac fortunas omnes bona fide adminiſtrare debent. d. l. *ult.* § *inventarium;* nec curatori datur facultas abſque Magiſtratus decreto quicquam alienandi. l. 5. l. 12. *&* l. 17. ff. h.t. l. 2. C. *eod.* cogitur etiam ſecundum conſtitutionem Imper. Iuſtiniani iurare, quod officio ſuo diligenter fungi velit. l. *fin.* §. *ſed cum antiquitas.* C. h. t.

TH. 6. Sicuti cura minorum finitur, quoties minores facti ſunt majores, (excipe, niſi minoribus poſt 20. annum à Principe ætatis venia concedatur. *t. t. C. de his qui veniam æt.*) ita cura furioſorum mente captorum & prodigorum deſinit, ſi illi & iſti ſanam mentem receperint, l. 1. *pr.* ff. h. t. hi vero ſanos mores. l. 2. ff. *eod.* de reliquis, putà corporis vitio laborantibus, ſurdis, mutis, &c. aſſeritur, curam ceſſare, cum ſanitati corporis ſunt reſtituti. *arg.* d. l. 1. *pr.* h. t.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM, PARS QVINTA.

LIBER VIGESIMVS OCTAVVS.

TITVLVS PRIMVS.

Qui teſtamenta facere poſſunt, & quemadmodum teſtamenta fiant.

Iung. tit. 22. lib. 6. C. d. t.

TH. I. IN ſuperioribus, iuxta Digeſtorum methodum, declaravimus, quomodo, & quibus actionibus res noſtras, vel nobis debitas ex contractibus, aut alijs plurimis viventium actionibus petamus. Iam ordinis ratio requirit, ut ad ea, quæ morientes agimus, progrediamur; ubi ſedulo attendendum, quomodo ex talibus negotijs, ſive actibus res debeantur, iudicia & actiones oriantur. Iudicia enim omnia deſcendunt, vel ex cauſis inter vivos contractis, quæ aut rerum ſunt, aut contractuum, aut perſonarum, de quibus ſupra egimus; vel ex ultimis morientium voluntatibus & ſucceſſionibus, quas exponere in ſequentibus, ipſa Pandectarum methodus injungit.

TH. 2. Succeſſio, ſive hereditas defertur, vel [1] ultima voluntate defuncti, vel [2] ex Prætoris iuriſdictione, per bonorum poſſeſſionem, vel [3] ex ſola iuris civilis, ſeu legis proviſione, quæ dicitur ſucceſſio legitima.

TH. 3. Succeſſio fit, vel directo, (a) vel obliquè. (b)

(a) Iſta ſucceditur duobus modis, [1] ex teſtamento, & [2] ab inteſtato.
(b) Qualis ſucceſſio eſt ex codicillis, & fideicommiſſo univerſali.

TH. 4. Teſtamentum (a) eſt voluntatis (b) noſtræ (c) iuſta (d) ſententia (e) de eo, quod quis (f) poſt mortem (g) ſuam fieri velit. (h)

(a) Quod ex eo appellatum, quod ſit teſtatio mentis, hoc eſt ultimæ voluntatis. Hic quæritur, an teſtamentum ſit iuris gentium, vel iuris civilis? Reſp. abſolutè conſideratum eſt iuris gentium, quia teſtamentum ex dominio, ſive libera de rebus ſuis diſponendi facultate fluit. l. 1. C. *de SS. Eccleſ. l. 5. ff. quemadm. teſtam. aperi. Geneſ.* 15. *v.* 3. unde Cicero, *lib* 3. *de finib.* teſtamentum, inquit, ortum trahit à naturali propenſione, ſive affectione, qua quiſque poſteritati ſuæ conſulit. Relativè verò conſideratum ad Rempublicam Romanam eſt iuris civilis, quoad approbationem & informationem. §. *fin. Inſt. per quas perſon. nob. acquir.* Hinc teſtamenti factio dicitur juris publici, quia publica juris civilis authoritate regitur. l. 13. C. *de teſtib.*

(b) Hoc eſt diſpoſitionis internæ.

(c) E. non alienæ. l. 32. ff. *de hered. inſtit.* nec vi coactæ, vel dolo inductæ. *t. t. C. ſi quis aliquem teſtam. prohib. vel coëg. Carpz. part.* 3. *conſt.* 5 *def.* 8. *&* 9. blanditias tamen adhibere licet. l. 21. C. *de teſtam. milit.*

(d) Id eſt, juri non contraria, ubi teſtamenti ſolemnia ſunt obſervata, uti, *pr. Inſt. de nupt.* iuſtas nuptias contrahunt, & in l. 18. ff. *de rit. nupt.* l. 17. *pr.* ff. *de teſtam. tutel.* accipitur.

(e) Quæ vox hic denotat teſtamenti genus, quoniam ſententia latius patet; dicitur namque & ſententia iudicis, Legiſlatoris, contrahentium: ſignificat autem hic exterius prolatum.

(f) Nimirum teſtator, qua voce teſtamentum differt à codicillis, quibus non ipſe defunctus, ſed lex de ſucceſſione in bonis diſponit.

(g) Intellige naturalem.

(h) Quod teſtator poſt mortem ſuam fieri vult, eſt ſucceſſio, ſurrogatio, atque repræſentatio defuncti in omnibus bonis.

TH. 5. Non omnes indifferenter, & ſine diſcrimine teſtamentum facere poſſunt, verum nonnulli natura, quidam lege teſtamentum facere prohibentur.

TH. 6. Naturâ prohibentur teſtamentum facere, [1] ob defectum

iudicij, ut impuberes. §. 1. *Inſt.* h. t. l. 5. l. 19. ff. h. t. l. 4. C. h. t. furioſi. Excipe, niſi tempore dilucidi intervalli faciant tunc valet. d. §. 1. *Inſt.* l. 16. ff. l. 9. C. h. t. mente capti. l. 17. ff. h. t. cum in definitione, dicatur, eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia, ſive iudicium, quæ voluntas in talibus adeſſe nequit, minoribus tamen mediante curatorum authoritate teſtamentum facere, jure eſt permiſſum. l. 4. C. h. t. [2] propter corporis vitium, quales ſunt muti & ſurdi natura tales. l. 6. §. 1. ff. h. t. §. *item ſurdus*, 3. *Inſt.* h. t. Si verò illud vitium non ſit à natura, ſed ex accidenti, teſtari poſſunt, ſi nimirum ſcribere, mentemque exprimere queant. l. 10. C. h. t. ubi olim beneficium Principis erat neceſſarium. l. 7. ff. h. t. hodie non item. d. l. 10. Cæcus, obſervatis demum ſolennitatibus, ad teſtamenti factionem admittitur. l. 8. C. h. t. putà, ſi nuncupet voluntatem coram ſeptem teſtibus, quam tabellio, aut octavus teſtis excipit; exprimere in eo teſtamento debet non modo heredis nomen, verumetiam eius dignitatem, atque alia ad tollendam ambiguitatem, quæ ſubeſſe poſſet.

Th. 7. Lege teſtari vetantur ob ſtatum, ut [1] ſervi, ratio eſt, quia cives Romani tantum teſtari poſſunt. *rubr. Inſt. quib. non eſt permiſſ.* Ergo ſervis, qui in iure prò nullis habentur, nec iuris civilis participes, teſtamentum facere minimè licet. l. 16. ff. h. t. [2] obſides populo Romano dati. l. 11. ff. h. t. [3] peregrini, quibus ius civitatis non eſt conceſſum. l. 8. & 12. ff. h. t. poſtea à Friderico Imp. teſtandi facultas peregrinis eſt data. *Auth. omnes peregrini. C. comm. de ſucceſſ.* [4] Monachi. *Auth. ingreſſi. C. de SS. Eccleſ. Nov.* 123. *c.* 38. [5] filiusfam. ne quidem permittente patre teſtari poteſt. *pr. Inſt.* h. t. l. 6. & 16. ff. l. 3. C. *eodem.* intellige in peculio adventitio, ratio eſt, quæ à iure publico, hoc eſt Lege 12. Tabb. dependent, privata pactione non mutantur; contrarium obtinet quoad caſtrenſe, & quaſi caſtrenſe peculium. *pr. Inſt.* h. t. l. 6. ff. l. 3. l. *pen. & l. ult. C. qui teſtam. fac. poſſ.* ratione horum pro patrefam. habetur. Dantur & perplurimi alij inhabiles, quos lex teſtari vetat, ut [1] uſurarius manifeſtus. *c. fin. de uſur. in* 6. [2] prodigi. §. 2. *Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.* l. 16. ff. l. 9. C. h. t. l. 40. ff. *de R. I.* [3] deportati. l. 8. §. 1. & 2. ff. h. t. quia eorum bona fiſcus ſibi vindicat. l. 15. ff. *de interdict. & releg.* [4] ad mortem damnati, qui per hoc ſervi pœnæ efficiuntur. l. 8. § *fin.* l. 13. § *ult.* ff. h. t. *Nov.* 134. *c. ult.* Moribus hodiernis contrarium eſt receptum, damnati enim teſtari poſſunt, ratio eſt, quia hodie nec ius civitatis amittunt, nec bona confiſcantur; Excipe, ob crimen læſæ Majeſtatis damnatos. *Ordin. crimin. art.* 106. & 118. [5] maximam & mediam capitis

diminu-

diminutionem paſſi; hæ duæ ius civitatis, cui ineſt jus teſtandi, adimunt. l. *eius*, 8. ff. h. t. [6] ob carmen famoſum damnatus. l. 18 ff. h. t. [7] hæreticus. l. 4. *& Auth. credentes. C. de hæret.* [8] Apoſtatæ. l. 2. 3. 4. C. *de apoſtat.* [9] inceſtis nuptijs ſe polluentes. l. 6. *& Auth. ſeq. C. de inceſt nupt.*

TH. 8. Teſtamentorum olim tria erant genera, [1] quod calatis comitijs coram populo fiebat, ut pleræque omnes ſolennes actiones, [2] erat minus ſolenne, quod faciebant in procinctu, hoc eſt exituri iam in prælium. Procinctum dicebatur, quia togis præcincti ibant, eiuſmodi teſtamentum hodie vocatur militare, [3] fiebat per æs & libram. Cum enim haud rarò extra tempus comitiorum, quæ bis ſaltem in anno indicebantur, homines, qui teſtamentum facere deſiderabant, mori contingeret, inventum eſt genus teſtamenti, quod per mancipationem, id eſt, imaginariam venditionem (mancipare denotat vendere, & alienare) condebatur, coram 5. teſtibus civibus Romanis puberibus, & libripende, h. e. ponderatore. Hæc imaginariæ venditionis ſolennitas ferè familiarum tranſlationibus, mutationibus, rerumque majoris momenti mancipationibus adhibebatur. *l. fin. C. de emancip. liber. l. fin. C. de adopt.* omnes hæ ſubtilitates tractu temporis in deſuetudinem abierunt.

TH. 9. Ordinantur ſecundum leges teſtamenta, vel publica, vel privata fide. *l. fin. C. de fideicommiſſ.* §. 4. *Inſt. h. t.* unde teſtamentum eſt duplex, publicum, vel privatum.

TH. 10. Publicum teſtamentum eſt iterum duplex, inſertum & oblatum; hoc eſt quod apud acta cuiuſcumque Magiſtratus factum eſt, ſive verbis, ſive ſcriptis mentem ibi exponat. l. 19. C. *de teſtam.* ubi tamen requiritur, ut ab ipſo teſtatore offeratur in iudicio, aut ſi ob vim morbi hoc præſtare non valeat, quoſdam à Magiſtratu mitti oportet, eiuſdem voluntatem excipientes. *Carpz. p. 3. c. 3. def. 1.* Illud ſcilicet inſertum eſt, quando quis inſerit voluntatem ſuam precibus Principi oblatis, vel coram eo nuncupatum. d. l. *19*. C. Nota. Omnia publica teſtamenta teſtes nullos deſiderant, ſed ſuſtinentur, vel Principis, vel Magiſtratus authoritate.

TH. 11. Privatum teſtamentum eſt, quod coram teſtibus privatis, vel ſine ijs à parentibus, vel milite factum eſt.

TH. 12. Privatum teſtamentum eſt duplex, [1] ſolenne, ſeu commune, & [2] minus ſolenne, ſeu privilegiatum.

TH. 13. Privatum teſtamentum ſolenne, iterum dividitur in ſcriptum & nuncupativum, illud ſcriptura, hoc ſola nuncupatione uno

contextu perficitur, coram teſtibus habilibus rogatis. Vt autem certo conſtet de teſtamento nuncupativo ; coguntur teſtes poſt mortem teſtatoris iurare, teſtamentum eſſe perfectum. *l. ult. in fin.* C. h. t. in hoc teſtamento omnia ſolennia, quæ in ſcripto teſtamento requiruntur, ſcripturâ & ſignatura exceptis. §. *fin. Inſt.* h. t. l. 21. §. 2. C. h. t. Nota. Nuncupata voluntas, ſi mandetur ſcripto per tabellionem, manebit nihilominus nuncupata; cum ſcriptura ſaltem adhibeatur facilioris probationis cauſa. l. 4. ff. *de fide inſtrum.*

TH. 14. In privato teſtamento ſcripto ſequentes requiruntur ſolennitates, [1] ut voluntatem ultimam, qua heredem certum directò inſtituit, (a) coram ſeptem teſtibus (b) idoneis, (c) ſpecialiter ad actum teſtandi rogatis, (d) præſentibus toti actui teſtandi, (e) ſcripto comprehendat. (2) ut teſtator ipſe ſubſcribat, (f) aut ſi ſubſcribere nequeat, teſtis adhibeatur octavus. l. 21. h. t. [3] ut teſtes ſignent, & ſubſcribant. (g)

(a) l. 29. C. h. t. & *Auth. ſeq. Nov.* 119. c. 9.

(b) § 4. *Inſt. de teſtam. ordin.* l. 12. 20. §. 1. l. 21. C. *de teſtam.*

(c) Sive habilibus, cum quibus eſt teſtamenti factio, ſeu qui poſſunt heredes inſtitui. Sed neque mulier, neque impubes, neque ſervus, neque furioſus, neque mutus, neque ſurdus, neque is, cui bonis interdictum eſt, neque ij, quos leges iubent improbos, inteſtabileſque eſſe, poſſunt in numerum teſtium adhiberi. § 6. *Inſt.* h. t. l. 21. *pr.* C. *eod.* neque heres, quia eius negotium geritur. § 10. *Inſt.* h. t. in proprio autem negotio nemo teſtis idoneus eſſe poteſt. l. 10. C. *de teſtibus.* eademque ratione, qui eſt in poteſtate teſtatoris. §. 8 *Inſt.* h. t. quoniam cum pater & filius pro una eademque perſona reputentur. *l. fin. C. de impub. ſubſtit.* non poteſt quodammodo ſibi ipſi, & in ſua cauſa teſtis eſſe. *l. parentes,* 5. *l. omnibus,* 9. *C. de teſtib.* nec domeſtici teſtatoris ſunt teſtes habiles, h. e. qui ſunt ſub una eademque poteſtate, ut pater, filius, frater. §. 9. & 10. *Inſt.* h. t. aliàs latè loquendo domeſtici ſunt, qui ſunt in domo teſtatoris, quæ ſignificatio huc non pertinet. l. 11. §. 1. ff. *de pœn.* ſequentes perſonæ inhabiles ſunt, ob ſingularem affectionem in heredem, vel proprium commodum, ut filius emancipatus in patris teſtamento, maritus in uxoris, miniſter in domini teſtamento, & vice verſa.

(d) l. 21. §. *pen.* ff. h. t.

(e) Vbi ſciendum, teſtes non debere ſaltem eſſe præſentes corpore, ſed & animo, ut videant, audiant, & intelligant, quid ibi agatur, & quomodo teſtator ſupremam voluntatem ordinet. l. 9. l. 21. C. h. t. l. 21 §. 2. ff. *eod.*

(f) l *cum antiquitas* 28 §. *ult.* C. h. t.

(g) Sive teſtes uno annulo teſtamentum ſignent, ſive pluribus, perinde eſt. §. 5. *Inſt.* h. t.

TH. 15. Si ſolennitates requiſitæ & expoſitæ in teſtamento non ſint obſervatæ, teſtamentum ipſo iure declaratur nullum; quia voluntatem teſtatoris non attendunt leges, ſi ipſis fuerit contraria; idcirco, quod voluntas eius ultima effectum non ſortiatur, ſibi imputet defunctus, quem iuxta ius commune teſtari oporteret.

TH. 16. Teſtamentum ſolenne huc uſque perpendimus, perpendamus & teſtamentum minus ſolenne, ſeu privilegiatum, in quo prioribus ſolennitatibus non eſt opus, quale eſt (1) teſtamentum Ruſtici, (2) teſtamentum Parentum inter liberos, (3) teſtamentum ad pias cauſas, (4) teſtamentum militis, & (5) teſtamentum tempore peſtis factum.

TH. 17. Teſtamentum Ruſtici eſt, quod ruri conditum, ut hoc teſtamentum valeat, tria requiruntur, (1) ut teſtator ſit ruſticus, (2) ruri teſtetur, (3) coram ſeptem teſtibus, ſi haberi poſſint, ſin minus, coram quinque. Per ruſticos hic intelligimus extra civitatem degentes, hinc teſtamentum hoc ad Nobiles, qui ruri ætatem degunt, quoque extenditur. In provincijs Saxonicis hodie conſuetudine receptum, ut eiuſmodi teſtamentum coram Parocho & duobus teſtibus legitimè fiat.

TH. 18. Teſtamentum parentum inter liberos eſt, quo liberi legitimi abſque ullis ſolennitatibus heredes declarantur. Hoc teſtamentum eſt ſcriptum, vel nuncupativum; illud ſola ſcriptura patris, vel matris conſiſtit; ubi ſequentia adeſſe requiruntur, (1) ut conſtet de teſtatoris voluntate, (2) ut voluntas ſit perfecta, non modo inchoata & imperfecta, (3) ut manu propria patris, vel matris teſtantis ſit ſcripta, vel ſubſcripta. *Dn. Mævi. ad Ius Lubec. p. 2. t. 1. art. 2. Carpz. p. 3. conſt. 4. def. 17. & ſeq.* (4) expreſſis liberorum nominibus, *Nov. 115. c. 3. Auth. imperfecto, Auth. quod ſine. C. de teſtam. Gail. 2. obſ. 2.* (5) tempore, hoc eſt anno, menſe & die, (6) ut de quantitate relicti conſtet, (7) uncias integris literis, non notis exprimat. l. 21. §. *fin. C. de teſtam.* Hoc ſcilicet nuncupativum duobus teſtibus præſentibus perficitur, fœminas quoque admittens, & teſtes non rogatos.

TH. 19. Teſtamentum ad pias cauſas eſt, in quo iuxta ius Canonicum, & moribus, duo tantum requiruntur teſtes. *c. 11. Extr. de teſtam. conf.* illud in terris Pontificijs obſervatur, extra has, ad provincias Imperij id non eſt extendendum, quia in his valet ius civile Cæſareum, quod à Pontifice ſommoveri nequit; ubi nec cauſa ſpiritualis, vel peccatum ſubeſt.

TH. 20. Teſtamentum militis quid ſit, libro ſequenti ſpecialiter audiemus.

TH. 21. Teſtamentum tempore peſtis factum ſeptem teſtes requirit. l. *caſus*, 8. *C. de teſtam.* in hac lege nihil de numero legitimo teſtium remittitur, ſed tantum conſociatio & congregatio eorundem, ut nimirum alter poſt alterum poſſit vocari & adeſſe, quod ideo fit, ne teſtes cogantur prius accedere, morbique contagione contaminari. Requiritur, ut vel teſtator ipſe peſte laboret, vel domus eius infecta. *Carpz. p. 3. conſt.* 4. *def.* 4. Conſuetudine receptum, ut duo vel tres teſtes ſufficiant. *Gail.* 2. *obſ.* 118. *Minſing.* 1. *obſ.* 86.

TH. 22. Teſtamentum etiam coram duobus teſtibus conditum valet, ſi quis in via, vel navi moribundus teſtetur, & plurium teſtium copia haberi nequeat. *Dn. Mævi. ad Ius Lub. d. l.*

TH. 23. Cauſa efficiens teſtamenti eſt voluntas teſtatoris. (E. non dependet ab alterius voluntate teſtamentum) iure civili approbata. *l.* 1. *C. de SS. Eccleſ.*

TH. 24. Materia, in qua ſcribitur teſtamentum, perinde eſt, utrum in charta, vel pergameno, poſterius tamen ad id commodius. §. 12. *Inſt.* h. t. materia circa quam ſunt omnes teſtatoris res, ſive totum eius patrimonium, nam cum hereditas ſit ius, non poteſt teſtator plus juris in alium, putà heredem inſtitutum transferre, quam ipſe hābet. l. 55. ff. *de R. I.* nihil autem iuris habet in re aliena, ideo in teſtamento relinqui nequit.

TH. 25. Forma teſtamenti ſolennis ſcripti, ex Theſi 14. aliquatenus intelligi poteſt; nuncupativi verò ex Theſi 13. quænam autem teſtamenti minus ſolennis ſit forma ex Theſi 16. & ſeqq. percipere licet.

TH. 26. Finis & effectus teſtamenti eſt, ut, quod teſtator poſt mortem de bonis ſuis fieri velit, certo conſtet, eaque voluntas, tanquam lex aliqua conſervetur. Hinc prohibitio teſtatoris ſimilis eſt prohibitioni legis. *l. fin. C. de reb. alien. non alien.* intellige quoties teſtatoris prohibitio legibus non eſt contraria; nemini enim tanta facultas & poteſtas eſt conceſſa, ut legibus quicquam contrarium in ijs ponat. *l. nemo poteſt.* 55. ff. *de legat.* 1.

TITVLVS II.

De liberis & poſthumis heredibus inſtituendis, vel exheredandis, vel præteritis.

Iung. tit. 28. lib. 6. C. *De liberis præteritis, vel exheredatis.*

TH. 1. QVOMODO teſtamentum à teſtatore condatur, titulo præcedenti perſpeximus. Nunc conſiderandum reſtat, liberi quomodo heredes inſtituantur, quia heredis inſtitutio eſt totius teſtamenti fundamentum. §. *ante heredis* 34. *Inſt. de legat.* aut quomodo ex juſta cauſa exheredentur.

TH. 2. Heredes alij ſunt neceſſarij, ut ſervi, alij ſui & neceſſarij, ut liberi, alij extranei. *pr. Inſt. de hered. qualit.*

TH. 3. Non omnes liberi ſunt ſui & neceſſarij heredes, ſed tantum in poteſtate proximum gradum habentes, ita dicti, quod ipſo iure ſint heredes, ut aditione non indigeant, quaſi proprij & domi nati heredes, non aliunde acciti; cum qſ. domini rerum paternarum, etiam patre vivo habeantur, §. 2. *Inſt. de hered. qualit.*

TH. 4. Pater tenetur hodie liberos ſuos omnes (a) gradu proximos (b) inſtituere, aut natos ex iuſta cauſa expreſſa (c) exheredare (d)

(a) Iure novo, ſublatâ ſexus & poteſtatis differentiâ, omnes liberi tam maſculi, quam fœminæ, tam emancipati, quam ſui, h. e. in poteſtate exiſtentes ſunt inſtituendi, aut exheredandi nominatim, id eſt ſpecialiter, perſonæ deſignatione, §. 5. *Inſt. de exhered. liber.* l. 28. ff. h. t. l. *fin.* C. h.t. ſive nati, ſive poſthumi, ſive natura liberi; ſive lege tantum.

(b) l. 9. §. 2. ff. h. t. l. 6. ff. *de injuſt. rupt. irrit. teſtam.*

(c) In Novel. 115. c. 3. cauſæ autem juſtæ ſunt ſequentes, (1) ſi liberi parentibus ſuis manus intulerint, *de* 3. §. 1. (2) ſi parentibus gravem, & inhoneſtam injuriam ingeſſerint, (3) ſi eos in criminalibus cauſis accuſaverint, quæ non adverſus Principem, vel Rempubl. (4) ſi cum maleficis, ut maleficis verſentur, (5) ſi vitæ parentum fuerint inſidiati, (6) ſi novercæ ſuæ, vel patris concubinæ ſe commiſcuerint, (7) ſi parentes detulerint, & per eam delationem grave ipſis damnum dederint, (8) ſi filij pro parentibus carceri incluſis fide jubere detrectaverint, (9) ſi parentes ſuos teſtari prohibuerint, (10) ſi præter voluntatem parentum arenarijs & mimis ſe junxerint, (11) ſi filia, vel neptis minor 25. annis honeſtum reſpuens matrimonium luxurioſè vivat, vel ſine parentum conſenſu, cum alio, licet is liber ſit, nuptias

contrahat, vel etiam maior 25. annis ſe copulaverit non libero, (12) ſi liberi patrem furioſum, vel ægrotum non ſuſtentaverint, (13) ſi patrem captivum non redemerint, cum redimere poſſent, (14) ſi ſint heretici.

(d) Exheredatio debet fieri à tota hereditate, l. 19. ff. h. t. quæ ut fiat legitimè, ſequentia ſunt attendenda, [1] ut conſulto, non temerè, aut calore iracundiæ fiat, l. 19. C. *de inoffic. teſtam.* [2] nominatim, ubi perſona exheredanda ſpecialiter exprimatur, *pr.* §. 1. 2. 3. 6. *Inſt. de exhered. liber.* (3) pure, non ſub conditione, l. 3. §. 1. ff. h. t. & [4] ut cum iuſtæ cauſæ expreſſione fiat, aliàs iſta exheredatio eſt ipſo jure nulla, quæ cauſæ ingratitudinis expreſſio olim non erat neceſſaria, ſufficiebat nominatim liberos exheredaſſe. & (5) ante aditam hereditatem, d. l. 3 §. 2. non veró poſt mortem ſuam. l. 13 §. *ult.* l. 29. §. 10. ff. h. t.

TH. 5. Quæritur, utrum præter quatuordecim exheredationis cauſas, jure civili expreſſas, nulla recipiatur, etiamſi æque momentoſa ac gravis ſit? Reſp. affirm. [1] quia impoſſibile eſt, omnes caſus legibus poſſe comprehendi, l. 12. ff. *de legib.* [2] quia poſſunt dari exempla ſimilis, aut gravioris maleficij, unde pro hac affirmativa ſententia defendenda ita argumentamur. Vbi par vel major delicti qualitas, ibi eadem eſt ſtatuenda pœna; ne paria aut majora criminia ſint impunita.

TH. 6. Quæritur, an filia abſque parentis conſenſu nuptias celebrans exheredari iure poſſit? Reſp. diſting. vel filia eſt major 25. annis, vel eſt minor. Priori caſu ſtatuitur, quod ſi filia libero (non ſervo) marito nupſerit, aut ſi etiam in corpus ſuum peccet, legitime à Patre exheredari non poſſit, patri enim imputandum, qui filiæ non prius quæſivit conditionem. Poſteriori caſu, ita demum exheredatio procedet; ſi maluerit vitam turpem eligere, quam conditioni nubendi à patre oblatæ conſentire, ob injuriam, qua pater præter ſuam culpam, injuſtè afficitur; idem dicitur, ſi ſervilis, aut aliàs turpis matrimonij complexibus ſe polluerit, quia non minus ad injuriam patris, ſpectat eiuſmodi matrimonium, quàm turpis vita; idem quoque affirmatur, ſi matrimonium invito patre ineat ſive cum ſervo, ſive cum libero, patrem enim graviter offendit, d. *Nov.* 115. c. 3. §. 11.

TH. 7. Vt natos liberos, & adoptatos heredes inſtituere, aut exheredare oportet, ita naſcituros, ſive poſthumos ſuos, l. 29. ff. h. t. *& t. t.* C. *de poſthum. hered. inſtit.* hi ita vocantur, (1) qui poſt patrem, matrem, avum, vel alium aſcendentem naſcuntur, d. l. 29. *pr.* ff. h. t. vel ( ) poſt teſtamentum factum naſcuntur. l. 3. §. 1. ff. *de injuſt. rupto irrit. teſtam.*

TH. 8. Olim præteritio matris, vel avi erat pro exheredatione, §. *fin.* ff. *de exhered. liber.* ita ut teſtamentum ipſo iure valeret; quod iure

novo correctum, ubi teſtamentum matris, in quo filius præteritus, eſt nullum, d. *Nov.* 115. c. 3. *pr.* illo enim iure matri & alijs aſcendentibus per lineam maternam æque ſtatutus eſt, qui patri, certus liberos inſtituendi modus.

TH. 9. Liberi parentes ſuos aut inſtituere, §.1. *Inſt. de inoffic. teſtam.* aut ex juſta cauſa exheredare debent. Cauſa talis exprimitur in d. *Novel.* 115. c. 4. quales ſunt ſequentes, ob quas exheredantur, (1) ſi pater accuſaverit filium de crimine capitali, crimine hereſeos, vel læſæ maieſtatis exceptis, (2) ſi pater nurui, vel concubinæ filij ſe immiſcuerit, (3) ſi pater vitæ filij fuerit inſidiatus, (4) ſi prohibuerit filium teſtari de bonis caſtrenſibus, vel quaſi, (5) ſi pater veneno, vel alio modo vitæ uxoris ſit inſidiatus, & è diverſo, ſi mater vitæ mariti filiæ inſidiata ſit, (6) ſi pater filium in furore conſtitutum curare & nutrire neglexerit, (7) ſi pater captivum non redemerit, (8) ſi is fuerit hereticus.

TH. 10. Teſtamentum, quo filium pater, vel patrem filius exheredat, cauſa ingratitudinis non expreſſa, eſt ipſo iure nullum, *Nov.* 115. c. 3. & 4. quod quoad inſtitutionem, non autem quoad legata, & fideicommiſſa declaratur nullum, d. *cap.* 3. §. *fin.* & *de* 4. §. *fin.* l. 17. ff. *de iniuſt. rupt. irrit. teſtam.*

TITVLVS III.

De injuſto, rupto & irrito facto teſtamento.

TH. 1. HACTENVS expoſuimus quomodo ultima elogia rectè, ritèque ordinentur, & ſecundum ea deferatur hereditas, præſtentur legata & fideicommiſſa, conſiderandum jam venit, quemadmodum infirmentur & corruant, quod facile detegi poteſt; contraria enim iuxta ſe poſita magis eluceſcunt: ideo de iniuſto rupto & irrito teſtamento pauca dicemus.

TH. 2. Teſtamentum iniuſtum dicitur, quod non iure factum, in quo juris ſolennia deſunt, l. 1. *pr.* ff. h. t. aut quod nullius eſt momenti, tale eſt teſtamentum, quod factum ab eo, qui teſtamentum facere non poteſt, ut à furioſo, filiofam. &c. aut in quo filiusfam. eſt præteritus. l. 1. ff. h. t.

TH. 3. Teſtamentum rumpitur, vel [1] agnatione (a) ſui heredis non inſtituti, (b) aut non ut oportet exheredati, vel [2] mutatione prioris

teſtamenti, per poſterius, jure perfecti. (c)

(a) Agnatio fit, vel naturaliter, vel civiliter; naturaliter, cum poſt teſtamentum naſcitur poſthumus, §. 1. *Inſtit. de exhered. liber.* civiliter fit agnatio quatuor in caſibus, (1) ſi quis poſt teſtamentum ſuus fiat, gradu ſummoto, ut ſi nepos ſuccedat in locum filij mortui, §. 2. *Inſt.* d. t. (2) ſi liberi naturales poſt teſtamentum legitimentur, §. *fin. Inſt. de nupti.* (3) ſi quis adoptet, ſeu arroget liberos poſt teſtamentum, §. 1. *Inſtit. quib. mod. teſtam. infirm.* (4) cum filiusfam. olim emancipatus in patriam poteſtatem revertebatur. *arg.* l. 8. §. 1. ff. h. t.

(b) Qui teſtamento non eſt inſtitutus heres. l. 3. §. 1. *&* *ult.* l. 4. 5. *&* *6.* §. 1. 2. ff. h. t.

(c) Quia ambulatoria eſt hominis voluntas uſque ad extremum vitæ ſpiritum, l. 4. ff. *de adim. legat.* & nihil eſt, quod hominibus magis debetur, quam ut ſupremæ voluntatis (poſtquam jam aliud velle non poſſunt) liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium, l. 1. C. *de SS. Eccleſ.* ideo prius teſtamentum perfectum per poſterius æque perfectum ob mutatam & ambulatoriam teſtatoris voluntatem deſtruitur, §. 2. *Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.* nec neceſſe eſt in poſteriori teſtamento mentionem facere prioris, idque revocare, quia ipſa factio novi teſtamenti rumpit prius, ac inutile id facit, l. 27. ff. *de teſtam.* rumpitur quoque per poſterius teſtamentum prius, etiamſi huic adjecerit clauſulam teſtator, ſe nolle id revocare, quia nemo ſibi eam legem poteſt dicere, ut à priori voluntate ei recedere non liceat. l. 22. ff. *de legat.* 3.

TH. 4. Rumpitur etiam teſtamentum ſcriptum prius per teſtamentum nuncupativum poſterius, ſi ſit iure perfectum, §. 2. *Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.* *Nov.* 107. c. 2. ſic quoque prius teſtamentum ſolenne rumpitur per poſterius minus ſolenne, ſeu privilegiatum, quale eſt (1) inter liberos, (2) ruri confectum, &c. l. 21. §. 1. *&* 3. C *de teſtam.* l. 36. *pr.* ff. *de milit. teſtam.*

TH. 5. Teſtamentum fit irritum [1] deſtitutione heredis, (a) [2] teſtatoris capitis diminutione. (b)

(a) e. g. ſi quis aut noluerit eſſe heres, aut vivo teſtatore, aut poſt mortem eius ante aditam hereditatem deceſſerit, aut conditione, ſub qua heres inſtitutus eſt, defectus ſit, in his caſibus paterfam. inteſtatus moritur; & heredes legitimi ad hereditatem vocantur. §. 2. *Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.*

(b) Cum teſtamentum infirmatur, ob ſtatum teſtatoris mutatum, ut maxima, media & minima capitis diminutione, ubi teſtator poſtea arrogandum ſe dat, tunc cum capite fortunas quoque ſuas in familiam & domum alienam transfert voluntariò, hoc enim facto tacite renunciat teſtamento, l. 6. §. 5. l. 12. ff. h. t. quod tamen hodie de emancipatione affirmari nequit. l. 1. §. 8. ff. *de bonor. poſſeſ. ſecund. tab.* *Novel.* 118. c. 4.

TH. 6. Quæ-

TH. 6. Quæritur utrum Princeps voluntatem defuncti teſtatoris immutare poſſit, ſi legibus non ſit contraria? Reſp. negando, per l. *fin.* C. *ſi contra jus*. l. *reſcripta* C. *de principi offer.* ubi reſcriptum tale, à judice dicitur refutandum, ceu contra jus illicitum, & obreptitium; quia jus quæſitum nemini à Principe eſt auferendum. Excipe, niſi id publica honeſtas & utilitas neceſſariò exigat, quæ ſemper, & ubique prævalet cauſis privatis.

TH. 7. Teſtamentum olim ſi infirmaretur, quocunque etiam modo id fiebat, totum corruebat, nec legata ex tali teſtamento debebantur, l. 17. ff. h. t. *pr. Inſt. de hered. quæ ab inteſt.* Hodie legata, fideicommiſſa, &c. ſubſiſtunt, & teſtamentum quoad inſtitutionem ſaltem annihilatur. *auth. ex cauſa* C. *de liber. præter.*

TH. 8. Quæritur, ſi teſtator eo tempore, quo fecit teſtamentum, fuerit idoneus, ſive habilis, poſtea verò, teſtamento jam perfecto, ſi inhabilis fiat, ut ſi furioſus, vel prodigus exiſtat, an teſtamentum hoc ritè factum infirmetur? Reſp. negando. *per* l. 2. ff. *qui teſtam fac. poſ.* l. *fin.* ff. h. t. l. 1. §. 8. ff. *de bon. poſſ. ſecun. tab.*

TITVLVS IV.

De his quæ in teſtam. delentur, inducuntur, vel inſcribuntur.

TH. I. SVPERIORI titulo demonſtratum eſt, teſtamenta infirmari, invito plerumque teſtatore, idque vel in totum, vel etiam pro parte, l. 3. §. *ult.* l. 4. *&* 5. ff. *de injuſt. rupt. irrit. teſtam.* interdum volente quoque teſtatore, ut cum rumpitur teſtamentum prius poſteriori iure perfecto, vel irritum fit eo inciſo, quod h. t. nunc proſequitur.

TH. 2. Teſtamentum reſcinditur, quando teſtator id conſcindit, rumpit, cancellat, delet, &c. l. 2. *&* 3. ff. h. t. ſive hoc faciat per ſe, ſive per alium perinde eſt, modò conſultò à ſciente teſtatore ſit factum, l. 1. *pr.* ff. h. t. nam ſi inconſultò, nihil cauſæ eſt; quo minus debeantur; quæ inducta ſunt, dummodo legi poſſint, quia incautè factum pro non facto habetur. l. 1. *pr.* ff. h. t.

TH. 3. Teſtamentum reſignatur, quando ſigna amoventur à teſtatore, l. 22. §. 2. l. 23. ff. *qui teſtam. fac. poſ.* l. *pen.* C. *de teſtam.*

TH. 3. Quæritur, utrum teſtator in dubio præſumatur aliquid in teſtamento deleviſſe? Reſp. affirm. niſi favore libertatis deletio habeatur inconſultò facta. l. 3. *in fin.* ff. h. t.

TH. 4. Si unius heredis nomen inducatur, (a) id ei tantum nocebit, non alijs, niſi propter unius offenſam, totum teſtamentum infirmatum voluerit teſtator. l. 2. ff. h. t.

(a) Idem eſt, quod delere, l. 1 *pr.* ff. h. t. ſeu cancellare, l. 22. C. *de ſolution.*

TITVLVS V.

De heredibus inſtituendis.

Iung. tit. 24. lib. 6. C.

TH. 1. DE ſuis & neceſſarijs heredibus, hoc eſt liberis in poteſtate patria exiſtentibus antea titulo 2. diſſeruimus; de extraneis heredibus hoc titulo tractare convenit.

TH. 2. Teſtamenti factio eſt vel heredis inſtitutio nuda, vel inſtitutio cum legato aut fideicommiſſo, & alijs conjuncta, e. g. donatione mortis cauſa, aſſignatione liberti, tutoris datione, pignoris datione, emphyteuſeos conſtitutione, &c.

TH 3. Inſtitutio (a) heredis (b) eſt deſignatio ſucceſſoris in univerſum ius, quod habet teſtator tempore mortis.

(a) Quæ fit quibuſcunque verbis, ſive directis, ſive obliquis, ſublata eſt enim omnis verborum ſolennitas. l. 15. C. *de teſtib.*

(b) Vox heres derivatur ab hero, id eſt domino, §. *pen. Inſt. de hered. qualit.* & ſumitur multifariam, (1) ſignificat ſuum & neceſſarium tantum, de quo vide ad tit. ff. *de acquir. vel amitt. heredit.* (2) non eum modo, ſed & extraneum, actu ſuccedentem, l. *fin.* C. h. t. (qui non ſunt in poteſtate & familia defuncti, omnes vocantur extranei) ſive ille ſit legitimus, ſive in teſtamento directo inſtitutus, l. 1. §. 4. ff. *ad SCtum Trebell.* & ita hic accipitur, (3) & fideicommiſſarium continet, *rubr. & t. Inſt. de fideicommiſſ. hered.* (4) denotat proximum ſaltem ſanguinis ſucceſſorem, l. 70. ff. *de V. S.* (5) ſolum deſignatum ſucceſſorem, vel eum, cui ius ſuccedendi ab inteſtato competit, actu tamen nondum ſucceſſit, l. *fin.* § 13 *&* 14. C. *de jur. deliber.* (6) eum, qui in re certa fuit inſtitutus, ſignificat.

TH. 4. Non omnes abſque diſcrimine inſtitui poſſunt heredes, verum illi tantum, qui ſunt idonei & habiles, cum quibus eſt teſtamenti factio, l. 49. §. 1. ff. h. t. quæ dupliciter accipitur, [1] activè (quæ huc pertinet) & [2] paſſivè; illo modo, qui in teſtamento heredes in-

ſtituere licitè poſſunt, eiuſmodi ſunt, quicunque non prohibiti, vel [1] ob conditionem ſuæ perſonæ, ut ſervi, l. 8. ff. *qui teſtam. fac. poſſ.* peregrini, filijfam. l. 6. & 16. ff. *eodem.* vel [2] ob bona adempta, l. 7. C. *ad L. Iul. Majeſt.* aut quod propter crimina condemnati ſint infames, l. 18. §. 1. ff. *qui teſtam. fac. poſſ.* vel (3) ob defectum iudicij, ut furioſi, impuberes, minores, prodigi, l. 4. C. *de teſtam.* poſteriori modo, ſcil. paſſiva teſtamenti factio illorum eſt, qui licet teſtamentum facere nequeant, attamen ipſi ex teſtamento capere poſſunt, vel alij acquirere, atque ita cum furioſo & muto, & poſthumo, & infante & filiofam. & ſervo alieno teſtamenti factio eſſe dicitur, quo ſenſu hic ſumitur, l. 31. l. 49. §. 1. & 64. ff. h. t. §. 4. *Inſt. de hered qual. & differ.*

TH. 5. Nonnulli ſimpliciter & abſolutè heredes inſtitui prohibentur, alij ſecundum quid tantum.

TH. 6. Simpliciter inſtitui vetantur, (1) peregrini, quia non ſunt cives Rom. & per conſequens juris civilis non capaces, l. 1. C. *de heredib. inſtit.* l. 6. §. 2. ff. h. t. (2) deportati, quia habentur pro peregrinis, d. l. 1. C. l. 17. § *fin.* ff. h. t. (3) ſervi pœnæ, l. 17. *pr.* ff. *de pœn.* l. 3. ff. *de hic quæ proſcript. habentur,* (4) hæretici, l. 4. §. *ipſos auth. credentes* C. *de hæretic.* (5) apoſtatæ, l. 1. & 3. C. *de apoſtat.* (6) collegium illicitum, l. 8. C. *de hered. inſtituend.* (7) perſona omnino incerta, quoniam certum eſſe debet teſtatoris conſilium, l. 9. §. *fin.* ff. h. t. ſi tamen non planè incerta perſona, & aliunde appareat, de qua teſtator ſentiat, inſtitutio valet, l. 8. 9. & 62. ff. h. t. ut ſi teſtator, heredis nomen coram ſeptem teſtibus non exprimat, ſed dicat, iſte mihi heres eſto, quem in ſchedula, apud Sempronium exiſtente expreſſi; item ſi piæ cauſæ teſtator ſuam hereditatem relinquat, aut pro redemptione captivorum, vel alimentis pauperum, l. 1. C. *de SS. Eccleſ.* ſi Eccleſiam heredem inſtituat. l. 8. & 12. C. *de hered. inſtit.*

TH. 7. Secundum quid inſtitui heredes vetantur (1) mulier nubens intra annum luctus, l. 1. C. *de ſecund. nupt.* quod iure canonico correctum eſt, c. *fin. Extr. de ſecund. nupt.* (2) Liberi ex inceſtuoſo & nefario coïtu prognati, l. 6. C. *de inceſt. nupt.* (3) Imperator litis cauſa heres inſtitutus, l. *ult.* ff. h. t. quod fit iudicij mutandi cauſa, ubi durior & potentior adverſarius opponitur alteri, l. *pen.* ff. h. t. §. *ult. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.* (4) liberi naturales, ſi nimirum à parentibus in ſolidum inſtituantur heredes, extantibus legitimis, his verò deficientibus contrarium obtinet. *Nov.* 89. c. 12.

TH. 8. Heres eſt perſona, quæ in univerſum ius defuncti ſuccedit, *arg.* l. 62. ff. *de R. I.*

TH. 9. Vt quis æſtimetur heres idoneus & habilis, tria tempora inſpici oportet, (1) tempus facti teſtamenti, (2) mortis teſtatoris, & (3) adeundæ hereditatis, ſi intermedio tempore quædam heredis inhabilitas interveniat, heredi nihil quicquam obeſt, §. 4. *Inſt. de hered. qualit. & different.* l. 6. §. 2. l. 49. §. 1. l. 50. *pr.* l. 59. §. 4. ff. h. t.

TH. 10. Inſtitutio hodiè non neceſſario eſt premittenda, aſt olim ante heredis inſtitutionem inutiliter legabatur, vel libertas dabatur, ratio adæquata in eo fundata, quia teſtamenta vim ex inſtitutione heredis accipiunt, & ob id veluti caput atque fundamentum intellig iur totius teſtamenti inſtitutio heredis. §. 34. *Inſt. de legat.*

TH. 11. Et unum & plures uſque in infinitum, quot teſtator vult, heredes inſtituere ei licet. §. 4. *Inſt.* h. t.

TH. 12. Inſtitutio ex voluntate & propoſito teſtatoris fieri debet, *arg.* l. 9. §. 5. l. 62. §. 1. ff. h. t. l. 12. §. *fin.* ff. *de legat.* 1. metus igitur vitiat heredis inſtitutionem.

TH. 13. Inſtitutio in alterius arbitrium non rectè confertur, e. g. quemcunque Titius voluerit, ille heres eſto, l. 68. ff. h. t. quia leges volunt, teſtamentorum iura per ſe firma eſſe, & ab alterius non dependere arbitrio, l. 32. ff. h. t. quo facit, quod lege 12. Tabb. cautum ſit uti quiſque legaſſet, ita ius eſto; facit etiam, quod aliàs facile contingeret diſponi aliquid contra, quam defunctus voluiſſet.

TH. 14. Inſtitutio captatoria (a) eſt, qua quis ſibi, vel alij, alterius, quem heredem ſcripſerit, captat hereditatem, hac forma; Si Titius heredem me ſcripſerit, aut qua parte heredem me ſcriptum in ſuis tabulis recitaverit, ex ea parte mihi heres eſto, l. 1. *in fin.* ff. *de his quæ pro non ſcript. hab.*

(a) Ita dicitur, quia eſt in captionem eius, qui heres vocatur, ut illectus illecebra hereditatis oblatæ ſuam alteri relinquat.

TH. 15. Teſtator in re propria, non aliena inſtituere debet, l. 13. C. *de teſtamen.*

TH. 16. Inſtitutio in re communi valet, l. 1. C. h. t. quia teſtator, non totam rem, ſed pro ſua parte relinquere cenſetur, l. 5. *in fin.* ff. *de legat.* 1.

TH. 17. Vnus in toto inſtitutus integrè eſt heres, hoc eſt totam accipit hereditatem, plures autem, ſi inſtituantur, hereditatem æqualiter dividunt, excipe, niſi teſtator hereditatem inæqualiter diviſerit, §. 5. *Inſt.* l. 13. §. 2. ff. h. t.

TH. 18 Aliquando inſtituit teſtator heredes in re certa; ubi tres caſus accuratè ſunt attendendi, [1] quando unus in re certa & ſingulari

inſtituitur, nullis datis coheredibus, univerſalibus mentio rei certæ detrahitur, & habetur pro non adjecta, ac ſi partes non adſcriptæ ceſſent; qui hoc caſu eſt heres ex aſſe. l. 1. § 4. l. 74. ff. h. t. ſicut enim viventis unum eſt patrimonium, ita & defuncti una hereditas, unus heres (ſi nimirum unus tantum & non plures inſtituti) ad quem eodem ordine defertur, [2] ſi duo, vel plures incertis rebus inſtituti fuerint, ſine coherede univerſali, (nam aliàs ex re ſingulari vocati erunt loco legatariorum. *l. ex facto* 55. *pr. &* §. *1.* ff. h. t.) æqualiter in tota hereditate ſuccedunt, & certæ illæ res, in quibus inſtitutio facta, habentur, ac ſi ſingulis prælegatæ fuerint. l. 9. §. 13. l. 10. l. 35. *pr. &* §. 1. l. 78 *pr.* ff. h. t. [3] quando unus, vel plures ex certa re, vel certis rebus ſunt inſtituti, iiſque adjecti ſunt heredes univerſales, quo caſu ex certa re inſtituti pro legatarijs habentur. l. 13. C. h. t. interim, ſi heres, vel heredes univerſales è vivis fortè diſcedant, ex certa re inſtituti in heredum univerſalium locum ſuccedunt.

TH. 19. Inſtitutioni dies certus adjici non debet. § 9. *Inſt.* l. 34. ff. h. t. quia nemo pro parte teſtatus & inteſtatus diſcedere poteſt. l. 7. ff. *de R. I.* Ergo quoties dies, vel tempus adjicitur, pro non adjecta habetur, & inſtitutio pro pura eſt. l. 34. ff. h. t.

TH. 20. Hereditas ut plurimum in duodecim dividitur uncias, quæ aſſis appellatione continentur. l. 50. §. *fin.* ff. h. t. his duodecim partibus, ab uncia uſque ad aſſem numerando, ſua propria inſunt nomina. *Vncia*, hoc eſt, una pars aſſis; *Sextans*, hoc eſt, duæ unciæ, quaſi ſexta pars aſſis; *Quadrans*, tres unciæ, quaſi quarta pars aſſis; *Triens*, quatuor unciæ, quaſi tertia pars aſſis: *Quincunx*, quaſi quinque unciæ: *Semis*, quaſi ſemi as, dimidia pars aſſis. *Septunx*, quaſi ſeptem unciæ: *Bes*, octo unciæ, quaſi bis triens: *Dodrans*, novem unciæ, quaſi dempto quadrante, as: *Dextans*, decem uncię, quaſi dempto ſextante, as: *Deunx*, undecim unciæ, velut as, dempta uncia: *As*, totum eſt, omnes recitatas partes, hoc eſt, duodecim uncias in ſe comprehendens. §. 5. *Inſt. de heredib. inſtit.* Hodie in teſtamento rariſſimè aſſis, aut unciarum fit mentio, nam plures inſtitui ſolent, vel ex æquis portionibus, vel quibuſdam res certa, alijs tota hereditas titulo inſtitutionis relinquitur.

TH. 21. Cauſa efficiens inſtitutionis eſt voluntas teſtatoris. *l. interdum.* 13. ff. h. t. quia inſtitutio ex alterius voluntate & arbitrio dependere haud poteſt. *l. illa inſtitutio.* 32. ff. h. t.

TH. 22. Materia circa quam: inſtitutio poteſt fieri de omnibus teſtatoris bonis. l. 13. C. *de teſtam.* tam mobilibus, quàm immobilibus.

TH. 23. Forma inſtitutionis hodie fieri poteſt quibuſcumque verbis. *l. quoniam. C. de teſtam.* non tantum directis, (a) ſed & obliquis, (b) item communibus. (c)

(a) Directa verba ſunt, quæ ſui natura hoc important, ut ille, cui relinquitur, ſua authoritate à teſtatore immediatè accipiat, nec ad alterius factum trahatur. e. g. heres eſto, heredem te inſtituo, &c. l. 1. § 3. & 4. ff. h. t. *l. non codicillum.* 14. *C. de teſtam.*

(b) Obliqua verba ſunt, per quæ diſponitur, ut alieno facto ſucceſſio ad aliquem perveniat mediatè, & quæ ſonant in id, ut quis de manu alterius accipiat, e. g. Rogo ut à Titio hereditatem meam accipias, rogo te, fili, ut Sejum heredem facias. *l. pater filium, §. fin. l. Lucius, §. fin. ff. de legat. 3.* volo, ut tibi hereditas reſtituatur, detur, reddatur.

(c) Communia verba ſunt, quæ utramque ſignificationem habere poſſunt, nimirum ut quis per ſe, vel per alium capiat, ut eſt verbum ſubſtituere, pervenire, pertinere, ſuccedere, reverti, devolvi, &c.

TH. 24. Inſtitutio verbis idoneis eſt facienda. l. 15. C. *de teſtib.* ſolo enim nutu, vel ſignis hereditates non rectè relinquuntur. *l. iubemus,* 29. *C. de teſtament.* l. 21. ff. *de legat. 3.* Hinc ad legitimam inſtitutionem quatuor ſequentia ſunt neceſſaria, (ut ex inſtitutione de certa teſtatoris voluntate conſtet. l. 62. §. 1. ff. h. t. [2] ne inſtitutio ſit captatoria, *de qua Theſi* 14. [3] ut voluntas teſtatoris in inſtituendo herede ſit libera, non metu, vel vi expreſſa, [4] ut in inſtitutione, quis ſit heres inſtitutus, certò pateat. d. l. 62. §. 1. quia error in perſona heredis totam vitiat inſtitutionem. *l. quoties volens,* 9. ff. h. t. ex adverſo error qualitatis & falſa demonſtratio, aut cauſa inſtitutionem non annihilant, niſi errorem perſonæ in ſe complectantur. l. 72. §. 2. ff. *de condit. & demonſt.* l. 4. C. h. t.

TH. 25. Finis inſtitutionis eſt, ut heres inſtitutus, excluſis heredibus, ab inteſtato aliàs ſuccedentibus, in univerſum teſtatoris ius & patrimonium ſuccedat. l. 62. ff. *de R. I. l.* 5. §. 6. *ff. de legat. præſtand.*

TH. 26. Effectus inſtitutionis eſt, quod heredi ſtatim à morte teſtatoris adire etiam animo hereditatem liceat, qua aditione in univerſum defuncti ius ſuccedit. d. l. 62. ff. *de R. I.*

TITULUS VI.

De Vulgari & Pupillari ſubſtitutione.

Iung. tit. 26. lib. 6. C. *De inſtitut. & ſubſtit.* & tit. ſeq. 26. *De impuber. & alijs ſubſtit.*

TH. I. QVOS teſtator ultima ſua voluntate declarat & deſignat heredes, illi aut inſtituti, aut ſubſtituti appellantur. Inſtituti primo gradu ſunt; Subſtituti ſecundo, vel tertio. l. 1. ff h. t. poteſt enim teſtator non tantum uſque ad tertium gradum ſubſtituere, *ut in Nov.* 159. aſſeritur, (ubi ſecundi & tertij gradus fit mentio exempli cauſa, non ut gradus ulteriores excludantur,) ſed & in infinitum. *pr. Inſtit. de vulgar. & pupill. ſubſtit.*

TH. 2. Inſtitutioni ſubjungitur ſubſtitutio eo fine, ut deficiente herede primo loco vocato, per ſequentem ſuſtineatur defuncti voluntas.

TH. 3. Subſtitutio (a) eſt ſubordinata quædam heredis inſtitutio, ſive eſt ſecundi heredis inſtitutio. l. 1. 36. & 43. §. 2. ff. h. t.

(a) Vox ſubſtitutionis eſt æquivoca, quæ in ſua æquivocata eſt reſolvenda, [1] accipitur generaliſſimè pro ea ſubſtitutione, quâ omnis res, quæ in alterius locum ſurrogatur, ſubſtitui dicitur. *l. pen. ff. de indic. ſolv. l.* 22. *ff. de legat.* 1. l. 39. §. 11. ff. *de adminiſtrat. tutor.* l. 45. §. *pen. ff. de jur. fiſc.* [2] generaliter pro ſurrogatione, quæ in quavis ultima voluntate, vel univerſaliter, vel ſingulariter fit. l. 101. ff. *de condition. & demonſt.* l. 50. ff. *de legat.* 2. *l. un.* §. *ſin autem.* 7. *C. de caduc. tollend.* [3] latè pro deſignatione heredis directi, vel fideicommiſſarij. l. 5. C. *de impuber. & alijs ſubſt.* l. 64. l. 77. §. *pen.* l. 87. §. 2. ff. *de legat.* 2. [4] ſpecialiter & propriè denotat deſignationem ſolius heredis ſecundi, vel ulterioris. l. 45. ff. h. t. quo ſenſu hic ſumitur.

TH. 4. Quod ſubſtitutionum quatuor dentur ſpecies, putà [1] vulgaris, [2] pupillaris, [3] quaſi pupillaris, ſive exemplaris, & [4] militaris ex ſequentibus caſibus, quibus ſurrogatio, vel ſubſtitutio fieri poteſt, oppido liquet. Primus caſus eſt, Si inſtitutus heres non erit, in quem caſum fit ſubſtitutio vulgaris. (2) ſi heres ſuus impubes intra pu-

bertatis annos deceſſerit, in quem fit ſubſtitutio pupillaris; (3) ſi in furore, vel alio morbo deceſſerit filius, in quem fit quaſi pupillaris, ſive exemplaris ſubſtitutio; (4) quandocumque heres deceſſerit, in quem ſit privilegiata ſoli militi competens. Nota, duæ priores ſubſtitutionum ſpecies ſunt propriæ, quia directo, & civilibus verbis fiunt.

TH. 5. Subſtitutio vulgaris (a) eſt, quæ fit in ſolo teſtamento, (b) à quovis, (c) cuivis heredi, (d) quibuſcumque verbis in hunc caſum, ſi ille heres non erit, (e) ille heres eſto.

(a) Quia vulgò ex lege, & directis verbis fieri ſolet.

(b) E. non in codicillis. §. 2. *Inſt. de codicillis.*

(c) Idcirco & matri vulgariter ſubſtituere eſt permiſſum.

(d) Nulla habita ætatis, vel ordinis ratione, tam puberi, quàm impuberi, tam ſuo, quàm extraneo.

(e) In his verbis eſt genus, huius ſpecies ſubalternæ ſunt duæ, [1] ſi heres eſſe noluerit, [2] ſi heres eſſe non potuerit, putà ob ingratitudinem exheredatus, &c. ſpecies infima eſt, v.c. ſi præmortuus, ſi deportatus ſit. Contra ſubſtitutio vulgaris exſpirat, quando ſuus heres immiſcet ſe hereditati. l. 11. ff. *de liber. & poſthum.* & quando extraneus heres adit hereditatem. l. 5. C. *de impuber. & alijs ſubſtit.* t. t. ff. *Inſt.* h. t.

TH. 6. Effectus ſubſtitutionis vulgaris eſt idem qui inſtitutionis primæ, nam conditione exiſtente, tribuit ius ſuccedendi ex teſtamento; è contrario exſpirat ſubſtitutio aditione, vel immixtione hereditatis per primum inſtitutum heredem. d. l. 5. C. *de impub. & alijs ſubſt.* unde conſtat, ſubſtitutum tum demum admitti ad hereditatem, ſi vel primi heredes moriantur, vel ijs adhuc exiſtentibus, ſi ſuus heres abſtineat ab hereditate, vel extraneus eam repudiet.

TH. 7. Subſtitutio pupillaris (a) eſt, qua liberis in proximo poteſtatis noſtræ gradu conſtitutis, (b) & poſt mortem noſtram pupillis futuris, de herede in caſum, ſi impuberes deceſſerint, providemus, (c) e. g. filius meus heres eſto, & ſi heres fuerit, & intra pubertatem deceſſerit, Cajus heres eſto.

(a) Ita dicitur, quia pupillo per eam ſucceditur, morienti nimirum ſui iuris; tale teſtamentum eorum parens in gratiam impuberum condit, quod ſibi teſtamentum ob teneram ætatem facere nequeant.

(b) Et poſt mortem in alterius poteſtatem non recaſuris. *pr. Inſt. de pupill. ſubſtit. arg. l. 2. pr.* h. t. *&* §. 2. *Inſt. de hered. qualitat.*

(c) *l. 2. pr. l. 4. pr. ff. h. t. d. pr. Inſt. de pupill. ſubſt.*

TH. 8. Pater liberos in poteſtate habens, (a) tantum pupillariter ſubſtituere poteſt, & quidem in teſtamento. (b)

(a) Quod

(a) Quod vi patriæ poteſtatis ei conceſſum. l. 3. & 4. ff. h. t. *pr. Inſt. de pupil. ſubſtit. l. ult. C. de impub. & al. ſubſtit.* E. matri, & reliquis parentibus, liberos in poteſtate non habentibus, facultas ſubſtituendi legibus non eſt permiſſa.

(b) l. 1. §. *ult.* ff. h. t. l. 2. *pr.* & §. 1. §. 4. ff. h. t.

TH. 9. Pater pupillariter ſubſtituere poteſt ijs, qui tempore mortis ſunt in patris poteſtate. l. 2. *in fin.* ff. h. t.

TH. 10. Effectus ſubſtitutionis pupillaris eſt, quòd ſubſtitutus, pupillo ante pubertatem mortuo, in omnibus bonis ſuccedat, ſive ea à patre, ſive matre, ſive agnatis, ſive alio modo habeat. l. 10. §. 5. ff. h. t. per hunc ſubſtitutum excluduntur omnes, qui aliàs pupillo ab inteſtato ſucceſſuri fuerant.

TH. 11. Subſtitutio pupillaris finitur, [1] pubertate ſui heredis. l. 7. & 14. ff. h. t. quia ultra hanc ætatem filij, ius condendi teſtamentum patri non competit. l. 14. ff. h. t. §. *pen. Inſt. eod.* [2] ſi vivo patre impubes ſit mortuus. l. 28. ff. h. t. quo caſu impubes bona non reliquiſſe dicitur, [3] emancipatione pupilli, quia requiritur ut non tantum tempore conditi teſtamenti, ſed & mortis teſtatoris ſit in familia is, cui ſubſtitutio facta. l. 41. ff. h. t. ſubſtitutio enim pupillaris in poteſtate fundatur, quæ duobus temporibus adeſſe debet, [4] ſublato teſtamento paterno; ſi enim hoc corruat, quod eſt principale, non poteſt valere pupillaris ſubſtitutio, cum ſit acceſſoria, [5] ſi ſubſtitutus moriatur ante impuberem, adeo, ut nihil ad heredem tranſmittat, cum necdum juris quid acquiſitum habeat, ſed acquirendum demum per mortem impuberis, quod cum necdum ſit in rerum natura, tranſmitti haud poteſt. *l.* 41. *ff. de acquir. rer. dom. l.* 81. *in fin. ff. de acquir. hered.* ubi dicitur, mortuum ad heredem non transferre jus ſubſtitutionis.

TH. 12. Subſtitutio quaſi pupillaris, ſive exemplaris (a) eſt, qua parentes (b) liberis mente captis, vel furioſis (c) puberibus heredes deſignant, (d)

(a) Ita dicitur, quia ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis eſt introducta, ſicut enim pupillaris fit pupillo, quod per ætatem ſibi heredem eligere nequeat, ita quaſi pupillaris puberi mente capto, prodigo, &c. quia mentis innocentia à proviſione futuri heredis eum arcet. l. 9. C. h. t. idem affirmatur de ijs, quos vitium corporis impedit ab electione heredis, ut muti. l. 43. ff. h. t.

(b) Vtriuſque ſexus, hæc enim ſubſtitutio fit ſine diſcrimine ſexus, ut à patre, matre, avo, avia; quod ob humanitatem inductum eſt; non verò intuitu patriæ poteſtatis. l. 9. C. *de impuber. & alijs ſubſtitut.*

(c) §. 1. *Inſt. de pupill ſubſtit. l. ſi furioſus.* 25. *C. de nupt. l.* 14. *ff. de offic. Præſid.*

(d) Ea nimirum ratione ſi in tali ſtatu furioſus prodigus deceſſerit.

Th. 13. Huius ſubſtitutionis requiſita ſunt ſex, [1] ut is, cui ſubſtituitur, ſit de liberis teſtatorum legitimis; hinc de naturalibus id negatur: E. multo magis de ijs, qui ex damnato coïtu nati ſunt, [2] ut patiatur defectum iudicij talẽ, ob quem teſtamentum facere nequit, modò, antequam tali morbo laborare cœperint, non fecerint teſtamentum; quia hoc, ſuperveniente licet furore, ſuſtinetur, & valet, [3] ut non incidat in poteſtatem patris, poſt mortem avi ſubſtituentis, [4] ut in vitio decedat, [5] ut pater ſibi ipſi teſtamentum fecerit, & [6] ut perſonæ legitimæ ſubſtituantur. d. l. 9. C.

Th. 14. Effectus ſubſtitutionis huius quaſi pupillaris eſt, quod ſicut in pupillari, ita & in hac, bona eius, cui facta ſubſtitutio, undecumque quæſita, ad ſubſtitutum devolvantur. *arg. l.* 10. §. *ad ſubſtitutos*, ff. h. t.

Th. 15. Finitur hæc exemplaris ſubſtitutio ijſdem ferè modis, quibus pupillaris, e. g. ſi teſtatori auferatur teſtandi facultas, ſi teſtamentum eius corruat, ſi liberi naſcantur ei, cui facta eſt ſubſtitutio. l. 43. *in fin. pr.* ff. h. t. præprimis finitur, ſi morbus eius, cui ſubſtituitur, non ad tempus, ſed in totum diſcedat. l. 9. C. h. t. d. l. 43.

Th. 16. Subſtitutio militaris, ſive privilegiata eſt, qua miles etiam de bonis non caſtrenſibus extra caſtra teſtamentum condens, cuivis heredi à ſe inſtituto poteſt directis verbis ſubſtituere alium, in caſum, quo inſtitutus deceſſerit.

Th. 17. Militaris hæc ſubſtitutio etiam ultra pubertatem valet, iure directo, & vi ſubſtitutionis, contra communes iuris regulas. l. 15. ff. h. t. nam poſt pubertatem mortuo ſubſtitutus admittitur ex privilegio militum.

Th. 18. A memoratis ſubſtitutionum ſpeciebus accuratè diſtinguendi ſunt modi ſubſtituendi. Nam, vel [1] ſubſtituuntur plures inſtituti heredes mutuò, & ſibi invicem, ut ſi pater duos filios impuberes heredes inſtituat, eoſque invicem ſubſtituat, quam impropriè vocant ſubſtitutionem reciprocam, quia propriè loquendo non eſt ſpecies, ſed modus ſubſtituendi invicem, modo pupillari, non vulgari. l. 1. §. 1. l. 45. § 1. ff. h. t. vel [2] plures ſubſtituuntur pluribus, vel [3] plures uni, vel [4] unus pluribus, vel denique [5] ſinguli ſingulis. §. 1. *Inſt.* h. t.

Th. 19. Vſus huius materiæ de ſubſtitutionibus hodie haud rarò eſt inſignis & frequens, vide *Dn. Carpz. part. 3. conſt. 8.*

TITVLVS VII.

De Conditionibus inſtitutionum.

Iung. tit. 25. lib. 6. C. *De inſtit. & ſubſtit. & reſtit. ſub condit. fact.*

TH. 1. QVONIAM inſtitutio heredum non modo purè, verum etiam ſub conditione fieri ſolet; ideo eas conditiones hic conſideremus.

TH. 2. Conditio in genere eſt adjectio eiuſmodi, qua actum differimus in aliquem eventum, ſeu caſum. l. 41. ff. *de V. O.* l. 10. §. 1. ff. h. t.

TH. 3. Conditio eſt poſſibilis, vel impoſſibilis.

TH. 4. Conditio poſſibilis eſt triplex, (1) poteſtativa, (2) caſualis, & (3) mixta. *l. un. §. 7. C. de caduc. tollend.*

TH. 5. Conditio poſſibilis poteſtativa eſt, quæ ſine impedimento eſt in poteſtate eius, in quem confertur, & niſi eam impleat, heres eſſe non poteſt. l. 44. *pr.* l. 63. §. 1. ff. *de condition. & demonſtrat.* hæc conditio conſiſtit in dando, vel faciendo, e. g. ſi ſtrictum manumiſeris, ſi Titio centum dederis, heres eſto, ſi in curiam iveris. Excipe; interdum evenit, ut penes heredem non ſtet, talem conditionem implere, ſi videlicet caſu impediatur, & tunc pro impleta, vel impoſſibili habetur. l. 8. § *pen.* ff. h. t. e. g. ſi promiſerit ſe ſervum Stichum manumiſſurum, qui ante manumiſſionem moritur.

TH. 6. Conditio caſualis eſt, quæ penitus ab alieno arbitrio, vel à caſu, fortuna, & mero eventu fortuito dependet. *d. l. un. §. ſin autem. C. l.* 60. ff. *de condit. & demonſtrat.* e. g. ſi navis ex Aſia redierit, ſi Titius Conſul factus fuerit.

TH. 7. Conditio mixta eſt; quæ partim ab animo dependet heredis, in quem confertur, partim à caſu & fortuna, e. g. ſi matrimonium cum hac virgine contrahas, ſi in remotiſſimas terras naviges, ſi Titio ab hoſtibus reverſo centum dederis, ſi Titio Conſule Capitolium aſcenderis.

TH. 8. Sub omnibus his conditionibus extraneus rectè inſtituitur, & deficiente conditione, deficit inſtitutio, exiſtente autem ea exiſtit.

TH. 9. Filiusfam. aut alius ſuus heres nonniſi ſub conditione pote-

ſtativa inſtitui poteſt. *l. filius*, 15. *l. fin.* ff. h. t. l. 4. l. 86. ff. *de hered. inſtit.* l. 83. ff. *de condit. & demonſtrat.* ſi enim ſub caſuali, aut mixta inſtitueretur filius, deficiente ea contra leges eſſet præteritus; Imò, quia nec inſtitutus, nec exheredatus dici poteſt, propter incertum eventum, illico pro præterito habetur. §. 12. *Inſt. de hered. quæ ab inteſtat.* adeoque talis conditio totam inſtitutionem & teſtamentum vitiat. l. 86. ff. *de hered. inſtit. l. 4. C. de inſtitut. & ſubſtit.*

TH. 10. Conditio impoſſibilis eſt duplex, [1] natura, & [2] lege. Illa eſt ſimpliciter talis, vel ſecundum quid, ſive ob circumſtantias. Hæc eſt contra bonos mores. l. 15. ff. h. t.

TH. 11. Conditio naturâ ſimpliciter impoſſibilis eſt, quæ per rerum naturam evenire non poteſt, e. g. cælum digito tangere, mare ebibere.

TH. 12. Conditio naturâ ſecundum quid, vel ob circumſtantias impoſſibilis eſt, quæ quidem in ſe poſſibilis, ſed reſpectu circumſtantiæ additæ eſt impoſſibilis, talis (1) vel ratione perſonæ, e. g. ſi quis hac conditione ſervum manumiſerit, ſi is mille aureos dederit, quod ipſi, nil habenti impoſſibile, licet diuiti poſſibile, aut ſi domum ſuis manibus ædificaſſet, qui eius artis prorſus ſit ignarus, vel (2) ratione temporis, e. g. ſi quis hic Pariſijs ea conditione heres ſit inſtitutus, ſi intra horam Romam pervenerit, vel (3) ratione loci, e. g. ſi in locis montanis ceperis balenam, vel (4) ratione perplexitatis, ſi Titius heres erit, Sejus heres eſto, ſi Sejus heres erit, Titius heres eſto. l. 16. ff. h. t.

TH. 13 Conditio impoſſibilis lege, ſive iure eſt, quæ honeſtè fieri non poteſt, ſive quæ eſt contra bonos mores. d. l. 15. ff. h. t. hæc in ſpecie vocatur turpis; quam, aut lex, aut Senatus, aut Princeps improbat; qualis eſt, ſi mulier ſit inſtituta ſub hac conditione, ſi non nupſerit.

TH. 14. Conditio impoſſibilis naturâ teſtamento adjecta pro non ſcripta habetur, ſive inſtitutioni adſcripta ſit, ſive legatis & fideicommiſſis. l. 1. ff. h. t. l. 3. ff. *de condit. & demonſtr.*

TH. 15. Conditio impoſſibilis lege teſtamento adjecta, remittitur, nec lex vult eam ob turpitudinem adjunctam impleri, e. g. ſi ab hoſtibus patrem ſuum non redemerit, ſi parentibus ſuis, vel patrono alimenta non præſtiterit. l. 9. ff. h. t. l. 8. & l. 20. *de condition. & demonſtr.*

TH. 16. Conditio impoſſibilis ſecundùm quid, ſive ob circumſtantias inſtitutionem vitiat, ideo inſtitutio ſub tali conditione facta eſt inutilis. l. 6. ff. h. t. quia impleri nequit, & ante impletionem nulla.

TH. 17. Ad trium præcedentium Theſium declarationem, obſerva ſequentia. Conditio cui vel ius, vel natura repugnat, actum (inſtitutionem) non vitiat, ſed vitiatur conditio. Aſt quæ hominis facto impoſſibilis (ob circumſtantias talis) actum vitiat.

TH. 18. Conditio impoſſibilis ex perplexitate (a) inſtitutionem vitiat, ut ſi Titius heres erit, Seius heres eſto, ſi Seius heres erit, Titius heres eſto; talis inſtitutio eſt inutilis, cum conditio exiſtere non poſſit.

(a) Quæ fit, cum verba ſunt perplexa & pugnantia.

TH. 19. Quæritur, vtrum iſta conditio ſit implenda, ſi quis Lutheranorum ſub hac conditione inſtitueretur heres, ut Pontificiam religionem amplectatur & vice verſa? Reſp. negando. Hæc conditio tanquam turpis remittitur, (1) quia non ea intentione Pontificiam religionem ſuſcepit, quaſi Lutherana erronea, & altera melior, ſed ut lucrum percipiat, aliàs ipſa adductio ad veram religionem in ſe non eſt turpis, ſed eiuſmodi modus adducendi eſt turpis, ut nimirum quis ſpe lucri, hoc eſt hereditatis adipiſcendæ, religionem mutet, quod damnandum. l. 8. ff. h. t.

TITVLVS VIII.

De jure deliberandi.

Iung. tit. 30. lib. 6. C. d. t.

TH. 1. HACTENVS de modo inſtituendi & ſubſtituendi, deque conditionibus inſtitutioni appoſitis diſſeruimus; ſubjicitur nunc teſtamenti operatio, ſive effectus, qui conſiſtit in hereditatis, legati, & fideicommiſſi acquiſitione.

TH. 2. Hereditatis acquiſitioni præmittitur ius deliberandi ob grave periculum, quod ſubit heres adeundo, ratione æris alieni, quod latere poſſet, & cui ſe obſtringit: periculum hoc hodie beneficio inventarij evitari poteſt.

TH. 3. Ius deliberandi eſt poteſtas conſultandi de hereditate acquirenda vel omittenda, l. 19. C. h. t. §. 5. *Inſt. de hered. qualit. & different.*

TH. 4. Ius deliberandi locum habet in herede extraneo, cui liberum eſt adire, vel repudiare; non idem obtinet in neceſſatio, qui velit, nolit, adire cogitur. Non habuit etiam olim locum in ſuo herede propter dominij continuationem, l. 1. §. *qui ſunt* 7. ff. *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* iure novo & in ſuo locum habet, cum ex beneficio Prætoris abſtinere ſe poſſit, §. *ſui autem* 2. *Inſtit. de hered. qualit. & differ.* ſicut enim iure civili extraneis heredibus deliberare licet, adire, an repudiare hereditatem velint, ita iure Prætorio ſuis heredibus conceſſum eſt deliberandi tempus, inque vires hereditatis inquirendo, utrum immiſcere, an abſtinere velint.

TH. 5. Ius deliberandi intra certum tempus (a) vel à lege, (b) vel Imperatore (c) vel inferiori judice (d) determinatum competit illis, quibus hereditas eſt delata, ſive illi ſint heredes voluntarij, ſive ſui & neceſſarij. (e)

(a) Quod durat triginta annos, ſi nimirum nemo aditionem hereditatis urgeat, inſtantibus enim creditoribus aut ſubſtitutis, quorum intereſt, tempus deliberandi olim præfigebatur certum, l. 2. l. 1. §. *ult* ff h. t. quod non minus, quam centum dierum, poſtea hoc tempus deliberandi ad annum à Prætore extenſum eſt. l. 19. C. h. t.

(b) Qua anni ſpatium eſt conſtitutum, quod incipit ab eo die, quo heres ſcriptus cognovit, hereditatem ſibi delatam eſſe; quia deliberatio in ignorantem non cadit; ſi intra hoc conſtitutum tempus deceſſerit heres, reliquum ad ſuos, imò & extraneos tranſmittit, d. l. 19. C. h. t. quod deliberandi tempus tribuitur heredi, ſive hoc petat, ſive non petat. d. l. *fin.* § 13. C. h. t.

(c) Quod à tempore conceſſionis numerando eſt annale.

(d) Hic concedit, vel novem menſes, d. l. *fin.* §. 13. vel centum dies.

(e) §. 5. *Inſt. de hered. & different.* l. 7. *cum legib. ſeqq.* ff h. t.

TH. 6. Quoniam per ius deliberandi non ſufficienter proſpiciebatur heredi, qui poſt aditionem æs alienum poſtea emergens cogebatur agnoſcere, & creditoribus, atque legatarijs ſatisfacere, fruſtra objecta ignorantia, l. *ſi te bonis* 10. C. h. t. niſi quod reſtitutione in integrum minor ſalvaret, major autem non niſi ex certa cauſa reſtitueretur, d. §. 5. *Inſt.* Iuſtinianus Imper. induxit inventarij beneficium, quo plenè conſulatur heredi adeunti, ſi tamen ſolenniter factum fuerit. §. 6. *Inſt. de hered. qualit. & differ. Novel.* 1. c 2.

TH. 7. Inventarium eſt deſcriptio omnium bonorum defuncti ritè confecta. l. *ult.* §. 2. C. h. t.

TH. 8. Inventarium hoc omnes res hereditarias, quæ tempore

mortis defuncti fuerunt inventæ, continere debet, ſive ſint corporales, ſive incorporales, nomina debitorum & inſtrumenta, quibus ea continentur.

TH. 9. Ad confectionem inventarij requiritur, ut fiat legitimo tempore, (a) [2] ut adhibeatur Tabularius publicus ſive Notarius, & perſonæ, quarum intereſt, (b) [3] ut Notarius ſingulariter rogatus inſtrumentum ſubſcribat. (c)

(a) Quod eſt trium menſium ſpatium, intra quos eſt perficiendum, hi tres menſes computandi ſunt à tempore, ex quo quis ſcit, ſibi delatam eſſe hereditatem, l. *ult.* §. 2. C. h. t. hoc tempus trimeſtre præſentibus, longe veró abſentibus totus conceditur annus. d. l. *ult.* §. 3. *Nov.* 1. c. 2.

(b) Vt ſunt creditores hereditarij, legatarij, fideicommiſſarij, hos vocari & citari curet heres, ut adſint inventario; hi ſi noti fuerint nominatim citari debent, ſi veró ignoti & incerti per programmata & citationem edictalem vocari eos, convenit: ſi non compareant, tres teſtes fide digni, & habentes ſcientiam, eorum nomine ſunt advocandi. d. *Nov.* 1. c. 2. §. 1.

(c) Heres confecto inventario, vel ipſe, vel per Notarium, ſi ſcribere nequeat, ſubſcribat, declarando menſuram bonorum, & quod in faciendo inventario nulla ſit uſus malignitate.

TH. 10. Effectus inventarij ſolenniter confecti eſt, [1] quod adverſus hereditarios creditores heredi ſecuritatem pariat, quibus non tenetur ultra hereditatis vires, l. *ult.* §. 4. C. h. t. [2] quód detrahat Falcidiam legatarijs & fideicommiſſarijs, d. l. *ult.* §. 4. [3] impeditque confuſionem. E. ſi quas contra defunctum habet actiones, hæ non confunduntur, ſed ſimilem cum alijs creditoribus per omnia habeat fortunam, temporum tamen prærogativa inter creditores ſervanda, d. l. *ult.* §. 9. C.

TH. 11. Contrà, ſi heres inventarium non fecerit, hæc ipſi infligitur pœna [1] quod creditoribus in ſolidum teneatur; indignus enim eſt legis beneficio, qui requiſita per legem negligit, ita ut non audiatur, probare volens, amplius in hereditate non fuiſſe, quod ſibi imputet, cum eiuſmodi oneri ſe ſubjecerit, adeundo hereditatem, omiſſo inventario; [2] quod legatarijs & fideicommiſſarijs teneatur ad legata & fideicommiſſa præſtanda, atque ſic Falcidiam & Trebellianicam, imò & legitimam perdat. d. l. *ult.* §. 14. C. h. t.

TH. 12. Hereditatem adire deſiderantibus, certo ſibi perſuadendo, eam eſſe locupletem, continuò eandem adire licet, omiſſa prævia de-

liberatione & inventarij confectione, ſed ad omnia hereditatis onera, & debita, de quibus Theſi præcedenti diximus, ſubeunda tenetur, quia commodiores vias neglexit, ſuaque ſponte hanc periculoſiſſimam viam elegerit. d. l. *ult.* §. 1. C.

TH. 18. Quæritur, ſi heres non omnia hereditatis bona in inventario annotet, quid obtinet? Reſp. diſting. vel heres ea, ex ignorantia, vel negligentia omiſit, vel dolo malo egit; priori caſu heres pœna non afficitur; poſteriori caſu duplum rei inventario non inſertæ & celatæ ſolvere cogitur, l. *ult.* §. 10. C. h. t. Moribus hodiernis obtinet, tam doloſe verſantem ad ſimpli quidem ex ſolutionem teneri, inſuper tamen arbitraria pœna gravari. *Dn. Richter deciſion.* 59.

TH. 14. Quæritur, utrum teſtator neceſſitatem hanc inventarij conficiendi remittere poſſit heredi? Reſp. negando, quia hoc in creditorum præjudicium directo vergeret, iure enim vetitum, ne teſtatoris facto creditoribus iniuria inferatur, quæ oriretur ratione debiti, cui non fieret ſatis, ſi pro lubitu daretur heredi poteſtas abutendi rebus hereditarijs.

LIBER VIGESIMVS NONVS.

TITVLVS PRIMVS.

De teſtamento militis.

Iung. tit. 21. libr. 6. C.

TH. 1. HVc uſque de ſolemnibus teſtamenti paganici, quæ à militibus obſerventur, non eſt opus, diſſerere placuit compilatoribus.

TH. 2. Militibus enim ſcrupuloſa teſtandi forma & ſolennitas eſt remiſſa, qui magis arma, quam iura norunt, in expeditione occupati, qualiter de bonis ſuis teſtati fuerint, ita ius ratumque eſt, nulla ſolennitatum civilium ratione obſervata. l. 1. ff. h. t. l. 3. C. *eod.* ideo abſque teſtibus, certis in caſibus voluntatem ultimam declarare poſſunt, modo de ea certo conſtet, *pr. &* §. 3. *Inſt.* h. t. l. 15. §. 1. ff. l. 5. C. *eod.*

TH. 3. Teſtamentum militare eſt voluntas ultima, (a) à milite in expeditione occupato, (b) vel in hoſtico deprehenſo, (c) declarata.

(a) Quæ duobus teſtibus, vel ſcriptura quacumque abſque teſtibus probari poteſt. l. 24. l. 40 *pr.* l. 48. *pr.* ff. h. t. ſic dicitur militis voluntas ſuſtinenda, quæ vaginæ, clypeo, aut pulveri inſcripta eſt, ſi de ea conſtet. l. 15. C. h. t. *pr. Inſt.* h. t.

(b) Qui actu ſunt milites, hoc eſt, qui ſunt expediti & parati, ad pugnam cuius nomine ſe militiæ dederunt, ſive ſint in conflictu & prælio, ſive in procinctu, hoc caſu miles quocumque modo teſtari poteſt. *l. ult. ff. de bonor. poſſeſſ. l. fin. C. de reſtitut. milit.* l. 3. 5. 14. 15. & 17. C. h. t.

(c) l. *ult.* ff. h. t.

TH. 4. Teſtamentum militare eſt ſcriptum, vel nuncupatum. Illo miles voluntatem ſuam ſcriptura declarat, hoc miles voluntatem ſuam

abſque ſcripturâ, duobus teſtibus (a) præſentibus, exprimit. (b)

(a) In teſtamentis paganis teſtes rogari debent, in hoc privilegiato teſtamento teſtium rogatio non eſt neceſſaria, cum ſpectet ad ſolennia juris civilis, quæ militi ſunt remiſſa.

(b) §. 1. *Inſtit.* h. t. l. 24. *pr.* ff. *eod.* l. 12. ff. *de teſtib.*

Th. 5. Miles in expeditione occupatus abſque teſtibus quolibet modo teſtamentum facere poteſt, ſi ſaltem de eius voluntate conſtet, ſive legitimè probari poſſit. d. l. 15. C. h. t. Si verò non in expeditione verſatur, ſed in caſtris vitam degit, coram duobus teſtibus teſtari cogitur, ſive in ſcriptis, ſive nuncupativè teſtetur. d. l. 15. §. 1. *Inſt.* h. t.

Th. 6. Si miles neque in expeditione, ſive conflictu verſetur, neque in caſtris vivat, ſed vel domi, vel alibi locorum, ubi copia eſt teſtium, ſecundùm ius commune teſtari debet. §. 3. *Inſt.* h. t. l. *un.* C. *de reſtitut. milit. Gail.* 2. *obſ.* 117. *Receſſus Imperij de anno* 1512. *von Notarien. Rubr. von Teſtamenten.*

Th. 7. Limitaneis militibus in quibuſdam locis præſidij cauſa viventibus militaria teſtamenta condere eſt permiſſum; quia propter ſubita ſæpè pericula in expeditione videntur conſtituti. *pr. Inſt.* h. t.

Th. 8. Militaria privilegia extenduntur etiam ad venalitarios caſtrenſes, Medicos, Concionatores, Conſiliarios, &c.

Th. 9. Eadem privilegia tribuuntur noſtri temporis militibus, & perſonis ad militiam ſpectantibus; quod fit [1] ob militiæ finem, putà defenſionem patriæ, ut milites iure ſoluti, expeditius armis operam dare queant, [2] quia & hodiernorum militum nomina, æque ac antiquorum, iure priſtino matriculis inſcribuntur, ſacramento præſtito. *Dn. Carpz. part.* 3. *conſt.* 4. *def.* 25. *&* 26.

Th. 10. Veteranorum honeſtè dimiſſorum teſtamenta intra annum dimiſſionis iure militari valent. §. 3. *Inſt.* h. t. l. 26. ff. h. t. quo effluxo, communi iure teſtari convenit. Contra ignominiosè dimiſſi, ſtatim hoc privilegium amittunt. d. l. 26.

Th. 11. Sequentia quoque militibus ſunt ſingularia, [1] quod liberos præterire poſſint. l. 9. *&* 10. C. h. t. [2] quod hereditatem directo codicillis dare queant. l. 36. *pr.* ff. h. t. [3] quod pro parte teſtati, pro parte inteſtati illis decedere liceat. §. 5. *Inſt. de hered. inſtitut.* l. 6. ff. h. t. l. 7. ff. *de R. I.* non modo ſi expreſsè hoc conſtituerint, verumetiam ſi ex certis partibus, vel rebus heredes ſcripſerint, videntur enim in talibus caſibus reliquas partes, vel res ab inteſtato venientibus relinquere. l. 1. *&* 2. C. h. t. [4] quod legata, & fideicommiſſa à militibus relicta per Leg. Falcidiam, aut Trebellianicam non patiantur

diminutionem. l. 12. C. h. t. l. 17. ff. *ad Leg. Falcid.* l. 1. §. 18. ff. *ad SCt. Trebell.*

TH. 12. Milites pro arbitrio cuivis, etiam iure civili incapaci rectè relinquunt. l. 13. §. 2. h. t. l. 5. C. *eod.* Excipe, niſi ſpecialiter prohibitum; ſic ſcortum, ſive pellex militis. l. 41. §. 1. ff. h. t. & ſervus pœnæ inſtitui heredes non poſſunt, nec captatoria inſtitutio valet. l. 11. C. h. t.

TITVLVS II.

De acquirenda, vel amittenda hereditate.

Iung. tit. 30. lib. 6. C. *De iure delib. & adeunda, vel acquir. hered.*

& tit. 31. ibid. *De repudianda, vel abſtin. hered.*

TH. I. EFFECTVS omnium teſtamentorum, tam ſolennium, quàm minus ſolennium eſt, ut hereditas poſt mortem teſtatorum, ex ijs adeatur, aperiantur tabulæ teſtamenti, præſtentur ea, quæ relicta ſunt, niſi indignos ſe beneficio fecerint illi, quibus relictum eſt.

TH. 2. Heredes ſunt triplicis generis, [1] neceſſarij, (a) [2] ſui & neceſſarij, (b) & [3] extranei. (c)

(a) Ita dicitur, qui ſive velit, ſive nolit, heres eſt, ut ſervus proprius quem inſtituere ſolet teſtator, qui ſuſpectas habet ſuas facultates, ut poſt teſtatoris mortem bona heredis nomine potius, quam ſuo vendantur; cui pro hoc incommodo libertas conceditur, & quicquid poſt mortem domini acquirit, ſibi acquirit, ita ut à creditoribus patroni hoc peti nequeat. §. *neceſſarius*, 1. *Inſt. de hered. qualit. & differ. l. 84. ff. de hered. inſtituend.* impetrata tamen prius bonorum ſeparatione. *l. 4. in fin. ff. de ſeparat. bonor.* Huic planè non permittitur beneficium abſtinendi. l. 57. §. *ult.* ff. h. t.

(b) Suus dicitur, quia in proximo poteſtatis patriæ gradu tempore mortis teſtatoris fuit § 2. *Inſt. de hered. qualit. & differ.* Neceſſarius dicitur, quia nolens volens fit heres; aſt cum nimis durum, liberos ad onera paterna, quibus cauſam non dediſſent, cogi, conceſſa eſt eis à Prætore abſtinendi licentia, quæ præſumitur, donec immixtio probetur.

(c) Qui nec in poteſtate teſtatoris patria, vel dominica eſt, ut liberi emancipati,& liberi reſpectu matris,aut avi materni.

TH. 3. Heres ſuus dicitur ſe hereditati immiſcere, (a) quæ ad eum, vel ab inteſtato, vel ex teſtamento ſpectat, vel ab ea abſtinere, (b) ex Prætoris beneficio. E contrario, extraneus heres hereditatem adire dicitur, eoque modo nimirum ſuſcipiendo, ſive adeundo eam facit ſuam,quam non habet; vel repudiare ius oblatum dicitur. §. 5. *Inſt. de hered. qualit. & differ.*

(a) Immixtione heres ſuus hereditatem delatam, & ipſo iure civili acquiſitam, etiam facto ſuo,declaratione ſcilicet voluntatis verbis,vel re, factâ, ſe ſuſcipere,& retinere oſtendit. l. 20. §. 2. & 4. l. 87. *pr.* l. 41. ff. h. t.

(b) Quod fit, quando ſuus heres animum ſuum declarat, ſe nolle retinere hereditatem ipſo iure acquiſitam. l. 71. § 4. ff. h. t. qua declaratione hereditas non ad heredes ſui heredis tranſmittitur, ſed vel ad coheredem venit, vel ad ſubſtitutum.

TH. 4. Hereditatis acquiſitio in ſe conſiderata eſt, qua hereditas capaci, (a) ex teſtamento, vel ab inteſtato delata, fit eiuſdem propria. (b)

(a) Si modo capax ſit teſtamenti factionis ſaltem paſſivæ, etiamſi activæ non ſit capax, idque tribus temporibus, [1] tempore teſtamenti facti, [2] mortis teſtatoris, [3] aditionis hereditatis.

(b) §. 4. *Inſt. de hered. qualit. & differ. de hered. inſtit.*

TH. 5. Aditio (a) hereditatis eſt actus legitimus, (b) quo extraneus, (c) hereditatem (d) totam, vel pro parte ſibi delatam verbis, (e) vel facto,ſive re acquirit.

(a) Vox hæc eſt ambigua duplicem involvens ſenſum, [1] ſumitur generaliter, [2] ſpecialiter. Generaliter ſignificat,cum quis ſe pro herede gerit, ſive id verbis fiat,ſive factis. *arg.* l. 20. §. *pen.* ff. h. t. ſpecialiter denotat acquiſitionem hereditatis, quæ fit verbis. §. *pen. Inſt de hered. qualit. & differ.* in priori ſenſu hic accipitur.

(b) l. 77. ff. *de R. I. arg.* l. 90. ff. h. t.

(c) Qui & voluntarius heres dicitur,qui opponitur in patria, vel dominica poteſtate exiſtentibus.

(d) Sive ex teſtamento, vel ab inteſtato delatam.. l. 21. §. 2. l. 60 ff. h. t.

(e) Ore vel ſcripto prolatis. §. *fin Inſt. de hered qualit. & differ.*

TH. 6. Hereditatem aditione acquirit is,qui certo ſcit,(a) hereditatem ſibi totam,vel pro parte delatam ex teſtamento, vel ab inteſtato, déque ea acquirenda voluntatem ſuam purè (b) declarat.

(a) Certo ſcire intelligitur, cui conſtat [1] de morte eius, in cuius bonis vult eſſe heres, [2] de titulo, [3] ordine, [4] qualitate hereditatis.

(b) E. adire, & adeundo jus hereditarium ſibi acquirere licet ei, qui intelligit, quod agit. d. §. *fin.* qui verò propter ætatem, vel morbum animi, vel corporis non intelligit, quod agit, tutore, vel curatore opus habet, quia voluntas ab intellectu dependet, quæ nihil vult, niſi quod intelligat.

Th. 7. Pupillus igitur ſolus hereditatem adire non poteſt, (a) nec etiam ſolus tutor nomine pupilli, infantiam egreſſi, (b) ſed pupillus (c) tutore autore adire poteſt.

(a) Quia intellectus defectum patitur. l. 9. §. 3. ff. *de authorit. tutor.* §. 1. *Inſt. eod.*

(b) l. 5. C. *de iur. deliber.* Excipe, niſi pupillus ſit infans. l. 18. §. 2. *de iur. deliber.*

(c) Scilicet infantiam egreſſus, non verò infans.

Th. 8 Circa minorem diſtinctio eſt obſervanda, an curatorem habeat, vel non; curatorem habens conſenſu curatoris adire hereditatem debet, curatorem non habenti, aliorum conſenſu ad hereditatis aditionem non eſt neceſſaria. *arg.* l. 3. C. *de in integr. reſtitut.*

Th. 9. Curator furioſi nomine adire debet, non vero furioſus, qui intellectu & per conſequens voluntate deſtituitur. l. *ult.* C. *de curat. furioſ.* l. 63. l. 90. ff. h. t.

Th. 10. Prodigo adire licet, ſi curatoris conſenſus accedat. l. 5. §. 1. ff. h. t.

Th. 11. Servus adeundo, vel acceptando, non ſibi, ſed domino acquirit, quia nemo ſibi acquirere poteſt, qui non eſt ſui iuris. §. 3. *Inſt. per quas perſon. cuique acquir.*

Th. 12. Filiofam. delatam hereditatem, vel ipſe, (a) vel pater adire poteſt. (b)

(a) Iuſſum patris ſecutus, quia voluntas, ſive iuſſus parentis in adeunda hereditate regulariter requiritur, quo caſu patri uſusfructus, & filiofam. proprietas acquiritur, l. *fin.* §. 3. C. *de bon. quæ liber.* vel ſi pater adire recuſaverit, ſolus filius ſuſcipere hereditatem poteſt, hoc caſu plena proprietas filiofam acquiritur. d. l. *fin.* §. 3. C.

(b) Conſenſu filij, d. l. *fin.* § 3. vel ſine eo, [1] ſi filius adire recuſaverit, quo caſu patri plena acquiritur proprietas, d. l. *fin,* §. 3. [2] ſi filius ob furorem, l. 52. 63. ff. h. t. vel infantiam conſentire nequit, l. 18. C. *de jur. deliber.*

Th. 13. Ante nonum diem à morte defuncti iure civili non fit aditio, *auth. ſed neque* C. *de ſepulchr. violat. Novel.* 115. c. 5 §. 1. ſecundum ius Saxonicum ante 30. dierum lapſum aditio fieri non ſolet.

Th. 14. Si heres hereditatem nec acquiſiverit, nec omiſerit, ea ad

demortui heredem, vel iure ſuitatis, (a) vel ſanguinis, (b) vel ob ius deliberandi (c) tranſmittitur.

(a) Quod locum habet in liberis in poteſtate exiſtentibus, qui finguntur eadem cum patre perſona, & rerum paternarum domini etiam eo vivo, l. *in ſuis*, ff. *de liber. & poſthum.* in quos potius dicitur continuari hereditas paterna, quam de novo acquiri. ipſo enim iure lex filiumfam. heredem patri facit. l. 8. C. *de ſuis & legitim. hered.*

(b) Tranſmiſſio ex iure ſanguinis obtinet in liberis, ſive maſculis, ſive fœminis, ſive ſuis, ſive non ſuis; quoniam & hi de ſanguine ſunt, l. *un.* C. *de his, qui ant. apert. tab. hered. tranſmit.*

(c) Tranſmiſſioni ex iure deliberandi locus eſt in heredibus decedentibus intra deliberationis tempus, cuius, quod reliquum eſt, tranſmittitur ad heredem ſive ſuum, ſive extraneum. l. 19. C *de jur. deliber.*

TH. 15. Qui ſemel ſuſcipit hereditatem, perpetuo heres manet, nec ab eo relinqui poteſt hereditas, §. *fin. Inſt. de hered. qualit. & differ.* l. *ult.* C. *de repud. vel abſtin. hered.* Excipe, niſi (1) minor eam adijt, l. 1. & 7. §. 3. ff. *de minorib.* vel (2) miles. d. §. *fin.*

TH. 16. Cauſa efficiens ſicut hereditas ſolo animo acquiritur, ita & amittitur videlicet repudiatione, l 95. ff. h. t. hereditas enim ſemel renunciata, amplius adiri non poteſt. l. 4. C. *de repud. hered.*

TH. 17. Hereditate omiſſâ ius accreſcendi locum habet, ſive hereditas ab inteſtato, (a) vel ex teſtamento (b) ſit delata.

(a) Quo caſu pars deficientis accreſcit ijs, qui ad inteſtato in eodem gradu ſuccedunt, l. 9. C. *de ſuis & legit.* ſi verò diverſi ſint gradus proximo accreſcit.

(b) Hoc caſu tria notanda occurrunt: (1) ſi omittens, vel repudians fuerit ſolus, nec ſubſtitutum, nec coheredem habens, is admittetur, qui implebit defuncti voluntatem, *Nov.* 1. c. 1. aut (2) ſubſtitutum habet, & is, ſi velit, ſuccedit: aut (3) coheredem habet, cui deficientis portio accreſcit, etiam ignorante & invito coherede. l. *un.* §. 10. C. *de caduc. tollend.*

TH. 18. Ius adeundi hereditatem perpetuum eſt, hoc eſt, non præſcribitur, niſi triginta annis. *arg.* l. 7. C. *de petit. heredit.*

TH. 19. Forma aditionis eſt, ut libere, & non coacta voluntate adeatur hereditas, l. 16. *de jur. deliber.* quod de ſuo, & extraneo herede intelligendum, l. 40. & 41. ff. h. t. contrà, ſervum ſuum teſtator, ut ſimpliciter neceſſarium heredem cogere poteſt. l. 66. & 67. ff. h. t.

TH. 20. Finis & effectus aditæ hereditatis eſt, ut omne ius, quod habuit defunctus, heredi acquiratur, inque eum omnes actiones tran-

ſeant, quæ defuncto, & in defunctum competebant; quare omnia hereditatis onera ſubire; creditoribus, legatarijs & fideicommiſſarijs ſatisfacere cogitur, l. *fin.* C. *de jur. deliber.* excipe, niſi cum beneficio inventarij hereditatem adierit. d. l. *fin.* §. *4.*

TITVLVS III.

Teſtamenta quemadmodum aperiantur, inſpiciantur, & deſcribantur.

Iung. tit. 36. lib. 6. C. *quemadm. teſtam. aper.*

TH. 1. NE in incerto ſemper maneat, quis in teſtamento heres ſit inſtitutus, ſi forſan quibuſdam, quorum intereſt, inſtitutio in teſtamento facta ſit ignota; ideo Prætor ex hæreditate legitimè quicquam ſperantibus, facultatem tabulas teſtamenti aperiendi, eaſque inſpiciendi, & deſcribendi, ob ſummam æquitatem concedit. l. 1 *pr.* ff. h. t.

TH. 2. Apertura hæc teſtamenti intra tertium, vel quintum diem à morte teſtatoris peti poteſt: jure Saxonico intra trigeſimum diem.

TH. 3. Si is, penes quem ſunt tabulæ teſtamenti, non velit copiam inſpiciendi, & deſcribendi omnibus (a) permittere, officio magiſtratus ad id cogi poteſt. l. 2. §. *fin.* ff. h. t.

(a) Si nimirum iuramentum præſtiterint, quod aliquo modo ſua intereſſe credant, nec per calumniam poſtulent. l. 3. C. h. t.

TH. 4. Teſtamenti apertura eſt duplex, [1] ſimplex & [2] ſolemnis.

TH. 5. Simplex teſtamenti apertura fit in hunc ſaltem finem, ut inde appareat, quinam ſcripti heredes, & quibus aliquid ſit relictum, & an debitæ ſolemnitates in teſtamento ſint obſervatæ, his enim deficientibus teſtamentum non ſubſiſtit. In hac apertura nullæ ſolennitates requiruntur; ideo teſtes ad aperturam citari, non eſt opus, ſufficit, ſi modo in optimorum virorum præſentia obſignatum teſtamentum aperiatur. l. *ult.* C. h. t.

TH. 6. Solennis apertura eſt, quæ fit citatis à Magiſtratu competente heredibus, & omnibus, quorum intereſt, citatis etiam teſtibus, ut hi ſuas ſubſcriptiones & ſigilla agnoſcant, l. 4. 5. 6. *&* 7. ff. h. t.

l. 1. & 2. C. *eod.* quo facto teſtamentum publicatur, h.e. in publicam formam redigitur cum iudex teſtamētum pro ſcriptura publica declaret.

TH. 7. Si tantum unus teſtium ſigillum ſuum conſtanter neget, tabulæ redduntur ſuſpectæ. l. 1. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 8. In omnibus teſtamentis apertura deſideratur, non tamen publicatio, quia plerumque hodie fiunt coram Magiſtratu, vel à Notario, atque ita confectione ſua ſtatim ſunt publica.

TH. 9. In teſtamentis publica fide confectis, vel etiam à Notario in publicum inſtrumentum redactis apertura ſimplex ſufficit. *Dn. Carpz. part.* 3. *conſt.* 5. *def.* 26.

TH. 10. In teſtamentis privatâ fide conditis, nec publica fide firmatis, ſolennis apertura requiritur, ut teſtamentorum horum publica & rata conſtet fides & autoritas. l. 2. C. *de teſtament.*

TH. 11. Poſt teſtamenti aperturam, de relictis in eo tranſigi poteſt, l. 1. §. 1. ff. h. t. contrà, ante tabularum inſpectionem ob varias fraudes vitandas tranſigere non licet. l. 6. ff. *de tranſaction.*

TH. 12. Licet tabulæ teſtamenti apertæ non amplius exſtent, relicta tamen valent, d. l. 2. C. *de teſtament.* l. *un.* ff. *ſi tabb. teſtament extent.*

TITVLVS IV.

Si quis omiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato, vel alio modo poſſideat hereditatem.

Iung. tit. 39. libr. 6. C. d. t.

TH. 1. SICVT aditione teſtamentum confirmatur, l. 38. §. 1. ff. *de vulgar. & pupill. ſubſtit.* l. 18. ff. *de ſtipul. ſervor.* ita ſi nemo ſubijt hereditatem, omnis vis teſtamenti ſolvitur, l. 181. ff. *de R. I.* Hinc cum nemo hereditatem adire cogatur, ſive illa damnoſa, l. 16. C. *de jur. deliber.* ſive etiam lucroſa, ideo legata & fideicommiſſa iure civili intercidunt, l. 17. ff. h. t. l. 9. §. 1. ff *de liber. & poſthum.* quod iure Prætorio correctum, ut ſi ſcriptus heres adire hereditatem nolit, eam adire & reſtituere cogatur, l. 19. ff. h. t. § *ſed ſi recuſ. Inſt. de fideicom. libert.* per quam aditionem, cætera, quæ eodem teſtamento relicta ſunt, reſuſcitantur, ut libertates, legata & fideicommiſſa.

TH. 2. Præ-

TH. 2. Prætor defunctorum voluntates tuendo, occurrit calliditati eorum, qui omiſſa cauſa teſtamenti, ab inteſtato hereditatem totam, partemve eius poſſident, eo fine, ut eos circumveniant, quibus quid ex iudicio defuncti deberi potuit, ſi non ab inteſtato hereditas poſſideretur. l. 1. *pr.* l. 12. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 3. Actio Prætorij edicti: ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti, &c. eſt actio in perſonam, (a) debitum ex cauſa teſtamenti callidè omiſſa perſequens.

(a) Quia eſt ex delicto callidi conſilij, in legatarij, vel fideicommiſſarij fraudem initi. l. 15. ff. h. t.

TH. 4. Actio hæc Prætoria competit ei, cui in teſtamento aliquid directè, vel per fideicommiſſum relictum. d. l. 1. *pr.* ff. h. t. contra eum, qui callidè omiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato ſuccedit, ea intentione, ut legata & fideicommiſſa præſtare non teneatur.

TH. 5. Datur ad id, ut relicta in teſtamento nihilominus præſtentur. l. 1. *pr.* l. 12. §. 1. ff. h. t.

TH. 6. Actioni huic ex Prætoris edicto non eſt locus, ſi ex ignorantia, vel abſque dolo, hereditatem poſſideat. l. 1. §. 4. ff. h. t. vel etiam ex alia cauſa. l. 1. §. 9.

TH. 7. Quæritur, an hunc titulum, *Nov.* 115. *c.* 2. mutet, vel abroget? Reſp. negand. ob rationes ſeqq. [1] quia d. *Nov.* 115. quoad hunc titulum non involvit verba correctoria, neque omnes Novellæ ſunt abrogatoriæ, [2] quia correctio legum, niſi perſpicua & clara, admittenda non eſt; [3] quia ex hoc titulo datur tantum actio adverſus heredem, qui callido conſilio, ut fallat eos, quibus quid in teſtamento relictum, cauſam teſtati mutat. l. 1. ff. h. t. aliter ſe res habet in d. *Novel.* de illis caſibus loquente, quibus aliàs, abſque heredis fraude, teſtamentum corruit.

TITVLVS V.

De Senatuſconſulto Syllaniano & Claudiano, quorum teſtamenta ne aperiantur.

Iung. tit. 35. lib. 6. C. *De his quibus ut indignis, & ad SCt. Claudian.*

TH. I. TAM hunc titulum, quam duos proximè præcedentes titulos ad tractatum de acquirenda, vel omittenda hereditate ſpectare, haud obſcurè patet: oſtendit namque, hereditatem eius, qui vi occiſus eſt, non ſtatim adeundam eſſe. l. 1. §. *occiſorum,* l. 3. §. *non tantum.* ff. h. t. & ſi aliter, quam oportet, adita fuerit, eam amitti, & fiſco vindicari.

TH. 2. Totus hic titulus eſt de ulciſcenda teſtatoris morte, quod ſi non facit heres, crimen in ultæ mortis committere intelligitur. l. 6. C. *de his quib. ut indign.*

TH. 3. SCtum Syllanianum & Claudianum (a) eſt, quod domini (b) à familia vi occiſi teſtamentum, ſive tabulas aperire, (c) eiuſque hereditatem adire prohibet: (d) de noxio (e) autem ultimum ſupplicium (f) ſumere, & negligenti vindictam mortis teſtatoris hereditatem, ut indigno auferri iubet. (g)

(a) Quod tempore Imper. Auguſti eſt introductum, ac tandem à Nerone confirmatum. *Cujac. 1. obſ. 18.*

(b) Domini appellatione hic venit etiam is, ad quem tantum ſervi proprietas ſpectat. l. 1. §. 1. ff. h. t. non modo paterfam. ſed & filius, &c. d. l. 1. §. 1. *& ſeqq. uſque ad* §. 17. ff. h. t.

(c) l. 3. §. 18. *& ſeqq. uſque ad* §. 29. ff h. t.

(d) Quod ideo factum, ne heres propter compendium ſuum familiæ, ad ſe iure hereditario pertinentis, facinus occultaret, ideo de hereditate amplectanda prius ſollicitus non ſit, quàm quæſtio de ſervis habita. d. l. 3. §. 29.

(e) Noxij autem ſunt, ſive ipſi occidiſſe, ſive auxilium non tuliſſe convincantur. l. 19. ff. h. t. l. 1. §. 28. *& ſeqq.* ff. h. t. nam per noxios hic non tantum intelligimus factores, aut conſcios ſceleris, ſed etiam eos, qui auxilium domino, cum poſſent, non tulerunt, cum eſſent ſub eodem tecto, vel haud ita procul, quocumque etiam loco ſit, ſi modo clamorem domini exaudire, vel inſidias ſentire potuerint, SCto Syllaniano ſubjacent. l. *ult.*

C. *de his quib. ut indign.*

(f) Summa huius Sc̄ti fuit crudelitas, familia enim ſervorum, vitâ domini periclitante, non modo auxilium ferre tenebatur, & armis & clamoribus & objectu corporis, ſed & ſi, cum potuiſſet, non tulerat, de ea ſupplicium ſumebatur. l. 19. ff. h. t. hic ſummus juris rigor inde deſcendit, quia nulla aliàs domus tuta eſſe poſſet, niſi periculo capitis ſui, dominis cuſtodiam, tam à domeſticis, quàm extraneis præſtare ſervi cogantur.

(g) Tam ſuis heredibus, quàm extraneis. l. 1. *&* 3. §. 3. *&* 19. ff. h. t. tam maſculis, quàm fœminis abſque ſexus diſcrimine auferebatur hereditas, necem defuncti non vindicantibus. l. 5. §. 2. ff. h. t. l. 1. C. *de his quib. ut indign.*

TH. 4. Si heres vel legatarius contra edictum, ante quæſtionem (a) de ſervis ſumptam, ſciens teſtamentum publicaverit, aut adierit, aufertur illi, quod relictum eſt, & in fiſcum redigitur. l. 5. §. 1. ff. h. t.

(a) Hæc denotat tormenta, & quamcumque inquiſitionem. l. 1. §. 25. ff. hoc tit.

TH. 5. Si alius, cui nihil in teſtamento relictum eſt, ante adierit, in centum aureos condemnatur. l. 25. §. 2. ff. h. t.

TH. 6. Quoniam hodie mancipia, ſive ſervos propriè dictos, uti Romani non habemus, ideo huius actionis nullus hodie eſt uſus.

TH. 7. Moribus noſtris receptum quoque eſt, heredes ob non inſtitutam hanc accuſationem (ſi teſtator ſit necatus, etiamſi pater fuerit,) hereditate non privari; qui mortis vindictam Magiſtratui committere poſſunt. *Ord. crim. art.* 124. *Carpz. prax. crim. p.* 1. *q.* 34.

TITULUS VI.

Si quis aliquem teſtari prohibuerit, vel coëgerit.

Iung. tit. 34. lib. 6. C. d. t.

TH. 1. TESTAMENTI factio requirit liberam teſtatoris voluntatem, quam impediens heres indignum ſe facit relicto. Impedit teſtatoris voluntatem (1) prohibendo fieri teſtamentum, ut ab inteſtato hereditatem quærat, vel (2) compellendo, ut teſtamentum fiat, eoque ſcribatur heres, *arg. l. fin.* ff. l. 1. C. h. t. vel (3) doloſè prohibendo, ne teſtamentum ſcriptum mutetur. l. 1. §. 1. 2. l. 2. ff. hoc tit.

TH. 2. In his tribus caſibus doloſa iſta prohibitio nocet tantum de-

linquenti, hoc eſt, doloſè verſanti, non autem coheredi innocenti; quia factum unius prohibentis, vel cogentis facere teſtamentum alijs inſontibus non nocet. l. 1. §. 1. l. 2. §. 1. ff. h. t. unde ſi heres fiduciarius tale quid egerit, fiſco ſaltem obvenit commodum L. Falcidiæ, ſeu quartæ Trebellianicæ, ipſum fideicommiſſum retinet fideicommiſſarius. d. l. 2. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 3. Hic titulus agit tantum de eo, qui dolo, vel vi impedit teſtamentum fieri, aut mutari. Hinc ægræ mulieris animum maritali ſermone placando, aut blanditijs aliquem invitando ad ſuum commodum, non poteſt videri incidiſſe in hanc pœnam. l. 3. ff. h. t. quia blanditijs non prohibemur allicere alicuius voluntatem, aut benignitatem. *l. fin.* ff. h. t. *l. ult.* C. *eod.*

TITVLVS VII.

De iure Codicillorum.

Iung. tit. 63. libr. 6. C. *De Codicillis.*

TH. 1. HVC uſque de hereditatis teſtamentariæ acquiſitione tractavimus; operæpretium eſt, ut ad codicillos deſcendamus, qui teſtamentorum ſunt appendices, & quaſi ſupplementum.

TH. 2. Codicilli (a) ſunt teſtati, vel inteſtati ultima voluntas minus ſolennis, (b) qua heres ex teſtamento, vel ab inteſtato, coram 5. teſtibus rogatur, ut alteri hereditatem, totam, vel partem reſtituat, aut rem particularem præſtet. l. 2. d. l. *fin.* §. *ult.* C. h. t. §. *ult.* *Inſt. eod.*

(a) Vox Codicillorum duas habet ſignificationes, [1] ſumitur latè pro omni ſcriptura, ut in l. 41. *pr. ff. de excuſat. tutor.* §. *filiusfam.* 4. *Inſt. quib. mod. jus patr. poteſt.* *l.* 12. *C. de dignit.* [2] pro ultima voluntate non ſolenni hîc deſcripta. Obſerva. Codex, ſive caudex dicitur craſſior arboris pars, quæ à radice ſupra terram aſſurgit, ex qua tabulas antiqui faciebant, ſcriptioni illitâ cerâ aptas. Hinc Codices & Codicilli dicti pro omni ſcriptura. *d. ll.* ſicut liber & libellus à cortice arborum.

(b) Quia in ijs teſtamenti ſolennia, ut 7. teſtes, eorumque rogatio, ſubſcriptio & ſubſignatio non requiritur. l. 6. §. 1. ff. h. t. ſufficit quinque teſtes non rogatos ad probandum hunc actum aſſumi. l. *fin.* C. h. t. hoc eſt, non opus eſt, ut ſpecialiter convocentur huic actui celebrando intereſſe, ſed

ſufficit fortuitò teſtes interveniſſe, modò coram ijs, uno tempore ita congregatis voluntas ultima exprimatur, d. l. *fin.* §. *ult.* C. h. t.

TH. 3. Qui teſtamentum, is & codicillos facere poteſt, contrà, qui non teſtamentum, is nec codicillos facere poteſt, *arg.* l. 6 §. 1. l. 2. §. 3. l. 9. ff. h. t. l. 5. C. *eod.* quia teſtator debet eſſe habilis. 5. d. l. 9. ff. h. t.

TH. 4. Codicillorum uſus propter neceſſitatem & utilitatem eſt approbatus, quam præſtant tum peregrinantibus propter longas, & magnas peregrinationes, tum alijs, qui ob varios caſus teſtari de facto ſolenniter impediuntur, l. 8. §. *codicilli* ff. h. t. Si verò de iure impediantur teſtari, codicillos facere nequeunt. l. 2. §. *furioſus* ff. h. t.

TH. 5. Codicilli aut cum teſtamento, (a) aut ſine eo fieri poſſunt. (b)

(a) Poteſt enim quis cum teſtamento, & vel ante, vel poſt illud facere codicillos. §. *non tantum* 1. *Inſt.* h. t. qui valent, ſi teſtamentum conditum ſit juſtum, l. 16. ff. h. t. poſſunt etiam in teſtamento ipſo fieri, qui robur ſuum ex clauſula codicillari, quam teſtamento adjicit teſtator, habent, quo caſu, ſi inſtitutio iure directo valere non poteſt, quia forte deficiunt 7. teſtes, vel alia ſolennitas deeſt, valet ea ex benigna interpretatione iure fideicommiſſi etiam ab inteſtato, l. 29. §. 1. *in fin.* ff. *de teſtament.* Clauſula codicillaris ita concipitur, ſi teſtamentum illud non valeat ut teſtamentum, valeat tamen ut codicilli; ſi igitur fortè eveniat teſtamentum non ſubſiſteré, ſuſtinetur per clauſulam codicillarem ultima teſtatoris voluntas, quaſi codicilli ab inteſtato ſint facti, & ſic heres directus ab inteſtato ſuccedit, qui cenſetur rogatus reſtituere hereditatem per fideicommiſſum heredi ſcripto, cui proinde, retentâ quartâ, illam cogitur reſtituere. *arg.* l. 76. ff. *ad SCt. Trebell.*

(b) Quando teſtator codicillos nullo condito teſtamento facit, qui ex hereditatis acquiſitione ab inteſtato venientium confirmantur, l. 2. ff. *de fideicom. libertat.* l. *ult.* C. *de teſtamentar. manumiſſ.* qui in codicillis diſpoſita præſtare tenentur.

TH. 6. Hereditas in codicillis directò nec dari, nec adimi poteſt, & proinde nemo heres directò inſtitui codicillis poteſt, ne confundantur iura teſtamentorum, & codicillorum, l. 2. C. h. t. §. 2. *Inſt. eod.* E. nec heredi ſubſtitui poteſt directò in codicillis. l. 6. *pr.* ff. l. 7. C. h. t.

TH. 7. Heres in codicillis verbis precarijs (non autem directis) dari poteſt, per fideicommiſſum. d. §. 2. *Inſt.* h. t.

TH. 8. Codicillos in ſcriptis, (a) & ſine ſcriptis (b) facere quilibet poteſt, niſi iure prohibeatur.

(a) Puta coram quinque teſtibus non-rogatis, qui ſe ſubſcribunt, l. *ult.* C. h. t. ratio ſubſcriptionis eſt, quia de codicillis abſque teſtium ſubnotatione conſtare non poteſt. Subſcriptio autem hæc non ad ordinationis ſolennitatem pertinet, verùm ad probationem, ut ipſi teſtes.

(b) Voluntate per nuncupationem coram quinque teſtibus non rogatis declarata, quamvis ea poſtea in ſcripturam redigatur.

TH. 9. Plures codicillos facere licet, ita ut omnes valeant, ſi nimirum ſint diverſi, aſt ſi contrarij, tunc poſteriores tollunt priores, §. 3. *Inſt.* h. t. l. 6. §. 1. ff. h. t. l. 3. C. *eod.*

TH. 10. Codicilli expirant, vel vim habere deſinunt ſequentibus caſibus, [1] morte eius, cui in codicillis quid relictum, ante eum, qui codicillos fecit, l. 6. §. *fin.* l. 14. *pr.* ff. h. t. [2] capitis diminutione, l. 6. ff. *de injuſt. rupt. irrit. teſtam.* [3] contraria teſtatoris voluntate, quam coram quinque teſtibus non rogatis in codicillis, vel coram ſeptem teſtibus rogatis in teſtamento declarat. l. 35. ff. *de R. I.* l. 18. ff. *de legat.* 3.

TH. 11. Si clauſulam codicillarem teſtamento adjecerit teſtator, ea in ſequentibus caſibus nullam habet vim, [1] ſi teſtator planè eſt inhabilis, ut furioſus, ſervus pœnæ, &c. [2] ſi teſtamentum quoad teſtatoris voluntatem ſit imperfectum, ubi videl. de eius voluntate non conſtat. l. 29. *pr.* ff. *de teſtament.* l. 11. §. 1. ff. *de legat.* 3. huc quoque refertur teſtamentum, quod à teſtatore inceptum, nec ad finem productum, d. l. 11. §. *1.* [3] ubi codicillorum requiſita deſunt, ut 5. teſtes, uno eodem tempore, ſubſcriptio teſtium, &c.

LIBER TRIGESIMVS, XXXI. ET XXXII.

De legatis & fideicommiſſis.

Iung. tit. 37. libr. 6. C. *De legatis.* tit. 42. C. *de fideicommiſſis.* tit. 43. C. *Communia de legatis & fideicommiſſis.*

EXPOSITIS omnibus teſtamentorum ſpeciebus, & codicillis, quibus univerſitates bonorum transferuntur, ipſa ordinis ratio poſtulat, de rebus ſingulis per legatum, aut fideicommiſſum relictis, pro viribus explicare; quia in his tribus ſequentibus libris, legata, & fideicommiſſa particularia in genere conſiderantur; poſtea in libro 33. & 34. uſque ad tit. 4 ſpecialia quædam legata proponuntur, quibus d. tit. 4. libri 34. quid legatis obſtet, quo minus præſtentur, ſubnectitur. Deinde tit. 1. libri 35. de conditionibus & demonſtrationibus, quas legatis adjicere ſolent teſtatores, tractatur. Tandem in tit. 2. libri 35. de detractione quartæ, iuxta L. Falcidiam agitur.

TH. 2. Materiam hanc de legatis & fideicommiſſis in genere Interpretes in tribus libris 30. 31. & 32. propoſuerunt; in primo tractari volunt de rebus, quæ legari poſſunt; in ſecundo de perſonis, quæ legant, & quibus legari poteſt, in tertio de verborum & rerum, ad legata ſpectantium ſignificatione. Aſt penitius has diviſiones conſideranti non eadem eſt ſententia; quamvis videri queat, illud præcipuum eſſe ſubjectum ſingulorum librorum, promiſcuè tamen de his, ut puta de perſonis, & verborum ſignificatione in omnibus tribus libris agitur; ideo facilioris explicationis gratia tres hos libros uno contextu comprehenſos abſolvere, non abs re duximus.

TH. 3. Legatum (a) eſt donatio (b) quædam (c) à defuncto verbis directis (d) relicta, ab herede præſtanda. (e)

(a) Vox legati ſumitur ferè quadrupliciter, [1] latiſſimè pro qualibet facul-

tate diſponendi, ſive ſtatuendi per ultimam voluntatem, l. 120. ff. *de V. S. pr. ff. ad L. Falcid.* [2] pro actu liberalitatis, quo in teſtamento directis verbis res particularis relinquitur, §. 1. *Inſt.* h. t. l. 116. ff. *De legat.* 1. [3] pro re ipſa, quæ ſic legatur, l. 19. ff. *de legat.* 1. ita hic accipiur [4] pro titulo transferendi dominij particularis, §. *fin. Inſt. per quas perſon. cuique acquir.* Nota, legatum derivatur, vel (1) à lege, quod legis inſtar imperativè relinquatur, unde legare, idem denotat quod mandare, aut decernere; vel (2) à legendo, deligendo, delibando. *arg.* l. 116. ff. h. t.

(b) Quia (1) liberalitatis eſt actus, (2) quia legatum eſt lucrum, §. 6. *Inſt.* h. t. l. 32. ff. *mandat.* & inter cauſas lucrativas refertur, l. *un.* C. *de imponend. lucrat. deſcript.* legatum enim non habet adjunctum onus, hinc excluditur hereditas, quæ onera habet adjuncta.

(c) Ita dicitur nota improprietatis, ut verecundia quædam virtus, *Ariſtot. 4. Ethic. 9.* hac particula differt à donatione ſimplici, quæ revocari nequit, & fieri ſolet per conventionem; differt quoque à donatione cauſa mortis, conventionem itidem deſiderante, l. 35. §. 3. l. 38. ff. *de mort. cauſ. donat.* atque præſentiam requirente. Ex oppoſito, legatum eſt unius ultima voluntas, *arg.* l. 4. *&* 17. ff. *de adimend. legat.* & confertur etiam abſentibus. l. 77. §. 3. ff. *de legat.* 2.

(d) Verbis directis in teſtamento ita relinquitur, ut do, lego; atque ſic excluduntur fideicommiſſa, quæ verbis precarijs relinquuntur, ut rogo, peto; fideicommiſſum ex re, quæ heredis fidei committitur, ita appellatur.

(e) Licet interdum ex accidenti legata ab ipſo teſtatore relinquantur, l. 22. l. 34. §. 1. ff. *de legat.* 2. *arg.* l. 219. ff. *de V. S.*

TH. 4. Legatorum olim quatuor fuerunt genera differentijs ſuis diſtincta, §. 2. *Inſt.* h. t. [1] per vindicationem, (a) [2] damnationem, (b) [3] ſinendi modo, (c) & [4] per præceptionem. (d)

(a) Vt cum his verbis in rebus proprijs relinquebatur, do, lego, ſumito, capito, habeto, quâ formâ adhibita ſimul ac hereditas eſſet adita, legatarius fiebat rei legatæ dominus, unde naſcebatur rei vindicatio, cum ex reliquis legatorum formis tantum perſonales actiones darentur.

(b) Etiam in rebus alienis, e. g. heres meus damnas eſto dare, dato, facito, heredem meum dare iubeo; pro hoc legato actio perſonalis ex teſtamento competebat.

(c) Vt eum hac forma legatur, heres meus ſinito, Titium illam rem ſumere, vel heres meus damnas eſto, ſinere Titium ſumere illam rem, ſibique habere, vel damno heredem, ut ſinat legatarium tollere: qui modus obtinebat in rebus teſtatoris & heredis, pro hoc legato dabatur actio ex teſtamento.

(d) Qua uni ex heredibus quid præ alijs relinquebatur his verbis ut capito illam domum, habeas illum fundum præ cæteris heredibus, vel Lucius Titius illam rem præcipito, id eſt habeto præcipuam, l. 27. §. 3. ff. *de inſtruct. & inſtrum. legat.* eiuſmodi relicta per actionem familiæ erciſcundæ exigi poterant.

TH. 5. Has

TH. 5. Has curioſas verborum ſolennitates ſuſtulerunt divorum Principum conſtitutiones, §. *ſed olim, 1. Inſt.* l. 21. C. h. t. quas itidem Iuſtinianus Imper.ſuſtulit, iubens, unam omnibus legatorum generibus eſſe naturam. d. §. 2.

TH. 6. Fideicommiſſum ratione objecti dividitur in ſingulare & univerſale.

TH. 7. Fideicommiſſum ſingulare eſt diſpoſitio ultima, qua heres ſingulares res alij reſtituere rogatur. *t. t. Inſt. de ſingul. reb. per fideicommiſſ. relict.*

TH. 8. Fideicommiſſum univerſale eſt diſpoſitio ultima, qua heres totam hereditatem, vel partem alij reſtituere rogatur.

TH. 9. Fideicommiſſa ſingularia, de quibus hic agitur, legatis per omnia, non tamen in omnibus ſunt exæquata, intellige quoad effectus generales non verò quoad modum & formam, eatenus & hodie manet diverſitas; nam ex utraque competit triplex actio, ad petendum legatum, vel fideicommiſſum. *t. t. C. commun. de legat.* (1) Actio perſonalis, ſive ius ad rem ex quaſi contractu quo heres adeundo ſe obligat legatarijs & fideicommiſſarijs. §. 5. *Inſt de obligat. ex quaſi contract.* legatarius enim defunctum legati nomine non habuit obligatum, ſed obligatio primum incipit in herede defuncti, hereditatem adeunte, indéque obligatio eſt non ex contractu, ſed quaſi contractu. (2) Rei vindicatio cauſam habet dominium. l. 23. ff. *de rei vindic.* quod hoc immediatè transferatur à jure extra traditionem, eſt tamen non niſi rerum corporalium & propriarum; (3) Actio hypothecaria venit ex jure hypothecæ; legatarius enim pignus tacitum, ſive legale habet in omnibus defuncti bonis, etiam in ipſa re legata. §. 2. *Inſt.* h. t. l. 1. C. *commun. de legat.* Ex oppoſito legata & fideicommiſſa differunt, (1) ratione eſſentiæ & verborum, cum legata fiant non niſi verbis directis, fideicommiſſa non niſi verbis precarijs. §. *fin. Inſt. de ſing. reb. per fideicomm. relict.* (2) quoad effectus particulares quoſdam, ut ſi ſervus ex teſtamento directò liber eſſe iubeatur, fit libertus ipſius teſtatoris, ſi verò ex cauſa fideicommiſſi manumiſſus ſit, fit libertus manumittentis. §. 2. *Inſt. eod.* item quod legata poſt mortem heredis non rectè relinquantur, rectè tamen fideicommiſſa.

De perſonis, quæ, quibus, & à quibus legentur.

TH. 10. Legatum & fideicommiſſum ſingulare relinquere poſſunt, qui activam teſtamenti factionem habent, hoc eſt, qui teſtamentum facere poſſunt. l. 2. ff. *de legat.* 1. l. 1. *pr.* & §. 2. ff. *de legat.* 3. nam

cui permiſſum eſt principale, eidem acceſſorium non eſt denegandum. Contra qui teſtamentum facere nequit, is nec legata relinquere poteſt, ut filiusfam. captivus, ſervus, de ſtatu ſuo dubitans, impubes, furioſus, prodigus, &c. l. 1. ff. *de legat.* 3.

TH. 11. Legata & fideicommiſſa particularia relinqui poſſunt maximè ijs, cum quibus teſtamenti factio eſt paſſiva, hoc eſt, qui in teſtamento heredes inſtitui poſſunt. §. 24. *Inſt.* h. t. ubi duo tempora præcisè ſunt attendenda, nimirum [1] tempus relicti legati, ut conſtet legatum eſſe relictum, & [2] mortis teſtatoris, ut effectum habeat. l. 49. §. 1. ff. *de heredib. inſtit.* plura tempora non inſpiciuntur, cum à morte teſtatoris dominium rei legatæ recta via tranſeat in legatarium.

TH. 12. Singulis, vel univerſitati legari poteſt, ſic collegijs & civitatibus legata relinquere quis licitè poteſt. l. 1. C. *de SS. Eccleſ.* l. 7. §. 1. ff. *quod cuique univerſit. nom. l.* 32. *in fin. l.* 73. §. *ult. l.* 117. *l.* 122. *pr.* ff. *de legat.* 1. quo caſu non ſingulis perſonis collegij, ſed collegijs ut collegijs legata relicta cenſentur. d. l. 7. §. 8. *arg. l.* 20. ff. *de reb. dub.*

TH. 13. Incertæ perſonæ, & poſthumo alieno hodie legari poteſt, olim non item. §. 25. *Inſt.* h. t. *t. t. C. de incert. perſon.* ſic valet legatum pauperibus relictum, licet nulli ſint nominati. l. 24. *C. de Epiſc. & Cleric.* §. 27. *Inſt.* h. t.

TH. 14. Servo, qua ſervo legatum relinqui nequit. l. 3. ff. *de his, quæ non ſcript.* quia ex propria perſona juris civilis eſt incapax, ex perſona vero domini eſt capax. l. 32. ff. *de hered. inſtit.* l. 5. ff. *de ſervit. legat.* capax etiam habetur, ſive ei legari poteſt ratione libertatis conſequendæ. l. 91. §. 1. ff. *de legat.* 1.

TH. 15. Deportatis, (a) ſervis pœnæ in metallum damnatis, aut beſtijs ſubjectis legari validè non poteſt, niſi exceptis alimentis, & ad victum neceſſarijs, quæ legare licet. l. 11. ff. *de aliment. & cibar. legat. l. 16. ff. de interdict. & relegat. l. 3. ff. de his quæ pro non ſcript. hab.*

(a) Qui ius civitatis Romanæ amiſerunt. l. 1. C. *de hered. inſtit.*

TH. 16. Bannitis quoque hodie legari non licet, quia pace & fide imperij excluduntur. *Gail. 2. de pac. publ. c. 6.*

TH. 17. Peregrinis (a) legata & fideicommiſſa relinqui nequeunt.

(a) Qui faſces Imperij Romani non agnoſcunt. *arg.* l. 6. §. 2. l. 59. §. 4. ff. *de hered. inſtit.*

TH. 18. Qui contra legum præcepta nuptias contraxerunt, ſibi invicem legata & fideicommiſſa relinquere prohibentur, quia hoc fit caducum & fiſco vindicatur. l. 4. *&* 6. C. *de inceſt. nupt.*

TH. 19. Natis ex inceſtuoſo coïtu à parentibus nihil quicquam legari poteſt. *Auth. ex complexu, C. de inceſt. nupt. Nov.* 89. c. 15. Hunc juris rigorem ius canonicum æquitatem ſemper ſequens correxit. c. 5. *Extr. de eo, qui duxit eam quam polluit.*

TH. 20. Legata & fideicommiſſa relinqui poſſunt ab ijs, qui ex cauſa teſtati, (a) vel ab inteſtato, (b) ſive iure civili, ſive iure Prætorio, (c) capere poſſunt.

(a) Vltima voluntate, ut heredes inſtituti, filio impuberi ſubſtituti. l. 34. §. *fin.* l. 35. ff. *de vulg. & pupill. ſubſtit.* l. 11. §. *quod vulgò, ff. ad L. Falcid.* heredes heredis. *l. ſi fuerit*, 5. *ff. de legat.* 3. l. *ult.* C. *de hered. inſtit.* legatarij & fideicommiſſarij. l. 9. C. *de fideicom.* eorumque heredes. d. l. 5. ff. *de legat.* 3. ſcilicet tantum, quantum illis relictum. l. 70. *pr. &* §. 1. ff. *de legat.* 2. l. 78. ff. *de legat.* 1. non tamen in amplius quam legatario relictum. Donatarij cauſa mortis. d. l. 9. C. *de fideicomm.* l. 77. §. 1. ff. *de legat.* 2.

(b) Qui capiunt ab inteſtato, ſive ſint proximi, ſive remotiores, nati, vel naſcituri. l. 1. §. 7. *&* 8. ff. *de legat.* 3. l. 92. §. *ult.* ff. *de legat.* 1.

(c) Vt ſunt bonorum poſſeſſores.

Quæ res legari queant.

TH. 21. Quæ res in rerum natura non ſunt, nec futuræ ſperantur, legari non poſſunt, e. g. ſi legetur mortuus homo, vel hypocentaurus. *arg.* §. 1. *Inſt. de inutil. ſtipul. l.* 108. §. 10. *ff. de legat.* 1.

TH. 22. Contra, res, quæ iam quidem non exiſtit, & in rerum natura non eſt ipſo actu, ſi modo futura ſperatur, & in commercio eſt, rectè legatur. §. 7. *Inſt.* h. t. l. 24. *pr.* ff. *de legat.* 1. ut fructus in illo fundo futuri.

TH. 23. Res in rerum natura exiſtentes, vel ſunt in commercio, vel extra illud; illæ legari poſſunt, hæ ſunt, vel ſimpliciter extra commercium, ut res ſacræ, ſanctæ, religioſæ, publicæ, liber homo, harum rerum legatum omninò non valet, §. 4. *Inſt.* h. t. vel ſecundùm quid, & certo reſpectu, quæ vel ratione teſtatoris, vel legatarij in commercio non eſt, in illius, e. g. prædium, cuius ſaltem habet uſumfructum, proindéque ſi illius uſumfructum, legaverit, legatum eſt inutile. l. 24. §. 1. ff. h. t. l. 24. C. *eod.* In huius commercio non eſt mancipium Chriſtianorum, ſi legatarius ſit Hæreticus, Iudæus, Paganus. *t. t.* C. *ne Chriſtian. mancip.*

TH 24. Teſtatori non modo rem propriam, verumetiam heredis,

(a) vel alienam (b) legare eſt permiſſum.

(a) §. 4. *Inſt.* h. t. l. 67. §. 8. ff. *de legat.* 2. ſive teſtator ſciverit, rem eſſe heredis, ſive ignoraverit, perinde eſt, & legatum tale valet. l. 67. §. 8. ff. *de legat.* 2. quoniam heres, per iuris fictionem, eadem cum defuncto cenſetur perſona. *Nov.* 48. *in præf.* ſive res ſimpliciter ſit heredis, ſive ſecundùm quid, ut ſi heredi res non ſit propria, ſed ius tantum circa illam habet, ſive in re conſtitutum, ſive ad rem ut ius pignoris, ius utendi ex conducto, quo caſu intelligitur ius illud ſaltem legatum eſſe, quod teſtatori circa rem competijt. l. 5. §. 1. & 2. l. 71. ff. *de legat.* 1.

(b) Quæ neque teſtatoris, neque heredis, ſed alterius cujuſdam, circa quam diſtinguendum, vel teſtator ſcivit rem eſſe alienam, vel ignoravit: ſi ſcivit, heres rem luere & legatario præſtare cogitur, eâ tamen conditione, ſi eam iuſto pretio redimere queat; ſi enim dominus rei legatæ eam vendere detractet, vel plus iuſto pretio pro ea expetat, heres præſtando æſtimationem liberatur. §. 4. *Inſt.* h. t. l. 67. §. 8. ff. *de legat.* 2. l. 36. §. 1. ff. *de uſufr. legat.* Si verò ignoravit, legatum eiuſmodi non valet; ratio adæquata eſt hæc, quod voluntates defunctorum cenſeantur faciliores in rebus ſuis legandis, quam alienis comparandis, & heredibus onerandis, *dd. ll.* Duæ tamen hic dantur exceptiones, [1] ſi legatarius ſit perſona conjuncta, ut conſanguineus, vel propinquus. *l. cum alienam.* 10. C h. t. [2] ſi ſervus alienus à teſtatore legetur, quem is proprium putabat, hunc eius dominus favore libertatis vendere tenetur. l. 39. ff. *de fideicommiſſ. libertat.*

TH. 25. Quæritur, ſi res aliena à teſtatore cuidam legetur, cuius poſtea legatarius vivo teſtatore dominus eſt factus, an legatum exſpiret? Reſp. diſting. utrum titulo lucrativo, an oneroſo rem ſibi acquiſiverit legatarius: ſi titulo lucrativo, legatum exſpirat, etiam quoad rei æſtimationem. §. 6. *Inſt.* h. t. l. 108. §. 4. ff. *de legat.* 1. Si titulo oneroſo æſtimatio peti poteſt. l. 34. §. 7. l. 45. ff. *de legat.* 1.

TH. 26. Cæterum ſi res non ſit aliena, ſed teſtatoris vel heredis; quæritur, quid eo in caſu ſtatuendum? Reſp. diſting. vel res purè à teſtatore eſt legata, vel in diem, aut ſub conditione. Si purè legata, tunc iterum obſervandum an titulo oneroſo, an lucrativo fuerit à legatario acquiſita, priori caſu rectè petitur æſtimatio, modo legatarius ignoraverit rem ſibi eſſe legatam. l. 84. §. 5. ff. *de legat.* 1. aliàs ſi ſciverit rem ſibi legatam, eamque emerit, legato renunciaſſe intelligitur. *l. illud.* ff. *de acquir. hered.* poſteriori caſu legatum non valet, quia duæ lucrativæ cauſæ in eundem hominem, & eandem rem cadere nequeunt. Si ſub conditione, vel in diem, tunc impleta conditione, vel adveniente die æſtimatio legitimè petitur. d. l. 45. ff. *de legat.* 1.

TH. 27. Quoties aſſeritur, teſtatorem defunctum rem alienam ſcienter legaſſe, hoc probandum eſt à legatario, non verò ab herede, quia

legatario, ceu actori probandi neceſſitas imponitur, §. *non ſolum* 4. *Inſt.* h. t. l. 21. ff. *de probat.* & præſumptio pro herede militat, quod nimirum teſtator heredem ſuum luendi onere gravare noluerit, l. 34. §. 5. l. 67. §. 8. ff. *de legat.* 2. l. 29. §. 1. l. 75. ff. *de legat.* 3.

TH. 28. Legantur tam res corporales, quam incorporales.

TH. 29. Legatum rei incorporalis eſt [1] legatum annuum, *de quo tit.* 1. *libr.* 33. [2] legatum uſus, uſusfructus, reditus, habitationis, operarum, qualia ſunt ſervitutes perſonales, *tit.* 2. *libr.* 33. [3] legatum ſervitutis, ut ſunt ſervitutes reales, *tit.* 3. *libr.* 33. [4] legatum iuris in dote. *de quo tit.* 4. *libr.* 33. [5] legatum iuris optandi vel eligendi. *tit.* 5. *libr.* 33.

TH. 30. Legatum rei corporális eſt [1] legatum tritici, vini, olei, *de quo tit.* 6. *libr.* 33. [2] legatum inſtructi vel inſtrumenti legati, *tit.* 7. *libr.* 33. [3] rerum peculiarium *tit.* 8. [4] penoris, *tit.* 9. [5] ſuppellectilis, *tit.* 10. [6] alimentorum, vel cibariorum, *tit.* 1. *libr.* 34. [7] auri, argenti mundi, ornamentorum, unguentorum, veſtium, ſtatuarum. *tit.* 2. *libr.* 34.

TH. 31. Poteſt res ſimpliciter, vel alternative legari, quo in caſu in heredis, non verò legatarij eſt arbitrio, utram legatario dare velit, §. 23. *Inſt.* h. t.

TH. 32. Potel legari vel genus, (a) vel ſpecies.

(a) Per quod ICti ſpeciem intelligunt, quod enim Philoſophis vocatur genus, hoc ICtis ſpecies, & quod illis ſpecies, hoc his individuum eſt. Nota, genus hoc vel habet naturâ ſuâ determinatam quantitatem, e.g. domus, ſervus, l. 13. l. 37. *pr.* l. 71, *pr.* ff. *de legat.* 1. & tunc non opus eſt, ut determinetur à legante quantitas, vel non habet determinatam quantitatem, & opus eſt, exprimatur, vel ſaltem tacitè intelligatur quantitas, aliàs legatum non valebit, ſive corpus immobile fuerit legatum, ut fundus, l. *cum poſt* 69. §. 4. ff. *de jur. doti.* ſ. mobile, ut triticum vinum. t. ff. *de trit. vin. olei legat.*

TH. 33. Omne legatum conditione non ſuſpenſum hodie acquiritur ſtatim à morte legantis ipſo iure etiam ignoranti legatario, l. 64. ff. *de furt.* ob hoc legatarius etiam ante aditam hereditatem, & antequam ipſe agnoverit, legatum in heredem tranſmittit, l. 5. ff. *quand. dies legat.* niſi legatum repudiet. Obſervandum hic, quod triplex rei legatæ in legatario conſtituatur dominium. Primum eſt fictum, quod fingitur legatarius habuiſſe à morte teſtatoris ad aditam hereditatem, cum rei legatæ poſſit eſſe ignarus, neque revera ſit dominus. Secundum dominium eſt verum, quod eſt ab aditâ hereditate, uſque ad acceptationem, ſive agnitionem: revocabile tamen, ſi poſtea non agnoſcatur, quo caſu legatarius nunquam cenſetur rei legatæ factus domi-

nus. Tertium eſt verum & irrevocabile, quando agnoſcit, nec repudiat legatum.

TH. 34. Heres non modo ipſam rem legatam legatario reſtituere obligatur, verùm etiam rei legatæ acceſſiones (a) & fructus. (b)

(a) Quia hæ ſimul legatæ cenſentur, §. *ædibus* 19. §. *ſi peculium* 20. *Inſt.* h t. l. 44. §. 1. ff. *de legat.* 1. l. 39. ff. *de vſufr.* accedit autem aliquid rei legatæ, vel (1) ex rei natura, ut in grege fœtus, l. 39. ff. *de uſur.* in peculio, l. 8. §. *utrum autem* 8. ff. *de pecul. legat.* vel (2) ex facto teſtatoris, e. g. ſi aream quis leget, & poſtea ædificium ſuperſtruat, d. §. 19. l. 44. §. 4. ff. *de legat.* 1.

(b) Vt & uſuras, non tantum à litis conteſtatione, ſed etiam à tempore moræ, ſive in reſtituendo, l. 75. §. 2. l. 87. §. 1. ff. *de legat.* 2. l. 3. *pr.* l. 14. l. 34. ff. *de uſur.* ſive in adeundo commiſſæ l. 32. ff. *de vſur.* l. 8. C. *de uſur. & fruct. legat.* uſuræ tamen à morte teſtatoris non debentur. l. 1. 2. *& ult.* C. d. t.

TH. 35. Heres damnum dolo, lata, levi, & leviſſima culpa (a) commiſſum præſtare legatario cogitur. l. 47. §. *pen.* ff. *de legat.* 1.

(a) Quæ ob ultimæ voluntatis implendæ favorem præſtanda eſt heredi, caſum tamen fortuitum non præſtat, niſi ipſius culpa præceſſerit. §. *ſi quis* 17. *Inſt.* h. t. l. 26. §. 1. d. l. 47. §. 4. *& 6.* ff. *de legat.* 1. l. 26. ff. *de legat.* 3.

De rerum, quæ relinquuntur, & verborum quibus legantur, ſignificatione.

TH. 36. Quæ in teſtamentis circa legata & fideicommiſſa inducunt verborum vel voluntatis obſcuritatem, propter ambiguitatem; ea dextrè interpretanda ſunt. Interptetatio hæc in duobus conſiſtit, [1] in explicatione verborum teſtatoris, [2] in expoſitione voluntatis, ſive mentis teſtatoris.

TH. 37. Verba mentis noſtræ ſunt ſignificativa, & nemo ſine voce quicquam dixiſſe exiſtimatur, l. 7. §. 8. ff. *de ſuppell. legat.* ob id verborum interpretatio ſummoperè eſt neceſſaria.

TH. 38. Obſcuritatem verborum, vel ſeparatim, vel coniunctim conſiderare debemus. Separatim in vocibus ipſis ſeparatis, (ut iumenta, familia, mobilia, &c. l. 79. ff. *de legat.* 3.) quia plures ſunt res, quam voces: unde vox alia propria, generalis, generalior, generaliſſima; lata, ſtricta, ſtrictiſſima, metaphorica, peregrina, æquivoca. Coniunctim verò non in vocibus, ſed in enunciatione ſive oratione, quæ nonnunquam varias involuit ſignificationes propter amphibologiam, interdum nullum planè ſenſum, ob ſermonis perplexitatem.

Hinc in enodandis verborum obſcuritatibus, & ambiguitatibus, ad ultimas teſtatorum voluntates conſervandas haud parum deſudant Icti. Aliquot tantum exempla afferre lubet, eiuſmodi obſcuritas eſt in enunciatione; ſi filiofam. legetur hoc modo, cum is in tutelam ſuam pervenerit, l. 50. & 51. ff. h. t. item quæ dicantur uxoris cauſa parata, l. *hoc legatum* 45. & 46. l. 58. l. 60. §. 2. l. *heres meus* 100. §. 2. ff. *de legat.* 3. quid ſibi velint in teſtamento verba, dare damnas eſto. l. *in repetundis* 63. ff. *de legat.* 3. prædijs legatis, & quæ eorum prædiorum colendorum cauſa empta & parata, l. *cum quæreretur* 60. §. *prædijs* 3. ff. *de legat.* 3. fundo legato cum ſylvis, quæ ibi cedere ſolent, uti optimus maximuſque eſſet. l. 93. §. 4. ff. *de legat.* 3.

TH. 39. Quod teſtatoris mentem dubiam attinet, ſciendum. Si verba ſint perſpicua & clara, mens autem teſtatoris dubia, tunc à verborum proprietate non eſt recedendum, niſi poſtea aliter de teſtatoris voluntate conſtet. l. *non aliter* 69. ff. *de legat.* 3.

TH. 40. Ad teſtatoris voluntatem indagandam, quoties ea eſt dubia, haud inconveniens eſt interpretatio extenſiva & reſtrictiva, quas in legum ambiguarum reſolutione adhibent Icti, *de quibus tit. de legib. diſſeruimus.* Interpretationes hæ oriuntur ex principijs interpretandi proprijs, quæ ſunt duplicia, (1) generalia, (2) ſpecialia.

TH. 41 Generalia interpretandi principia circa legata & fideicommiſſa ſunt, voluntatem ſive mentem teſtatoris defuncti eſſe colligendam ex præſumptionibus, argumentis, conjecturis, indicijs, &c. Eiuſmodi interpretandi principia oriuntur ex ſequentibus, (1) ex æquo & bono, l. 16. ff. *de condit. & demonſtr.* (2) à natura *arg.* l. *un.* §. 7. C. *de caduc. toll.* (3) à conſanguinitate, *arg.* l. 6. *in med.* C. *de inſtitution. & ſubſtitut.* (4) affectione & caritate, l. *capienda* §. 1. ff. *de R. I.* (5) amicitia, vel inimicitia, l. 10. ff. *arg. de reb. dubijs*, (6) à contemplatione, l. *pen.* ff. *de ſervit. legat.* (7) ſubjecta materia, *arg.* l. 1. ff. *de uſufr. legat.* (8) convenientia, *arg.* l. 4. §. 6. ff. *de damn. infect.* (9) conſuetudine, l. 50. §. 3. ff. *de legat.* 1. (10) ab arbitrio ſeu recto iudicio viventium, *arg.* l. 3. *pr.* ff. *de ann. legat.* l. 4. C. *de natur. liber.* (11) à neceſſitate, *arg.* l. *pen.* §. *ult* l. *fin.* ff *de adimen. legat.* (12) ab eventu, *arg.* l. 1. §. 13. ff. *ad L. Falcid.* (13) ab effectu.

TH. 42. Specialia interpretandi principia circa legata enumerantur in l. 50. §. 3. ff. *de legat.* 1. in legato dubio ante omnia ipſius teſtatoris conſuetudo, deinde regionis, in qua verſatus eſt, exquirenda eſt; ſed & mens patrisfam. ſivè teſtatoris, & legatarij dignitas, vel charitas & neceſſitudo, item earum, quæ præcedunt, quæque ſequuntur,

ſummarum ſcripta ſunt ſpectanda.

TH. 43. Adhibita genuina interpretatione facilis intellectu eſt ſequens Theſis, ubi dicitur, quod legatum conjunctim, (a) vel disjunctim (b) relinqui queat, in utroque caſu ſi ambo ad legatum perveniant, ſcinditur inter eos legatum, ſi alter deficiat, totum ad collegatarium ſpectat.

(a) Vt Titio & Sejo fundum do, lego. §. 8. *Inſt. de legat.*

(b) Titio fundum hunc do, lego, Sejo eundem do, lego, eiuſmodi conjunctio disjunctiva habet vim copulativæ, ne teſtatoris voluntas pereat, uterque enim legatariorum cenſetur honoratus, ideo relictum inter eos eſt dividendum. d. §. 8.

TH. 44. Cauſa efficiens legati & fideicommiſſi eſt benigna teſtatoris voluntas, l. 1. C. *commun. de legat.* cauſa impulſiva ratione diverſarum perſonarum eſt diverſa, in perſonis ſanguine iunctis eſt ipſa neceſſituo & propinquitas. l. 25. *de liber. & poſthum. hered.* l. 38. ff. *de donat. int. vir. & uxor.* in extraneis eſt aliquod legatarij, vel fideicommiſſarij meritum. l. 9. ff. *pro ſocio.*

TH. 45. Materia circa quam verſantur legata ſunt res & facta; illæ ſunt, quæ vel in rerum natura, vel futuræ ſperantur, & ſunt in commercio, §. *ea quoque* 7. *Inſt.* h. t. hæc (ſc. facta) legari poſſunt, modò legatario ſint utilia, §. 21. *Inſt.* h. t. hinc legari prohibentur, (1) facta inutilia, (2) illicita, & (3) æſtimationem non recipientia. d. §. 21.

TH. 46. Forma legati & fideicommiſſi verba ſolennia non requirit, l. 21. C. *de legat.* nam & nutu legata relinquere poteſt teſtator, dummodo quinque teſtes legata probent. l. *& in epiſtola* 22. C. *de fideicommiſſ.* & purè & in diem & ſub conditione rectè legatur. l. *ult.* C. *de codicill.*

TH. 47. Finis legati eſt, ut benignè fiat legatario, in quem utilitatem & lucrum aliquod confert teſtator, l. 9. ff. *pro ſocio.* & quia legatum eſt titulus lucrativus, ideo etiam donatio vocatur. §. 1. *Inſt.* h. t.

TH. 48. Effectus legati eſt, quod ſtatim à morte teſtatoris dominium in legatarium per iuris fictionem tranſeat; l. 66. ff. *de furt.* ad quod conſequendum, legatario triplex ſubminiſtratur actio, quarum Theſi 9. fecimus mentionem.

LIBER TRIGESIMVS TERTIVS.

TITVLVS PRIMVS.

De annuis & menſtruis legatis & fideicommiſſis.

TH. I. VISIS legatis in genere, ſubſequuntur legata in ſpecie, & quidem primo loco de annuis legatis, quibus in ſingulos annos teſtator certis perſonis quid legat; in his legatis illud eſt ſingulare, quod cenſeantur plura, non unum legatum. l. 4. *&* 11. ff. h. t.

TH. 2. Annua legata ut plurimum alimentorum cauſa videntur relicta, & ſi in ſingulos annos alimentorum nomine quid relictum, plura ſunt legata, nimirum tot, quot ſunt anni, & primi anni legatum eſt purum, quia continuò peti poteſt. l. 4. *&* 8. ff. h. t. quod etiam ad heredes tranſmittitur etiamſi legatarius toto anno non vixerit. d. l. 8. l. 22. ff. h. t. ſequentium annorum legatum eſt conditionale, quia legato intelligitur hæc ineſſe conditio, ſi legatarius initio cuiuſque anni vivat. d. l. 4. 8. *&* 11. h. t. ideoque ſi ante anni ingreſſum moriatur, legatum extinguitur, nec ad heredes tranſmittitur. Ratio hæc datur, quod legatario poſt eius mortem, alimentis proſpici, ſit ſupervacuum.

TH. 3. Annua hæc legata ferè in rebus, quæ in genere functionem recipiunt, conſiſtunt. l. 5. 6. 7. 13. *pr.* l. 18. §. 1. l. 21. §. 2. ff. h. t.

TH. 4. Annua legata non modo purè, & ſub conditione, verumetiam ad certum tempus, aut conditionem relinqui poſſunt, quod fit quatuor caſibus, [1] quamdiu legatarius vixerit. d. l. 4. 5. 7. 8. *&* 13. *pr.* ff. h. t. & licet à teſtatore hoc non expreſſum, attamen ſubintelligitur, niſi de contraria teſtatoris voluntate appareat, [2] dum legatarius ad ætatis annos perveniat. l. 22. ff. *quand. dies legator.* [3] quoad filiæ nubent. l. 57. ff. h. t. denique [4] quoties vidua erit. l. 22. ff. hoc tit.

TH. 5. Si legatum fuerit relictum annua, bima, trima die (a) per ſingulos annos æquæ penſiones (b) ſunt præſtandæ. l. 3. ff. h. t.

(a) Id eſt, unis, ſecundis, tertijs penſionibus.

(b) Quo caſu integra ſumma dividitur in tres æquales partes, & ſingulis annis tertia pars ſolvitur. e. g. ſi trecenti ducati eſſent relicti, tunc per ſingulos annos deberentur centum. d. l. 3. *pr.* & §. 1. etiamſi æquæ penſiones non ſit adjectum.

TH. 6. Quod ſi adjectum ſit penſionibus inæquis, nec tamen portiones expreſſæ, inæquales debebuntur, iuxta arbitrium boni viri. d. l. 3. §. 2. & 3.

TH. 7. Si legatario annuum fuerit relictum abſque ſummæ adjectione, id relictum intelligitur, quod teſtator præſtare ſolitus fuerat; ſi nec de eo quidquam conſtet ex dignitate perſonæ ſtatui oportet. l. *ſi cui.* 14. ff. h. t. l. 22. ff. *de alim. legat.*

TH. 8. Eiuſmodi legatum annuum à ſtipulatione annua, ſive in ſingulos annos differt; quamvis enim ſtipulans moriatur, ad heredes tamen tranſit, quia in contractibus, ſive ſtipulationibus, eſt una, pura, & ſimplex obligatio, non multiplex, quæ non ſingulis annis noviter iterum debetur, nec obſtat quod plurium ſit annorum. l. 16. §. 1. ff. *de V. obl.* l. 35. §. *fin.* ff. *de mort. cauſ. donat.* Ex oppoſito, in legatis annuis, tot ſunt præſtationes, penſiones, ſive debita, quot anni, ideoque ſingulis annis finitur obligatio. l. 4. & 11. ff. h. t.

TH. 9. Legata annua certæ perſonæ relicta in quibuſdam uſufructui ſunt ſimilia, in quibuſdam diſſimilia; ſimilia ſunt, quod æquè ac uſusfructus finiantur legatarij morte. l. 8. h. t. diſſimilia ſunt in ijs, [1] quod capitis diminutione non pereant, utpote, conſiſtentia potius in facto, quam in iure. l. *pen.* ff. *de capit. diminut.* [2] quod legatarius initio anni decedens legatum heredi relinquat; uſufructuarius verò non item, hic enim etiamſi maturis fructibus nondum tamen perceptis, deceſſerit, heredi ſuo eos fructus non relinquat. l. 5. 8. & 22. ff. h. t.

TITVLVS II.

De uſu, & uſufructu, & reditu, & habitatione, & operis per legatum, vel fideicommiſſum datis.

TH. 1. THESI præcedenti ſuperioris tituli diximus, uſumfructum annuo legato in quibuſdam eſſe ſimilem; cum non ſolum pactionibus, verumetiam teſtamento uſusfructus rectè conſtituatur, & legetur. § 2. *Inſt. de uſufr.* Idcirco uſusfructus ſolus, vel ſola proprietas legari poteſt, vel alteri proprietas, alteri uſusfructus, quo caſu uſusfructus inter eos erit communis. l. 19. ff. h. t.

TH. 2. Si teſtator uſum aut uſumfructum itineris, actus viæ, aquæductus legaverit, eiuſmodi legatum declaratur nullum, ratio eſt, quod ſervitus ſervitutis non detur, ſed incerti actio competit adverſus heredem, ut legatario, quamdiu vixerit, eundi, agendi, ducendi facultatem permittat. l. 1. ff. h.t. modo legatarius caveat, ſe ſervitutem reſtituturum, ſi deceſſerit, aut capitis diminutione uſum, aut uſumfructum amiſerit. d. l. 1.

TH. 3. Quæritur, ſi legatario uſusfructus omnium bonorum à teſtatore relinquatur, an teneatur æs alienum ſolvere? Reſp. negand. quia nemo, præter heredem defuncti perſonam repræſentantem, ad æris alieni exſolutionem obligatur. l. 1. C. *ſi cert. petat.* l. 26. C. *de pact.* uſufructuarium tamen pati oportet, ut heres tantum, quantum ad æs alienum ſolvendum erit ſatis, de bonis detrahat, quo facto, reſiduum uſufructuario eſt tradendum; quia bona aliàs non intelliguntur, niſi deducto ære alieno. l. 39. §. 1. ff. *de V. S.*

TH. 4. Quæritur, quantum heredi ex uſufructu omnium bonorum uxori, vel alijs perſonis legato detrahere liceat? Reſp. liberi legitimam integram quoad proprietatem, & uſumfructum detrahere iure poſſunt. *Nov.* 18. *c.* 3. l. 29. ff. *de uſufr.* l. 1. §. 9. ff. *ad L. Falcid.*

TH. 5. Reditus eſt quicquid ex re aliqua obvenit, & redit, quod præſtatur legatario ab herede ex bonis hereditarijs, quorum fructus & emolumenta percipit. l. 38. ff. h. t. l. 7. ff. *de uſufr.*

TH. 6. Si quis legatum reditus leget, illud legatum ad heredes legatarij non tranſit, cum uſufructui ſimile ſit, aut legato annuo, h. e. in

ſingulos annos relicto. l. 22. ff. h. t. Nota, in reditu habitatio non complectitur. l. 34. ff. h. t.

TH. 7. Legatum reditus quodammodo ſimile eſt legato uſusfructus, illud tamen eſt minus hoc, E. non eſt uſusfructus. l. 38. ff. h. t. Nam uſufructuarius ipſemet omne commodum percipit. l. 1. ff. *de uſufr.* at reditus ab herede quotannis præſtantur, nec ab ipſo legatario percipiuntur. *arg.* l. 58. §. 1. ff. *de uſufr.* unde venit, teſtatoris heredem fundum poſſe vendere, præſtando annuam penſionem legatario.

TH. 8. Legatum habitationis in ſingulos annos ab initio anni (a) debetur, & unum legatum eſt, (b) & morte legatarij finitur. (c)

(a) *l. habitationis*, 11. ff. h. t.

(b) Cum teſtator dicit, damnas eſto heres, Titium ſinere in illa domo habitare, quoad vivet, unum eſt legatum. l. 15. ff. h. t.

(c) l. 10. *pr.* ff. *de uſu & habitat.*

TH. 9. Operæ hominis, tam ſervi, quàm liberi legari poſſunt. l. 2. & 3. ff. h. t. huic legato operarum illud ſingulare eſt, quod nec capitis diminutione, vel non utendo, nec morte eius, cui relictæ ſunt operæ, extinguatur, ſed demum morte eius, qui eas debet. E. ad heredem legatarij tranſeunt. d. l. 2.

TITVLVS III.

De Servitute legata.

TH. I. SERVITVTIBVS perſonalibus optimè ſubjunguntur ſervitutes reales, quas teſtator ultima voluntate relinquere poteſt. l. 1. 2. 3. ff. h. t.

TH. 2. Servitus duobus modis legatur, [1] principaliter, ut viam per fundum meum tibi lego. l. 2. ff. h. t. aut [2] in conſequentiam. l. 1. ff. h. t.

TH. 3. Quibus ſervitutem inter vivos conſtituere licet, hi eam teſtamento per ultimam voluntatem prædiorum dominis relinquere non prohibentur.

TH. 4. Ex ſervitute reali legata confeſtim naſcitur ius in re, & actio confeſſoria realis. Contra ex legato uſusfructus oritur ius ad rem & actio perſonalis.

TH. 5. Legatum ſervitutis realis in ſequentibus differt à legato ſervitutis perſonalis, quia hæc morte finitur, illa verò eſt perpetua, & ad he-

redes tranſitoria. l. 4. ff. *de ſervit.* non enim perſonæ, ſed rei, quæ non perit, debetur.

TITVLVS IV.

De dote prælegata.

TH. 1. DOTES uxoribus à maritis prælegari, haud infrequens, nec inutile eſt, licet uxores dotium cenſeantur dominæ; mortuo tamen marito eiuſmodi legatum valet, quia plenius eſt legatum, quàm de dote actio, §. 15. *Inſt. de legat.* & quidem ob tria commoda, primum eſt repræſentationis, quod nimirum dos prælegata præſenti die eſt reddenda, quæ aliàs olim quoad res fungibiles annua, bima, trima die reddenda eſſet, h. e. tribus penſionibus. l. 1. §. 2. ff. h. t. d. §. 15. Hodie iuxta Iuſtiniani diſpoſitionem, res immobiles ſtatim, mobiles verò poſt annum, l. *un.* §. *cum autem. C. de rei uxor. action.* (2) quod pacta dotalia mulieri quoad dotis reſtitutionem minus commoda ceſſent, l. 1. §. 1. ff. h. t. l. *cum ſcriptum* 6. ff. *eod.* (3) in dote prælegata Falcidiæ non conceditur locus, l. 1. §. 13. ff. h. t. l. 57. ff. *ad L. Falcid.*

TH. 2. Dos prælegari dicitur, hoc eſt ita legari, ut præ alijs præſtetur; dicitur & relegari, quod reddi potius ſua res uxori videatur, quam dari.

TH. 3. Is, cui dos data, aut promiſſa eſt, eam prælegare poteſt, ut maritus, l. 2. *pr.* §. 1. l. 8. *&* 12. ff. h. t. ſocer ſive mariti parens, qui nurui dotem relegare poteſt. l. 1. §. 9. ff. h. t.

TH. 4. Is etiam, cui dos eſt reſtituenda, eandem prælegare poteſt ut uxor & uxoris pater, l. 11. ff. h. t.

TH. 5. Injuſtæ uxori dos fruſtra legatur. l. 27. ff. *de uſu & uſufr. legat.*

TH. 6. Legari poteſt dos purè & ſub conditione. l. 12. ff. h. t.

TH. 7. Legatur dos aut expreſſa quantitate, aut non expreſſa; priori caſu centum aureos dotis nomine, vel quos in dotem dediſti, tibi uxor do, lego, etiamſi nihil in dotem datum ſit, nihilominus legatum debetur, l. 6. *&* 8. ff. h. t. quia falſa demonſtratio legatum non vitiat, l. 17. l. 33. ff. *de condit. & demonſt.* poſteriori caſu, ubi quantitas non expreſſa, ſed ſimpliciter legatur, ut, dotem lego, eiuſmodi legatum eſt inutile, ſi maritus nihil in dotem acceperit. §. 15. *Inſt. de legat.*

TH. 8. Ex dote prælegata naſcitur eius petitio. d. §. 15. l. 15. §. 4. ff. *de legat. præſtan. contr. bon. poſſ.*

TH. 9. Actio illa datur ei, cui dos eſt legata, contra heredem, cui teſtator dotem reſtituere injunxit, l. 5. l. 7. *pr.* §. 2. *&* *ult.* l. 16. ff. h. t. ad id omne, quod in actionem dotis venit; quia mariti heredibus, ſi dotis nomine conveniatur, beneficium competentiæ, quod ſaltem perſonale, non competit. l. 24. §. 1. l. 25. ff. *de re judic.*

TITVLVS V.

De optione, vel electione legata.

TH. I. SOLET interdum à teſtatore optio (a) vel electio (b) rerum legato relictarum legatarijs concedi. l. 1. 2. 6. ff. h. t.

(a) Illa olim ſolenniter fiebat, l. *ſervus* 5. l. 10. ff. *de legat.* 1. erat actus legitimus, qui iure peragitur ſine die & conditione. l. 77. ff. *de R. I.*

(b) Hæc erat facultatis arbitrariæ. l. 76. ff. *de V. O.* l. *ult.* C. *commun. de legat.* Optio tamen hodie ab electione non differt, ſed ſunt ſynonima, ſublatis antiquis ſolennitatibus.

TH. 2. Legatarius, cui optio vel electio legata, (a) ex pluribus rebus pro arbitrio, (b) ſemel optare, vel eligere poteſt, (c) etiam optimam. (d)

(a) l. 2. *pr. &* §. 1. ff. h. t. §. *optionis* 25. *Inſt. de legat.*

(b) Sive generaliter, e. g. homine legato arbitrium eligendi penes legatarium eſt, d. l. 2. §. 1. l. 9. §. 1. l. 10. *&* 12. ff. h. t. ſive alternatim legatis, e. g. Titio Stichum aut Pamphilum, utrum eorum volet, do, lego, l. 9. *pr.* ff. h. t. l. 34. §. 14. ff. *de legat.* 1. l. 21. ff. h. t.

(c) Electione ſemel factâ, legatarius voluntatem in electione mutare nequit, l. 20. ff. h. t. quia poſt factam electionem iuris fictione in legatarium transfertur dominium. l. 64. ff. *de furt.* d. §. 23. l. 33. *in fin.* l. 84. §. 9. ff. *de legat* 1.

(d) l. 9. §. 1. ff. *de dol.* quod inductum eſt, partim favore ultimarum voluntatum, quas interpretamur plenius, l. 12. ff. *de R. I.* partim quia teſtator verba ad legatarium dirigens, videtur hanc illi facultatem concedere.

TH. 3. Non modò optionem & electionem conceſſit teſtator legatario, verumetiam eius heredi, (a) nonnunquam etiam teſtator heredi proprio electionem conceſſit. (b)

(a) Legato optionis olim tacita inerat conditio, quapropter ſi legatarius non

optaſſet, ad heredem legatum non tranſmittebatur, §. 23. *Inſt. de legat.* quod hodie mutatum, cum non amplius ſit legatum conditionale, ſed purum, ideo & heredi conceditur. l. *ult. pr.* C. *commun. de legat.*

(b) Abſque hac expreſſa teſtatoris conceſſione regulariter legatario electio datur. §. 22. & 23. *Inſt. de legat.*

TH. 4. Si pluribus optio à teſtatore fuerit relicta, & in corpore eligendo diſſentiant, ſorte eorum diſſenſus eſt conciliandus, ita ut illius, cui ſors obvenerit, ſententia in electione prævaleat. d. §. 23. & d. l. *ult.* C.

TH. 5. Optio poſt aditam hereditatem eſt facienda, (ante eam fruſtra fit, l. 16. ff. h. t.) intra tempus à teſtatore, vel Prætore præfixum. Si enim, aditâ hereditate, legatarius electionem differat, tempus à Prætore conſtituitur, intra quod legatario optandum; ne heres, dum diutius in incerto hæret, quid ſuum, quid legatarij ſit, incommodo aliquo gravetur. l. 6. & 7. ff. h. t.

TITVLVS VI.

De Tritico, vino, vel oleo legato.

TH. 1. QVÆ in ſequentibus titulis uſque ad tit. 3. libri 34. excluſivè proponuntur, fiunt eo fine, ut ſciatur, quid teſtator, hanc, vel illam rem legando intellexerit, quod non tantum ex communi verborum uſu & proprietate, verumetiam ex teſtatoris conſuetudine, ſive loquendi modo interpretandum.

TH. 2. Triticum (a) vinum, (b) & oleum in ea quantitate & qualitate, in qua à teſtatore relinquuntur, ſunt præſtanda.

(a) Vox hæc dupliciter accipitur, (1) latè denotat quodvis frumentum ſpicis excuſſum, ut ſiligo, hordeum, avena, far, milium, (2) propriè ab alio frumenti genere ſecernitur, ut avena, ſiligine, hordeo, &c. l. 9. *pr.* ff. h. t. l. 94. ff. *de verb. oblig.*

(b) Sic vino legato, omne id venit, quod ex vinea natum, vinum permanſit, l. 9. ff. h. t. E. non mulſum, nec Zythus, nec cereviſia, nec hydromeli, nec conditum, nec defrutum, nec acetum vini nomine continentur. Excipe, niſi ea mens ſit teſtatoris, illa loco vini habentis. d. l. 9. *in fin. pr.* h. t.

TH. 3. Si teſtator quod in fundo natum fuerit, leget, heres non plus,

quam natum eſt, præſtare tenetur. l. *cum certus* 5. ff. h. t.

TH. 4. Si quis centum modios tritici leget, quorum ſinguli centum pondo ponderent, inutile eſt legatum, l. 7. §. 1. ff. h. t. quia eiuſmodi triticum in rerum natura non eſt.

TH. 5. Si teſtator certam tritici menſuram, non adjectâ qualitate, leget, heres pro arbitrio cuiuſcunque generis triticum, iuxta expreſſam menſuram, legatario ſolvere poteſt. *arg.* l. 4. & 7. *pr.* ff. h. t.

TH. 6. Quæritur, utrum legato vino, vaſa quoque cenſeantur legata? Reſp. diſting. inter vaſa minora, & majora, quæ perpetui uſus cauſa ſervantur. Illa unà cum vino intelliguntur legata, quia non magnæ ſunt amplitudinis, & unà cum vino, cuius ſunt acceſſorium, vendi ſolent, hæc verò vendi non ſolent, cum neque loco, aut cellis moveantur. l. *ſi cui* 3. §. 1. l. *cui vinum* 6. l. 14. ff. h. t.

TH. 7. Oleo certo pondere legato, non adjecta qualitate, liberum eſt heredi, quale velit legatario ſolvere. l. 4. ff. h. t.

TITVLVS VII.

De inſtructo, vel inſtrumento legato.

TH. I. FVNDO (ſive prædio) inſtructo, (a) vel inſtrumento (b) fundi legato, continentur omnia, quæ in fundo paterfam. habuit, ut eſſet inſtructior. (c)

(a) Sic fundus inſtructus dicitur is, qui ea inſtrumenta habet, ſine quibus exercitium fundi inutile eſſet.

(b) Inſtrumentum eſt apparatus rerum diutius manſurarum, ſine quibus poſſeſſio exerceri nequit. l. 12. *pr.* ff. h. t.

(c) E. & ſuppellex complectitur, quæ fuit in fundo teſtatoris ipſius uſus gratia, & veſtis, ſtragula, menſa, ſcamna, vitrea, aurum & argentum, vina quoque, ſi quæ ibi fuerunt ipſius uſus cauſa, huc referuntur, l. 12. §. 28. ff. h. t. contrà, quæ in fundo ſive prædio habuit non uſus, ſed cuſtodiæ cauſa, non comprehenduntur.

TH. 2. Inſtrumentum eſt duplicis generis, [1] rei, & [2] hominum.

TH. 3. Inſtrumentum rei aliud eſt villæ. l. 16. ff. h. t. aliud domus, l. 12. §. 16. ff. h. t. aliud tabernæ aut cauponæ, l. 15. ff. h. t. aliud vineæ. l. 16. §. 1. h. t.

TH. 4. In-

TH. 4. Inſtrumentum hominum eſt, vel patrisfam. l. 12. §. 27. ff h.t. vel pictoris. l. 17. *pr.* ff. h. t. vel lanionis. d. l. 18. *pr.* vel piſcatoris. l. 18. *pr.* vel balneatoris: l. 13. §. l. 17. §. 2. ff. h. t. vel medici, ut collyria emplaſtra. l. 18. §. 10. ff. h. t.

TH. 5. Si teſtator fundum cum inſtrumento leget, tunc ea ſaltem comprehenduntur, quæ ad uſum ipſius fundi pertinent. l. 12 §. 16. ff. h. t. unde patet, plenius eſſe legatum fundi inſtructi, quam cum inſtrumento legati; quia hoc inſtrumenta ad culturam prædij neceſſaria continentur, illo autem alia quoque inſtrumenta, quæ paterfam. ibi habuit, ut fundus eſſet inſtructior. e. g. ſuppellex.

TH. 6. Si fundus ſit ſimpliciter legatus, dotes prædiorum, (a) legatario non præſtantur, (b)

(a) Hoc eſt acceſſiones & inſtrumenta prædij, ut ſtramina, ſtercora, aratra, ligones, boves aratorij, pedamenta, dolia. l. 2. §. 1. l. 20. §. 1. ff. t.

(b) d. l. 2. §. 1. ff. h. t. Quæ verò inædificata & infixa, ſunt legato prædio continentur. l. 21. *&* 26. ff. h. t.

TH. 7. Si teſtator fundum, uti optimus maximus eſt, leget, inſtrumenta, quæ ibi ſunt, & ad fundi uſum neceſſaria, complectuntur. *l. fundo legato* 22. ff. h. t.

TITVLVS VIII.

De Peculio legato.

TH. 1. PECVLIVM hîc eſt puſillum patrimonium, quod ſervus domini permiſſu ſeparatum à rationibus dominicis habet. l. 5. *in fin.* ff. *de pecul.*

TH. 2. Servo ſimpliciter legato, aut libertate data, non etiam peculium intelligitur legatum, ſed expreſsè hoc eſt legandum. l. 8. §. 7. ff. h. t. l. 24. ff. *eod.* ratio adæquata hæc eſt, quia peculium non eſt ſervi acceſſorium, ut eum legatum non ſequatur, niſi & unà legatum fuerit. *l. un. C. de pecul. eius qui libert. mer.* quod verum eſt ratione ſervi manumiſſi per ultimam voluntatem; ſecus ſe res habet ratione ſervi manumiſſi inter vivos, quo caſu peculium regulariter donatum intelligitur; niſi expreſsè à manumiſſore ademptum ſit. § *ſi peculium*, 20. *Inſt. de legat.*

TH. 3. Peculio legato non comprehenduntur, quæ ſervus domino,

ſive teſtatori, eius liberis, vel heredi debet; nam hæc ex natura peculij domino, vel cæteris reſtituenda, aut deducenda ſunt. l. 21. & 22. ff. h. t. Excipe, niſi teſtator ea expreſsè remiſerit. l. 6. §. 1. ff. h. t.

TITVLVS IX.

De penu legata.

TH. 1. QVID penus legatæ nomine veniat, in ſequentibus declarabitur?

TH. 2. Penu legatâ complectuntur omnia quæ eſui, potuique ſunt, & quæ in uſum patrisfam. uxoris, liberorum, vel familiæ, quæ circa eos eſſe ſolet, item iumentorum, quæ dominici uſus cauſa ſunt parata. l. 3. *pr.* ff. h. t. Sic quoque vaſa, ſine quibus penus conſervari nequit, ut & ligna, carbones huc referuntur. d. l. 3. § *fin.* l. 5. & 6. ff. h. t.

TH. 3. Si teſtator heredi injunxerit penum dare, & is non dederit, pecuniam ſolvere damnatur, quo caſu penus eſt in præſtatione, pecunia verò in petitione, cum heres ſit in mora dandi. l. 1. ff. h. t. atque ſic legatum penoris convertitur in obligationem pecuniæ ob moram ab herede commiſſam. Ob has rationes, [1] quia defunctorum voluntates non debent in ſuſpenſo manere. *l. fin. ff. commun. præd.* [2] quia illa eſt penoris natura, ut facilè corrumpatur; ne igitur ex mora heredis fiat deterior legati cauſa in damnum legatarij, optimo iure pro penore poſt contractam moram pecunia debetur.

TH. 4. Saxonibus uſitatum eſt, quoties non de legato penoris, ſed de penore in genere agitur, penum intra trigeſimum à defuncti morte diem à vidua & familia in neceſſarios uſus conſumi, elapſo hoc tempore reſiduum heredi reſtituunt, aſt ſi de nobilis alicuius ſucceſſione ibi agatur, inter viduam & heredes ita dividitur; ut vidua, retentâ dimidiâ commeſtibilium parte, alteram heredibus relinquat. *Landrecht lib. 1. art. 22. & 24.*

TITVLVS X.

De ſupellectile legata.

TH. I. LEGARI poteſt & ſupellex, (a) quæ eſt domeſticum patrisfam. inſtrumentum, quod neque auro, neque argento facto, (b) aut veſti annumeratur, in rebus, non in animalibus conſiſtens. Sive, eſt inſtrumentum quoddam patrisfam. rerum ad quotidianum uſum paratarum, quod in aliam ſpeciem, e. g. penum, aurum, argentum, veſtem, ornamentum, inſtrumenta agri, vel domus non cadit.

(a) Voce ſupellectilis veniunt menſæ, ſubſellia, lecti, culcitræ, thedæ, vaſa aquaria, pelves candelabra. l. 3. *pr.* ff. h. t.

(b) Ratio eſt, quia olim ſeverioribus moribus aurum, atque argentum in quotidiano uſu non erat. l. 3. ff. h. t. lapſu temporis hic rigor remiſſus, ut argentea quoque domus inſtrumenta, ſupellectili annumerarint. l. 1. §. 5. l. 9. §. 1. l. 8. ff. h. t.

TH. 2. Quoties de rebus, an ſupellectilis, vel argenti, aut veſtis nomine veniant, dubitari poſſit, ſententia legantis inſpicienda eſt; quia in eiuſmodi legatis optimum eſt non propriam verborum ſignificationem ſcrutari, ſed potius voluntatem teſtatoris, quid ille demonſtrare voluerit. *l. cum de lanionis, 18. §. item, 3. ff. de inſtruct. & inſtrum. legat.*

TH. 3. Secundùm jus Saxonicum datur & alia ſupellectilis ſpecies, quam geradam, aut utenſilia vocant, his omnis mundus, veſtimenta, ornamenta, & quæcumque mulieres in uſu & poſſeſſione habent, comprehenduntur. Hæc utenſilia proximis cognatis fœminis, ut filiabus inter Nobiles, cum de Nobilium hereditate agitur, debentur; ſicut ex oppoſito maribus heredibus arma, ſive ſupellex militaris, quas res expeditorias appellant, iure hereditario defertur. *Landrecht. lib.* 1. *art.* 19. 21. 24. 27.

LIBER TRIGESIMVS QVARTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De alimentis & cibarijs legatis.

TH. I. SI teſtator cuidam alimenta, (a) legaverit, tenetur heres legatario, cibaria, veſtitum, & habitationem præſtare, quia ſine his tribus corpus ali haud poteſt; reliqua ad diſciplinam ſpectantia legato non continentur. l. 6. ff. h. t. niſi aliud teſtatorem ſenſiſſe probetur. l. 7. ff. *eod.*

(a) Voce alimentorum complectuntur omnia, quæ ad vitæ humanæ ſuſtentationem ſunt neceſſaria, proinde & aqua in illis regionibus, ubi ea vendi ſolet, lectus, culcitra, medicamenta, &c. huc referuntur. l. 1. ff. h. t.

TH. 2. Legatum hoc alimentorum eſt longè pinguius legato diariorum ad victum quotidianum, & cibariorum, quo teſtator cenſetur tantum legaſſe cibos, non etiam, quæ ad veſtitum & habitationem ſpectant. l. 21. ff. h. t.

TH. 3. Alimenta relicta ad pubertatem uſque debentur; pubertatem hic intelligimus plenam, quæ eſt in maſculo ad 18. annum completum, in fœmina uſque ad annum decimum quartum. l. 8. l. 14. §. 1. ff. h. t.

TH. 4. Alimenta in ea ſpecie, eaque quantitate ſunt præſtanda, in qua ſunt relicta, non autem in pecuniaria æſtimatione. l. 10. *&* 12. ff. h. t.

TH. 5. Si quantitas non fuerit adjecta, reſpiciendum ante omnia, quæ teſtator præſtare ſit ſolitus, (a) & pro conditione legatarij. (b)

(a) Solitus & conſuetus ſunt ſynonima, unum enim pro alio ponitur. l. 3. §. 3. ff. *de in rem verſ.* quorum utrumque actus plures requirit, quia illud, quod ſemel fit, raró fieri dicitur. l. 5. ff. *de legib.* ideo ſolitum non poteſt dici, quod unâ vice fit.

(b) Alia præſtari debent maſculo, alia fœminæ, alia nobili, alia ruſtico,

puero,viro,& adulto. *arg.* l. 10. *fin.* h. t. unde & in hac hypotheſi nomine alimentorum plura contineri poſſunt,quam aliàs in Theſi & regulariter fieri ſolet; quapropter ſi dignitas alimentarij expoſcat, ſervi quoque alendi erunt & equus.

TH. 6. Onus alimentorum ex parte eius, qui ea præſtare tenetur, eſt reale, & tranſit ad illius heredes. l. 2. ff. *de condit. & demonſtr.* ex parte tamen recipientis ius alimentorum eſt perſonale, & non tranſmittitur. l. 8. §. 10. ff. *de tranſaction.* ſic uſusfructus ex parte promiſſoris eſt jus reale,ideo tranſit contra poſſeſſorem rei. l. 5. §. 1. ff. *ſi uſufr. petat.* l. 8. §. *fin. in fin. ff de pericul. & comm. rei vend.* ex parte autem ſtipulatoris eſt perſonalis. §. 3. *Inſt. de uſufr.*

TH. 7. Quæritur, ſi alimenta ex certo prædio relinquantur, quomodo ſint præſtanda? Reſp. diſting. utrum teſtator voluerit præſtari alimenta ex certo prædio, per modum taxationis,quod fit reſtrictivè, & ſub conditione,an verò per demonſtrationem,ſive deſignationem. Si taxativè, ut Titio alimentorum nomine relinquo mille,ex eo,quòd ex prædio Tuſculano naſcetur. l. 5. ff. *de trit. legat.* l. 8. §. 2. ff. *de legat.* 2. l. 39. §. 1. ff. *de contrah. empt.* quo caſu,ſi minus natum eſt, illud, quod deeſt non ſuppletur. *dd. ll.* contrà,ſi demonſtrativè,integra legata ſunt præſtanda. l. 12. ff. h. t. l. *Paulus.* 27. §. 2. *in fin.* ff. *de legat.* 3.

TH. 8 Super alimentis teſtamento relictis tranſigere non licet, niſi ex Prætoris conſenſu, causâ cognita, l. 8. *pr. de tranſact.* ne fortè adverſi quid legatarius patiatur, interceptis per tranſactionem alimentis, quod contra teſtatoris fit voluntatem: de alimentis tamen præteritis abſque Prætore & cauſæ cognitione tranſigere licet, cum nemo in præteritum ſit alendus. l. 8. C. *de tranſact.*

TH. 9. Onus alimentorum morte ſaltem eius, cui ſunt præſtanda, finitur, l. 8. §. 10. ff. *de tranſact.* E. ad heredes eius non tranſit.

TITVLVS II.

De auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, veſte, vel veſtimentis & ſtatuis legatis.

TH. 1. AVRI & argenti legato comprehenditur, quicquid auri vel argenti relictum eſt, ſive factum (a) ſit, ſive infectum,

(b) exceptâ pecuniâ ſignatâ, hæc enim in aliam appellationis ſpeciem tranſit. d. l. 19. *pr.* l. 27. §. 1. ff. h. t.

(a) Ex quo ſpecies aliqua formata, vel formari cœpta, ut annulus, vaſa, &c. l. 19. §. n. ff. h. t.

(b) Quod rude eſt, ut maſſa vel lamina.

TH. 2. Si teſtator omne argentum, quod ſuum eſt, leget, non debetur id, quod in credito eſt, ratio eſt, quia non intelligitur ſuum eſſe, quod vindicari nequit. d. l. 27. §. 2. l. 34. *pr.* ff. h. t.

TH. 3. Mundus, (a) ornamenta, (b) unguenta, & (c) veſtis (d) legari poſſunt.

(a) Qui eſt ornamentum mulieris, in quo mulier mundior fit, l. 25. §. 10. *verſ. mundus.* ff. h. t. ut ſpecula, unguenta, vaſa unguentaria. d. l.

(b) Quibus mulier ornatur, h. e. quæ ad nullam aliam rem, quam corporis ornandi cauſa ſunt præparata, ut inaures, annuli non ſignatorij, armillæ, gemmæ, lapilli pretioſi, d. l. 25. §. 10. *pr.* aſt veſtes muliebres appellatione ornamentorum non continentur, l. 37. ff. h. t. quia non ornandi, ſed tegendi corporis cauſa principaliter ſunt comparatæ. l. 26. ff. h. t.

(c) His non modò voluptatis ſed etiam valetudinis cauſa unguntur. l. 25. §. 12. ff. h. t.

(d) Veſtis ſive veſtimenta ſi legentur, continent omnia, quæ corpus tegunt, ut lanea, linea, pellicea, &c. induendi, præcingendi, amiciendi, inſternendi; incubandi cauſa, quæque his acceſſionis loco cedunt, d. l. 23. §. 1. ff. h. t. Nota, veſtimentorum varia ſunt genera, virilia, puerilia, muliebria, communia, (quibus promiſcuè utitur mulier cum viro) aut familiaria. l. 23. §. 2. 3. 4. l. 19. §. 5. l. 26. ff. h. t.

TH. 4. Si teſtator ſtatuam leget, eique poſtea ex alia ſtatua brachium adjiciat, ſtatua à legatario unà cum brachio adjecto vindicari poteſt. l. 14. ff. h. t. l. 23. §. 2. ff. *de rei vindicat.*

TITVLVS III.

De liberatione legata.

TH. 1. LIBERATIONEM teſtator licitè legare poteſt, l. 1. ff. h. t. legatum liberationis eſt remiſſio debiti, vel totius, vel partis in teſtamento facta. l. 25. *pr.* ff. h. t. l. 7. *pr.* ff. h. t. l. 37. §. 4. ff. *de legat.* 3.

TH. 2. Liberatio omnibus debitoribus (a) à teſtatore legari poteſt. §. *ſi quis* 13. *Inſt. de legat.*

(a) Non ſolum teſtator proprio debitori, ſed & heredis & cuiuſlibet alterius, ut liberetur, legare poteſt. l. 8. *pr.* ff. h. t.

TH. 3. Liberatio varijs modis legatur, [1] ad tempus, (a) vel in perpetuum; [2] ſimpliciter (b) vel perſonaliter. (c)

(a) Vbi heres damnatur intra conſtitutum, & certum tempus à debitore nihil petere. *l. non ſolum*, 8. §. *poteſt.* 1. ff. h. t.

(b) Quo caſu heres à teſtatore damnatur, nec à debitore, vel eius heredibus debitum petere. l. 8. §. 4. l. 15. ff. h. t. §. 15. *Inſt. de legat.*

(c) Et tunc certæ tantum perſonæ, cui liberatio eſt legata, prodeſt. l. 3. §. 3. l. 20 *pr.* ff. h. t. hic propriè non liberatio, ſed debiti dilatio legata eſt. l. 8. §. 3. ff. *eod.*

TH. 4. Liberatio debitori legata & fidejuſſori prodeſt; ratio eſt, quia debito principali extincto, & acceſſorium tollitur. E contrario, ſi liberatio fidejuſſori legata, debitori, ceu reo principali liberatio non eſt conceſſa, quia fidejuſſionis cauſa eſt acceſſoria, qua ſublata, nihilominus debitum principale ſubſiſtit. l. 2. ff. h. t.

TH. 5. Si teſtator rem ſibi pignori datam leget debitori, eiuſmodi legatum conjunctam non habet liberationem, ſed tantum ſolutionem juris pignoris, ut pignus ante ſolutum debitum à debitore repeti queat. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 6. Ex liberatione legata, legatario tum exceptio doli, ſi fortè deinceps conveniatur, tum actio datur, ut nimirum per acceptilationem liberetur, in quo tanto plus eſt, quam in ſimplici remiſſione, quia in hac eſt quædam tantum non petitio, ſive diſceſſio à petitione, ſive eius potius renunciatio; in acceptilatione autem plena & perfecta eſt ſolutio, quæ præcedente remiſſione longè eſt pinguior.

TH. 7. Teſtator olim regulariter non poterat ſuum debitum creditori legare, quia nihil amplius hoc legato conſequebatur. Excipe caſus ſeqq. [1] niſi teſtator ſub conditione, vel in diem debitum purè leget. §. *ex contrario*, 14. *Inſt. de legat.* [2] Si debitor tutus exceptione pacti, conventi, iudicati, &c. nihilominus leget, quo caſu remittebatur eiuſmodi exceptio. *l. ſi creditor*, 13. ff. h. t. l. 28. *pr. ff. de legat.* 1. [3] ſi debitum actione honoraria legetur, quia tum civilis actio datur legatario pro honoraria. d. l. 28. Hodie teſtator regulariter ſuum debitum creditori legari poteſt; creditor namque per illud impetrat hypothecam. l. 1. & 2. C. *commun. legat.*

TITVLVS IV.

De adimendis, vel transferendis legatis, vel fideicommiſſis.

TH. 1. EX præcedentibus intelleximus, quomodo legata à teſtatoribus relinqui queant, progrediamur itaque ad id, quomodo amittantur, diminuantur, & acquirantur.

TH. 2. Amiſſio legati accidit, quando legatum [1] revocatur, *de quo* h. t. [2] annullatur, *de quo tit. ſeq.* [3] aufertur, *de quo tit. 9. hoc libro.*

TH. 3. Legatum ademptione, vel tranſlatione revocatur.

TH. 4. Teſtatori legatum uſque ad extremum vitæ halitum revocare licet. l. 4. ff. h. t. quia voluntas hominis ultima obligationem non inducit ante mortem, qua ſola confirmatur, quamvis inter vivos ſecus ſit, ubi donatio ſtatim vires à conſenſu accipit. l. 35. C *de donat.* ex dictis conſtat, inanem eſſe Notariorum cautelam, quando in teſtamento ponunt clauſulam, quod teſtator ſibi reſervarit facultatem teſtamentum, aut voluntatem ſuam ultimam revocandi.

TH. 5. Adimuntur legata expreſsè, & quidem verbis, (a) vel facto. (b)

(a) Vt ſi in eodem, vel alio teſtamento, vel codicillis contraria teſtatoris mens exprimatur, ut non do, non lego. *pr. Inſt.* h. t. l. 2. *&* 3. ff. h. t. l. 17. C. *de legat.* vel etiam abſque codicillis, unde revocantur legata coram quinque teſtibus. l. 3. §. *fin.* ff. h. t. l. 18. *&* 22. ff. *de legat.* 3.

(b) Quod fit [1] directò legati inductione, & deletione, ubi teſtator inducit, & delet legatum. l. 16. ff. h. t. [2] per conſequentiam fit inimicitijs capitalibus, quia nemo inimicis benefacere velle præſumitur, & legata propter benè merita ac benevolentiam legatarijs dari ſolent. l. 9. ff. *pro ſocio.* Excipe, niſi reconciliatio interveniat. l. 3. §. *fin. &* l. 22. ff. h. t. [3] rei legatæ alienatione, in qua tamen probè teſtatoris alienantis animus eſt attēdendus; ſi enim teſtator neceſſitate urgente rem legatam alienaverit, legatum non intelligitur ademptum. l. 11. §. 12. ff. *de legat.* 3. ſi verò ex libera voluntate abſque neceſſitate alienaverit, videtur animo adimendi legatum alienaſſe. l. 8. *pr.* ff. *de legat.* 1. l. 15. ff. h. t. [4] rei legatæ mutatione, ubi forma planè eſt mutata, quod fit deſtructione, e. g. ſi domo legatâ deſtructâ, aliam eodem loco teſtator ædificauerit, legatum exſpirat. l. 65. §. *ult.* ff. *de legat.* 1.

de legat. 1. [5] nominis legati exactione,ut ſi teſtator nomen, quod legavit, exegerit. l. 75. §. 2. ff. *de legat.* 1.

TH. 6. Teſtator transfert legatum ſequentibus caſibus, [1] à perſona in perſonam, ut quod uni legatum, alteri legatur, e. g. hominem Stichum,quem Titio legavi,Sejo do,lego. [2] ab eo,qui dare iuſſus eſt, transfertur,ut alius det, [3] cum res pro re datur, ut pro fundo domus, vel centum aurei, & [4] quod purè datum eſt, transfertur ſub conditione. *l. ſicut*, 5. *& l. transfertur*, 6. ff. h. t.

TITVLVS V.

De rebus dubijs.

Iung. tit. 38. lib. 6. C. *De verborum & rerum ſignificatione.*

TH. 1. RES dubiæ (a) nihil aliud ſunt, quam ambiguitates ſermonis, vel facti, quæ aliquatenus conjecturis & præſumptionibus ex juris ratione ductis poſſunt definiri. l. 10. *in fin.* ff. hoc tit.

(a) Res dubias hîc non opponimus verbis ut infrà *tit. ff. de V. S.* ſed vocem rei ut generalem uſurpamus. l. 1. *in fin. ff. de reb. cred.* & ſub eo comprehendimus, tam dubium ſermonem, quam dubia facta; dubium autem generaliter, idem eſt quod ambiguum. l. 21. ff. h. t. ideo dubium & ambiguum promiſcuè uſurpatur. l. 3. h. t. l. 7. ff. *de ſervit. legat.*

TH. 2. In teſtamento ratione legati haud raro evenit, ut vel ex verbis, ſive ſermone teſtatoris ambiguo, (a) vel ex ſignificatione rerum dubium oriatur, quid,aut qua de re ſenſerit teſtator. Hinc ſi eiuſmodi ambiguitas ſermonis, vel rerum per commodam interpretationem tolli haud poſſit, legatum annihilatur. l. 4. 9. 10. 26. & 27. ff. h. t. l. 2. ff. *quæ pro non ſcript. hab. l.* 9. *ff. de hered. inſtit.*

(a) In tali ambiguo ſermone teſtator non utrumque dixiſſe intelligitur, verum id duntaxat quod voluit. Idcirco qui aliud dixit, quam voluit, neque id dicit, quod vox ſignificat, quia non vult, neque id quod vult, quia id non loquitur. l. 3. ff. h. t.

TH. 3. In interpretatione attendendum, quid teſtator ſenſerit. l. 19.

pr. ff. de condit. & demonſtr. & ſenſiſſe creditur, quod verbis expreſſit. *l. un.* §. 7. C. *de caduc. tollend.* quia ſecundum proprietatem ſermonis verba teſtatoris regulariter intelliguntur. Excipe, niſi expreſſè conſtet, teſtatorem aliud voluiſſe. l. 69. ff. *de legat.* 3. Vnde ſtatuitur, ſi certò conſtiterit, quod teſtator aliud, quam verbis expreſſit, voluerit, non verba, ſed eius voluntatem ſequi oportet. l. 7. §. 1. *&* 2. ff. *de ſupellect. legat.*

TH. 4 Ex teſtatoris voluntate verba ſunt declaranda, extendenda, vel reſtringenda.

TH. 5. Quoties teſtatoris voluntas in teſtamento declarata eſt ambigua & obſcura, eam colligere debemus, [1] ex proprietate ſermonis. d. l. 69. [2] per argumenta à contrario ſenſu, à connexis & ſimilibus, [3] per conjecturas, quæ deſumi poſſunt primo ex conſuetudine teſtatoris, & conſequenter ex dictis, ſcriptis, factis ante, vel poſt teſtamentum. *arg.* l. 14. §. 2. ff. *de aliment. & cibar. legat. l. 1. ff. de trit. legat.* ſecundo ex conſuetudine regionis, in qua teſtator eſt verſatus, quia videtur verba ſua intellexiſſe, ſicut omnes in ea regione viventes communiter illa intelligunt. l. 50. §. *fin.* ff. *de legat.* 1. tertio ex affectione erga legatarium; denique quartò ex legatarij conditione.

TH. 6. Si circa perſonam legatarij ſit ambiguitas, ut ignoretur, cui legatum ſit relictum, legatum declaratur nullum. l. 4. 5. *&* 27. ff. h. t. ut ſi perſonæ omnino incertæ legetur. §. 25. *Inſt. de legat.*

TH. 7. Si non certò conſtet, uter ex duobus ſimul morientibus prior ſit mortuus, ambo ſimul perijſſe creduntur. l. 16. ff. h. t. interdum ex conjecturis & circunſtantijs inducitur præſumptio, ut [1] ab ætate filij cum patre, vel matre ſimul naufragio ſubmergentis; unde ſi filius fuerit pubes, patri ſupervixiſſe intelligitur ob corporis firmitatem. l. 22. ff. h. t. ſin impubes, propter virium imbecillitatem prius mortuus cenſetur, niſi contrarium probetur. l. 3. §. *fin.* l. 23. h. t.

TH. 8. Extra caſum patris & filij præſumptio non admittitur, alterum alteri ſupervixiſſe, aut prius deceſſiſſe. l. 18 ff. h. t. ita uxori dos prælegata non videtur, ſi ſimul cum marito perijt. l. 17. ff. h. t.

TITULUS VI.

De his, quæ pœnæ cauſa relinquuntur.

Iung. tit. 41. lib. 6. C. d. t.

TH. 38. QUOD pœnæ nomine relinquebatur, ut legata, fidei-commiſſa, libertates, & hereditates, olim non valuit. l. 1. *&* 2. ff. h. t. quia non ex pœna heredis, ſed benevolentia & amore legatarij proficiſci legata oportet. l. 9. ff. *pro ſocio.* hodie ob Iuſtiniani Imperatoris conſtitutionem valet, exceptis ijs, quæ legibus interdicta, vel impoſſibilia, aut aliàs probroſa, §. *pœnæ, 36. Inſt. de legat. l. un.* C. h. t. Pœnæ nomine legari dicitur, quod coërcendi heredis cauſa relinquitur, quo magis aliquid faciat, vel non faciat, hoc eſt, quo heres inſtitutus ob factum, vel non factum condemnatur, atque adeò punitur, e. g. heres meus ſi filiam ſuam Titio in matrimonium collocarit, aut non collocarit, Sejo centum dare damnas eſto.

TITULUS VII.

De regula Catoniana.

TH. I. REGULA Catoniana (a) locum habet in legatis ab initio inutilibus; quod legatum, ſi teſtator tempore teſtamenti facti deceſſiſſet, inutile foret, id legatum, quandocumque deceſſerit, non valere; quod enim ab initio nullum eſt, tractu temporis convaleſcere nequit. l. 29. ff. *de R. I.*

(a) Huius regulæ author eſt M. Porcij Catonis filius, natu major, itidem Cato vocatus.

TH. 2. Regula hæc procedit ſaltem in ijs, quæ purè in teſtamento relicta ſunt, non etiam, quæ ſub conditione. l. *pen.* ff. h. t. ratio eſt, cum talia non poſſint cenſeri relicta, niſi demum adveniente conditione, in quibus legatis dies non tempore mortis teſtatoris venit, quo hac regula Catoniana propria ſpectat, ſed conditione exiſtente, atque ita utiliter, ſub conditione legatur cum cauſa iam ceſſet, quæ cauſabat nullitatem.

TITVLVS VIII.

De his, quæ pro non ſcriptis habentur.
Iung. tit. 51. lib. 6. C. *De Caducis tollendis.*

TH. I. OMNIA legata, quæ deficiunt, in genere dicuntur caduca, talia ſunt, quæ pro non ſcriptis habentur, ſuntque duplicia, [1] ratione incapacitatis perſonæ, (a) & [2] ratione objecti. (b)

(a) Vt [1] ſi quid adſcriptum ſit ijs, qui in rebus humanis amplius non ſunt, cum ante teſtatorem deceſſerint. l. *pen.* ff. h. t. item [2] ſervis pœnæ, & deportatis. l. 1. C. *de hered. inſtit.* [3] ex eadem cauſa habetur pro non ſcripto, relictum ei, qui in hoſtium erat poteſtate tempore teſtamenti, ſi non redierit. l. 4. *in fin.* ff. h. t. [4] ſi quis ſibi in teſtamento alieno adſcribit. l. 1. ff. h. t. hic non modo illud perdit, quod adſcripſit, verum inſuper tenetur pœna Legis Corneliæ. l. 6. *pr.* & 7. *ff. ad L. Cornel. l.* 3. & 4. *C. de his qui ſibi adſcrib. teſtam.* etiamſi ab ipſo teſtatore ſcribenti injunctum, cum ſcribens in hoc contra legis prohibitionem teſtatori parere non debeat; teſtator enim in ſuo teſtamento cavere nequit, ne legibus in illo ſit locus. l. 55. ff. *de legat. 1.* ratio prohibitionis in eo conſiſtit, quod legatum ſibi adſcribens, lucro ſuo proſpiciat.

(b) Reſpectu huius pro non ſcripto habetur, quod in teſtamento ſcripum, ſed non intelligitur, quid ſignificet. l. *quæ in* 2. ff. h. t.

TH. 2. Quæ pro non ſcriptis habentur, apud heredem ſine gravamine regulariter manent; Excipe, niſi quis legatario deficienti ſit ſubſtitutus, aut conjunctus. *l. un.* §. 3. C. *de caduc. tollend.* l. 1. & 3. ff. hoc tit.

TITVLVS IX.

De his, quæ indignis auferuntur.
Iung. tit. 35. lib. 6. C.

TH. I. DANTVR varij caſus, ob quos nonnulla pro ſcriptis quidem habentur, auferuntur tamen ijs, quibus relicta, & fiſco applicantur. l. 12. l. 16. §. *fin.* ff. h. t. l. 29 & 30. ff. *de donat.* l. 9.

ff. *ad SCt. Sillan.* caſus ſunt ſequentes, [1] ſi quis in ipſum defunctum, (a) [2] eiuſdem voluntatem, (b) [3] hereditatem, (c) & denique [4] in uxorem teſtatoris (d) dolo deliquit.

(a) Quod fit varijs modis, [1] ſi teſtatorem occiderit, l. 3. ff. h. t. l. 9. ff. *de jur. fiſc.* vel [2] id egerit, ut per negligentiam moriatur, d. l. 3. ff. h. t. l. 10. C. h. t. quoniam nihil intereſt, occidat quis, an cauſam mortis præbeat, l. 15. ff. *ad L. Cornel.* [3] ſi ei maledixerit, l. 9. §. 1. ff. h. t. l. 4. C. *eod.* vel [4] eum poſt mortem gravis delicti fecerit reum, l. 7. ff. h. t. vel [5] ſtatus controverſiam ei moverit, l. 9. §. 2. ff. h. t. [6] ſi teſtatorem teſtari prohibuerit, vel coëgerit, l. 1. *pr.* ff. *ſi quis aliq. teſtar. prohib.* [7] ſi necem teſtatoris intra tempus à iudice conſtitutum, l. 1. 10. C. *ad L. Cornel. de ſicca.* ulciſci ſuperſederit, l. 17. *&* 20. ff. h. t. niſi cædis autores reperiri queat, l. 9. C. h. t. Hodie tamen ob eiuſmodi vindicationem locus non eſt privationi. Ratio enim olim erat, ne heredibus ab accuſatione deſiſtentibus homicidium maneret impunitum, quia iudex olim non poterat procedere adverſus homicidam, niſi inſtituta accuſatione; quod hodie mutatum, iudex enim hodie ex officio inquirere tenetur, atque ſic homicidium non manet impunitum, ideo propter accuſationem omiſſam heredes non cenſentur indigni.

(b) Indignus eſt hereditate, aut relicto, qui teſtamentum, tanquam inofficioſum, aut falſum accuſat, l. 5. *pr.* ff. h. t. l. 8. C. h. t. item ſi emancipatus filius contra tabulas bonorum poſſeſſionem patris ut præteritus petierit, & ex ſubſtitutione impuberis adierit hereditatem, l. *aufertur* 2. *pr.* ff. h. t. Obſerva, dicenti teſtamentum non eſſe iure factum, nihil aufertur, l. 5. §. 1. l. 14. ff. h. t. ratio in eo conſiſtit, quia iudicium defuncti non impugnavit, ſed de iure ſuo diſputavit. l. *ſi teſtamentum* 24. ff. h. t.

(c) Si hereditatem compilavit, quatenus tamen compilavit, l. 6. ff. h. t. ne pœna delictum egrediatur, l. 22. C. *de jur. delib.* vel de hereditate viventis improbum pactum fecerit. l. 29. §. 2. l. 30. *&* l. 31. ff. *de donat.*

(d) Si eam corruperit. *Vveſenb.* n. 3. h. t.

TH. Indigno relicta regulariter cedunt fiſco, l. 2. *pr.* §. 1. l. 5. §. 3. 4. 6. l. 6. *in fin.* l. 9. §. *fin.* l. 13. l. 18. §. 1. ff. h. t. dantur tamen caſus haud pauci, quibus fiſcus excluditur, l. 5. §. 2. ff. h. t. l. 1. C. *de ſecund. nupt.* l. 32. ff. *de excuſat. tutor.* l. *pen. in fin.* C. *de legat.* 2. *feud.* 56. *verſ. niſi quæ ſpecialiter.*

LIBER TRIGESIMVS QVINTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De conditionibus & demonſtrationibus, & cauſis & modis eorum, quæ in teſtamento ſcribuntur.

Iung. tit. 46. libr. 6. C. *De conditionibus inſertis tam legatis quàm fideicom. & libertatibus.* tit. 44. C. *De falſa cauſa adjecta legato.*

TH. I. EXPOSITA legati amiſſione, tranſgrediendum eſt ad conditiones, demonſtrationes, cauſas & modos, quæ legatis adjici ſolent.

TH. 2. Legatum dupliciter relinquitur, [1] purè & ſimpliciter, vel [2] ſub conditione, demonſtratione, cauſa aut modo.

TH. 3. In dubio diſpoſitio pura potius, quam conditionalis præſumitur, l. 1. *pr.* ff. h. t.

TH. 4. Si diſpoſitioni quid adjectum, quod conditionem, modum, vel diem ſignificare videtur, dies potius, aut modus, quàm conditio præſumitur, *arg.* l. 22. §. 1. ff. *quand. dies legat.* ratio adæquata in eo ſe fundat; quia conditio, nihil ponit in eſſe, E. ante conditionis exiſtentiam nihil debetur, l. 8. ff. *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* l. 41. ff. h. t. Vbi verò dies eſt adjectus, aliquo modo debetur, item ubi modus adjectus, ſub cautione fideiuſſoria relictum peti poteſt, & poſtea impleri. l. *libertas* 17. §. *hac* 4. l. *Mævia* 44. ff. *De manumiſſ. teſtam.*

TH. 5. Conditio inſtitutioni adjecta eſt poſſibilis, (a) vel impoſſibilis. (b)

(a) Illa eſt triplex (1) poteſtativa, (2) caſualis, & (3) mixta.

(b) Hæc eſt vel natura, vel legibs talis.

TH. 6. Conditio poſſibilis futura (a) legato adjecta delationem eius ſuſpendit. l. 5. §. 2. l. 21. ff. *quand. dies legat.*

(a) Quæ verò in tempus præteritum, vel præſens eſt concepta, conditionis effectum non habet, cum vel continuò diſpoſitionem faciat utilem, ſi res ita ſe habeat, vel prorſus utilem, ſi ita ſe non habeat, licet hoc ignoret teſtator, §. 6. *Inſtit. de verbor. oblig.* E. ſola conditionis effectum habet ea, quæ concepta in caſum futurum contingentem, non verò neceſſarium, quæ non poteſt non evenire, ita ut continuo ponat obligationem. l. 9. §. 1. ff. *de novatio.*

TH. 7. Conditio poteſtativa eſt implenda, d. l. 5. §. 2. l. 27. l. 40. l. 71. §. 3. ff. h. t. unde defectus conditionis facit deficere voluntatem, ſi nimirum per ipſum honoratum ſtet, quo minus impleatur, redditur enim per hoc indignus relicto. l. 8. §. 6. ff. *de condition. inſtit.*

TH. 8. Conditio hæc poteſtativa in faciendo, (a) vel non faciendo (b) conſiſtit.

(a) Lego tibi mille, ſi ſervum Stichum manumiſeris, ſi Capitolium aſcenderis, &c.

(b) Lego tibi centum, ſi Capitolium, vel turrim non aſcenderis, ſi in Italiam non iveris, eſtque conditio negativa.

TH. 9. Conditio negativa cautione Mutiana (a) impletur, dum legatarius cavet de reſtituendo legato cum fructibus, ſi contra conditionem factum fuerit. l. 1. *pr.* ff. t.

(a) Ita ab inventore & autore Q. Mutio Scævola ICto appellatur.

TH. 10. Cautio Mutiana in legatis & hereditatibus (a) præſtatur fidejuſſoribus (b) ei, ad quem, deficiente conditione, legatum vel hereditas pervenire poteſt. l. 19. ff. h. t.

(a) Non autem in contractibus, ſive b. fidei, ſive ſtricti juris exigi poteſt. *arg.* l. 10. ff. *de verb. obl.* §. 4. *Inſt. eod.* niſi expreſſum, ut eiuſmodi cautio interponeretur. l. 3. ff. *condict. cauſ. dat. cauſ. non ſec.*

(b) Vel interdum addito iuramento, vel hypotheca rerum ſuarum. *arg. Novel.* 22. c. 44. §. 2. 3. 4. *pen. & ult.* C. *de indict. viduit.*

TH. 11. Si tempus conditioni implendæ non fuerit præfinitum, liberum eſt legatario quandocunque velit implere. l. 10. ff. h. t.

TH. 12. Conditio caſualis eſt expectanda uſque dum exiſtat, ut centum tibi lego, ſi Titius fuerit Conſul creatus, vel ſi navis ex Aſia venerit.

TH. 13. Mixta conditio implenda, (a) aut expectanda (b) eſt, talis eſt, ſi Titio Conſule Capitolium aſcenderis, item ſi Titio reverſuro ab hoſtibus decem dederis.

(a) Quatenus ea à voluntate legatarij dependet.

(b) Quatenus ſcilicet à caſu dependet, à legatario impleri haud poteſt,

etiamſi is ſummopere in id nitatur; ideo eſt expectanda.

TH. 14. Conditio impoſſibilis naturâ, ſi legato adjiciatur, detrahitur, (a) aſt ſi iure ſive legibus conditio impoſſibilis legato ſit adjecta, remittitur. (b)

(a) h. e. pro nulla habetur. l. *obtinuit* 3. ff. t.

(b) Eiuſmodi conditio iure civili teſtamentum infirmat; Prætor verò eas remittit. l. *non dubitamus* 20. ff. h. t. Hinc non valet [1] conditio legato adſcripta, ſi non nupſeris; ideo legatum, conditione non obſtante, capitur, l. 22. l. 64. *in fin.* l. 72. §. 5. ff. h. t. Quamvis viduitas, aut cœlibatus ſit honeſtum pudicitiæ genus, inutile tamen Reip. quam augeri numero liberorum eſt utile, [2] nec valet legatum, conditione tali adjectâ, ſi arbitratu Titij nupſeris, ne nuptijs impedimentum abjiciatur. l. 28. *pr.* & l. 72. §. 4. ff. h. t.

TH. 15. Conditio ſequens legato adjecta non eſt contra bonos mores, e. g. ſi Titio nupſeris, vel Titio non nupſeris, l. 1. & 2. C. *de inſtit. & ſubſtit.* quia per hanc conditionem non tollitur omninò nubendi facultas. l. 71. §. 1. ff. h. t. l. 64. ff. *eod.* ſed cum certa quadam perſona ſolummodò prohibetur.

TH. 16. Quæritur, utrum legatum in alicuius arbitrium collatum valeat, & ſi valeat, utrum ſit purum, an conditionale? Reſp. diſting. aut confertur in arbitrium heredis, aut legatarij, aut tertij. Circa membrum primum, quod in arbitrium heredis confertur, formatur, duplex caſus. [1] Si arbitrio heredis tempus præſtandi legati fuerit commiſſum, per verbum *cum voluerit*, tunc poſt mortem eius ab herede, ſine dilatione eſt præſtandum, quia hoc legatum dilationem habet, quamdiu velle poteſt is, à quo legatum, hoc eſt, quamdiu vivit, l. 41. §. *pen.* ff. *de legat.* 3. Excipe, niſi legatarius ante illum, à quo relictum eſt, moriatur, ſic non tranſmittit, quod tempus illud ſit incertum, adeoque inſtar conditionis, l. 11. §. 5. & 6. ff. *de legat.* 3. [2] ſi arbitrio heredis ipſa legati præſtatio ſit commiſſa, his verbis, ſi voluerit, quo caſu ad legati præſtationem cogi nequit, l. 43. §. 2. ff. *de legat.* 1. l. 11. §. 7. ff. *de legat.* 3. Excipe, niſi legatum in heredis, quaſi in viri boni arbitrium fuerit collatum, d. l. 11. §. 7. l. 75. ff. *de legat.* 1. Quod ſecundum membrum concernit, legatum in arbitrium legatarij collatum valet, & ſi ita expreſſe ſub conditione declarandæ voluntatis relinquatur, eſt conditionale, l. 65. §. 1. ff. *de legat.* 1. l. 69. ff. h. t. de ultimo membro, cum arbitrio tertij committitur legatum, idem affirmatur, quod valeat, ſubque conditione relinqui poſſit. l. 1. & 43. §. 2. ff. *de legat.* 2. l. 41. §. 2. ff. *de legat.* 1. l. 46. §. 3. ff. *de fideicommiſſ. liber.*

TH. 17. Le-

TH. 17. Legatum quoddam conditionem tacitam, varijs modis adjunctam habet, vel [1] ex rei natura, (a) vel [2] jure, (b) vel [3] verbis & mente teſtatoris, (c) qualis conditio extrinſecus ineſſe dicitur. l. 99. ff. h. t.

(a) Vt in fructibus, putà quod fundo illo natum fuerit, heres dato, quod taxationis gratia adjicitur, poteſt enim nihil naſci, vel minus. l. 1. §. 3. ff. h. t.

(b) Ex illo cuivis legato ineſt conditio, ſi hereditas adeatur.

(c) Vt ſi teſtator legatum purum poſtea ſub conditione adimat.

TH. 18. Quæritur, utrum hæc conditio, ſi caſtè vixeris, à marito facta, prohibitionem ſecundarum nuptiarum importet? Reſp. negando, quia (1) nubere non eſt turpiter vivere; (2) quia vitam conjugalem agens dicitur caſtè vivere. *Can. Nicæna. diſt.* 31. *Can. fin.* 32. *qu.* 1. Excipe, niſi aliunde pateat de contraria teſtatoris mente, quæ præprimis eſt attendenda. l. 19. ff. h. t. Hinc talis conditio à marito adjecta abſolutam & omnimodam à conjuge videtur exigere caſtitatem, quæ non eſt in ſecundò nubente, cum ſoleat maritus ſecundas uxoris nuptias averſari.

TH. 19. Dies legato adjectus, vel eſt certus, vel incertus.

TH. 20. Legatum, cui dies certus eſt adſcriptus, ante diem ab herede ſolvi poteſt, (a) exigi non poteſt (b); aſt, ſi legatarius ante diei exiſtentiam decedat, ad heredem eius nihilominus legatum tranſmittitur. (c)

(a) l. 1. §. *cum dies*, 1. ff. h. t.

(b) *l. ſi dies*, 21. *pr ff. quando dies legat. vel fidei. ced.*

(c) Quia ſtatim revera debetur, & dies cedit, quamvis nondum venerit. d. l. 1. §. 1. l. 213. ff. *de verb. ſignif.*

TH. 21. Dies incertus (a) conditionem in teſtamento facit. l. 75. ff. h. t.

(a) Ita dicitur tripliciter, (1) *an & quando*; ut cum alicui legatur, ſi Conſul factus fuerit, (2) tantum *an*, e. g. Lego Titio 100. ubi natus erit 70. annos, poteſt enim mori, antequàm ad tantam perveniat ætatem, (3) tantum *quando*, e. g. quando is morietur.

TH. 22. Legatum, cui dies incertus, *an & quando* ſit extiturus, eſt adſcriptus, eſt conditionale, e. g. cum alicui legatur hoc modo, ſi Conſul fuerit factus. d. l. 75. ff. h. t. l. 3. *pr.* ff. *quand. dies legat.*

TH. 23. Legatum, cui dies incertus, an ſit extiturus, eſt adſcriptus, itidem conditionem inducit. l. 49. §. 1. 2. 3. ff. *de legat.* 1.

TH 24. Legatum, cui dies incertus, quando ſit extiturus, v. c. cum is moritur, eſt adſcriptus, certo reſpectu eſt conditionale, (a) & non conditionale. (b)

(a) Eiuſmodi legatum inſtar conditionis eſt, quando dies eſt adſcriptus ei, à quo legatur. l. 1. §. 2. ff. h. t vel tertio eſt adſcriptus. l. 40. §. 2. ff. h. t.

(b) Vbi verò dies legatario eſt adſcriptus, conditionem non operatur, ſed purum eſt, ideo ad heredes tranſmittitur; dies enim ipſo mortis puncto cedit, hoc eſt, legatum ſtatim deberi incipit. l. 79 *pr.* & §. 3. ff. h. t. l. 4. §. 1. ff. *quand. dies legat.*

TH. 23. Secunda rubricæ pars eſt de demonſtrationibus. Demonſtratio, quæ eſt deſignatio certæ perſonæ aut rei, cui, aut quæ legatur. l. *demonſtratio.* 17. ff. h. t.

TH. 24. Demonſtratio falſa legatario non nocet, vel legatum non vitiat, ſi modo de teſtatoris voluntate conſtet. l. 6. ff. h. t. l. 33. *pr.* ff. *eod.* domum, quam à Sejo emi, do, lego, licet eam à Cajo, & non à Sejo emerit, debetur legatum, quia eiuſmodi demonſtrationes ſignificandarum rerum & hominum cauſa inventæ ſunt. Ergo cum alio quovis modo intelligi poſſit, qua de re, vel homine ſenſerit teſtator, nihil intereſt, cum, quicquid rei ſatis demonſtratæ additur, fruſtra adjiciatur. l. 1. §. 8. ff. *de dote prælegat.* nec error iſte nocet, cum ſit nominis, cuius vice fungitur demonſtratio.

TH. 25. Differentia inter conditionem & demonſtrationem, illa in liberam legatarij voluntatem, aut in eventum rei futuræ incertum confertur; hæc verò factam rem oſtendit, non quemadmodum conditio futuram; e. g. fundum Tuſculanum quem Sejus mihi dedit, do, lego.

TH. 26. Tertia rubricæ pars eſt de cauſis. Cauſa eſt quæ animum teſtatoris ad legandum commovit, adeoque legatum præcedere ſolet.

TH. 27. Cauſa quamvis non vera, ſed falſa ſi legato adjiciatur, legatum non vitiat, e. g. Titio quia negotia mea curavit, centum do, lego. Item Titio, quia patrocinio eius capitali crimine liberatus ſum, Stichum do, lego; licet Titius nunquam eius negotia curaverit, vel teſtatorem crimine liberaverit. § *longè magis*, 31. *Inſtit. de legat.* l. 17. §. 2. ff. h. t. Excipe, niſi aliter de teſtatoris mente pateat. l. *fin.* ff. *de hered. inſtit.* aut cauſa conditionaliter ſit concepta, ſi curaueris mea negotia, tunc enim inſtar conditionis habebit effectum ſuſpenſivum. d. §. 31. l. 72. §. 6. ff. h. t.

TH. 28. Quarta rubricæ pars eſt de modis. Modus eſt cauſa legandi in futurum collata, velut cum dicit teſtator, ſe legare, ut aliquid fiat, e. g. monumentum. l. 17. ff. h. t. in quo ſecernitur à cauſa, quæ præteritum ſolet reſpicere, nimirum quod factum eſt.

TH. 29. Modo non impleto, (a) reſolvitur legatum, (b) ſicut con-

ditio ab initio impedit acquiſitionem rei legatæ. l.17. §. 2. ff. *de manumiſſ. teſt.*

(a) Impletio fieri poteſt, & poſtquam quis ad legatum eſt admiſſus, ſi modo antea cautionem præſtiterit, quod velit voluntati teſtatoris ſatisfacere. l. 20. §. *ult.* ff. *de manumiſſ teſtam.* l. 40. §. *ult.* l. 80 ff. h. t. l. 19. ff. *de legat.* 3. quoniam pura eſt obligatio reſpectu conditionalis. l. 17. §. 2. ff. *de manumiſſ teſtam.*

(b) Excipe, interdum modus non eſt implendus, [1] ſi nimirum ad legatarij commodum ſolummodo dirigatur; contrarium tamen obtinet, in ſequenti caſu. e. g. ſi forſan teſtator minus induſtrio voluerit proſpectum. l. 71. *pr.* ff. h. t. l. 19. ff. *de legat.* 3. [2] ſi impletio ſit impoſſibilis, aut inepta, ſicut enim conditio impoſſibilis, ita & modus pro non adjecto habetur. l. 15. *& l. pen.* ff. *de condit. inſtit. l. 1. C. de his quæ ſub mod. l.* 113. §. *fin. ff. de legat.* 1. [3] ſi per eum, cui legatum eſt relictum, non ſtat, quominus impleatur modus, legatum valet. l. 92. §. 1. ff. *de legat.* 1. l. 1. C. *de his, quæ ſub mod.*

TITVLVS II.

Ad Legem Falcidiam.

Iung. tit. 50. libr. 6. C. *eod.*

TH. I. NVNC conſiderandum reſtat, legata quomodo diminuantur, quod fit aut per Legem Falcidiam, aut SCtum Trebellianum, illa ad legata, hoc ad fideicommiſſa refertur.

TH. 2. Liberrima olim teſtandi fuit licentia, L. 12. Tabb. permiſſa, hac enim teſtatori totum patrimonium legatis exhaurire licuit, uti enim quiſque legaſſet, ita ius eſto. Aſt quoniam ea de cauſa ſæpiſſimè eveniret, deſeri hereditates, herede ob nullum, vel minimum lucrum adire recuſante, atque ſic inteſtatos mori, qui plurimum, vel omne legaſſent. Ideo conſultum viſum fuit, iſti inordinatæ, & impiæ licentiæ modum præſcribere, & quidem ipſorum teſtatorum gratia, quo heres ſpe emolumenti induceretur ad adeundum & confirmandum teſtamentum, quod aliàs irritum maneret. *pr. Inſt.* h. t. Hinc poſt multa remedia ad hanc inordinatam teſtandi licentiam tollendam non ſufficientia, noviſſimè Lege Falcidia proviſum eſt, ne plus legare liceat, quam dodrantem bonorum, h. e. ut quarta pars integra apud heredem, heredeſve maneat. *d. pr. Inſt.* h. t. & ſi quid ultra legatum

fuerit, diminutionem patiatur, ſeu tantum legatis detrahatur, quantum dodrantem excedunt legata. l. 91. ff. h. t.

TH. 3. Lex Falcidia (a) eſt plebiſcitum, quo diſponitur, ut ſive unus heres inſtitutus fuerit, ſive plures (b) apud eum, vel eos pars quarta hereditatis legatis exhauſta remaneat. (c)

(a) Ita nominata à Cajo Falcidio Tribuno plebis Auguſti temporibus, anno V. C. 742. lata.

(b) *d. pr. Inſt.* h. t. eorumve heredes. l. 10. C. *eod.* Ergo ineptè vocabulum hoc à quibuſdam à falce, quod amputet legatum, ut falx ſegetes, derivatur.

(c) Beneficio huius L. Falcid. pro rata portione minuuntur legata, cum heres ex hereditate legatis, vel omnino exhauſta, vel ultra dodrantem onerata legis permiſſu certam, & iure definitam portionem ſibi detrahit & ſervat. l. 73. §. 5. ff. h. t. l. 36. ff. *de inoffic. teſtam.* Hic diverſa principia inter ſe collidere videntur, teſtatorem ſuæ rei eſſe moderatorem & arbitrum, & tamen L. Falcidiam minuere de eo, quòd teſtator legatum voluit. Verum non excluditur propter arbitrium illud, dominium ſupereminens, quod Majeſtati competit circa res privatorum, & Reip. intereſt, ſucceſſiones familiarum conſervari, quæ perirent, ſi beneficium L. Falcidiæ non fuiſſet inventum.

TH. 4. Beneficium L. Falcidiæ locum habet, (1) in legatis, quibus heres ultra modum, h. e. dodrantem eſt oneratus, (2) prælegatis, (a) fideicommiſſis, tam univerſalibus, quàm particularibus, (b) donatione mortis cauſa, (c) donatione inter conjuges, (d) donatione inter patrem & filium in poteſtate exiſtentem, (e) pactis dotalibus, (f) etiam ab inteſtato, (g) quamvis teſtantium gratia ſit introductum.

(a) Quæ coheredibus ſunt relicta. l. 22. ff. h. t. l. 17. C. *eod.*

(b) *l. Marcellus.* 3. §. *item. ff. ad SCtum Trebellian.*

(c) L. Falcidia ad donationem mortis cauſa ex conſtitutione Divi Severi eſt extenſa. l. 3. C. h. t. l. 1. ff. & l. 1. C. *de mort. cauſ. donat.* ob ſimilitudinem, quia effectu legatis ſunt ſimiles, non habentes ſui firmitatem ante mortem donantis. *pr. Inſt. de donat.* ut ex bonis defuncti videantur erogari.

(d) Quia donatio inter coniuges, ſive ſit mortis cauſa, ſive inter vivos, morte tamen confirmata eſt ſimilis legato. l. 12. C. h. t.

(e) Cum talis donatio fideicommiſſo comparetur. *arg.* l. 12. C. h. t.

(f) Intellige, quatenus ijs tota hereditas, aut ſuprà dodrantem datur.

(g) l. *filiusfam.* 18. ff. h. t. c. *Raynutius, & c. Reinaldus, extr. de teſtam.* ut in fideicommiſſis (nam legata ab inteſtato relinqui non poterant, §. 2 *Inſt. de fideic. hered.*) quæ per codicillos, aut alio modo ab inteſtato relinquuntur.

TH. 5. Contra, in donationibus inter vivos, cum continuò ſuam habeant firmitatem, legatis neutiquam conveniant, ideo detractio iſta locum ſibi vindicare nequit: Excipe, niſi tales ſint donationes, quæ morte confirmantur, qualis eſt donatio inter virum & uxorem. l. 12. C. h. t.

TH. 6. Deductio hæc quartæ conceſſa eſt ſoli heredi, l. 71. ff. h. t. atque eius ſucceſſori, l. 10. C. *eod.* E. non legatario aut fideicommiſſario, l. 47. §. 1. ff. h. t. deductionem hanc ideo invenerunt Legiſlatores, ut heredes quaſi præmio ad hereditatem adeundam & teſtamentum confirmandum allicerentur, quod aliàs irritum foret, ut paulo ſuperius innuimus.

TH. 7. Si ultra dodrantem legatis ſit relictum, & plures ſint heredes, his omnibus ultra quartam inter eos dividendam detrahere non conceditur.

TH. 8. In ponenda, & ineunda L. Falcidiæ ratione, inſpicienda eſt quantitas (a) patrimonij ſive bonorum, quæ fuit tempore mortis, quoniam tunc dies legati cedit, hoc eſt legatarijs ius ad legata quæritur, quæ proinde tanta tunc debentur, quanta tunc ſunt, §. 2. *Inſt.* h. t. l. 30. & 73. ff *eod.* ut quod poſtea accrevit, vel decrevit heredi ſit damno aut commodo, legatarijs autem nec proſit, nec noceat.

(a) Eam non poſſunt heredes definire certam, priuſquam ſequentia ſint deducta, (1) æs alienum, §. 3. *Inſt.* h. t (2) funeris impenſæ, d. §. 3. l. *pen.* ff. *de relig. & ſumpt. funer.* (3) dos l. 6. ff. h. t. l. 15. C. h. t. (4) quicquid heredibus debetur, l. 6. C. h. t. (5) pretia ſervorum manumiſſorum, l. 36. *& 39.* ff. h. t. Nota, deductio hæc non actualiter, ſed computativè tantum eſt facienda.

TH. 9. Hiſce omnibus, mediante convenienti computatione, deductis; conſiderandum, an quarta Falcidia exſolutis legatis ſuperſit; ſin minus, ex ſingulis legatis pro rata portione cuique legatariorum relicta tantum detrahitur iuxta proportionem Geometricam, quantum ad complendam quartam ſufficit.

TH. 10. Quæritur, an heredi ea, quæ ex hereditate habet, in quartam ſint computanda? Reſp. diſting. inter ea, quæ à defuncto habet, vel enim illa habet ex actu cauſa mortis, vel ex actu inter vivos; priori caſu iterum diſtinguendum, utrum ea teneat iure hereditario, an titulo legati, fideicommiſſi, conditionis implendæ cauſa, vel alio titulo; ſi illo titulo (puta hereditario) habeat, imputantur, ſin verò iſto, vel hoc titulo penes ipſum ſit, contrarium obtinet. Hinc deſcendit ſequens regula; imputantur in partem, quæ heres gravatus iure he-

reditario, vel inſtitutionis titulo à teſtatore habet; non verò quæ alio titulo capiuntur, l. 74. l. 76. l. 91. ff. h. t. ut quæ heres iure legati, vel fideicommiſſi accipit, quia ea non ſunt hereditaria. Poſteriori caſu, ut quæ heres à teſtatore ex contractu inter vivos capit, non imputantur.

TH. 11. Remedia, quibus heres quartam conſequi poteſt, ſunt ſequentia, [1] rei vindicatio, ſi à legatario plus dodrante de hereditate poſſideatur, l.26. ff. h.t. [2] ius retentionis, ſi heres ipſe poſſideat, l.15. §.1.ff. h.t. l.10. & 18. C. *eod.* [3] interdum actio in factum, l.77. §.2. ff. *de legat.*2.] 4] nonnunquam actio ex ſtipulatu, ſi nimirum legatarij heredi ſtipulanti promiſerunt, & cautionem præſtiterunt de reſtituendo eo, quod ultra dodrantem fuerit legatum, l. 1. *& t. t. ſeq.* [5] quandoque competit condictio indebiti, ſi ſcil. errore facti ſolidum ſolvat, vel alio modo ex errore quid ad legatarium perveniat. l. 1. §. 11. ff. h. t.

TH. 12. Dantur certi caſus, in quibus Falcidiam detrahere leges non permittunt, [1] ob privilegium teſtatoris, ut militis, l. 7. C. h. t. l. 40. ff. *eod.* [2] propter voluntatem teſtatoris expreſſè prohibentis, *Novel.* 1. c. 2. §. 2. *verſ. ſi verò auth. ſed cum teſtator.* C. h. t. [3] facto heredis ceſſat, quoad legata, Falcidiæ detractio, ſi ab herede inventarium non ſit confectum, l. *ult.* §. 12. C. *de iur. deliber.* quia eiuſmodi inventarij non confecti omiſſio facit, hereditatem præſumi eſſe ſolvendo, ut legata etiam ultra vires ſint præſtanda; quæ ratio & in legitima obtinet, ut etiam illa præſumatur eſſe ſalva, [4] heredis facto ceſſat, ſi ſcienter integra legata ſolverit, ſecus eſt, ſi ex ignorantia facti (non juris) probabili ſolvat, quo caſu datur repetitio, l. 9. C. h. t. l. *pen.* ff. *de jur. & fact. ignor.* [5] ob culpam heredis quoque ceſſat, ſi voluntatem teſtatoris implere renuat, aut intra annum poſt iudicis admonitionem, teſtatoris iuſſa exequi negligat; meretur enim eius contumacia Falcidiæ privationem, [6] in legatis ad pias cauſas. *auth. ſimiliter* C. h. t. *Novel.* 131. c. 12. per hos textus, l. 1. §. 5. ff. h. t. corrigitur, *Dn. Carpz.* p. 3. *conſt.* 1. *def* 16. [7] Si coactus à Prætore, ut reſtituat, hereditatem adierit, ſicut enim incommodum hereditatis non ſentit, ita & omni privatur commodo, l. 14. §. 4. ff. *ad SCt. Trebell.* denique [8] ceſſat Falcidiæ deductio ob rei legatæ conditionem, ut in dote prælegata uxori à marito factæ, quoniam mulier ſuum tantum recipere videtur. l. 81. §. 1. ff. h. t.

TITVLVS III.

Si cui plus, quam per L. Falcidiam licuerit, legatum eſſe dicetur.

TH. 1. SI dubitari iuſtè poſſit, an lex Falcidia locum habitura ſit nec ne, (a) tunc adminicula ſubminiſtrat Prætor heredi, ut ei legatarius ſatiſdationem præſtet datis fideiuſſoribus, ut ſi apparuerit, heredem legatario, nomine legati, plus dediſſe, quàm per L. Falcidiam capere queat, quanti ea res erit, tantam pecuniam det, doluſque malus abfuturus ſit, l. 1. ff. h. t. ne heres integra legata ſolvens (b) ſibi præiudicet.

(a) v. g. (1) propter æs alienum latens, quod non tantum partem legatorum reddi facit, ſed nonnunquam omnia, l. 1. §. 11. ff. h. t. (2) propter legata conditionialia, quorum eventus eſt incertus.

(b) Si heres integra legata & plus ſolvat ex errore facti, ipſi competit condictio, ſin verò ex errore iuris, & ſciens ſe poſſe retinere, nec conſequi ex reliquis bonis quartam, L. Falcidiæ nullus eſt locus, quoniam tali in caſu iudicium defuncti agnoviſſe videtur. l. 9. C. h. t.

TH. 2. Cautio hæc remittitur [1] his, quibus minuta alimenta ſunt relicta, l. 3. §. 4. ff. h. t. [2] fiſco, d. l. 3. §. 5. quia fiſcus non ſolet ſatiſdare [3] ei, qui haud facile cautionem præſtare valet, l. 6. ff. h. t.

LIBER TRIGESIMVS SEXTVS.

TITVLVS PRIMVS.

Ad Sctum Trebellianum & Pegaſianum.

Iung. tit. 48. lib. 6. C. d. t.

TH. I. IN ſuperioribus libris ratione inſtituti noſtri operis aliquatenus expoſuimus, quomodo res tam univerſales, quam particulares verbis directis & impetrativis legentur. Videamus nunc, quemadmodum verbis obliquis, ſive precarijs, ut rogo, volo, mando, &c. relinquantur. Eiuſmodi precaria, & obliqua verba diriguntur in eum, qui reſtituere quid rogatur; quod relicti genus dicitur Fideicommiſſum; & quidem hanc ob rationem, quia olim nullo iuris vinculo, ſed ſaltem pudore eorum, qui rogabantur, continebatur: omnia namque tunc temporis fideicommiſſa erant infirma; cum nemo invitus, ad ea præſtanda, de quibus rogatus erat, cogi potuerit, quod poſtea correctum, ubi quis ad adeundam & reſtituendam hereditatem à Prætore cogi poteſt, l. 13. §. 4. l. 14. & l. 50. ff. h. t. tandem iure noviſſimo, & hoc in deſuetudinem abijt; ubi fiduciarius heres cogi ad adeundum nequit *Novel. 1. c. 1.*

TH. 2. Sctum Trebellianum (a) ita diſpoſuit, ut heres rogatus (b) de fideicommiſſo univerſali quartam partem detrahere poſſit, (c) & ut actiones in fideicommiſſarium transferantur. (d)

(a) Temporibus Neronis Sctum Trebellianum eſt factum, Annæo Seneca, & Trebellio Maximo Coſſ. unde Trebellianum eſt appellatum.

(b) Qui heres fiduciarius dicitur. l. 46. l. 67. §. *fin.* ff. h. t.

(c) Illud eſt, cum tota hereditas, vel pars eius ab herede præſtanda, verbis precarijs alteri relinquitur.

(d) Quod ideo ſic diſpoſitum; quoniam heredes ſcripti, qui plerumque totam aut fermè totam hereditatem reſtituere rogabantur, ob mininum

vel

vel nullum penitus lucrum adire hereditatem recuſabant, atque ob id exſtinguebantur fideicommiſſa. Hinc Auguſti temporibus Pegaſo & Puſione Conſulibus Senatus cenſuit, ut ei, qui rogatus eſſet, hereditatem reſtituere, quartam partem perinde retinere liceret, ſicut ex L. Falcidia retinere conceditur. Ex ſingulis quoque rebus, quæ per fideicommiſſum relinquuntur, eadem retentio nimirum quartæ eſt permiſſa. Si verò heres adire noluerit, Prætor eum ad adeundum, & reſtituendum cogebat; ſtipulationibus inter heredem & eum, qui ex fideicommiſſo recipit hereditatem, interpoſitis, §. 5. *& 6. Inſt. de fideicommiſſ. heredit.* ut retentâ quartâ onera hereditaria quaſi partis, & pro parte ſtipulationes interponebantur, tanquam inter partiarium legatarium & heredem; ſi verò totam hereditatem reſtitueret, nolens quartam retinere, nulla onera hereditatis ſuſtinebat. Hoc lapſu temporis ab Imp. Iuſtiniano correctum, cum ſtipulationes uſitatæ inter heredem & fideicommiſſarium de oneribus pro rata ſuſtinendis diſplicerent; atque ſic omnis vis huius SCti Pegaſiani in SCtum Trebellianum tranſlata eſt, ut ex eo quartam retinere liceat, actionibus nihilominus pro rata portione tam heredi, quam fideicommiſſario, & in eos & contra eos competentibus. §. 7. *Inſt. de fideicommiſſ. heredit.*

(e) Ita tamen, ut actiones inter heredem fiduciarium, quartam detrahentem, & fideicommiſſarium ſcindantur, proque rata parte illi & in illum, qui reſtituit, dantur, d. §. 7. quod in actionibus creditorum tantum verum eſt; cum heres aliàs quartam ſine onere habeat.

TH. 3. Fideicommittendi facultas cuilibet teſtari non prohibito eſt conceſſa, l. *ſciendum* 3. ff. *de legat.* 1. l. 1. §. 6. ff. h. t. Hinc filiusfam. fideicommittere nequit, quod teſtari ſit prohibitus, l. 1. §. 1. ff. *de legat.* 3. quamvis mortis cauſa donare poſſit, hoc enim permittitur & ijs, qui teſtari nequeunt: ſic etiam nec ſervus, captivus, deportatus, &c.

TH. 4. Eius fideicommitti poteſt, ad quem aliquid (a) morte fideicommittentis, ſive eius, qui relinquit, perventurum eſt.

(a) Nimirum vel tota hereditas, vel pars, vel legatum, vel donatio mortis cauſa, l. 9. C. *de fideicommiſſ.* §. *nihil autem* 8. *Inſt. de fideicommiſſ. heredit.*

TH. 5. Fideicommiſſum relinqui poteſt ijs, cum quibus eſt teſtamenti factio, h. e. capacibus, l. 67. §. *fin.* ff. h. t. l. 46. ff. *de iur. fiſc.* §. 24. *Inſt. de legat.*

TH. 6. Fideicommiſſum non modo certæ perſonæ, verumetiam cognatis proximioribus, vel in genere familiæ (a) expreſſe, vel tacite (b) relinqui poteſt.

(a) Per eam intelliguntur deſcendentes & tranſverſales, l. *ult.* ff. *de verb. ſignif.* l. 32. §. *ult.* ff. *de legat.* 2. l. 69. §. *pen.* ff *eod.* l. 195. ff. *de V. S.*

(b) Scil. per prohibitionem, ne res extra familiam alienetur, l. 38. §. 2. 3. ff. *de legat.* 3. l. *cum pater.* 77. §. *cum inter* 28. ff. *de legat.* 2.

TH. 7. Fideicommiſſa relinquuntur teſtamentis & codicillis, imò & ab inteſtato, §. 8. *Inſt. de fideicommiſſ. heredit.* l. 6. §. 1. ff. h. t. adhibitis 5. teſtibus l. 22. C. *de fideicommiſſ. l. fin.* §. *ult.* C. *de Codicil.*

TH. 8. Liberum eſt, vel purè, vel ſub conditione, vel ex certo die fideicommiſſum relinquere. §. 2. *Inſt. de fideicom. hered.*

TH. 9. Fideicommiſſarius poteſt delatum fideicommiſſum, vel agnoſcere, vel repudiare; ſi agnoſcat, tunc fiduciarius heres ſecundum ius vetus tenetur hereditatem adire, eamque fideicommiſſario reſtituere, l. 14. §. 4. l. 67. *&* 71. ff. h. t. §. 7. *Inſt. de fideicom. hered.* contra iure noviſſimo heres fiduciarius hereditatem adire non cogitur, ſed eo recuſante, ipſe fideicommiſſarius adire poteſt. *Novel.* 1. c. 1. §. 1.

TH. 10. Quod ſi fideicommiſſarius ſit furioſus, tunc per curatorem fideicommiſſum agnoſcit, l. 7. C. h. t. infans per tutorem, d. l. 7. *&* l. 18. C. *de iur. deliber.* pupillus infante major cum tutore ſuo. d. l. 18.

TH. 11. Fiduciario hereditatem reſtituere rogato, quartam Trebellianicam (a) detrahere, & retinere, (b) legibus eſt permiſſum, l. 78. §. 11. ff. h. t. l. 49. §. 1. ff. *ad L. Falcid.* heres enim ultra dodrantem fideicommiſſis gravari non debet.

(a) Quæ eſt quarta pars hereditatis. §. 7. *Inſt. de fideicommiſſ. hered.*

(b) Ob rationem ſuperius allegatam, puta, ne gravatus ob nullum, vel exiguum lucrum detractet adire hereditatem, ſicque inteſtatum reddat patremfam. Obſerva, detractionem hanc conceſſam tantùm eſſe heredi, non verò fideicommiſſario, ſi is alteri hereditatem reſtituere rogetur, haud difficulter colligi poteſt, quia in eo modo dicta ratio ceſſat, hereditas enim jam eſt adita à fideicommiſſario.

TH. 12. In quartam hanc Trebellianicam imputantur, quæ heres iure hereditario, vel iure legati aut fideicommiſſi, vel cōditionis implendæ cauſa accipit, l. 91. ff. *ad L. Falcid.* l. 22. §. 2. ff. h. t. contrarium obtinet in L. Falcidia, ubi ea, quæ iure legati, vel alio modo extra titulum hereditarium percipiuntur in Falcidiam non imputantur, l. 74. ff. *ad L. Falcid.*

TH. 13. Quæritur, utrum heredi ultra quartam Trebellianicam, adhuc legitimam detrahere liceat? Reſp. negando, quia iure civili alterius quartæ, nimirum Trebellianicæ aut Falcidiæ detractio admittitur, l. 8. §. 4. ff. *de inoffic. teſtam.* ubi querelam movere nequit habens quartam Falcidiam, quæ in legitimam imputatur. l. 41. §. 3. ff. *de vulgar. & pupil. ſubſtit.* ubi retenta Falcidia reliqua hereditas venit reſtituenda. l. *iubemus* C. h. t. l. *quoniam* C. *ad L. Falcid.* Contrarium ſtatuit ius canonicum, quo conceſſum eſt heredi rogato, ſive fiduciario detrahere quartam Trebellianicam, tanquam rogato, legitimam

verò,tanquam heredi. *c. Raynutius*, *Extr. de teſtam.* quo in caſu diſpoſitio iuris Canonici jus ciuile corrigere haud poteſt,quod ratio in eo eſt fundata, quia correctio iuris civilis ex iure canonico non rectè trahitur,niſi in cauſis ſpiritualibus, & peccati, vel conſcientiam concernentibus,in quibus ſummo iure Canones, ceu pietatis, & bonarum actionum normam ſequi oportet.

TH. 14. Trebellianica certis in caſibus deduci haud poteſt, [1] ob teſtatoris voluntatem expreſsè teſtamento, vel codicillis hoc prohibentis. *arg. Nov.* 1. *c.* 2. §. 2. §. 5. *Inſt. de fideicommiſſ. hered.* l. 3. §. 1. ff. h. t. [2] propter privilegium teſtatoris, putà militis. *arg.* l. 7 C. *ad L. Falcid.* [3] ob conditionem fideicommiſſorum,ad pias cauſas relictorum. *arg. Nov.* 131. *c.* 1. [4] ob factum heredis, inventarium non conficientis. *arg. d. Novel.* 1. *c.* 2.

TH. 15. In fideicommiſſariam reſtitutionem non veniunt quidem fructus poſt aditam hereditatem percepti, niſi propter moram commiſſam,aut ubi quis ſpecialiter fuit rogatus,fructus quoque reſtituere. l. 18. *pr.* §. 2. ff. h. t. *l. ita tamen.* 27. §. 1. l. 63. §. 4. ff. h. t. aſt fructus ante aditam hereditatem percepti ſunt reſtituendi; quia non tantum hereditatem, verumetiam eius acceſſiones ante aditam hereditatem reſtituere oportet. d. l. 27. §. 1. ff. h. t. l. 25. §. 1. ff. *de uſuris.*

TH. 16. Hereditatem per fideicommiſſum reſtituere rogatus,in eius reſtitutione tenetur dolum & latam culpam præſtare. *l. mulier,* 22. §. *ſed enim,* 3. ff. h. t.

TH. 17. Vt hereditas legitimè reſtituatur,fiduciarius heres inventarium fideicommiſſario edere, cautionemque præſtare cogitur. l. 54. *in fin.* ff. h. t. *l. peto Luci* 69. §. *fratre,* 3. ff. *de legat.* 2. *Novel.* 108. *c.* 2.

TH. 18. Facta fideicommiſſorum reſtitutione, ſtatim omnes res in bonis fiunt eius, cui ſunt reſtitutæ, tametſi nondum earum nactus ſit poſſeſſionem. l. 63. *pr.* ff. h. t. & actiones ei & adverſus eum competunt, non quidem directæ,quæ in perſona heredis fiduciarij radicatæ ſunt, & hærent, ſed utiles conceſſit Prætor. §. *& Neronis*, 4. *Inſt. de fideicommiſſ. hereditat.*

TH. 19. Si fiduciarius heres hereditatem per fideicommiſſum relictam nondum tradiderit fideicommiſſario,ſubminiſtratur huic contra heredem rogatum actio ex teſtamento. *arg.* l. 4. ff. h. t. l. 3. §. 1. ff. *de fideicomm. hered. petit.*

TH. 20. Si hereditas verbo ſit reſtituta, competit fideicommiſſario adverſus pro herede, vel pro poſſeſſore poſſidentem petitio hereditatis fideicommiſſaria, *de qua vide tit. ff. de fideicommiſſ. hered. petit.* Sin

verò quis titulo ſingulari poſſideat, conceditur rei vindicatio.

TH. 21. Quæritur, utrum fiduciarius heres fideicommiſſum, h. e. hereditatem, vel eius partem in fideicommiſſarij præjudicium alienare licitè queat? Reſp. quod regulariter fieri haud poſſit. l. *ult.* §. 2. C. *commun. de legat.* Excipe, niſi fiat vrgente neceſſitate, e. g. [1] ob æs alienum urgens. l. 114. §. 14. ff. *de legat.* 1. l. 38. §. 1. ff. *de legat.* 3. [2] quia res tempore ſit peritura. *Carpz. p.* 3. *conſt.* 8. *def.* 32.

TH. 22. Quomodo Falcidia & Trebellianica conveniant, quomodo verò differant, ex ſequentibus percipe. Conveniunt in eo, quod utraque eſt quarta, unde & Trebellianica, olim Pegaſiana, ſæpè Falcidia vocatur. Differt tamen utraque, [1] quod Trebellianica detrahatur à gravato de reſtituenda hereditate, Falcidia ab inſtituto purè ſine gravamine, & tamen ſupra dodrantem onerato legatis. [2] in Falcidia tantum imputantur res, quas inſtitutus jure hereditario capit, in Trebellianica non ſolum iſtæ, ſed etiam quas quacumque alia ex cauſa heres percipit. l. 91. ff. *ad L. Falcid.*

TITVLVS II.

Quando dies legatorum, vel fideicommiſſorum cedat.

Iung. tit. 52. lib. 6. C. d. t.

TH. I. HACTENVS de legatis & fideicommiſſis, quomodo conſiſtant, vel diminutionem patiantur, egimus, inquirẽdum reſtat, quemadmodum deberi incipiant. Deberi non poſſunt ante teſtatoris mortem, quia voluntas hominis eſt ambulatoria uſque ad extremum vitæ exitum. l. 4. ff. *de adimp. legat.* Hinc legatum certum eſſe nequit, niſi morte confirmatum, qua ſubſecuta dicitur legati dies continuò cedere, h. e. incipit deberi, non exſpectata tabularum apertura, nec hereditatis aditione; intellige ſi legatum, vel fideicommiſſum fuerit purum. l. 1. §. 1. & 5. C. *de caduc. tollend.* l. 5. §. 1. l. 21. *pr.* ff. h. t. l. 3. C. *de fideicommiſſ.* Idcirco eiuſmodi legatum, vel fideicommiſſum tranſmittitur ad legatarij heredes, licet hîc ante aditam hereditatem decedat. l. 5. *pr.* ff. h. t. ratio eſt, quia per mortem teſtatoris legatario, vel fideicommiſſario fuit plenum ius quæſitum ad hereditatem. Secus eſt [1] in legato conditionali, aut in diem incertum relicto. l. 4. 5. & 21. ff. h. t. cum eius dies non cedat, aut veniat ante con-

ditionis euentum. d. l. *un.* §. 5. quia dies incertus eſt loco conditionis in teſtamentis. l. 75. ff. *de condit. & demonſt.*

TH. 2. Cæterum nec ſervitutum perſonalium, ut uſusfructus, uſus & habitationis legatum cedit à morte teſtatoris, ſed adita demum hereditate, fruſtra enim ante cederet, cum in ſolius legatarij perſona ſubſiſtat, nec ad heredes eius tranſmittatur. l. 2. & 3. ff. h. t.

TH. 3. Ratione annui legati, hoc ſtatuitur, quod legatum primi anni ſit purum, ſicque ad heredes tranſmittatur, cuius dies à morte teſtatoris cedit, ſequentium verò legatum eſt conditionale, quo dies cedit per ſingulos annos, & quidem initio cuiuſque anni, cum non unum ſit legatum, ſed plura. l. 10. ff. h. t. l. *nec ſemel*, 12 *pr. ff. eod.*

TH. 4. Legatum in diem certum relictum à tempore mortis teſtatoris ſtatim deberi incipit. l. 5. *pr.* l. 21. *pr.* l. 22. §. 1. h. t. quamvis non ante exigi poſſit, quam dies venerit. l. 213. ff. *de V. S.* quapropter eiuſmodi legatum ad heredem legatarij tranſmittitur, ut ut ante diei adventum deceſſerit legatarius.

TH. 5. Probè notandum, quod ratione legati tres actiones competant, (1) perſonalis ex teſtamento, (2) rei vindicatio, & (3) hypothecaria. l. 1. C. *comm de legat.* cui conſequens, quod agnito legato, & obligatio naſcatur, quæ mater eſt actionis perſonalis ex teſtamento, & dominium, quod eſt cauſa rei vindicationis, & hypotheca, unde eſt actio hypothecaria.

TITVLVS III.

Vt legatorum, ſeu fideicommiſſorum ſervandorum cauſa caveatur.

Iung. tit. 53. lib. 6. C. *Vt in poſſeßionem legator. & fideicom. ſervand. cauſ. mitt.*

TH. 1. QVOTIES legata, & fideicommiſſa in diem, vel ſub conditione ſunt relicta, heres legatario, fideicommiſſario, eorumque heredibus ſatisdare (a) cogitur, (b) ſc. veniente die, aut conditione exiſtente legatum ſoluturum, nec fraudem admiſſurum eſſe. l. 1. *pr.* l. 8. ff. h. t.

(a) Et quidem fidejuſſoribus idoneis. l. 1. 2. 3. 4. ff. h. t. l. 7. ff. *de Prætor. ſtipulat.* l. 15. §. 2. ff. h. t.

(b) Heres enim regulariter ad ſatisdandum cogi poteſt actione à Præ-

tore introducta; quod ideo fit, ne per moram re dilapidata, aut herede facto non ſolvendo, legatum intercidat, quod ex cautionalibus principijs, & hominum diffidentia proficiſcitur. l. 1. *pr.* ff. h. t. Excipe,(1) niſi teſtator prohibuerit. l. 1. ff. *ut in poſſ. legat.* vel (2) ſi fiſcus ſolvere legatum obligetur. l. 1. §. *ſi fiſcum.* 18. l. 6. §. 1. ff. h. t. quod habeatur idoneus & ſolvendo. [3] nec pater, aut dominus ſi heredes inſtituantur, tenentur filio, aut ſervo ratione legati relicti ſatisdare. l. 7. ff. h. t.

TH. 2. In puris legatis ſatisdatio non requiritur, ratio eſt, quoniam ipſum legatum ſtatim exigi iure poteſt, niſi heres eiuſmodi legata reſtituere tergiverſetur, quo caſu, ob judicij moras ad ſatisdationem pervenitur. l. 15. ff. h. t.

TITVLVS IV.

Vt in poſſeßione legatorum, vel fideicommiſſorum ſervandorum cauſa eſſe liceat.

Iung. tit. 54. libr. 6. C. d. t.

TH. 1. SI heres legatario, vel fideicommiſſario non ſatiſdet, eiuſque culpa, & non legatarij (a) fiat, tunc in bonorum poſſeſſionem à Prætore, (b) mittitur legatarius, aut fideicommiſſarius legatorum ſervandorum cauſa. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(a) Si verò per legatarium aut fideicommiſſarium ſteterit, quo minus caveatur, nulli imputandum venit quam legatario, eiuſque negligentiæ. Prætor enim in bonorum poſſeſſionem non mittit, niſi herede temerè recuſante ſatisdare; non temerè autem recuſat, aut moram facit, qui non interpellatur, cum non teneatur ſpontè offerre ſatisdationem.

(b) Quorum proprietas ad heredem ex hereditate ſpectat. l. 5. § 5. l. 13. ff. h. t. vel quæ dolo malo in hereditaria cauſa eſſe deſierunt. l. 8 ff. h. t. E. in res heredis proprias non fit immiſſio. l. 15. h. t.

TH. 2. Effectus huius miſſionis in bonorum poſſeſſionem eſt, ut perpetuam cuſtodiam, & ius pignoris conſequatur; non verò poſſeſſio rerum. E. multo minus dominium rerum. l. 15. *cui,* 5. §. *qui legatorum,* 22. ff. h. t. l. 5. C. *eod.* l. 1. & 2. ff. *quib. ex cauſ. in poſſ. eatur.* nec facultas expellendi heredem ex bonorum poſſeſſione miſſo conceditur, ſed ſimul cum eo in illa verſatur. Vnde pati iubetur, heredem colere agros & fructus redigere, quos cuſtodit legatarius, ne ab herede conſumantur. d. l. 5. §. 22.

DIGESTORVM
SEV
PANDECTARVM,
PARS SEXTA.

LIBER TRIGESIMVS SEPTIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

De bonorum poſſeſſionibus.

Iung. tit. 9. libr. 6. C. *Qui admittuntur ad bonorum poſſeſſionem, & intra quod tempus poſſunt.*

Th. 1. HVCVSQVE de iudicijs, quæ ſunt ex civili ſucceſſione, ubi in defuncti bona, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato ſuccedunt heredes, ſequuntur ea, quæ ex ſucceſſione Prætoria, & dicuntur bonorum poſſeſſiones.

Th. 2. Bonorum (a) poſſeſſio, (b) eſt ius (c) perſequendi, (d) retinendique (e) patrimonij, ſive rei, quæ cuiuſque cum moreretur, fuit (f), iure Prætorio (g) competens.

(a) Bona hîc accipiuntur non pro ijs, quæ deducto ære alieno ſuperſunt, ut aliàs in l. 39. §. 1. ff. *de V. S.* ſumuntur, ſed vox illa hic latitudine ſua omnia commoda & incommoda hereditaria complectitur. l. 1. & 2. ff. h. t. quæ in hereditate inveniuntur.

(b) Hæc bonorum poſſeſſio propriè loquendo denotat univerſitatem iurium, quam defunctus reliquit, & iure Prætorio ſucceditur. E. non nudam rei detentionem, cum iuris magis, quàm corporis ſit poſſeſſio.

(c) Ita dicitur per metonomiam, quia legitimam facultatem aliquid faciendi tribuit.

(d) Putà, ſi alij poſſideant hereditatem.

(e) Si nimirum ipſi bonorum poſſeſſores poſſideant.

(f) His verbis ſignificatur, bonorum poſſeſſorem effectu non differre ab herede, quod commoda hereditaria & incommoda ad eum ſpectent. d. l. 1. *&* 2.

(g) Bonorum poſſeſſionem induxit Prætor, ex æquo & bono ad mitigandum juris civilis rigorem; hic enim Prætor ius civile vetus [1] partim emandat, liberos emancipatos, cognatos, poſthumum alienum ad bonorum poſſeſſionem admittendo, quos ius civile rejicit, [2] partim impugnat, dando bonorum poſſeſſionem contra tabulas emancipatis teſtamento præteritis, *de quo tit. 4. ſeq.* [3] partim confirmat, admittendo ad bonorum poſſeſſionem inſtitutos, ſuos itidem & agnatos ab inteſtato.

TH. 2. Bonorum poſſeſſio eſt duplex, ordinaria, & extraordinaria, ſive quod idem eſt Edictalis & Decretalis; illa eſt, quæ certo perſonarum ordini ex edicto Prætoris, ſine cauſæ cognitione de plano, & non coram tribunali conceditur, ut liberis, legitimis, cognatis, viro & uxori. l. 3. §. 8. ff. h. t. l. 1. §. 10. ff. *de ſucceſſ. edict.* Hæc dicitur, quæ ex decreto cum cauſæ cognitione pro tribunali decernitur. l. 2. §. 1. ff. *quis ord. in bonor. poſſ. ſerv. d. l.* 3. §. 8. Decretalis iterum eſt triplex, Carboniana, ventris & litis agnoſcendæ cauſa.

TH. 3. Bonorum poſſeſſiones ratione juris civilis omnes ſunt extraordinariæ, reſpectu verò iuris Prætorij, unde originem trahunt, & abſolutè conſideratæ, aliæ ſunt ordinariæ, aliæ extraordinariæ. l. 3. §. *pen. & ult.* ff. *de Carbon. edict.* l. 5. §. 2. ff. *de legat. præſtand.*

TH. 4. Bonorum poſſeſſio eſt, vel cum re, (a) vel ſine re. (b)

(a) Illa eſt, quâ ipſa bonorum poſſeſſio, ſive ius hereditarium Prætorium ita acquiritur, ut illa bonorum poſſeſſor ſine ulla ſuſpenſione, aut obſtaculo potioris iuris frui queat.

(b) Hæc eſt, cum alicui quidem ius hereditarium Prætorium, & titulus heredis tribuitur verum ob incertum eventum concurrentem in ſuſpenſo eſt, utrum illo reuera uti poſſit, necne, ſi eventus feliciter ſuccedat, tunc conſtituitur bonorum poſſeſſor cum re; ſin minus, ubi ob intervenientem caſum frui nequit, erit ſine re. l. 12. *pr.* l. 17. ff. *de injuſt. rupt. irrit teſtam.* l. 7. ff. *de inoffic teſtam.*

TH. 5. Bonorum poſſeſſio datur omnibus lege non inhabilibus. l. 12. §. 1. ff. h. t. tam patrifamilias, quàm filiofamilias, ſi modo ius teſtandi

teſtandi habet de peculio caſtrenſi,vel quaſi. l. 3. §. 5. ff. h. t.

TH. 6. Bonorum poſſeſſio acquiritur volenti,non invito;nemo enim poſſeſſionem petere & acquirere urgetur. l. 3. §. 3. h. t. unde bonorum poſſeſſio eadem facilitate agnoſci ac repudiari poteſt,qua hereditas.

TH. 7. Bonorum poſſeſſionem quis, vel per ſe, vel per alium agnoſcere poteſt. Per ſe poteſt is, cui eſt perfectum iudicium, & intelligit, quod agit. §. *ult. Inſt. de hered. qualit. & differ.* ut major 25. annis;per alium poteſt, qui iudicij defectum patitur. Sic infans per patrem agnoſcit. l. 7. §. 1. ff. h. pupillus per tutorem. l. 8. ff. h. t. minor, aut furioſus per curatorem. *arg.* l. 7. C. *qui admitt. ad bonor. poſſ. poſſunt.*

TH. 8. Si quis ante agnitam bonorum poſſeſſionem moriatur, eius petitionem ad heredes ſuos non tranſmittit. l. 3. §. 7. ff. h. t. l. 4. C. *qui admitt. ad bonor. poſſ.* ratio adæquata hæc datur,quia extraneus hereditatem delatam demum ſuſcipiendo acquirit. Contrarium obtinet [1] in ſuo herede, qui immediatè & ipſo iure acquirit, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato ſuccedat. Vnde talis etiam mortis paternæ ignarus hereditatem tranſmittit,[2] in eo, qui ob impedimentum aliquod interveniens petere haud potuit. l. 4. §. *fin.* l. 5. ff. *de bonor. poſſ. contr. tab.*

TH. 9. Repudiatio fit,vel expreſsè,vel tacitè,effluxo nimirum tempore agnitioni præfixo. l. 1. C. *qui admitt. ad bonor. poſſ. l. 1.* §. 12. ff. *de ſucceſſor. edict.* atque ſic repudiantis portio accreſcit alijs,bonorum poſſeſſionem agnoſcentibus. l. *un.* C. *quando non pet. part. petent. accreſc.*

TH. 10. Agnitio & petitio bonorum poſſeſſionis ſolet fieri per voluntatis declarationem,quibuſvis verbis,coram quovis Magiſtratu expreſſam. §. *fin. Inſt.* h. t. l. *ult.* C. *qui admit. ad bon. poſſ.* declaratio hæc intra legitimum tempus eſt facienda. Liberis & parentibus eſt tempus annuum utile, quia arctandi non ſunt, qui penè ad propria bona veniunt, &c. *l. fin.* ff. *quis ord in bon. poſſ. ſervet.* quod ijs datum in honorem ſanguinis; reliquis, ut agnatis & cognatis eſt tempus centum dierum, ex quo ſciverint, poſſeſſionem ſibi eſſe delatam. l. 2. & 4. C. h. t. §. 6. *Inſt.* h. t.

TH. 11. Differentia inter hereditatem & bonorum poſſeſſionem in his præcipuè conſiſtit. [1] quod videlicet hereditas ſolo animo acquiratur,heredique ſit liberum abſque Magiſtratu,ſive iudice pro herede ſe gerere; contra bonorum poſſeſſio acquiritur ſolummodo Prætoris decreto,aut judiciali agnitione. [2] adeundæ hereditati nullum certum tempus eſt præfinitum. l. 9. C. *de iur. deliber.* bonorum verò

SSſſ

poſſeſſioni certum tempus conſtituitur. l. 1. §. 11. ff. *de ſucceſſ. edict.* [3] hereditas per Procuratorem acquiri nequit. l. 90. ff. *de acquir. hered.* bonorum poſſeſſio poteſt. l. 3. §. 7. ff. h. t. [4] filiusfam. iuſſu duntaxat patris hereditatem adit. l. 25. §. 4. ff. *de acquir. hered.* aſt bonorum poſſeſſionem etiam patre ignorante rectè petit. l. 6. ff. h. t. [5] quidam ſunt ſui heredes, quibus ipſo iure acquiritur hereditas, etiam ignorantibus. §. *fin. Inſt. de hered. qualit. & differ.* nullus verò efficitur bonorum poſſeſſor ipſo iure. [6] Legitima hereditas eſt à lege, bonorum autem poſſeſſio à Prætore, qui eſt ſecundarius legiſlator, defertur. Vnde profluit, Prætorem non poſſe facere directò heredem, poſſe tamen facere bonorum poſſeſſorem, qui ſit loco heredis, atque ita per conſequentiam & indirecto.

TH. 12. Quæritur, an bonorum poſſeſſio hodie utilitatem aliquam adferat? Reſp. affirm. quamvis nomine bonor. poſſeſſionis non utamur, utimur nihilominus re ipſa, quotieſcunque ſucceſſores imploramus iudicis officium, petentes, nos vel confirmari, aut declarari alicujus defuncti ſucceſſores, quod bonorum poſſeſſionis eſt proprium.

TH. 13. Cauſa efficiens bonor. poſſeſſionis eſt Prætor, qui eam defert. l. 1. & 3. ff. *de iuriſdict.* & voluntas eius, cui defertur, cum invito bonorum poſſeſſio non acquiratur. d. l. 3. §. 3. h. t.

TH. 14 Materia in qua decernitur poſſeſſio, ſunt omnes res, omnia commoda & incommoda hereditaria. d. l. 1. ff. h. t.

TH. 15. Forma, qua Prætor bonorum poſſeſſionem defert, Theſi 2. iam explicata eſt.

TH. 16. Finis eſt, ut is, qui iure civili contra æquitatem naturalem hereditate excludebatur, benignitate iuris Prætorij ſucceſſionem ſibi debitam acquirat.

TH. 17. Effectus, ut is, qui bonorum poſſeſſionem agnoſcit, ſit vice heredis, omniaque iura hereditaria perinde ut heres conſequatur. l. 2. ff. h. t.

TITVLVS II.

Si Tabulæ teſtamenti extabunt.

TH. I. HACTENVS de bonorum poſſeſſione generaliter conſiderata tractavimus, progrediamur nunc ad pecularia quædam. Vnde dicitur; quod qui bonorum poſſeſſionem agnoſcere,

vel petere velit, animadvertat imprimis, an tabulæ teſtamenti extent, quoniam non prius decernitur bonorum poſſeſſio, quam conſtiterit, tabulæ extent, nec ne; & quod ſi non extent, bonorum poſſeſſio non datur, ſi verò mortis tempore extiterint, poſtea verò interierint, ſecundùm illas tamen bonorum poſſeſſio competit. *l. un. in fin.* ff. h. t.

TH. 2. Si appareánt quidem tabulæ, ſed in ijs nomen eſt deletum, ut legi nequeat, ſecundùm eas bonor. poſſeſſio non eſt danda, quia non poteſt ex conjectura videri ſcriptus hères. l. 1. h. t. l. 1. §. 3. ff. *de his, quæ in teſtam. delent.*

TITVLVS III.

De bonorum poſſeſſione furioſo, infanti, muto, ſurdo, cœco, competenti.

TH. I. SVPERIORI titulo 1. Theſi 7. iam aliqualem mentionem fecimus, quod iudicij defectum patientes ad bonorum poſſeſſionem agnoſcendam non admittantur, verum eorum nomine alij, ut nomine furioſi, curator, aut proximus eius cognatus petit bonorum poſſeſſionem. l. 1. ff. h. t. nomine infantis pater, vel tutor eius petere poteſt. l. 3. C. *qui admitt. ad bonor. poſſ. l.* 18. *pr. &* §. 2. *C. de iur. delib.*

TH. 2. Quæritur, utrum mutus, ſurdus, & cœcus, ad bonorum poſſeſſionem admittantur? Reſp. diſting. ſi, quod agitur, intelligant, tunc admittuntur, ſin verò minus, contrarium obtinet. l. 2. ff. h. t.

TH. 3. Intra quod tempus bonor. poſſeſſio ſit petenda, patet ex Theſi 10. tit. 1. præcedentis, quo elapſo ius petitionis exſpirat, nec quiſquam ignoranti à iuris excuſatur. l. 4. *l. ult.* C. *qui admitt. ad bonor. poſſ.* Excipe, furioſos & infantes, qui ſcire omninò non poſſunt. l. 1. h. t.

TITVLVS IV.

De bonorum poſſeſſione contra tabulas.

Iung. tit. 21. lib. 6. C. d. t.

TH. 1. BONORVM poſſeſſionem eſſe duplicem, aliam ex teſtamento, aliam ab inteſtato ex ſupra memoratis percepimus; illius duæ ſunt ſpecies, [1] contra tabulas, [2] ſecundùm tabulas. Huius quatuor ſunt ſpecies, de quibus infrà.

TH. 12. Bonorum poſſeſſionem contra tabulas teſtamenti ad teſtamentum patris, (a) pagani, (b) reſcindendum concedit Prætor, (c) liberis emancipatis, (d) & ſuis, (e) præteritis. (f)

(a) Non autem matris, aviæ, & avi materni, quia illi ſuos heredes non habent, inſuper, quod talis præteritio fit loco exheredationis; & exheredato non competit iſta poſſeſſio.

(b) Non militis. §. *pen. Inſt. de exheredat.*

(c) Hæ tabulæ iure civili veteri, ſive L. 12. Tabul. erant firmæ, Prætor verò æquitatem inſpiciens præteritionem hanc, ceu iniquam ſuſtulit.

(d) Hi olim præteriri legitimè poterant. l. 1. §. 6. l. 3. *pr.* ff. h. t. §. 12. *Inſt. de hered. quæ ab inteſtat. defert.* quod poſtea in favorem liberorum emancipatorum eſt correctum.

(e) Hanc bonorum poſſeſſionem non neceſſariò ſubminiſtrat Prætor ſuis heredibus, quia poſſunt dicere teſtamentum nullum; utiliter tamen agunt, ſi cum paterno iudicio verecundius agere velint. l. 1. ff. h. t. l. 15. *pr.* ff. *de legat. præſtand.* l. 17. C. *de collation.* datur etiam poſthumis. l. 1. §. 2. ff. h. t. l. 2. C. h. t.

(f) E. non datur hæc poſſeſſio exheredatis. l. 4. §. 1. h. t. ratio eſt, ne contingat tabulas temerè everti, cum poſſit eſſe iuſta exheredatio, quò tamen caſu ſalva eſt exheredato querela inofficioſi, ad quam ei recurrendum.

TH. 3. Hæc bonorum poſſeſſio competit & liberis adoptivis in poteſtate adhuc exiſtentibus. d. l. 1. h. t. ſi verò ſint emancipati, non amplius datur, cum non ſint ex liberis, ubi iura adoptionis emancipatione ſunt finita. l. 1. §. 4. l. 3. §. 3. ff. h. t.

TH. 4. Quoniam eo iure, atque eodem ordine liberos præteritos, ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas vocat Prętor, quo ad ſucceſſionem ex iure civili vocantur. l. 1. §. 1. ff. h. t. ob id non datur nepo-

tibus ex filio emancipato ſuperſtite. l. 3. §. 3. h. t. quod non ſint futuri ſui heredes, niſi pater præmortuus fuerit, aut deportatus, aut in alienam familiam per adoptionem tranſierit. l. 3. §. 5. l. 6. & 7. ff. h. t. hiſce enim caſibus ſunt ſui heredes.

TITVLVS V.

De legatis præſtandis contra tabulas bonorum poſſeſſione petitâ.

TH. I. BONORVM poſſeſſione contra tabulas petita, bonorum poſſeſſioni ſecundùm tabulas nullus eſt locus, (a) neque legata & fideicommiſſa præſtantur, (b) niſi ſolis parentibus, & liberis relicta, quibus peculiari edicto legata conſervavit. l. 46. ff. *de uſufr.*

(a) Reſcinditur enim totum teſtamentum ad inſtar inofficioſi, ut nihil ex eo debeatur, & teſtator quaſi inteſtatus redditur etiam quoad legata. l. 8. § *pen. ff. de inoffic. teſtam.*

(b) Hodie, evacuato ex cauſa præteritionis teſtamento, legata omnia debentur, quia teſtamentum ſaltem quoad præteritionem evacuatur. *Novel.* 115. *c.* 3.

TITVLVS VI.

De Collatione bonorum.

Iung. tit. 20. lib. 6. C. *De Collationibus.*

TH. I. CVM à Prætore ob ſummam æquitatem ad bonorum poſſeſſionem contra Tabulas admittantur emancipati præteriti, fiantque bonorum paternorum participes cum his, quos teſtator in poteſtate habuit; æquitati quam convenientiſſimum quoque cenſuit Prætor, ut ſua bona in medium conferent (a) emancipati, (b) paternam hereditatem appetentes, ne ſui heredes incommodo aliquo afficerentur. (c)

(a) Conferre hic eſt in commune redigere & communicare, ubi plures in unum conferunt, & computant hereditatem, atque ſic coheredi contribuunt.

(b) Olim emancipati ſoli ſuis conferebant bona, quæ abſque emancipatione ii eſſent, ad patrem ſpectarent, qualia ſunt quæ a patre acceperunt, & quæ patri acquiſita fuiſſent, ſi in eius poteſtate manſiſſent. l. 1. *pr.* h. t. non autem emancipati emancipatis conferebant, cum inter eos nulla eſſet inæqualitas. l. 1. § *fin.* l. 2. § 5. l. 3. §. 2. ff. h. t.

(c) Propter inæqualitatem; Emancipati enim omnia ſibi acquirunt, contra ſui heredes quicquid acquirunt, non ſibi, ſed patri acquirũt, quo caſu paternam augent hereditatem. Hinc, ne in bona a ſuis quæſita ſuccederent unà cum ſuis emancipati. Sui verò in bona ab emancipatis quæſita non ſuccederent; ideo Prætor æquitate motus iuſſit emancipatos bona profectitia, & non adventitia, multò minus caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, (quæ ſunt proprium filij etiam in poteſtate exiſtentis peculium, circa quod patri nihil eſt iuris.) in communem conferre hereditatem, atque ita omnia æqualiter pro virilibus portionibus dividere. l. 1. & 2. ff. h. t.

TH. 2. Collatio eſt rei propriæ (a) in commune illatio, ut hereditati communi permixta inter omnes coheredes æqualiter dividatur.

(a) Quia bona aliena non conferuntur. l. 3. §. 3. & 4. ff. h. t. l. 6. C. *eod.*

TH. 3. Donatio etiam propter nuptias filio eſt conferenda, (a) quam filius (b) à patre, de cuius hereditate agitur, accepit. l. 17. C. h. t. *Novel.* 18. *c.* 9.

(a) l. 5. & 7. ff. h. t. l. 29. C. *de inoffic. teſtam.* quia ea fermè in omnibus pari cum dote iuri eſt ſubiecta. *l. ult. C. de dot. promiſſ.* etiam quoad additamenta. l. 19. C. *de donat. ante nupt. Gail.* 2. *obſ.* 78.

(b) Idem dicitur de nepote, cui ratione dotis maternæ, quatenus avus eam dedit, in hereditate avi conferre injungitur. l. 17. & 11. C. *de collat. bonor.*

TH. 4. Hodie omnes deſcendentes, (a) quibuſcumque aſcendentibus, (b) ſuccedentes, (c) inter ſe, (d) conferunt bona profectitia, (e) ante mortem patris, vel alterius aſcendentium quæſita. l. 36. & 15. C. h. t.

(a) Abſque ulla diſtinctione, ſive ſint emancipati, ſive ſui, ſive filij, ſive filiæ, ſive nepotes, ſive neptes, ſive pronepotes, ſive pronepres, imò & emancipati emancipatis conferunt. l. 17. 19. 20. *l. ult.* C. h. t. *Novel.* 18. *c.* 6.

(b) Sive lineæ paternæ, ſive maternæ ſuccedatur, h. e. patri. matri, avo, & aviæ, tam paterno, quam materno, &c. l. 1 *pr.* §. 5. & 6. ff. h. t. l. 17. C. *eod.* Nota, liberi matri, vel alijs aſcendentibus maternis ſuccedentes ea conferunt, quæ ab illa, vel his ſunt profecta, non verò, quæ à patre, vel aliunde quæſita, ut ex laboribus filij, &c. l. *ult.* C. h. t. l. 6. C. *de bon. quæ liber.* §. 1. *Inſt. per quas perſ. cuique acqu.*

(c) Sive ex teſtamento, ſive ab inteſtato ſuccedant; quoties enim de delatæ hereditatis diviſione agitur, collatio inter eos eſt inſtituenda. d. l. 17. *&* *ad Novel.* 18. c. 6.

(d) Sive concurrant emancipati & ſui, ſive ſoli, ſui, ſive ſoli emancipati, ſive ſoli nepotes, ſive concurrant cum patruis, amitis, avunculis, materteris; quia hæ perſonæ ſuis & emancipatis conferre coguntur, & illi his. l. 19. C. h. t.

(e) E. bona adventitia, caſtrenſia & quaſi caſtrenſia non conferuntur, quia per illa non inducitur inæqualitas, cum cedant ſingulis acquirentibus etiam adhuc in poteſtate exiſtentibus.

TH. 5. Neque aſcendentes, neque collaterales conferunt. *arg.* d. l. 17. l. 19. *&* l. 20. C. h. t. quod in illis & his collationis ratio ceſſet, quia nullus horum defuncto, de cuius hereditate agitur, ſed ſibi acquiſivit.

TH. 6. Collatio in ſequentibus non admittitur, [1] in ijs, quæ liberis ab aſcendentibus, de cuius hereditate agitur, ſimpliciter ſunt donata. l. 20. §. 1. *in fin.* C. h. t. l. 18. C. *famil. erciſc.* [2] nec in ijs, quæ ob benemerita ſunt donata. *arg.* l. 10. C. h. t. [3] nec in ijs, quæ ad addiſcendas artes liberales, (non verò mechanicas) & dignitates impenduntur. Hinc non conferuntur ſumptus in ſtudia, ſive à patre, ſive à matre erogati ſint. l. 50. ff. *famil. erciſc.* l. 21. §. 3. ff. *ad municip.* l. 3. §. *ult.* ff. *de munerib. Carpz. p.* 3. *conſt.* 11. *def.* 17. adeoque ut illi ſumptus, quos mater uni filiorũ ex communibus bonis poſt mortem patris ſubminiſtravit, non ſint conferendi. *Berlich. deciſ.* 8. *n.* 3. quia alimentorum cauſa ob pietatem cenſentur ſubminiſtrati. l. 5 ff. *de agnoſc. & alend. libert.* nec conferuntur ſumptus in gradum Magiſterij, licentiæ, vel doctoratus collocati, quia nihil ex illis ſumptibus apud filium remanſit; gradus enim vendi nequit, aut ad heredes tranſmitti; hi ſumptus peculio quaſi caſtrenſi, quod non confertur, annumerantur. l. 1. §. 15. ff. h. t. [4] nec conferuntur, quæ in peregrinationes utiliter ſunt collocata. *Carpz. part.* 1. *conſt.* 11. *def.* 18. niſi ſuppeditans eiuſmodi data expreſsè per proteſtationem, vel alio modo velit in collationem conferri. l. 50. ff. *famil. erciſc.* l. 17. C. h. t. l. 11. C. *de negot. geſt.* vel ſumptus malè ſint conſumpti. *arg. l.* 1. §. 13. l. 2. §. 2. ff. h. t.

TH. 7. Si ea, quæ conferri debent, abſque dolo, latâ, & levi culpa fuerint amiſſa, vel perierint, in collationem non veniunt. l. 1. §. 23. l. 2. §. 2. ff. h. t. idem affirmatur de uſuris & fructibus. l. 3. *&* 4. ff. *de dotis collat.* niſi conferens in illis conferendis moram committat, tunc non tantum rem, ſed & fructus & uſuras rei præſtare cogitur. l. 5. §. 1. ff. *de dotis collat.*

TH. 8. Collatio eſt duplex, [1] realis, & [2] cautionalis. l. 1. §. 9. 11. & 13. ff. h. t.

TH. 9. Collatio realis eſt, vel verè realis, (a) vel quaſi realis. (b)

(a) Qua res ipſa actualiter infertur, & in communem hereditatem redigitur. l. 1. *pr.* l. 9. h. t. l. 11. C. *eod.*

(b) Sive ficta collatio eſt, qua res conferri intelligitur, ut ſi res conferenda abſque illatione cum coheredibus dividatur. l. 1. §. 11. h. t. ſi fundus, vel res alia pro bonis conferendis detur. d. l. 1. §. 11. h. t. ſi minus capiatur è bonis defuncti, & tantum remittatur, quantum alioquin coheredes, facta collatione conſecuti fuiſſent. d. l. 1. §. 12. l. 5. C. *eod. Novel. 97. c. 6.*

TH. 10. Collatio cautionalis fit datis fideiuſſoribus, aut pignoribus. l. 1. §. 7. h. t. quod fit, quando non ſatis conſtat, quid, quale, quantumque conferendum, & conferens coheredes tali modo de conferendo ſecuros reddit. d. l. 1. §. 9. & 10.

TH. 11. Si cautioni interpoſitæ quis non ſteterit, convenitur actione ex ſtipulatu, vel etiam actione hypothecaria & condemnabitur, quanti res de qua conventio interpoſita erit, h. e. ad veram rei æſtimationem præſtandam. l. 5. §. 1. ff. h. t.

TH. 12. Quod ſi quis neque conferre, neque cavere velit, invitus ad conferendum cogi iure poteſt. l. 1. §. 10. ff. h. t. l. C. *eod.* [1] denegatione actionum hereditariarum, (a) & [2] imploratione officij iudicis. l. 8. & 11. ff. h. t.

(a) Actiones, quæ denegantur, ſunt hereditatis petitio, bonorum poſſeſſio, & querela inofficioſi. d. l. 11. poteſt quoque agenti, qui conferre non vult, opponi exceptio, tu non contuliſti, proindéque tibi non competit actio hereditaria, quæ eſt exceptio dilatoria, adque ipſam cauſam pertinet, litiſque ingreſſum impedit. *arg.* l. 11. C. h. t.

(b) Quæ duobus caſibus competit, præprimis ubi, qui collationem detrectat, eſt in poſſeſſione rerum hereditariarum, [1] ante factam diviſionem datur contra conferre nolentem, ad collationem extorquendam. l. 1. ff. *de dot. collat.* [2] poſt factam diuiſionem, in qua collatio per errorem eſt omiſſa, imploratió conceditur, ut quod plus eſt apud eum, qui non contulit, reſtituatur. l. 8. h. t. *arg. l. un. C. de error. calcul.*

TH. 13. Cauſa efficiens collationis eſt Prætor, & contributionis æquitas; materia collationis ſunt bona profectitia. Forma ex Th. 8. 9. & 10. ſuperioribus patet. Finis, ut ſervetur æqualitas.

TIT. VII.

TITULUS VII.

De Dotis Collatione.

TH. I. DOs, tam profectitia, quàm adventitia filiæ regulariter eſt conferenda. l. 17. *&* l. 19. C. h. t. ratio eſt, cum pater, nolens volens ex neceſſitate pro modo ſuarum facultatum filiam dotare cogatur. l. 69. §. 4. ff. *de iur. dot.* & cum in neceſſitatibus nemo liberalis exiſtat, nec donare videatur. l. 18. ff. *de adimen. legat.* Hinc haud difficulter colligitur, patrem non præſumi dotem voluiſſe filiæ præcipuam, ubi coactus donavit, ſed eam, ut reliqua bona conferri.

TH. 2. Porrò non modo dos, verumetiam augmentum dotis, & additamentum, atque adeo ornamenta muliebria, putà veſtes pretioſiores, catenæ aureæ, annuli, inaures, armillæ, arrha ſponſalitia, & res, quas augendæ rei familiaris cauſa parentes liberis ſubminiſtrant, conferri debent. *Carpz. part. 3. conſt. 11. def.* 11. *Gail. 2. obſ.* 91.

TH. 3. Olim inter ſucceſſionem teſtamentariam & ſucceſſionem ab inteſtato non minima erat differentia; nam ex teſtamento heredes, fratres, vel ſorores conferre non cogebantur, niſi teſtator id ſpecialiter iuſſiſſet, ab inteſtato verò conferebant. l. 1. §. 6. ff. h. t. l. 1. 4. 7. C. *eod.* Ratio hæc datur, quod inſtituti heredes veniebant ad ſucceſſionem ex voluntate defuncti, qui poteſt & inæqualiter inter liberos bona ſua dividere. l. 8. C. *de inoffic. teſtam.* l. 39. §. 1. ff. *famil. erciſc.* ab inteſtato verò ſuccedentes veniunt vi & authoritate legis, quæ omnes inter ſe exæquat. Hanc differentiam ſuſtulit Imp. Iuſtinianus, *in Novel.* 18. *c.* 6. unde eſt *Auth. ex teſtamento, C. de collat.* ob præſumptam teſtatoris voluntatem, quaſi is voluerit conferri à liberis, quibus quantum dederit, fortè oblitus eſt, aut per mortis anguſtias recordari nequivit. Exceptio tamen eſt, niſi teſtator expreſſim deſignaverit, ſe collationem fieri nolle.

TH. 4. Quæritur, an ſumptus convivij nuptialis conferri debeant? Reſp. negando, [1] quamvis facti ſint matrimonij cauſa, ſpectant nihilominus ad patris honorem, eos expromentis, cuius officium eſt, liberos honeſtè elocare, & nuptui tradere, quod abſque impenſis fieri haud poteſt; ſic non cenſetur habere animum, onerandi filiam, vel filium, eorum collatione, [2] quod nummi in feſtivitatem hanc nuptialem

collocati non amplius exſtent, ſed conſumpti ſunt, qui non conferuntur. l. 6. C. *de collat. arg.* l. 2. §. 2. ff. *de collat. bonor.* Hinc contrarium obtinet in ſumptibus, adhuc exſtantibus, quales ſunt veſtimenta pretioſa, ornamenta, &c.

TH. 5. Interdum mulier, vel eius heredes dotem conferre non aſtringuntur, ut putà, (1) ſi hereditate abſtineant, dote contenti. *l. fin.* ff. h. t. *l. ex cauſa C. famil. erciſc.* ea tamen limitatione, ſi reliquis liberis legitima ſit integra, (2) ſi dos abſque mulieris culpa perierit. l. 1. §. 23. ff. h. t. (3) ſi dotem citra culpam è bonis mariti integram habere nequeat. l. 1. §. 6. ff. h. t. *Novel.* 97. *c.* 6. *Auth. quod locum. C. de collat.* (4) ſi collatio à patre expreſſis verbis ſit prohibita, *Auth. ex teſtament. C. de collat.* (5) ſi dotem ab avo, patris tamen contemplatione acceperat, nec de patris, ſed avi ſucceſſione agatur.

TITVLVS VIII.

De conjungendis cum emancipato liberis eius.

TH. 1. SI filius ſit emancipatus, eiuſque liberi in poteſtate avi retineantur, tunc illi iure civili veteri patris locum obtinent, exiſtentes avo ſui & proximi heredes, excluſo patre. §. 2. *Inſt. de hered. qualit. & differ.* hunc iuris rigorem Prætor correxit, ut patrem emancipatum præteritum, & contra tabulas ad bonorum poſſeſſionem vocatum cum liberis ſuis, hoc eſt, avi nepotibus conjungeret, & patri dimidiam hereditatis partem, conceſſa altera parte dimidia liberis eius, attribueret. l. 1. ff. h. t.

TH. 2. Huic edicto hodie nullus omnino eſt locus, ſublata ſuitatis & emancipationis differentia; cum Imp. Iuſtinianus emancipatos & ſuos ſolâ gradus prærogativâ ſervatâ æqualiter ad parentum ſucceſſionem ab inteſtato vocet. Itaque ſi filius eſt emancipatus, cuius liberi manſerunt in poteſtate avi, tunc filius liberis ſuis præfertur, quia gradu eſt proximior.

TITVLVS IX.

De ventre in poſſeſſionem mittendo.

TH. I. PRÆTORI non ſolummodo natorum liberorum, verum etiam naſciturorum anxia cura eſt, ob ſpem naſcendi. Vnde ſi venter eſt præteritus, ex edicto contra tabulas in bonorum poſſeſſionem eſt mittendus, (a) cui curator (b) datur.

(a) Et tamdiu in poſſeſſione eſſe debet, donec aut pariat, aut abortum faciat, aut certo conſtet, mulierem non eſſe prægnantem. l. 1 §. *ult.* ff. h. t.

(b) Hic appellatur curator ventris; huius officium eſt, ut ex bonis defuncti ſuppeditet mulieri ea, quibus fœtus ſuſtineri, & ad partum uſque produci poteſt, ut cibum, potum, veſtitum, habitaculum, quæ omnia mulieri pro facultatibus defuncti, & dignitate utriuſque ſuppeditantur.

TH. 2. Vt venter in bonorum poſſeſſionem mittatur, iure civili veteri quatuor requiruntur, (1) ut mulier ſit prægnans moriente eo, de cuius bonis agitur. l. 1. §. 1. ff. h. t. (2) ut fuerit uxor, vel nurus defuncti; & ſi dubitari queat, an ſit uxor, cauſæ cognitio deſideratur; & ſi manifeſta eius calumnia appareat, non admittitur, ſi verò dubitari poſſit, ad poſſeſſionem admittitur. l. 1. §. 14. ff. h. t. (3) ut partus, ſi natus fuerit, defuncto ſucceſſurus ſit ex quacumque edicti parte. l. 1. §. 2. l. *fin.* ff. h. t. (4) ut venter ſit præteritus, & non exheredatus. d. l. 1. §. 2. iure novo ventris exheredatio non procedit, quia hodie nemo exheredari poteſt, niſi ob ingratitudinem commiſſam, quæ à ventre planè non committi poteſt. l. 33. §. 1. C. *de inoffic. teſtam.*

TH. 3. Miſſio hæc in bonorum poſſeſſionem non tribuit dominium, nec bonorum poſſeſſionem, ſed ſaltem detentionem, cuſtodiam, & ius alimentorum. l. 1. §. 17. ff. h. t.

TH. 4. Si mulier ſciverit ſe non eſſe prægnantem, atque ita ex calumnia in poſſeſſionem venerit, ſumptus reſtituere tenetur. l. 1. §. 28. ff. h. t.

TH. 5. Hæc bonorum poſſeſſio contra tabulas, eſt prima ſpecies bonorum poſſeſſionis decretalis, cuius hodie non minima eſt utilitas.

TITVLVS X.

De Edicto Carboniano.

Iung. tit. 17. lib. 6. C. d. t.

TH. 1. IMPVBERI (a) præterito, (b) ſi ei controverſia moveatur, an ſit inter liberos, necne, ex edicto Carboniano, (c) bonorum poſſeſſio, causâ cognitâ datur, (d) & iudicium de quæſtione ſtatus in tempus pubertatis cauſa cognita, (e) differtur.

(a) Sive ſit maſculus, ſive fœmina. l. 1. *pr.* §. 1. *&* 2. ff. h. t. non autem puberi permittitur. l. 3. §. 3. ff. h. t.

(b) Qui non inſtitutus, aut exheredatus eſt. l. 1. §. 8. l. 11. ff. h. t.

(c) A Cn. Carbone Prætore ita denominatur. Vnde ſecunda ſpecies decretalis bonorum poſſeſſionis.

(d) Si nimirum aliquatenus conſtet, impuberem illum vulgò pro legitimo habitum fuiſſe, vel cauſa ſit ambigua. l. 3. §. 4. h. t. quo caſu quæſtio ſtatus in tempus pubertatis differtur, quo melius res ſuas intelligere poſſit. l. 2. C. h. t. Vnde poſſeſſionem accipit impubes, ac ſi nullam ſtatus controverſiam paſſus ſit. l. 3. §. 5. h. t. quod ideo fit, ne ſimul de ſtatu & bonis periclitetur, antequam ſit ſuæ tutelæ. l. 1. *&* 2. C. h. t.

(e) Cognitio cauſæ in eo potiſſimum vertitur, utrum impuberi expediat repræſentari cognitionem, ſi nimirum teſtes idonei, qui probant eum eſſe legitimum, adſint, an potius differri, & an per calumniam petatur poſſeſſio.

TH. 2. Hæc bonorum poſſeſſio, prævià cautione, ſive ſatisdatione, ab impubere facta, (a) non modo ad poſſeſſionem adipiſcendam, verum & ad res à poſſeſſoribus perſequendas, & ad debitum exigendum ei prodeſt, quia pro filio habetur. d. l. *pen.* l. 3. §. 13. *& ſeq.* ff. h. t.

(a) d. l. *pen.* l. 5. §. 2. ff. h. t. ſi verò impubes cautionem non præſtiterit, adverſarius quoque ad bonorum poſſeſſionem ſimul cum eo admittitur, ſive ſatiſdet, ſive non. l. 1. §. 1. ff. h. t. aſt ſi velit adverſarius ſibi committi adminiſtrationem, ſatiſdare debet pupillo. Cæterum ſi ſatis non det, debet curator conſtitui, per quem bona adminiſtrentur. l. 5 §. 2. h. t.

TH. 3. Alimenta pupillo, ſive impuberi ſunt ſuppeditanda. l. 2. §. 2. l. 6. §. 4. ff. h. t. quorum ſumptus non reſtituuntur, etiamſi impubes poſtea declaretur non legitimus. l. 2. C. h. t.

TITVLVS XI.

De bonorum poſſeſſione ſecundum Tabulas.
Iung. tit. 11. libr. 6. C. d. t.

TH. 1. QVOMODO bonorum poſſeſſio contra tabulas occupetur, in titulis præcedentibus perſpeximus, tranſeamus nunc ad bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, qua defuncti voluntatem tuetur Prætor.

TH. 2. Hæc bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas datur ſcriptis heredibus (a) in tabulis (b) teſtatoris capacis (c) ſupremis, (d) quæ teſtium ſeptem ſignis ſunt ſignatæ. l. 7. ff. h. t. l. 2. C. *eod.*

(a) Et quidem tali in caſu, quoties nemo teſtamentum per bonorum poſſeſſeſſionem contra tabulas reſcindit; l. f. C. *de bonor. poſſeß. contr. tab.*

(b) Quæ hic denotant teſtamentum.

(c) Cui tempore teſtamenti facti, & tempore mortis teſtamenti factio fuit iure conceſſa. l. 1. §. 8. ff. h. t.

(d) Hoc eſt, poſt quas teſtator nullas alias tabulas, ſive nullum aliud teſtamentum fecit. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 3. Quamdiu liberi bonorum poſſeſſionem contra tabb. petere poſſunt, bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas non habet locum. l. 2. *pr.* ff. h. t.

TH. 4. Bonorum poſſeſſio, vel ex neceſſitate, (a) vel utilitate (b) competit.

(a) Ex illa competit ijs [1] qui iure civili ob aliquam ſubtilitatem heredes eſſe non poterant, e. g. ſi alienus poſthumus eſſet heres inſtitutus, qui non iure civili fit heres, ſed Prætorio iure efficiebatur bonorum poſſeſſor, *pr. Inſt. de bonor. poſſeß.* §. *6. Inſt. quibus mod. teſtam. infirm.* l. 18. *in fin.* C. *de iur. deliber.* non tamen competit ſimpliciter incapacibus, l. 1. §. 8. l. 12. §. 2. ff. h. t. [2] qui in teſtamento, quod iure civili declaratur nullum, Prætorio tamen validum eſt, ſunt ſcripti heredes, e. g. ſi teſtamentum ſit ſignatum, non tamen ſubſcriptum à teſtibus, §. 3. *& 9. Inſt. de teſtam. ordin.* [3] qui in teſtamento, quod iure civili per capitis diminutionem ruptum, iure verò Prætorio reconvaluit, ſunt inſtituti, l. 12. *pr.* ff. *de injuſt. rupt. init. teſtam.* l. 12. *de Carbon. edict.* [4] qui ſub conditione inſtituti, iure enim civili non poſſunt ante conditionis exiſtentiam adire; iure autem Prætorio ſub cautione præſtita admittuntur. l. 2. §. 1. l. 5. 6. *&* 10. ff. h. t.

(b) Hæc bonor. poſſeſſio datur quibuſcunque heredibus ſcriptis in teſtamento, quod iure civili eſt validum. *pr. Inſt. de bonor. poſſ.* l. 2. *&* 6. ff. h. t.

TITVLVS XII.

Si à parente quis manumiſſus ſit.

TH. 1. BONORVM poſſeſſio contra tabulas non competit ſolummodò liberis, verumetiam parentibus contra tabulas filij emancipati, (a) à quo ſunt præteriti; quo ad exemplum patroni in bonis libertorum, ob beneficium emancipationis filio à patribus conceſſum admittuntur.

(a) Emancipari ſolebat filius contracta fiducia, h. e. eo pacto, ut pater fiduciarius eum emanciparet, id eſt, manumitteret. *rubr.* ff. h. t.

TH. 2. Bonorum hæc poſſeſſio contra tabb. ſive teſtamentum filij emancipati patri præterito conceſſa nititur ęquitate; cum beneficium emancipationis (ſive liberatio à patria poteſtate) quod quod quærebant liberi, ſibi acquirebant, (a) erat valdè ingens, & meritò remunerandum.

(a) Contra ſi filiusfam. quis eſſet, quodcunque in patria poteſtate exiſtens acquireret, eius emolumentum non ſibi, ſed patri quærebat, peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi exceptis.

TH. 3. In quibuſdam caſibus pater præteritus à bonorum poſſeſſione contra tabb. removetur, [1] ſi parens accepit pecuniam, ut filium manumitteret, l. 1. §. 3. ff. h. t. [2] quando pater filiumfam. quem malè contra pietatem afficiebat, ſeu miſerè tractabat, coactus eſt emancipare, cum non ſit dignus honorari ab eo, tam miſerè, tamque crudeliter vexato atque macerato. l. *ult.* ff. h. t.

TH. 4. Quæ in hoc titulo ſunt propoſita, hodie nullam plane nobis adferunt utilitatem, nam parentes liberis abſque diſcrimine ſuccedunt, & præteriri nequeunt. *Novel.* 115. c, 1. 2. 3.

TITVLVS XIII.

De bonorum poſſeſſione in teſtamento militis.

TH. I. IN teſtamento militum id ſpeciale eſt, quod bonorum poſſeſſio contra tabb. non valeat, (a) aſt ſecundum tabb. ſit valida; quoniam eorum voluntates debent eſſe ratæ, quomodocunque factæ, ſi nimirum in expeditione verſentur; (b) idem beneficium conceditur etiam illis, in hoſtico h. e. hoſtili agro decedentibus, quia paria cum militibus experiuntur pericula. E. eadem quoque iura ſibi vindicare licitè poſſunt. l. *fin.* ff. *de teſtam. milit.*

(a) Quia militum præteritio eſt loco exheredationis; nota. Hoc tantum in bonis caſtrenſibus, ſive in caſtris quæſitis obtinet; ſecus eſt in bonis non caſtrenſibus, in quibus bonor. poſſeſſio contra tabb. patri præterito competit. l. 29. ff. *de teſtam. milit.*

(b) l. 1. *& t. t.* ff. *de teſtam. milit.*

TITVLVS XIV.

De jure Patronatus.

Iung. tit. 4. lib. 6. C. *De bonor. poſſeſſione contra tabb. liberti quæ patronis, liberiſque eorum datur.*

TH. I. BONORVM poſſeſſio datur & Patronis, eiuſque liberis præteritis contra tabulas liberti, (a) vel etiam ſecundum eas, cum ſint loco parentum, ut hoc ipſum det ius patronatus, quod dat ius parentum. §. 3. *Inſt. de ſucceſſ. libert. rubr.* C. *de bonor. poſſ. contr. tabb. libert.*

(a) Quia liberto ab inteſtato ſuccedit patronus, ſi videlicet liberto ſui heredes non exiſtant, *pr. Inſt. de ſucceſſ. libert.* quis namque hoc patrono invideat, qui, ſi non manumiſiſſet, omnia iure dominicæ poteſtatis ſibi quæreret. Idcirco Prætor ob hanc rationem motus bonor. poſſeſſ. contra tabb. patronis conceſſit, alijs, quam liberis heredibus inſtitutis.

TH. 2. Ius patronatus eſt facultas, (a) vel obligatio, (b) quam Patronus ex manumiſſione in liberto, vel adverſus eum habet.

(a) [1] Imperandi [2] acquirendi per operas libertorum *t. t. ff. de oper. libert.* [3] ſuccedendi, *t. t. Inſt. de ſucceſſ. libert.* [4] aſſignandi, *t. t. ff. de aſſignat. libert.* [5] accuſandi, l. 1. ff. h. t. [6] coërcendi leviter. l. 7. §. 2. ff. *de injur.*

(b) [1] Quæ tendit ad obſequium, [2] operarum præſtationem, [3] bonorum aſſignationem in teſtamento faciendam.

TH. 3. Sicut ius patronatus acquiritur manumiſſione ſervi, l. 3. ff. h. t. ita illud amittitur, ſi libertum alere negligat Patronus. l. 6. ff. h. t.

TH. 4. Datur Patrono contra libertum ingratum actio, ſive querela, unde pro modo iniuriæ patrono illatæ, variè fieri ſolet condemnatio. Nonnunquam addicitur patrono pars bonorum liberti, aliquando fuſtibus cæditur, l. 7. *in fin.* ff. h. t. interdum mitius punitur, interdum damnatur in metallum, aut mittitur in temporale exilium, l. 1. ff. h. t. aut in patroni redigitur poteſtatem, ut miniſterium ei præbeat, aut planè in ſervitutem redigitur, quod hodie videtur generale eſſe, l. 5. ff. h. t. quod in odium ingratitudinis legibus receptum. l. 2. C. *de libert. & eor. liber.*

TITVLVS XV.

De obſequijs parentibus & patronis præſtandis.

Iung. tit. 6. lib. 6. C.

TH. 1. NON tantum debetur parentibus & patronis ſucceſſio, ſi abſque liberis decedant, verumetiam reverentia & obſequium, l. 1. 2. & 3. ff. h. t. cum filio & liberto perſona patris, vel patroni ſemper videri debeat honeſta & ſancta, l. 9. ff. h. t. præprimis hanc ob rationem, quia filius à parente vitam naturalem, & omnia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria, libertus à patrono, vitam civilem, puta libertatem accipit, ſervi enim pro mortuis habentur, l. 32. ff. *de R. I.*

TH. 2. Ius patronatus præcipuè poſitum eſt in obſequio, quod conſiſtit in amore, reverentia, pietate & gratitudine. Vnde [1] egentem patronum alere tenetur libertus, & patrem filius, l. 5. § 16. 17. *& ſeqq.* ff. *de agnoſc. liber.* [2] non poteſt patronum ſine venia in ius vocare, l. 4. ff. *de in ius vocan.* [3] non poteſt actionem famoſam, ut de dolo, aut iniuriarum, &c. contra ipſum intentare, etiamſi per procuratorem iudicium accipiat, l. 2. & 5. ff. h. t. denique [4] ſi patronus liberto

to condemnetur, non ultra, quam facere poteſt, cogitur. l. 7. §. 1. ff. h. t.

TH. 3. Contra libertum ingratum datur patrono & patronæ actio perſonalis ex delicto ingratitudinis ad id, ut ille ad ſervitutis nexum reducatur. l. 2. l. *fin.* C. *de libert.*

TH. 4. Quæritur, an filius inobediens capitis pœna ſit afficiendus? Reſp. illud ſimpliciter non eſt verum, ſed quod potius cauſa cognita, aliquando poſſit evenire, ut filius inobediens pœnam capitis ſuſtineat; patri enim contra filium immorigerum competit primò ius; controverſias exorientes intra domum ſuam terminandi, adhibitâ, quoties eſt opus, modicâ caſtigatione; l. 3. C. *de patr. poteſt.* Deinde poteſt ipſum remittere ad Præfectum urbi (hodie ad Magiſtratum quemlibet) puniendum pro modo delicti, pœna arbitraria, l. 1. *pr.* & §. 2. ff. h. t. d. l. 3. & 4. C. *de patr. poteſt.* vel ſi patri ad Præfectum urbi remittere filium non placuerit, conceditur ipſi facultas, filium ingratum in poteſtatem patriam revocandi; quæ revocatio ex duabus cauſis obtinet, [1] ſi patri grave convitium dixerit, [2] ſi atrocem parenti intulerit iniuriam, l. *un.* C. *de ingrat. liber.* Præcedentibus annecti hodie poſſunt Ergaſtula illa, quibus non modo immorigeri liberi, ſed in genere malè morati, prodigi, otioſi, & alij eiuſmodi farinæ homines includuntur, ut ad labores, ſanitatem mentis, parcimoniam, humilitatem & obſequia optimo Reipubl. inſtituto reducantur, (*Germanicè die Zuchthauſer, Spinhauſer, waiſenhauſer*) qualia ſunt Stockolmiæ, Amſtelodami, Hamburgi, Bremæ, Roſtochij.

LIBER TRIGESIMVS OCTAVVS.

TITVLVS PRIMVS.

De operis libertorum.

Iung. tit. 3. lib. 6. C. d. t.

TH. 1. PRIORES quinque huius libri tituli ad cauſam juris Patronatus adhuc ſpectant. In primo tractatur de libertorum operis, quæ Patrono & Patronæ ſunt præſtandæ. l. 10. C. h. t.

TH. 2. Operæ libertorum ſunt diurnum (a) officium, conſiſtens in miniſterio, & officio libertorum. l. 1. ff. h. t.

(a) Ita dicitur, quoniam regulariter & frequentius interdiu præſtatur, aliàs & noctu interdum, vt comitari, adeſſe.

TH. 3. Operæ ſunt duplicis generis, officiales (a) & artificiales. (b)

(a) Quæ in officio perſonæ & miniſterio exhibendo, ſeu negotijs curandis conſiſtunt, & patrono, ut patrono debentur, l. 9. §. 1. ff. h. t. ut adeſſe, comitari, l. 38. §. 1. ff. h. t. curare domum, menſam, haurire aquam, ſecare ligna, metere & colligere ſegetes, convehere in horrea, &c. hæ operæ Patrono tantum, & non alij debentur, l. 10 ff. h. t. nec ad heredes tranſeunt. l. 6. ff. h. t.

(b) Hæ in certo & deſignato genere artificij promittuntur, & ideo fabriles dicuntur; ut Medicæ, pictoriæ, oratoriæ; h. e. mederi, pingere, ſcribere, oratorem eſſe. Hæ operæ patrono, ut extraneo debentur, & alij ſolvi poſſunt, l. 9. §. 1. h. t. quæ quaſi in pecuniæ præſtatione conſiſtunt, & ad heredes tranſeunt. l. 6. ff. h. t.

TH. 4. Operæ à liberto non debentur Patrono, niſi promiſſæ, ſolent autem promitti tempore manumiſſionis, & quidem dupliciter, [1] jurejurando, l. 7. *pr.* ff. h. t. vel [2] ſtipulatione, l. 3. l. 5. ff. h. t. quibus caſibus & officiales & artificiales operæ civiliter debentur, l. 56. *de*

fidejuſſ. ceſſante aliàs promiſſione, naturaliter tantum; ubi obſervandum, ſi libertus officiales operas non promiſſas exhibeat, condici nequeunt, cum naturâ debeantur, l. 26. §. 12. ff. *de condict. indebit.* ſi verò artificiales per errorem præſtentur, condici licitè queunt d. l. 26. §. 12.

TH. 5. Operas promiſſas præſtare tenetur libertus, ſi ſint moderatæ, & quæ ſine turpitudine & periculo præſtari licitè poſſunt, l. 7. §. 2. l. 16. l. 34. l. 38. ff. h. t.

TH. 6. Libertus ſuis ſumptibus operas præſtare cogitur, h. e. ſuo victu atque veſtitu: intellige, ſi habeat, unde ſe alere poſſit, ſi verò ſe alere nequeat, alimenta ei à patrono præſtanda ſunt. l. 18. ff. h. t.

TH. 7. Operæ deberi deſinunt, [1] ob remiſſionem patroni, ut ſi libertæ nuptijs conſentiat, l. 48. ff. h. t. [2] ob infirmitatem, vel ſenium liberti, l. 15. 17. *&* 24. ff. h. t.

TH. 8. Quæritur, an huius tituli aliqua adhuc hodie ſit utilitas? Reſp. affirm. hodie enim pleræque quæſtiones de operis hominum propriorum, vel ruſticorum hinc decidi poſſunt. Hæ operæ ſive ſervitia (*Germanicè Frohndienſt.*) varijs modis præſtari ſolent, vel [1] iure agricolationis ab hominibus proprijs, vel [2] à ſubditis ex communis ſubjectionis iure, &c. Operæ hæ vel ſunt certæ, (a) vel incertæ. (b)

(a) Illæ ad certum tempus reſtrictæ, vel ad alias circumſtantias determinatæ, e. g. ubi in meſſe ſemel, vel toties in anno domino ſervire, & opus præſtare obligantur, uti eſt determinatum.

(b) Hæ ſunt indeterminatæ & indiſtinctæ, quæ ex arbitrio dominorum dependent, & toties in anno præſtari debent, quoties exiguntur, *Gail.* 2. *obſerv.* 62. hæ operæ iure civili dominorum alimentis ſunt præſtandæ, l. 21. ff. h. t. contrarium obtinet in operis incertis, dummodo habeant, unde ſe alant. l. 18. l. 33. ff. h. t.

TITVLVS II.

De bonis libertorum.

TH. I. PROPTER grande libertatis beneficium Patroni à libertis ſuis plus ęquo interdum exigere ſolebant; quod Prætor aliquatenus correxit. Hinc ſi libertus abſque liberis (a) decedens, teſtamentum fecerit, (b) nihilque Patrono reliquerit, certam bonorum

partem Patrono concedebat Prætor, dabatque bonorum poſſeſſionem contra tabb. l. 1. ff. h. t. ad remunerandam libertatis conceſſionem.

(a) Si verò liberos relinqueret, hi Patronum ab hereditate excludebant.
(b) Sin inteſtatus nullis liberis relictis deceſſerit, totam liberti hereditatem accipiebat.

TH. 2. Ad bonor. poſſeſſionem contra tabb. non admittebatur Patronus, ſi libertum capitis accuſaverit, aut in ſervitutem petierit, l. 14. *pr.* §. 1. ff. h. t.

TITVLVS III.

De libertis municipum, & aliarum univerſitatum.

TH. 1. EADEM jura, quæ Patrono privato in libertum competunt, deferuntur quoque municipibus & univerſitatibus, (a) quæ per Syndicos ſuos & adminiſtratores bonorum poſſeſſionem petere ſolent. l. 1. §. *fin.* l. 2. ff. *de acquir. poſſ.*

(a) Quæ ſunt civitates, vici, ſocietates, collegia, corpora, &c. l. 1. ff. *quid cuique univerſit. nomi.*

TITVLVS IV.

De aſſignandis libertis.

TH. 1. PATRONI jure & eius liberi gaudent omnes ſimul. Ideo patrono defuncto omnes æqualiter in libertos jus patronatus habent. Aſt ſi pater uni ex liberis libertum vnum, vel plures ex teſtamento, vel ab inteſtato aſſignaverit, huic ſoli jus patronatus in aſſignatum, ſive aſſignatos attribuitur. l. 1. ff. h. t. §. *ult. Inſt. eod.*

TH. 2. Aſſignatio & purè, & in diem, & ſub conditione fieri poteſt, l. 7. ff. h. t. plura vide *in tit. Inſt.* h. t.

TITVLVS V.

Si quid in fraudem patroni factum ſit.

Iung. tit. 5. libr. 6. C. *Si in fraudem Patroni à lib.*

TH. I. LIBERTVS alienatione, tam in teſtamento, quàm ab inteſtato, efficere non poteſt, ne ad patronum pars bonorum ei debita, h. e. legitima perveniat, ſed illa dolo malo (a) alienantis facta, poteſt actione perſonali, (b) per patronum, eiuſque heredes & ſucceſſores, ab accipiente, eiuſque heredibus perpetuo revocari. (c)

(a) Hic dolus in alienatione inter vivos eſt probandus ab actore. l. 1. *pr.* & §. 1. 3. & 4. ff. h. t.

(b) l. 1. §. 26. ff. h. t. quæ eſt, vel Fabiana à Fabio ita dicta, vel Calviſiana à Prætore Calviſio, illa eſt, ſi agatur ex teſtamento, hæc eſt, ſi agatur ab inteſtato. l. 3. §. 2. ff. h. t. l. 2. C. *eod.*

(c) d. l. 1. §. 3. l. 3. §. 3. l. 4. *pr.* ff. h. t. l. 1. & 2. C. h. t. l. 1. §. 26. ff. h. t.

TH. 2. Reſtitutio rerum liberti dolo alienatarum debet fieri cum omni cauſa, E. fructus veniunt. l. 1. §. *ult.* ff. h. t. & l. 2. ff. *eod.* quod ſi reſtitutio non fiat, vt tanti damnetur reus, quanti actor in litem iuraverit. *l. tenetur*, 5. §. 1. ff. h. t. hoc ideo ſic conſtitutum, ne eiuſmodi fraus patrono detrimentum afferat.

TITVLVS VI.

Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt, unde liberi.

Iung. tit. 14. lib. 6. C. *Vnde liberi.*

TH. I. PERSPECTA bonorum poſſeſſione teſtamento relictâ, perſpicienda eſt & illa, quam Prætor ab inteſtato concedit; cum regulariter L. 12. Tabular. prius de iudicijs teſtantium aga-

tur, quam ad ſucceſſiones ab inteſtato pervenitur.

TH. 2. Bonorum poſſeſſio ab inteſtato tunc habet locum, quando nemo contra, aut ſecundùm tabulas bonorum poſſeſſionem acceperit. l. 1. ff. h. t. qua in re Prætor certos ordines ab inteſtato ſuccedentium fecit. Primus ordo eſt liberorum, ſecundus legitimorum, tertius cognatorum, & quartus viri & uxoris; & quoniam iure civili, ratione ſucceſſionis ab inteſtato, prima eſt cauſa liberorum, quos commune naturæ & parentum votum vocat. l. 7. §. *ult.* ff. h. t. l. 15. ff. *de inofficioſ. teſtam.*

TH. 3. Bonorum poſſeſſio, unde liberi datur liberis (a) emancipatis, (b) ut patri, vel avo paterno ſuccedant.

(a) Sive ſint naturales, ſive adoptivi tales, modo in poteſtate defuncti fuerint. l. 1. §. 6. ff. h. t. Hinc apertè conſtat, liberis in bonis maternis, nullam competere bonorum poſſeſſionem in ordine liberorum, quia non ſunt in poteſtate matris, ideo in ordine tantum cognatorum; idem affirmatur de nepotibus & neptibus ex filia ortis in bonis avi. §. 15. *Inſtit. de heredit. quæ ab inteſt. defert.*

(b) l. 4. ff. l. 1. C. h. t. quia Lex 12. Tabb. non emancipatos, ſed ſuos agnoſcebat, Prætor verò hoc iniquum ducens emancipatos æquè ac ſuos ad hereditatem ut bonorum poſſeſſores admittebat. l. 1. & 2. ff. h. t.

TH. 4. Ratione huius bonorum poſſeſſionis proximitas gradus obſervatur, ita ut filius nepotem ex ſe natum excludat: Excipe, niſi filio emancipato nepotem in poteſtate ſua retinuerit avus; hoc in caſu & filium, & nepotem æqualiter ad hereditatem defuncti admittit Prætor. *l. 1 ff. de conjungend. cum emancip. liber.* Cæterum ſi ex alio filio jam defuncto exſtet nepos, alter filius adhuc vivens hunc ex fratre nepotem ab hereditate non excludit, cum ius præſentationis hic obtineat. *arg.* l. 1. §. 1. ff. h. t.

TITVLVS VII.

Vnde legitimi.

Iung. tit. 15. libr. 6. C. d. t.

TH. 1. BONORVM poſſeſſio unde legitimi, (a) defertur fratribus & ſororibus, (b) poſt illos reliquis legitimis, (c) ſecundùm gradus prærogativam, & alijs (d) à Prætore defertur.

(a) h. e. agnati, qui per ſexum virilem defuncto ſunt conjuncti, qui immediatè à L. 12. Tabb. ad ſucceſſionem poſt ſuos vocantur, ob id etiam vocantur legitimi. l. 1. *&* 2. §. 4. ff. h. t. §. 1. *&* 2. *Inſt. de legit. agnat.* quamdiu verò ſui ſperantur, putà prægnante defuncti uxore, locus non eſt agnatorum ordini. l. *pen.* ff. h. t.

(b) Quia hi proximi ſunt agnati, & non tantum maſculi, ſed & fœminæ hanc bonorum poſſeſſionem accipere poſſunt. l. 2. §. 2. ff. h. t. ultra ſororem, quæ eſt familiæ finis. l. 195. ff. *de V. S.* conſanguinitas non extenditur, ſive ſint germani, ſive conſanguinei, h. e. ex eodem patre, licet diverſa matre nati. §. 1. *Inſt. de legit. agnat.*

(c) Quia Prætor ex ſucceſſorio edicto gradum gradui, & perſonæ deficienti ſubſequentem perſonam ſubſtituit. *t. ff. de ſucceſſ. edict.*

(d) Qui licet non ſint legitimi agnati, ex alia tamen cauſa, nimirum lege, vel SCto fiunt legitimi heredes. l. 2. §. 4. ff. h. t. ut ſunt patronus, *Inſt. de legit. patr. tut.* pater. §. *ult. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* mater. l. 2. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 3. Quoties parentes liberis in hereditate ſuccedunt, dicitur ordo mortalitatis & ſucceſſionis turbatus. l. 15. ff. *de inoffic. teſtam.* luctuoſa ac triſtis ſucceſſio. l. 28. C. *eod.* & duræ fortunæ ſolatium. l. 4. C. *de Senat. Tertull.*

TITVLVS VIII.

Vnde cognati.

Iung. tit. 15. lib. 6. C. *Vnde legitimi & unde cognati.*

TH. I. COGNATORVM ordo eſt tertius, ideo ſuis & legitimis deficientibus, bonorum poſſeſſio defertur proximis cognatis, (a) quales ſunt per fœminas cognati, ſive conjuncti. Nepotibus igitur ex filia in bonis avi materni. l. 3. C. h. t. Conſobrinis in bonis conſobrini datur. l. 1. C. h. t.

(a) Cognatos propriè in hac materia intelligimus, qui ſibi viventes connaſcuntur. Hi rurſus duplici modo accipiuntur, [1] *latè*, pro omnibus natura & ſanguine conjunctis. (2) ſpecialiter pro ijs, qui per lineam duntaxat fœmineam conjunguntur. *t. Inſt. de ſucceſſ. cognat.*

TH. 2. Cognati ad ſextum uſque gradum communiter admittuntur,

nonnunquam ad ſeptimum. §. *ult. Inſt. de ſucceſſ. cognat.* agnati verò in infinitum, qui inſtar deſcendentium ſuccedere intelliguntur. §. 2. *&* 3. *Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.*

TH. 3. Hodie differentia agnationis & cognationis, item emancipationis & ſuitatis, per *Novel.* 118. *c. 1.* eſt ſublata, ideo bonorum poſſeſſio, unde cognati cognatis non eſt neceſſaria, & omnes ad decimum uſque gradum admittuntur, & quidem in capita, non in ſtirpes. l. 2. C. *de ſuis & legitim.* contrarium obtinet in deſcendentibus, qui in ſtirpes, & non in capita ad parentum admittuntur ſucceſſiones, propter ius repræſentationis. *l. fin. C. de impub. ſubſtit.*

TH. 4. Quæritur, ad quem uſque gradum cognati in feudis ſuccedere queant? Reſp. diſting. inter feudum, quod ſemel tranſitum ad deſcendentes fecit, poſtea verò ad collaterales, & inter feudum ex pacto, & alijs caſibus. Priori caſu agnati, ſive cognati in infinitum ſuccedunt. 2. *feud.* 50. Hinc regula. Quod ultimus agnatus ſit primi acquirentis ſucceſſor, quamvis feudum per mille manus ambulaverit; reſpectu enim primi acquirentis, cui facta fuit inveſtitura, omnes dicuntur deſcendentes ipſius agnati ultimo morientis, licet ſint inter ſe tranſverſales. Poſteriori caſu ſucceſſioni locus eſt ad ſeptimum uſque gradum. *c.* 1. §. *hoc quoque de his qui feud. dare poſſ.* 1. *Feud. 1.* §. *4. Gail.* 2. *obſ.* 50.

TH. 5. In ſucceſſionibus regnorum & principatuum agnati indiſtinctè ſuccedunt in infinitum; adeo ut ſi tota proſapia Regia exſtincta, ſuperſit aliquis de ſanguine antiquo, is ad ſucceſſionem omninò ſit admittendus, etiamſi ultra gradum milleſimum eſſet.

TITVLVS IX.

De ſucceſſorio edicto.

Iung. tit. 16. libr. 6. C. d. t.

TH. 1. SVCCESSORIO edicto (a) Prætor proximo gradu deficiente, (b) ſequentem gradum, & proximo ordine (c) deficiente ſequentem ordinem ad ſucceſſionem ab inteſtato admittit.

(a) Ita vocatur, quia ordinem ordini, gradum gradui, perſonam perſonæ, quaſi per ſucceſſionem ſubſtituit.

(b) Qui

(b) Qui hic eſt dinumeratio in eadem linea per ſuperius, inferius, & ex tranſverſo, hinc ſubſtitutio de gradu in gradum eſt, ubi in eodem ordine ſuccedendi plures ſunt perſonæ diverſis gradibus, ut [1] in ordine liberorum, filij, nepotes, pronepotes, &c. [2] in ordine agnatorum, fratres, fratrum filij, patrui, &c. vel [3] in ordine cognatorum, ut nepotes ex filia, &c. deficiente enim tunc primo gradu ſecundus, & ulteriores admittuntur.

(c) Ordinem ordini ſubſtituit Prætor, ut cum deficiente primo ordine liberorum, dat legitimis heredibus, ſive agnatis bonorum poſſeſſionem, quia hi tum ſunt proximiores ordine, e. g. quando à filio, & nepote reliquiſque deſcendentibus omiſſa, vel repudiata eſt bonorum poſſeſſio, deficit primus ordo, unde liberi, quo caſu admittitur ſecundus ordo, unde agnati, vel legitimi, ſi is etiam repudiaverit bonorum poſſeſſionem, admittitur tertius ordo unde cognati.

TH. 2. Nemo ex ordine ſequenti ad bonorum poſſeſſionem admittitur, ſi quis eam ex ordine præcedenti petierit. *arg. l. 1. ff. quis ordo in bonor. poſſeſſ. ſervetur.*

TH. 3. Succeſſorium edictum hodie ob ſublatam agnationis, & cognationis differentiam, inutile videtur.

TITVLVS X.

De gradibus, & affinibus, & nominibus eorum.

TH. 1. CVM in hereditatibus adeundis, & tutelis ſuſcipiendis gradus proximitas accuratè obſervetur, l. 2. ff. *de ſuis & legitim.* ideo non abs re eſt, imò ſummè neceſſarium, de gradibus cognationum, eorumque ſupputatione pauca annectere. l. *fin.* ff. h. t. ut quis proximior, quiſque gradu remotior ſit, percipiatur.

TH. 2. Cognationes, ſive perſonæ ab eodem ſtipite deſcendentes diſcernuntur lineis, & lineæ gradibus.

TH. 3. Linea eſt ſeries, ſive collectio perſonarum ab eodem ſtipite venientium.

TH. 4. Linea eſt duplex, [1] recta, (a) vel [2] tranſverſa, ſive collateralis. (b)

(a) Illa eſt, vel ſuperior, qualis eſt aſcendentium, vel inferior, ut deſcendentium. l. 9. *pr.* ff. *h. t.* & utraque incipit à gradu primo, e. g. pater facit initium lineæ ſuperioris, filius inferioris. *Vide* §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Inſt.* h. t. ubi, qui in primo, ſecundo, tertio, quarto, quinto, ſexto ſint gradu, exponitur.

(b) Qualis eſt inter fratres & ſorores, atque reliquos à latere conjunctos; hæc linea tranſuerſa, ſive collateralis, itidem duplex, æqualis, vel inæqualis; illa eſt, quando cognati in utroque latere æqualiter à ſtipite diſtant. Hæc eſt, quando inæqualiter à ſtipite diſtant.

TH. 5. Gradus ad ſimilitudinem ſcalarum, locorumve proclivium dicti ſunt, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, hoc eſt eum, qui quaſi ex illo naſcitur, tranſeamus. l. *ult.* §. 10. ff. h. t. Hinc ſic definitur. Gradus eſt, de proximo in proximum cognatum tranſitus, ſive eſt intervallum, quo cognoſcitur, quæ perſona ſtipiti propior ſit; & quot ſunt tranſitus in remotiorem, tot ſunt gradus.

TH. 6. Gradus ſunt, vel in linea recta, vel in linea tranſverſa. Sic in linea recta ſuperiori primum gradum tenent, (a) pater, mater, ſecundum avus, avia, tertium proavus, proavia, &c. l. 1. ff. h. t. ubi uſque ad ſextum gradum enumerantur propria graduum nomina, ultra deficit ſpeciale nomen. In linea inferiori primum gradum ſibi vindicant filius, filia, ſecundum nepos, neptis, tertium pronepos, proneptis, & ſic ulterius. In linea tranſverſa nullus datur iure civili primus gradus, ſed à ſecundo numerare incipimus per patrem, qui cognationis eſt cauſa.

(a) Nota, ad primum gradum conſtituendum, duæ requiruntur perſonæ, putà generantis & generatæ.

TH. 7. Vt graduum computatio eo facilius memoriæ mandetur, ſequens obſervanda eſt regula. Quot ſunt generationes, tot ſunt gradus, dempto ſtipite, ſive quot intercedunt generationes inter perſonas, de quarum cognatione quæritur, tot iure civili ſunt gradus, & quota generatione quis diſtat à defuncto, computatione generationum ex ſtipite communi gradatim utrimque deducta, toto quis gradu ab eodem diſtat, v. c. frater cognatus eſt fratri, vel ſorori, ſecundo gradu, quia duæ generationes inter ipſos intercedunt. Frater verò, & fratris alterius filius diſtant tertio gradu, tres enim inter eos interveniunt generationes.

TH. 8. Ab hoc computandi modo civili, ratione lineæ tranſverſæ, ſive collateralis, non autem lineæ rectæ, (a) diſcrepat ius Canonicum. Iure canonico, in linea collaterali æquali non numerantur ſingulæ perſonæ ad gradum conſtituendum, ſed duæ inter ſe collatæ unum gradum conſtituunt, (b) unde regula canonica, quoto gradu utraque perſona diſtat à communi ſtipite, eodem quoque gradu inter ſe diſtant. *c.* 3. *Extr. de conſanguin.*

(a) Vbi ius canonicum cum iure civili eandem retinet regulam, tot ſunt gradus, quot ſunt generationes, ſive perſonæ, dempto ſtipite.

(b) Sic filij & filiæ ex eodem patre nati primum gradum conſtituunt, iure autem civili ſecundum: & conſobrini, h.e. duarum ſororum filij, ſecundum gradum, eodem quoque gradu ſunt amitini, ex fratre & ſorore nati, vel patrueles, id eſt, duorum fratrum filij, &c. qui omnes iure civili ſunt quarto gradu.

TH. 9. Iure canonico in linea collaterali inæquali, hæc obtinet regula, quoto gradu remotior diſtat à communi ſtipite, eodem quoque gradu inter ſe diſtant. *c. fin. Extr. de conſanguin.*

TH. 10. In cauſis matrimonialibus computationem canonicam, tanquam æquiorem & convenientiorem ſequimur, *Vide Bechſtadium in collat. iur. connubial.* Contra in ſucceſſionibus, tam allodialibus, quàm feudalibus, ut & tutelis computationem civilem rejecta canonica, obſervamus.

TH. 11. Quoties de hereditate, vel bonorum poſſeſſione controverſia movetur, tunc non ſemper illi, qui eiuſdem gradus ſunt concurrunt, ſed qui ſunt eiuſdem gradus in eodem ordine, nam qui eſt in proximo ordine, quamvis quarto gradu ſit, cæteris præfertur, licet illi primum, vel ſecundum gradum occupent. Primus ordo eſt deſcendentium, qui omnibus, tam aſcendentibus, quàm collateralibus, ut ut gradu, non tamen ordine propinquioribus. Ideo pronepos quamvis in tertio gradu ſit, prefertur patri & fratribus in primo & ſecundo gradu exiſtentibus. Quia ratio ordinis ante omnia eſt habenda, poſtea in ordine gradus, ita ut ad ſecundum ordinem non fiat tranſitus, niſi gradibus omnibus in primo ordine deficientibus.

TH. 12. Deſcendentes non ſemper utuntur inter ſe gradus prærogativâ, quod fit ob ius repræſentationis. §. 6. *Inſt. de heredit. quæ ab inteſtat. defer.*

TH. 13. In linea recta deſcendenti, (a) & collaterali, (b) ius repræſentationis obtinet.

(a) Sic filius quamvis in primo ſit gradu, nepos verò ex altero filio defuncto in ſecundo gradu, nihilominus hic patris ſui perſonam repræſentat, cumque patruo ſuo hereditatem dividit. l. 8. § 8. ff. *de inoffic. teſtam.* qui iure repræſentationis ſuccedunt, in ſtirpes, non in capita ſuccedunt, h.e. tantum capiunt, quantum eorum parens, ſi vixiſſet, capere potuiſſet. *Auth. poſt fratres. C. de legit. heredib.*

(b) Non tamen ultra fratrum ſororumque filios. *d. Auth. poſt fratres.* C. *de legitim. heredib. Novel.* 118. *c.* 3.

TH. 14. Deſcendentibus deficientibus iure novo (a) ſecundus ordo admittitur, nimirum aſcendentes ſecundum gradus prærogativam, in linea aſcendenti; Nota. Ius repræſentationis non obtinet, quoniam

contra naturam eſt, parentes in liberorum locum ſuccedere, eoſque repræſentare. *d. Novel. 118. c. 2.* Hinc pater in filij hereditate excludit avum maternum.

(a) Iure enim veteri longè aliter ſe res habebat. l. 7. ff. *unde liber. l. ult. C. commun. de ſucceſſ.*

TH. 15. Aſcendentes in eodem gradu æqualiter inter ſe dividunt hereditatem, ita tamen ut dimidiam hereditatis partem accipiant à patre aſcendentes, alteram à matre, etiamſi ſint diſpares numero, h. e. ſi ab illa parte tantum ſit avus paternus, ab hac avus & avia, qui in ſtirpes, (a) & non in capita, (b) hereditatem dividunt.

(a) Cum perſonæ, ſive capita ſuccedentiũ non numerãtur, ſed unius alicuius ſtirpis tantũ habetur ratio, cuius iure nituntur, qui ſuccedũt, etiamſi plures ſint.
(b) Cum hereditas iuxta numerum perſonarum, quibus deferri ſolet, in viriles ſcinditur portiones.

TH. 16. Aſcendentes olim à fratribus in hereditate liberorum excludebantur. l. 7. ff. *unde liberi. §. ult. Inſt. de legit. agn. ſucceſſ.* Hodie aſcendentes cum fratribus & ſororibus, ex utroque latere conjunctis eorumque liberis, admittuntur in capita, *Auth. defuncto, C. ad SCt. Tert.* Aſt ex uno latere coniuncti ab illis excluduntur. *Auth. itaque C. commun. de ſucceſſ.* quales ſunt uterini, vel conſanguinei. Iure Saxonico ſoli aſcendentes liberis ſuccedunt, & omnes ac ſingulos collaterales indifferenter excludunt. *Landrecht. lib. 1. art.* 17.

TH. 17. Quæ Theſi pręcedenti diximus, in allodialibus obtinet; in feudalibus ſecus ſe res habet, nulla enim in feudalibus conceditur aſcendentibus ſucceſſio. *arg. 1. Feud.* 14. *c. ſi capitanei, & de natura ſucceſſ. 2. Feud.* 50. nam deficientibus deſcendẽtibus primo gradu feudum ad fratres devolvitur, non modo utrimque, ſed & uno tantum latere conjunctos, ſi ſaltem fuerint conſanguinei. *arg. 2. Feud.* 11. quoniam in feudis vinculi duplicitas non conſideratur, nec habetur ratio matris; fratres enim ſuperſtites defuncto fratri ſuccedunt, non quia cognati, ſed agnati, nec propriè iure hereditatis, ſed domini beneficio.

TH. 18. Fratrum ſororumque liberi, quoties ſoli ſint, defuncti parentis fratri, vel ſorori in capita, & non in ſtirpes ſuccedũt. l. 2. §. 1. ff. *de ſuis & legit. hered. l. ult. §. 3. C. de legit. hered. l. 1. §. fin. ff. ſi pars hered. pet.* ratio eſt, quod fratrum ſororumque liberi hic veniant iure proprio, & non iure repræſentationis, quod fit propter graduum paritatem, quòd ius omnibus æquale eſt, quapropter æquales portiones facere oportet. At ſi cum patruis concurrant, propter graduum diſparitatem non iure proprio, ſed beneficio repræſentationis ſuccedunt in ſtirpes; tum enim

avi hereditatem alieno nomine conſequuntur, quaſi à ſuo patre tranſmiſſam.

TH. 19. Deficientibus [1] liberis, h.e. deſcendentibus, [2] aſcendentibus, ſive parentibus, & [3] in collaterali linea fratribus, eorumque liberis proximiores ex latere admittuntur unde regula. Qui proprior eſt gradu, propior eſt iure ſucceſſionis; & ſi plures eiuſdem gradus exiſtant, in capita ſuccedunt.

TH. 20. Affines propriè ſunt viri & uxoris cognati, ab eo appellati, quod duæ cognationes, quæ diverſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit, l. 4. §. 3. ff. hoc tit.

TH 21. Nulli dantur iure civili propriè (a) gradus affinitatis, l. 4. §. 5. ff. h. t. ratio eſt, quia gradus alius ex alio naſcitur, non etiam affinis generat affinem, cum ex genero natus mihi non ſit affinis, ſed nepos, neque ex nuru natus pronurus. E. deficientibus generationibus, & ipſi gradus deficiunt.

(a) Impropriè verò loquendo, & huic tribuuntur gradus & ordines, ad modum cognationis, e.g. (1) quo gradu mihi eſt pater & mater, eodem mihi ſunt ſocer & ſocrus, vitricus, noverca; (2) quo gradu eſt filius, & filia, eodem gener & nurus, privignus, privigna, (3) quo gradu eſt frater & ſoror, eodem & levir, glos, ſororius, fratria. Hæc graduum computatio ratione matrimonij, non verò hereditatis, in quam affines ſuccedere nequeunt, l. 7. C. *commun. de ſucceſſion.* obſervatur.

TH. 22. Iure Canonico tria dantur genera affinitatis, de quibus ſupra egimus.

TITVLVS XI.

Vnde vir & vxor.

Iung. tit. 18. lib. 6. C. d. t.

TH. I. DEFICIENTIBVS ſuis, agnatis & cognatis, (a) bonorum poſſeſſio coniugis defuncti coniugi (b) ſuperſtiti defertur à Prætore, l. *un.* ff. & C. h. t. Atque ſic uxor ſuperſtes viri, vel vir uxoris bonorum poſſeſſionem, tabulis teſtamenti non extantibus, excluſo fiſco, ſibi vindicat, quod fit ob arctiſſimam inter virum & uxorem conjunctionem, d. l. *un.* & affectionem, quæ origo & principium omnis cognatitiæ ſucceſsionis.

(a) Ad decimum uſque gradum, §. *ult. Inſt. de ſucceſſ. cognat.*

(b) Vir & uxor iure civili veteri planè à ſucceſſione arcebantur, quia neque liberorum, neque agnatorũ vel cognatorum nomine veniebant, idcirco mulier dote ſua cogebatur eſſe contenta; hanc iniquitatem ſuſtulit Prætor, bonorum poſſeſſionem ei ante fiſcum, non verò ante cognatos concedendo.

TH. 2. Iure Saxonico (a) maritus omnia bona mobilia uxoris lucratur, etiam extantibus liberis, quibus tamen legitimam de ijs ſupplere cogitur. Contra, mulier tertiam partem bonorum mariti accipit. *Landrecht lib.* 1. *art.* 31.

(a) Hoc ius in multis alijs Ducatibus & regionibus viget, ut in ditione Magdeburgenſi, Halberſtadenſi, Ducatu Anhaltino, &c. & eſt privilegiatum ratione ſcilicet Electoratus Saxonici. Elector enim Saxonicus ex ſpeciali privilegio habet ius extremæ provocationis, quod alijs Principibus denegatum; unde ab ipſo ad Cameram appellare non conceditur.

TH. 3. Multis in locis, ſtatutis aut conſuetudine certus modus, quo coniuges inter ſe invicem ſuccedunt, eſt inductus; plerumque autem in pactis dotalibus de futura ſucceſſione diſponitur; ita ut vel in totum, vel quoad certam partem ſuperſtes defuncto ſuccedat; ceſſantibus his pactis dotalibus ad conſuetudinem, vel ſtatuta loci recurri ſolet. In Marchia Bradeburgenſi, decedente patre vel matre, liberi cum conjuge ſuperſtite in partem dimidiam vocantur. Hildeſiæ ſuccedit uxor ſuperſtes marito, excluſis conſanguineis, quale ſtatutum & ipſa Camera Imperialis ſæpius approbavit. *Gail.* 2. *obſ.* 124.

TITVLVS XII.

De veteranorum & militum ſucceſſione.

TH. I. DEFICIENTE conjuge fiſcus ad ſucceſſionem admittitur, cui etiam olim damnatorum bona deferebantur. Exceptio eſt in milite, ſingulari privilegio gaudente, ratione bonorum caſtrenſium, (a) ut ſi miles ex militari delicto, & non communi (b) ſit damnatus, eius inteſtati (c) hereditas ſive bonorum poſſeſſio defertur cognatis, uſque ad quintum gradum, quo deficiente fiſcus admittitur. l. 1. l. 2. ff. h. t.

(a) Reliqua militis bona fiſcus ſibi arrogabat.

(b) Si enim ex communi delicto ut adulterio, & ſimilibus ſit condem-

natus, fiſco quoque applicabantur caſtrenſia eius bona.

(c) Potuit & teſtamentum facere. l. 1. ff. h. t.

TITVLVS XIII.

Quibus non competit bonorum poſſeſſio.

Iung. tit. 9. lib. 6. C. *qui admitti ad bonor. poſſ. poſ.*

TH. I BONORVM poſſeſſio non competit illis, qui vel (1) libertatem aut civitatem amiſerunt, vel (2) hereditate (a) ſe indignos reddiderunt, e. g. ſi per heredem ſcriptum dolo fiat, quo minus teſtator voluntatem mutet, &c. vel (3) bonorum poſſeſſioni renunciarunt, vel (4) tempore excluſi ſunt: atque ſic fiſcus ſuccedit. l. *un.* ff. h. t.

(a) Huius appellatione & bonorum poſſeſſio complectitur, l. 138. ff. *de V. S.* quare bonorum poſſeſſio hereditati æquiparatur, ut, qui ad hereditatem non admittuntur, illi nec bonorum poſſeſſionis ſunt capaces.

TITVLVS XIV.

Vt ex legibus Senatuſve conſultis bonorum poſſeſſio detur.

TH. I. POST ordinarias bonorum poſſeſſiones, pervenitur nunc ad extraordinariam, (a) quæ à Prætore illis promittitur, quibus ut detur, lege nova, vel Sčto, vel conſtitutionibus ſpecialiter comprehenſum eſt. l. 1. & 2. ff. h. t. §. 3. *Inſt. de bonor. poſſ.*

(a) Ita dicitur, non quod jus non tribuat, ſed quia neque bonorum poſſeſſionibus, quæ ab inteſtato veniunt, neque ijs, quæ ex teſtamento ſunt, annumeratur.

TH 2. Ad hanc extraordinariam ſive ſubſidiariam bonorum poſſeſſionem quatuor requiruntur, (1) ut deferatur ſucceſſio ex nova lege, (2) ut lex iſta ſit civilis, non Prætoria, (3) expreſsè deferatur, & ſpecialiter, (4) qui hanc petit, non ſit vocatus per aliam legem civilem ad hereditatem.

TH. 3. Fiſco ſucceſsio tribuitur, deficientibus ſuis, agnatis, cognatis, viro aut uxore, & quidem hanc ob rationem, ne bona vacantia maneant.

TH. 4. Ex ſingulari iure potiores fiſco ſunt conſortes, h. e. collegæ eiuſdem alicuius corporis ſive collegij non reprobati, quod bona collegarum quaſi pars ſint collegij, quales ſunt Eccleſia, Monaſterium, l. 20. C. *de Epiſcop. & Cleric.* milites eiuſdem legionis, l. 2. C. *de hered. decur.* Curia. l. 7. C. *de navicular.*

TITVLVS XV.

Quis ordo in bonorum poſſeſſione ſervetur.

TH. I. HVNC ordinem in bonorum poſſeſsione ſervare oportet, ut non ante ab inteſtato petatur poſſeſsio, quàm ſi vel contra tabulas, vel ſecundum eas non ſit petita, l. 1. §. 1. ff. h. t. nam cauſa teſtati ſemper eſt potior.

TH. 2. Inter inſtitutum & ſubſtitutum hic obſervatur ordo, ut quamdiu inſtitutus bonorum poſſeſsionem petere poteſt, ſubſtitutus non admittatur. l. 2. §. 4. 5. ff. *de bonor. poſſ. ſecund. tabb.*

TH. 3. In bonorum poſſeſsione ab inteſtato hic ordo ſervatur, ut primùm ſui, ſecundò legitimi, tertiò proximi cognati, deinde vir & uxor vocentur. l. 1. *pr.* ff. h. t.

TH. 4. Bonorum poſſeſsio intra præſcripta tempora (a) peti debet, ne bona in creditorum detrimentum diu vacent.

(a) Quæ ſunt varia, (1) liberis & parentibus conceditur annus, reliquis verò ſaltem centum dies, puta utiles, qui à tempore ſcientiæ currere incipiunt. l. 2. ff. h. t.

TH. 5. Hodie bonorum poſſeſſiones, quarum in præcedentibus libris & titulis mentionem fecimus, non ſunt in uſu; cum inter bonorum poſſeſſorem & heredem non diſtinguamus, ſed promiſcuè, tam ille, quàm hic heredes dicuntur, quibus debetur poſſeſſio.

TITULUS XVI.

De ſuis & legitimis heredibus.

Iung. tit. 54. libr. 6. C. *De ſuis & legit. liber.* & tit. 57. C. *de legitim. heredib.*

TH. 1. SUCCESSIONEM teſtamentariam & Prætoriam perluſtravimus, tranſimus jam ad ſucceſſionem civilem, quæ ab inteſtato (a) immediatè per legem defertur, ſine ulla defuncti diſpoſitione; quapropter etiam vocatur legitima.

(a) Inteſtatus dupliciter accipitur, aliter in materia tutelari, aliter in materia teſtamentaria. Priori caſu latius ſumitur, & per inteſtatum non tantum intelligimus eum, qui planè teſtamentum non fecit, verumetiam, qui teſtamento liberis ſuis tutores non dedit, l. *6. ff. de legitim. tutor.* Poſteriori caſu inteſtatus vocatur, qui vel teſtamentum omninò non fecit, vel non iure fecit, vel quód iure fecit ex poſt facto eſt infirmatum aut deſtitutum herede. *pr. Inſt. de heredit. quæ ab inteſt. defer.*

TH. 2. Succeſſio legitima alia eſt ex iure civili veteri, alia ex iure novo.

TH. 3. Succeſſio legitima ex iure civili veteri eſt, [1] ex l. 12. Tabularum, (a) [2] SCto Tertulliano, & [3] Orphitiano, de duobus poſterioribus membris titulo ſequente tractabitur.

(a) Hic ordo iuxta l. 12. tabb. in ſucceſſione obſervatur, (1) ſuis h. e. in proximo poteſtatis patriæ gradu conſtitutis deferuntur bona parentum, *§. 2. Inſt. de hered. qualit. §. 3. Inſt. de hered. quæ ab inteſt. def.* l. *6. in fin. ff. de injuſt. rupt. irrit. teſt.* E. non emancipatis filijs, vel nepotibus & neptibus ex filiabus, l. 12. tabb. ſucceſſio defertur. Quia non ſunt ſui & in poteſtate defuncti, (2) legitimis ſive agnatis, excluſis cognatis.

TH. 4. Succeſſio legitima ex iure novo quinque ordines comprehendit, primus ordo eſt deſcendentium, excluſis aſcendentibus; ſic vocantur liberi primi gradus, exploſâ ſexus, ſuitatis, & agnationis differentiâ, *Novell.* 118. quam olim obſervabant, *auth. in ſucceſſione C. de ſuis & legit. liber.* (2) eſt aſcendentium, ſive parentum, nullis nimirum deſcendentibus exiſtentibus, (3) deficientibus liberis, & parentibus ſucceſſio devolvitur ad collaterales, ut fratres & ſorores, (4) his omnibus deficientibus admittuntur conjuges ad mutuam ſucceſ-

ſionem, *vide* t. ff. *unde vir & uxor.* tandem (5) ad bona vacantia admittitur fiſcus.

TH. 5. In ſuis heredibus aditio non eſt neceſſaria, ſed ipſo iure (a) heredes exiſtunt, ſecus ſe res habet in reliquis, qui hereditatem adire, & bonorum poſſeſſionem petere coguntur. l. 11. ff. *de liber. & poſthum.* l. 14. ff. h. t.

(a) Puta, ſtatim ab ipſo mortis puncto, l. 1. §. 7. ff. *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* ſine ullo ſuo, vel alterius hominis facto, etiam ignorantes fiunt heredes, §. *ſui 3. Inſt. de heredit. quæ ab inteſt. def.* l. 3. C. *de iure deliber.* unde haud obſcurè conſtat, (1) heredem ſuum ante immixtionem, hereditatem tranſmittere, non modo ad ſuos, l. *un.* C. *de his qui ante apert. tab.* verumetiam extraneos, l. 8. C. *de ſuis & legit. hered.* l. 19. C. *de iur. delib.* (2) poſſeſſionem, quæ plurimum facti habet, abſque apprehenſione non acquiri, nec ad ſuos heredes tranſire. l. 23. ff. *de acquir. poſſeſ.*

TITVLVS XVII.

Ad SCtum Tertullianum & Orphitianum.

Iung. tit. 55. libr. 6. C. *Ad SCt. Tertull.* & tit. 56. C. *ad SCt. Orphitian.*

TH. I. LEGE 12. Tabb. mater & liberi ſibi invicem ſuccedere haud poterant, quia nulla agnatione ſibi invicem jungebantur; (a) quam iuris antiqui aſperitatem in tantum correxit SCtum Tertullianum, (b) quo cautum eſt, ut mater ingenua trium liberorum jus habens, ad bona filiorum filiarumve inteſtato ſine liberis mortuorum admittatur. (c) Imperator noſter Iuſtinianus matri adhuc melius proſpexit, indiſtinctè eam in ſolidum ad liberorum (d) ſucceſſionem, ſine deſcendentibus mortuorum, ante omnes agnatos exceptâ fratris & ſororis perſonâ, vocando.

(a) Lege enim 12. Tabb. duo ſaltem ordines ad ſucceſſionem ab inteſtato vocabantur (1) ſui, & (2) legitimi, ſive agnati, excluſis cognatis; hinc deficientibus ſuis & legitimis, vel hereditatem repudiantibus, hereditas ad fiſcum tanquam vacans devolvebatur: hunc iuris rigorem prius correxit Prætor edicto ſuo unde cognati, poſtea Imp. Iuſtinianus plenius ijs proſpexit.

(b) Ita appellatum ab quodam Iuriſconſulto, antiqui iuris interprete,

l. 7. C. *de curat. furioſ.* l. 3. ff. *de hered. inſtit.*

(c) l. 2. ff. h. t. *pr.* & §. 2. *Inſt. eod.*

(d) Etiamſi ſint ſpurij, §. *fin. Inſt.* h. t.

TH. 2. Sicuti Scto Tertulliano mater ad liberorum admittitur hereditatem, ita & Scto Orphitiano (a) conſulitur, filio & filiæ (b) quibus legitima hereditas matris ſuæ ab inteſtato defunctæ datur. (c)

(a) Quod Orphitio & Bufo Coſſ. Antonini Philoſophi temporibus latum.

(b) Datur etiam ſpurijs, §. 3. *Inſt.* h. t. l. 1. §. 2. ff. h. t. qui una cum legitimis defunctæ matri ſuccedúnt. Excipe, niſi mater fuerit illuſtris, l. *pen.* C. *ad SCt. Orphit.* Nota, ex damnato coïtu procreati, neque patri, neque matri, neque ullis aſcendentibus ſuccedere poſſunt, *Novel.* 89. c. *ult. auth. ex complexu* C. *de inceſt. nupt.*

(c) Hinc iure novo ſuccedunt ab inteſtato liberi tam maſculi, quam fœminæ, tam ante mortem nati, quam poſthumi, & ſui & emancipati, & primo & ulterioris gradus, tam deſcendentes ex maſculis, quam ex fœminis. *Novel.* 118. c. 1.

TH. 3. Liberi naturales ex concubina nati, extantibus iuſtis liberis, vel etiam legitima uxore, patri non ſuccedunt, ſed pro boni viri arbitrio ſunt alendi, *Novel.* 18. c. 5. *Novel.* 89. c. 12. §. 4. *auth. licet* C. *de natural. liber.*

TH. 4. Legitimis non extantibus naturales in duabus uncijs hereditatis Paternæ una cum matre ſua ſuccedunt. *Nov.* 89. c. 4.

TH. 5. Nonnunquam evenit, ut nequidem legitimi liberi ad parentum hereditatem admittantur, ut [1] ob crimen læſæ Majeſtatis, vel perduellionis à parentibus commiſſæ, l. 5. §. 1. ff. *ad L. Iuli. Majeſt. ordin. crimin. art.* 218. [2] ob iuratam renunciationem, c. 2. *de pact. in* 6.

LIBER TRIGESIMVS NONVS.

TITVLVS PRIMVS.

De operis novi nunciatione.

Iung. tit. 11. libr. 8. C. d. t.

TH. 1. POSTQVAM iudicia Prætoria ad ſucceſſionem ſpectantia enodavimus, progrediamur nunc ad reliqua edicta & interdicta, quæ à Prætore ad conſervanda poſſeſſionum iura proponuntur. Hinc primo loco ea tractantur, quæ damna ſarcienda, & iniurias coërcendas concernunt.

TH. 2. Poſſeſſionem alicuius lædit quis per damnum, (a) quod contingit ex facto, ſive opere vicini contra priſtinam, aut receptam, aut iuſtam ædificiorum formam, cui proinde nuntiamus ut deſiſtat ab opere futuro, quod ne fiat, datur remedium interdictum de novi operis nunciatione. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(a) Quod eſt duplex, imminens, vel datum; priori annumeratur (1) interdictum de novi operis nunciatione, (2) actio cautionis de damno infecto, & (3) actio aquæ pluviæ arcendæ; ad poſterius referuntur etiam quædam in hoc propoſita ut edictum de publicanis, &c.

TH. 3. Novi operis (a) nunciatio (b) eſt legitima prohibitio (c) ædificanti facta, ut is ab opere ſolo conjuncto & nocituro deſiſtat, donec de iure ædificationis conſtiterit, aut eo nomine præſtita ſit cautio, l. 1. §. 11. 12. l. 6. ff. h. t.

(a) Per novum opus intelligimus, quod ſolo conjunctum, cuius priſtina facies addendo aut detrahendo in damnum alterius mutatur, l. 1. §. 11. ff. h. t. ſi quis igitur fulciat, vel ſimpliciter reficiat, priſtina facies non mutatur. E. nec novum opus nunciare licet. l. 1. §. 15. ff. h. t.

(b) Sive denunciatio fit, ne in opere prius peragatur, quam de iure conſtet.

(c) Quam Prætor conceſſit, l. 1. *pr.* §. 17. l. *Prætor* 20 *pr.* ff. h. t.

TH. 4. Novi operis nunciatio eſt duplicis generis, [1] publica, & [2] privata. Illa fit authoritate Magiſtratus, Prætore ſcilicet adito, per perſonam publicam, putà apparitorem. l. 16. ff. h. t. hæc vel per manum, ſive lapilli iactum, (a) vel ſolis verbis, (b) quam in ſpecie novi operis nunciationem appellamus. l. 1. §. 6. l. 5. §. 10. ff. h. t.

(a) Si is, cuius intereſt, novum opus non exſtrui, lapidem ex ipſo opere, vel aliunde aſſumptum, in locum, vel opus controverſum projiciat, cum teſtium appellatione & Notarij requiſitione (ne factam nunciationem ædificans negare queat,) dicens, quod nunciatus, ſicuti non poſſit lapillum illum ponere, ita nec ædificium in hoc fundo.

(b) Cum prohibens, ſive nuncians ad opus novum futurum accedens operarijs, vel alijs in loco exiſtentibus dicit; denuncio, ſive prohibeo, ne in hoc opere ulterius procedatis, ne quid per vos, vel alium novi operis extruatis; interdico, præmoneo, deprecor, ne quid novi operis faciatis, &c.

TH. 5. Novi operis nunciatio licitè conceditur ius in re habenti, vel illud habere aſſerenti: rectè igitur novi operis nunciatio inſtituitur à domino, plenum, vel minus plenum habente dominium, atque hoc, ſive directum, l. 5. §. 6. 8. 9. & 10. ff. h. t. ſive utile. l. 3. §. 3. ff. h. t. vel ſi quis ſervitutem in ædibus debitum ædificando impedit. l. 6. §. *ult.* ff. *ſi ſervit. vindic. l. un.* §. *3. ff. de remiſſion.* Datur & ſocio in re communi. l. 3. §. 1. ff. h. t. & creditori, cui pignoris nomine prædium tenetur, quia ei vindicatio ſervitutis datur. l. 9. ff. h. t.

TH. 6. Quæritur, ſi pluribus dominis res, in quâ novi operis nunciatio eſt facienda, competat, an unius nunciatio, ſive prohibitio omnibus proſit? Reſp. negand. quia ſingulorum eſt in tali caſu novum opus nunciare, & quidem hanc ob rationem; quod fieri poſſit, ut nunciatorum alter habeat ius prohibendi, alter non habeat. l. 5. §. 6. ff. h. t.

TH. 7. In Theſi 5. præcedenti enarravimus, quinam ſuo nomine novum opus nunciare licitè queant, dicendum reſtat, quibus alieno nomine id, facere permiſſum, ut [1] tutoribus & curatoribus, nomine pupilli. l. 7. §. 1. ff. h. t. [2] uſufructuario. l. 1. §. *ult.* ff. h. t. [3] procuratoribus. l. *de pupillo*, 5. §. 18. §. 20. ff. h. t. hi, ſi non caverint, dominum rem ratam habiturum, cum effectu novum opus non nunciant. d. l. 5. §. 18. l. *cum.* 13. ff. h. t.

TH. 8. Si in publico novum opus inchoetur, omnibus denunciandi, ſive prohibendi facultas conceditur. l. 2. §. 1. *& ult.* ff. h. t. cum cauſam Reipublicæ à pluribus defendi, publicè interſit.

TH. 9. Novi operis nunciatio non tantum domino, verum omnibus, qui ad opus novum exſtruendum adſunt, fieri poteſt, ut fabris, mulieri-

bus,ſervis & alijs quibuſcumque. l. 5. §.3. ff. h. t.

TH. 10. Si opus novum pluribus dominis competat, uni denunciationem eſſe factam ſufficit. d.l.5. §. 5. ff. h.t. Aſt ſi in pluribus locis opus novum ſit inchoatum,non una, ſed plures requiruntur denunciationes. l. 5. §. 16. ff. h. t.

TH. 11. Novi operis nunciatio omnibus diebus fieri impunè poteſt. l. 1. §. 4. ff. h. t.

TH. 12. Facta nunciatio tamdiu tenet adverſarium, donec remittatur.

TH. 13. Remiſſio nunciationis novi operis fit,vel ipſo iure,(a) vel facto. (b)

(a) Vbi nunciatio impunè ſpernitur, eiuſmodi remiſſio variè accidit, [1] ſi dilatio periculum,vel grave damnum ædificare volenti ſit allatura, e.g. ſi quis cloacas,vel rivos purgare & reficere velit,quoniam publicæ ſalutis cauſa illud fieri intereſt. l. 5. §. 11. ff. h. t. l. *fin. ff. de rivis.* [2] quando notorium eſt, denuncianti ius nunciandi non competere,&c.

(b) Quod eſt, vel [1] nunciantis, vel [2] Prætoris, vel [3] nunciati. Illo modo, ſi pretio, vel precibus motus nunciationem abſque cautione, ſive ſatisdatione remittat. l. 1. §. 10. ff. h. t. Iſto modo, ſi [1] nuncians iuramentum calumniæ exactum præſtare nolit. l. 5. §. 14. ff. h. t. [2] ſi nuncians causâ cognitâ ius, quod prætendit, non probaverit. l. 1. *pr.* ff. h. t. [3] ſi is, qui Procuratorio nomine nunciat, non ſatiſdederit, dominum ratum habiturum. d. l. 5. §. 18. ff. h. t. Hoc modo, ſi cautionem, vel ſatiſdationem præſtiterit, Prætoris aditio non requiritur. l. 5. § 57. l. *Prætor*, 20. § *ſi quis*, 5. ff. h. t. l. 1. §. 6. *de ſtipulat. Prætor.* Excipe, ſi grave & irreparabile damnum nuncianti ex opere conficiendo oriatur,ut ſi quis tempore belli arcem, in qua hoſtes ſe recipere poſſent, propè civitatem ædificaret.

TH. 14. Quod ſi poſt nunciationem remiſſam, nunciatus in ædificando impediatur, interdictum prohibitorium competit nunciato eiuſque heredibus. l. 20. §. *ult.* ff. h. t. adverſus nunciantem,ne illi novum opus facienti vis fiat. d. l. 20. §. 9. ff. h. t. ſed liceat omni obſtaculo remoto opus inchoatum perficere, & ut nunciator ad intereſſe ſolvendum teneatur. l. 5. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 15. Cum novi operis nunciatio ad opera futura impedienda, & non facta competat,differt ab interdicto, quod vi aut clàm. l. 7. §. 2. ff. *quod vi aut clàm.*

TH. 16. Cauſa efficiens eſt Prætor,qui nunciandi ius introduxit, & voluntas eorum, eo iure utentium. l. 1. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 17. Materia circa quam verſatur ſunt ſtructuræ, & res ſolo conjunctæ,non etiam mobiles. Formam ex Theſi 4. percipies.

TH. 18. Finis novi operis nunciationis eſt, ut ius noſtrum conſervetur, damnumque depellatur, aut publicum ius tueatur. l. 1. § 19. ff. h. t. *Vide Theſin 1. tit. ſequ. liter. a, b, c, d.*

TH. 19. Effectus eſt, ut ceſſet ab opere inchoato ædificator, ſeque cum nunciante Prætoriæ juriſdictioni committat, ubi ius ædificationis examinatur, an ei competat nec ne. Quapropter ſi nunciatus in ædificando pergat, quicquid operis fecerit, antequam remiſſa ſit nunciatio, vel ſatisdatio intervenerit, demoliri & auferri ſumptibus ædificantis iuſſu Magiſtratus poteſt; nulla facta cognitione, ius ædificandi nunciato competat, nec ne, quia contra edictum, & ius novi operis nunciationis fecit. l. 20. §. 1. ff. h. t.

TH. 20. Hodie in Camera Imperiali petitur, & decernitur mandatum ſine clauſula ad demoliendum & reſtituendum, & ſimul quoque inhibitorium, ne quid ulterius ſuperaddatur, item de non impediendo. Vnde patet mandata eſſe duplicia, inhibitoria, ſive prohibitoria, & demolitoria. Inhibitoria iterum ſubdiſtinguuntur, in inhibitoria operis, & inhibitoria turbationis; quorum illud contra nunciatum ædificantem, & refractariè pergentem ædificare decernitur; hoc verò contra nunciantem ædificanti, ſive nunciato ſubminiſtratur, quando poſt legitimam remiſſionem in opere impeditur; demolitorium, ſive reſtitutorium eſt mandatum, quo omnia poſt nunciationem abſque remiſſione facta demoliri ædificans jubetur, idque ſimiliter ſine clauſula, non habita ratione, ſive iuſtè, ſive iniuſtè opus fiat, neceſſitate id poſtulante.

TITVLVS II.

De damno infecto & ſuggerundis & projectionibus.

TH. I. MERITÒ hic titulus ſuperiori ſtatim ſubjungitur, [1] cum operis novi nunciatio plerumque fiat, ut damni infecti caveatur nobis ab eo, qui fortè in publico, vel in privato quid molitur, vel etiam in mari, aut eius littore. (a) Nunciatio enim fit, *ut Theſi* 18. *tit. præced.* innuimus, aut iuris noſtri conſervandi, (b) aut damni depellendi, (c) aut publici iuris tuendi (d) cauſa. l. 1. §. 19. ff. *ſuper. tit.* [2] quia & in hoc, & in ſuperiori titulo de damno agitur.

(a) l. 1. §. 11. ff. *de novi oper. nunciation.*

(b) Vt eum ius libertatis prædij noſtri conſervamus, adverſario in ædes noſtras quid immittente, aut in loco noſtro ædificante, nullo ſcilicet ſervitutis iure. l. 5. §. 8. ff. *de novi oper. nunciat.* quam naturalem cauſam appellat. d. l. 5. §. 9. ff. *eod.* quia libertas rerum, ſicut hominum eſt iuris naturalis. *pr. Inſt. de iur. perſonar.*

(c) Puta cum quis damni depellendi cauſa ſibi caveri deſiderat, & damnum depellere, & injuriam propulſare, ſive à nobis, ſive à rebus noſtris iuris eſt naturalis. l. 3. ff. *de Iuſt. & iur.*

(d) Quoties leges, aut Scta, aut Conſtitutiones Principum, quæ nimirum ad modum & formam ædificiorum ſpectant, per operis novi nunciationem tuemur. Hinc quamvis regulariter unuſquiſque in ſuo ſolo pro lubitu ædificare poſſit. l. 24. ff. *de ſervit. urb. præd. l.* 8. *&* 9. *C. de ſervit. & aqu.* etiamſi ædificando alteri noceat. l. 9. ff. *de S. V. Præd.* l. 24. §. *ult. &* l. 26. ff. *de damn. infect.* non tamen contra formam & modum, qui lege, vel ſtatuto præſcripto, aut conſuetudine obſervatur, ædificare licet. l. 11. *pr. ff. de ſervit. urb. præd. l.* 6. *C. de ſervit. l.* 12. *&* 13. *C. de ædific. privat.* nec licet ad alterius æmulationem, ſeu eo ſaltem fine, ut alteri noceamus, ædificare. l. 3. ff. *de oper. publ. Novel.* 63. *c.* 1.

TH. 2. Damnum infectum eſt damnum nondum factum, quòd tamen futurum veremur. l. 2. ff. h. t. Idcirco ſi ex ruinoſis vicini ædibus, aut tecto, quod damnum minatur, damnum timeo, non teneor exſpectare, donec damnum evenerit, ſed ante ruinam, ſi fieri poteſt, cautionem de damno reſarciendo petere licet; ne mihi per alterum iniqua inferatur conditio; modo prius iuramentum calumniæ præſtem, me non calumniæ cauſa hanc cautionem petere, quo caſu Prætor dominum, vel poſſeſſorem ædium ruinoſarum, unde damnum timetur cavere iubet. l. 7. ff. h. t.

TH. 3. Perinde autem eſt, ſive damnum ex totis ædibus, ſive earum parte, ut ex ſuggerundis, (a) & projectionibus, (b) vel ex pariete ruinam minitante in vicinas ædes, aut locum procumbente (c) timeatur.

(a) Quæ ſunt eminentes tecti partes, ſeu tabulæ circum ædes à ſummo extenſæ, ad avertendam iniuriam imbrium & ſtillicidium; harum denominatio inde deſcendit, quod ſuggrediantur foras, quo referuntur Mœniana, ab authore ita dicta. Olim hæc in urbe ædificare erat prohibitum, quod prohiberent aëris libertatem.

(b) Sive projecta, quæ ita provehuntur, ut nuſquam requieſcant. l. 242. §. 1. ff. *de V. S.* quibus tectum & parietes defenduntur.

TH. 4. Actio cautionis (a) de damno infecto eſt poſtulatio cautionem damni infecti perſequens. l. 4. §. 8. ff. h. t.

(a) Ratione

(a) Ratione ædium ruinoſarum potuit vicinus dominum ad cautionem Prætoris iuſſu compellere, non tamen ad ędes ruinoſas ædificandas; Forma cautionis, hæc eſt, quod mihi ex domo tua damnum accidere poteſt, præſtare ſpondes. l. 7. ff. h. t. Vnde actio ex ſtipulatu oritur. Nota. Si dominus eſt à cujus ædibus damnum timetur, ſufficit ſtipulatio; ſin minus, is ſatiſdare tenetur. l. 13. & l. 22. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 5. Actio hæc eſt extraordinaria, cui ante nullus eſt locus, quam ubi ordinaria deficit. l. 18. §. 2. §. 4. l. 32. *in fin.* l. 38. l. 40. §. 1. ff. h. t.

TH. 6. Actio hæc competit illi, qui damnum infectum timet, & ius in re (a) habet, vel cuius (b) periculo eſt res, cui damnum imminet.

(a) Vt dominium plenum, vel minus plenum; ſive hoc directum, ſive utile. l. 19. *pr.* ff. h. t.

(b) Vt fructuarij, ſuperficiarij. *l. qui bona, 13. §. ſuperficiarium, 8.* ff. hoc tit.

TH. 7. Datur hæc actio [1] contra ædium dominum. d. l. 13. §. 1. ſive is ſit plenus. l. 1. *pr.* ff. *de fund. dotal.* ſive directus, aut utilis. l. 9. §. 4. ff. h. t. [2] Contra bonæ fidei poſſeſſorem. *l. qui bona fide*, 13. *pr.* ff. h. t. & [3] contra eum, qui ſervitutem habet. l. 9. §. 5. l. 13. §. 1. l. 22. *pr.* ff. h. t.

TH. 8. Datur ad id, ut ſtipulationem, (a) vel cautionem præſtet. l. 30. §. 1. ff. h. t. *Vide Th. 4. lit. a.*

(a) Certus tamen ſtipulationi debet inſeri dies, intra quem ſi damnum contigerit cautioni eſt locus. Ratio eſt, ne quis in infinitum obligetur. l. 13. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 9. Hanc cautionem quis petit coram tribunali. l. 4. §. 8. ff. h. t. coram Prætore, vel Præſide, vel interdum coram Magiſtratu municipali. l. 1. & 4. *pr.* ff. h. t. quod duobus in caſibus tantum ei conceditur, aliàs regulariter nequit. l. 26. ff. *ad municipal.*

TH. 10. Si quis cautionem præſtare recuſet, locus eſt coërcitioni Magiſtratus, ne eius poteſtas eludatur; quod fit regulariter per immiſſionem in bonorum poſſeſſionem eius, à quo cautio petitur. l. 13. §. 11. 12. 13. & 29. ff. h. t.

TH. 11. Hic quæritur, utrum miſſio fiat in totas ædes, an verò in partem tantum ruinoſam? Reſp. diſtinguendo. Si pars ruinoſa per ſe poſſideri cum utilitate poſſit, miſſio in eam ſaltem conceditur. l. 13. §. 11. ff. h. t. Sin minus, in totas ædes. d. l. 13. §. 12. & non in partem ruino-

ſam, quia miſſio aliàs poſſet nocere. l. 15. §. 11. ff. h. t.

TH. 12. Si plures ſint ædium ruinoſarum domini, quos cavere oportet, horumque unus cavere nolit, in eius portionem, ob contumaciam (a) fit miſſio. l. 5. §. 1. ff. h. t.

(a) Is propriè dicitur contumax, qui citatus malitioſè, neque ipſe comparat, neque procuratorem mittit. l. 2. §. 2. ff. *quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* licet aliàs iuſtam cauſam foveat. l. 73. *pr.* ff. *de iudic.* Ergo ſi quis citatus quidem abſit, non tamen per contumaciam, verum Reip. aut ex alia iuſta cauſa, aut in ea ſit ætate, cui ſubveniri ſolet, decreto non eſt locus; ſi autem contra talem concedatur decretum, datur ei in integrum reſtitutio.

TH. 13. Miſſio hæc in bonorum poſſeſſionem iuſſu Prætoris facta eſt duplex, [1] ex primo decreto, (a) & [2] ex ſecundo decreto. (b)

(a) Ex illo ſi quis mittatur, non conſequitur poſſeſſionem, ſed habet ſaltem ius pignoris, fructus verò non lucratur; hic tamdiu eſt in poſſeſſione cuſtodiæ & detentionis gratia. l. 15. §. 20. ff. h. t. donec cautionem præſtet intra certum tempus, aut eo effluxo, ob domini contumaciam poſſeſſionem ex ſecundo decreto impetret. Obſerva: ex dictis liquet, aliud eſſe in poſſeſſionem mitti. Quod eſt primi decreti, aliud poſſidere, quod eſt ſecundi decreti. d. l. 15. §. 20.

(b) Ob iuſtam cauſam miſſio ex ſecundo decreto à Prætore concedi ſolet, ut ob temporis diuturnitatem, ſi nimirum dominus intra anni ſpatium à primo decreto numeratum, cautionem non præſtiterit, tunc propter eius contumaciam res, in quam antea miſſio ex primo decreto eſt facta, pro derelicto habetur. l. 15. §. 16. *&* § 21. ff. h. t. atque ſic miſſus ex ſecundo decreto, non modo poſſeſſionem, dejecto de poſſeſſione priori domino, verumetiam dominium putà Prætorium, unà cum fructibus; civile demum per ſupervenientem legitimi temporis decurſum acquirit. l. 15. §. 33. l. 44. §. 1. ff. h. t. l. 1. ff. *de fund. dotal.*

TH. 14. Aſt ſi ruinoſarum ædium dominus, neque cautionem præſtiterit, neque permittere velit, ut miſſus in poſſeſſione ſit & poſſideat, datur contra eum actio in factum, ut tantum præſtet, quantum is præſtare teneretur, qui de ea re cautionem præſtitiſſet. l. 15. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 15. Si vicinus, cui ædes vicini ruinoſæ damnum minabantur, cautionem non poſtulaverit, atque ædes ruinoſæ corruerint, damnumque vicino dederint, damnum paſſo nulla competit actio ad damnum illatum reſarciendum; (a) quoniam propria culpa damnum patitur, debuiſſet antea cautionem, vel ſtipulationem impetraſſe. l. 6. *&* 44. ff. h. t.

(a) Imò nequidem ad rudera tollenda, ſi ædium dominus collapſa velit pro derelicto habere. d. l. 6.

TH. 16. Ex oppoſito, ſi cautionem poſtulaverit, eamque, ut par eſt, impetraverit, ob damnum poſtea ex ædium ruina emergens vicino datur actio ex ſtipulatu. l. 40. §.2. ff. h. t. contra promiſſorem ad intereſſe. l. 28. 37. & 40. ff. h. t.

TH. 17. Cauſa efficiens decreti eſt Prætor, ſive Magiſtratus. Cauſa impulſiva eſt à parte agentis petitio.

TH. 18. Materia circa quam verſatur decretum, ſunt actiones tam perſonales, l. 9. l. *ult.* C. *de bon. Auth. iudic. poſſ.* quàm reales. l. 2. C. *ubi in rem act.* Materia in qua fit decretum, ſunt bona contumacis qualiacumque, etiam feudalia & emphyteutica.

TH. 19. Forma & modus ratione decreti primi impetrandi eſt talis. Offerendus ab agente eſt petitionis libellus, huic ut reſpondeat reus, eſt citandus, ſi abſens ſit, tribus edictis, aut peremptorio uno. Reo non comparente, ſi actor eius contumaciam accuſaverit, contumacem declarat Magiſtratus, ſive Prætor, & poſt ad agentis petitionem, miſſionem in poſſeſſionem ei decernit. l. 8. C. *quomod. & quand. judex.* miſſio tamen non ſtatim in omnia bona decernitur, ſed ordine ſervato, ut apprehendantur mobilia, hæc ſi non ſufficiant, ad immobilia pervenitur, poſt immobilia ad iura incorporalia admittitur.

TH. 20. Finis decreti duplex eſt, [1] ut creditor, ſive actor rem ſuam, hoc eſt, ſibi debitam ſervet, & conſequi poſſit, [2] ut tædio affectus veniat reus ad reſpondendum. *l. is cui, ff. ut in poſſeſſ. leg.*

TITVLVS III.

De aqua, & aquæ pluviæ arcendæ.

Iung. tit. 34. libr. 3. C. *De ſervitutibus & aqua.*

TH. 1. REFERTVR & hic titulus ad damni infecti actionem. Hujus tituli duæ ſunt partes, [1] eſt de aqua, h. e. ſervitute aquæ ducendæ, vel hauriendæ, vel immittendæ, in qua uſus & modus præſcriptus eſt obſervandus. l. 57. ff. h. t. [2] quæ eſt præcipua pars, eſt de aquæ pluviæ, (a) arcendæ actione. l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) Quæ de cœlo cadit, & imbre excreſcit, ſive per ſe, ſive cum alia mixta noceat. d. l. 1. *pr.* ff. h. t.

TH. 2. Actio aquæ pluviæ arcendæ eſt actio civilis, (a) perſonalis, (b) qua petitur, ut opus, manu factum, (c) ex quo damnum

aquæ pluviæ iure timetur, reſtituatur.

(a) ſcil. ratione originis. *arg.* l. 21. ff. *de ſtat. liber. l.* 22. §. *ult.* ff. h. t.

(b) *l. ſi tertius*, 6. §. *aqua*, 5. ff. h. t. quia ex facto hominis, h. e. delicto, vel quaſi oritur, in rem tamen ſcripta, cum adverſus poſſeſſorem competat. l. 6. §. 4. ff. h. t.

(c) Cum quis manu fecerit, quo aliter flueret aqua, quam natura ſolet, ut ſi vehementius ob id, quod factum, fluat, aut repellatur in partem ſuperiorem, aut derivetur in inferiorem. e. g. ſi vicinus ædificio exſtructo, vel alio opere facto aquam à ſuo in meum agrum avertat, in quem antea averſa non fuit. d. l. 1. Contrà, ſi naturaliter aqua noſtra defluat in vicinum agrum, etſi ei noceat, non tamen nobis imputatur; factum enim quiſque ſuum præſtare tenetur, non etiam naturæ. l. 1. §. 10. ff. h. t. quo caſu ceſſat actio.

TH. 3. Actio hæc eſt duplex, directa & utilis.

TH. 4. Actio directa datur ſoli domino prædij, cui ex opere facto damnum timetur. d. l. 6. §. 4. & datur contra dominum (a) eius loci, in quo opus eſt factum. l. 4. §. 2. l. 5. ff. h. t.

(a) Qui tempore inſtitutæ actionis talis fuit. d. l. 4. §. 1. l. 14. *pr.* poſtquam verò dominus eſſe deſierit, fundum vendendo, vel alienando hac actione amplius conveniri nequit, ſed actio in emptorem datur. l. 16. ff. h. t.

TH. 5. Actio hæc competit ad id, ut opus ſumptibus eius, qui fecit, vel facere curavit, priſtinæ formæ reſtituatur, damnumque (a) illatum reſarciatur.

(a) Quod poſt litem conteſtatam accidit; aliter ſe res habet de damno præterito, & ante litis conteſtationem facto, ratione eius datur interdictum, quod vi aut clàm. l. 6. §. 6. l. 14. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 6. Quod ſi reus priſtinæ formæ opus factum reſtituere recuſet, ad æſtimationem rei damnatur. l. 24. §. 1 ff. h. t. & actor iurat contra eum in litem. l. 2. *&* 5. ff. *de in lit. jurand.*

TH. 7. Actio hæc ceſſat, [1] ſi ſervitus ſit conſtituta, ſive ius ſit vicino aquam immittere. l. 2. *pr. &* §. *fin.* ff. h. t. [2] ſi vetuſtas operis memoriam hominis excedat. l. 2. §. 3. ff. h. t. [3] ſi opus publica authoritate ſit factum. d. l. 2. §. 3. l. 23. ff. h. t.

TH. 8. Actio utilis datur uſufructuario, (a) & emphyteutæ, quique agros vectigales habent. (b)

(a) Directa actio huic non datur, quamvis ius dominio proximum habeat, attamen non dominium. l. 22. *pr.* ff h. t.

(b) l. 23. §. 2. ff. h. t l. 5. *in fin. ff. arbor. furt. cæſar.*

TITVLVS IV.

De Publicanis & Vectigalibus, & Commiſſis.

Iung. tit. 61. lib. 4. C. *De Vectigalibus & Commiſſis.*

TH. 1. TRES tituli ſuperiores quaſi inter ſe cognati; affinitatem aliquam cum hoc quarto habent; quia tam in hoc, quàm in illis de damno agitur; diverſo tamen modo, in illis agitur de damno imminente, in hoc de damno dato, quod à Publicanis, (a) circa publicam cauſam, h. e. vectigalium (b) collectionem committitur, & ab ijs, qui ea debent.

(a) Qui ita appellantur à publico, quod publicum vectigal à fiſco conductum habent, (qui & conductores vectigalium dicuntur) ſive omne illud ex quibus vectigal fiſcus capiebat. e.g. vectigal portus, rerum venalium, item ſalinarum, metallorum, piſcinarum. l. 13. ff. h. t. l. 17. ff. *de V. S.* vocantur etiam mancipes. l. 11. C. h. t. l. 53. ff. *locat.*

(b) Vectigal à vectura dicitur, eſtque id, quod præſtatur ex his rebus, quæ invehuntur, aut evehuntur; denotat etiam canonem emphyteuticum ultima autem ſignificatio huc non pertinet. *t. t. ff. ſi ager vectig.*

TH. 2. Vectigalium origo inde deſcendit, quod viarum regiarum, maris & fluminum tutela, & protectio Reip. & Principi incumbat, ideo vectigal propter viæ publicæ uſum penditur. l. 21. ff. *de donat. inter vir. & uxor.* per quam res vehuntur, quam cum magna cura & ſumptu Principes planam & tutam præſtare commeantibus tenentur. l. 13. ff. *de offic. præſid.*

TH. 3. Vectigal non inſtituitur, niſi ab eo, qui hoc Majeſtatis jus habet. l. 10. ff. h. t. *Novel.* 43. *c.* 1. Hoc ius vectigalium, quo vectigalis nomine pars octaua, præſtatur octavarium eſt appellatum, & redemptores octavarij. l. 7. *&* 8. C. h. t. ad Imperatorem ſpectat, inter cuius reſervata enumeratur. *Receſſ. Imp. Zu Regensburg anno* 1576. §. *weiter ſeind.* vectigalia tamen abſque Electorum conſenſu Imperatori mutare non licet. *Capitul. Caroli V. art.* 18. vectigalibus his non ſolus Imperator, ſed & Electores & alij ſtatus imperij fruuntur, quibus nova imponere non eſt permiſſum. *Aur. Bulla. t.* 9.

TH. 4. Olim vectigalis nomine ex mercibus venalibus (a) octava pars exigi ſolebat, inde octavarium vectigal eſt appellatum, & redemptores octavarij. l. 7. *&* 8. C. h. t. Hodie aliquatenus ab octavæ parti

vectigali eſt receſſum,& plerumque minus ſolvi ſolet; ubi iuxta menſuram,modum,vel numerum mercium certa pecuniæ ſumma exſolvitur. In omnibus vectigalibus præprimis conſuetudo cuiuſque loci eſt attendenda. l. 4. § *fin.* ff. h. t.

(a) E. non pro ijs, [1] quæ ad uſum proprium & familiæ adferuntur. l. 203. ff. *de V. S.* quod moribus hodiernis non attenditur. *Magn. Dn. Mævius, lib.* 3. *tit.* 6. *art.* 3. [2] quæ ruri exercendi cauſa vehuntur. l. 5 C. h. t. [3] quæ exercitus cauſa ſunt parata. l. 9. § 7. ff. h. t. item ſi quis pro importatis vectigal ſolvat, pro ijs exportandis nihil perditur. *Dn. Mævius, ibid. art.* 7.

TH. 5. Actio hæc de Publicanis eſt actio Prætoria, (a) in perſonam, (b) qua Publicanus, vel eius nomine alius, aut eiuſdem familia, (c) vi aliquid ademerit, furtum fecerit, damnum injuria dederit, aut illicitè quid publicè, privatimque exegerit.

(a) Quoniam Publicani magnæ audaciæ, & temeritatis fuerunt, ideo Prætor ad compeſcendam eorum audaciam & avaritiam, peculiare edictum propoſuit. l. 12. *pr.* ff. h. t. l. 5. *in fin.* ff. h. t.

(b) Cum ex delicto à Publicanis commiſſo deſcendat.

(c) Per eam intelligimus, tam liberos, quàm ſervos ſuos Publicanis in vectigali miniſtrantes. l. 1. § *ult.* ff. h. t. nec quicquam intereſt, utrum nomine Publicanorum alij vi, vel furto, vel injuria, quid fecerint, an ipſi.

TH. 6. Actio hęc competit illis, quibus damnum Publicani dederunt, eorumque heredibus. l. 12. *pr.* l. 13. *in fin.* ff. h. t.

TH. 7. Et competit contra Publicanos, qui vectigalia publica conduxerunt, eorumque heredibus, quatenus locupletiores inde ſunt facti. l. 4. *pr.* ff. h. t.

TH. 8. Competit ad id, ut ſi res doloſè ablata, vel illicitè exacta non fuerit reſtituta, intra annum in duplum, (a) poſt annum in ſimplum condemnentur. (b) l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) Cui ineſt ipſius rei perſecutio. l. 5. § 1. ff. h. t. quod duplum ſi plures Publicani ſimul deliquerunt, non multiplicatur, ſed unius dupli ſolutione omnes liberantur. l. 6 ff. h. t.

(b) Poſſunt etiam extra ordinem ad vigorem publicæ diſciplinæ pœnâ affici. l. 9. § 5. ff. h. t.

TH. 9. Conceduntur damnum paſſo etiam communes actiones, ut actio vi bonorum raptorum, furti, damni, iniuriæ contra Publicanos. l. 1. § 4. l. 9. § 5. ff. h. t.

TH. 10. Actio hæc contra Publicanos evaneſcit, ſi Publicani, vel eorum nomine alij vectigal licitè exegerunt ab illis, qui ad hoc ſolven-

dum obligantur; hinc regula, quod omnes ad vectigalia ſolvenda obligentur, l. 6. & 7. C. *de vectigal.* Excipiuntur ſequentes, [1] fiſcus l. 9. §. *ult.* ff. h. t. [2] Præſides Provinciarum, l. 4. §. 1. ff. h. t. ita nec hodie vectigalium ſolutione gravantur, Principes, Comites, Conſiliarij, & Aſſeſſores Cameræ, & Parlamentorum, ſi res ad proprium uſum adferri curent, *Receß. Imp Zu Augsburg anno* 1500. §. *item ſollen auch.* [3[Legati alicuius exteri Regis vel Principis, l. 8. C. h. t. [4] Eccleſiæ & hoſpitalia, ut & perſonæ Eccleſiaſticæ in rebus proprijs, in quibus nullam exercent negotiationem, c. *quanquam 4. de cenſib. in* 6. l. 5. *auth. caſſa* C. *de SS. Eccleſ.* ſi verò negotiationis cauſa advehi curent, eandem cum Laïcis ſortem ſubeunt [5] Profeſſores Academiarum, Doctores & ſtudioſi, ratione librorum, atque aliarum rerum propriarum, quas ſtudiorum cauſa habent, *arg. auth. habita* C. *ne filius pro patre*: proinde ſi illis quid de ſuis rebus ablatum ob vectigal ſolvendum, id in quadruplum reſtitui, iura volunt. Nota. Si memoratæ perſonæ à vectigalium præſtatione immunes ſuis rebus aliorum non immunium adjiciant, privilegium conceſſum amittunt, reſque propriæ, quæ aliàs forent immunes, unà cum illicitis in commiſſum cadunt. l. 11. §. 2. ff. h. t. l. 3. C. *de naut. fænor.*

TH. 11. Si perſonæ à vectigalium ſolutione non immunes, pro rebus vectigali obnoxijs vectigal non ſolverint, res illæ in commiſſum cadunt (a) & fiſco dominium acquiritur, l. 14. ff. h. t. aliæ verò, quas profeſſus eſt, non item, quia pœna culpam excedere non debet.

(a) Quamvis poſt contractum delictum ad vectigalis exſolutionem ſe offerat. l. 16. §. 3. & 12. ff. h. t.

TH. 12. Quod ſi à pluribus navis ſit onerata, unius delictum reliquis mercatoribus non officit. l. 8. §. 1. ff. h. t.

TH. 13. Ex adverſo res in commiſſum non cadunt, ſi quis vectigal profeſſus fuerit apud Publicanum, ipſique hoc ſit remiſſum; quo caſu ex bonis Publicanorum aut fidejuſſorum fiſco ſatisfieri debet, d. l. 16. §. 13. ff. h. t. [2] idem ſtatuitur, ſi ob adverſam tempeſtatem onus exponatur, l. *fin.* §. 8. h. t. ad hunc caſum referuntur & hi, ſi nimirum ob metum latronum, vel peſtem res tranſvehantur, [3] ſi quinquennio elapſo res petita non fuerit, l. 2. C. h. t. [4] ſi dolus abſit, & ignorantiâ ſive errore probabili peccetur, h. e. res ad vectigal ſolvendum non profiteatur, quo caſu tamen eſt pœna duplum vectigalis, non verò rei amiſſionis, l. *ult.* §. 10. ff. h. t. [5] ignoſcitur & minori, militi l. 3. C. h. t. pupillo, ſi intra 30. dies vectigal ſolvat. l. 7. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 14. Actio hæc commiſſi non datur ſolummodo adverſus delinquentem, ſive res dolo celantem, verumetiam eius heredes, imò contra quemlibet poſſeſſorem; ratio adæquata in eo eſt fundata, quod dominium rei celatæ ob delictum ſit quæſitum; ideo legitimè à quolibet vindicari videtur. l. 14. ff. h. t.

TITVLVS V.

De donationibus.

Iung. tit. 54. libr. 8. C. d. t.

TH. 1. MATERIAM de donationibus huic libro inſeri, Compilatoribus ob hanc rationem placuit, unde & connexio titulorum probatur. In l. 7. ff. h. t. innuitur quod donare ſit perdere, hoc eſt de ſuo patrimonio quid deminuere. E. donatio eſt damnum, unde apertè conſtat, toto hoc libro, tam in titulis præcedentibus, quam in hoc, unà cum ſequenti de damno agi, quamvis diverſimodè.

TH. 2. Donatio in genere eſt actus (a) liberalitatis, quo donum in alterum ex mera liberalitate, nullo iure cogente, confertur. l. 29. ff. h. t. l. 35. §. 1. *de donation.*

(a) Vox actus omnia comprehendit, quæ quovis modo peraguntur, *arg.* l. 3. §. 1. ff. *de obl & action.* l. *actus* C. *de ſervit.* l. 77. ff. *de R. I.* ex definitione haud obſcurè colligi poteſt, donationis genus non eſſe contractum, ſed actum, rationes ob ſequentes, (1) quia non habet nomen vel cauſam, (2) non producit actionem nominatam, neque præſcriptis verbis, ſed condictionem ex lege, (3) quia contractibus apponitur, l. *ſicut* 20. §. 1. ff. *locat. conduct.* l. 14. ff. *de precar.* Nec pactum poteſt eſſe donationis genus, quia donatio fit per pactum, l. 2. §. *ult.* l. 18. §. 1. & 2. ff. h. t. aliud igitur eſt pactum, de donando, aliud donatio.

TH. 2. Donatio eſt vel inter vivos, (a) vel mortis cauſa, *de hac ultima tit. ſeq. tractabitur.*

(a) Quæ inter vivos ſine ulla mortis & periculi cogitatione effectum ſortitur. §. 2. *Inſtit.* h. t.

TH. 3. Donatio inter vivos eſt iterum duplex (1) ſimplex & abſoluta, ſive propriè talis, (2) relata; (a) & impropriè donatio, quæ non ex mera liberalitate, ut ſimplex donatio proficiſcitur, ſed ſub certa cauſa in aliquem confertur.

(a) Ea

(a) Ea reſpicit, vel cauſam præteritam, & dici ſolet remuneratoria, vel cauſam modum aut conditionem futuram.

TH. 4. Donatio relata ſubdiſtinguitur, quod detur nuptiarum cauſa, (a) aut ob aliam cauſam. (b)

(a) Quales ſunt [1] ſponſalitia largitas, quam ſponſa ſponſo, & vice verſa futuri matrimonij cauſa exhibet. l. 15. C. *de donat. ante nupt.* [2] dotis conſtitutio, quæ fit ab uxore ob matrimonium ad onera matrimonij facilius ſuſtinenda. [3] Morganica, ſive Morganatica donatio, quam in catena, vel torque, aut ſimili, vel certa pecuniæ ſumma confert novus maritus nobilis in novam conjugem manè poſt primum concubitum, [4] donatio propter nuptias.

(b) Obliqua & impropriè donatio, quæ non nuptiarum cauſa fit, eſt vel mutua & reciproca donatio, vel donatio remuneratoria, vel donatio ob rem futuram.

TH. 5. Donatio eſt, vel pura, vel non pura, quæ vel [1] in diem. l. 18. §. 1. l. 25. ff. h. t. vel [2] ſub conditione, (a) aut [3] modo (b) fit.

(a) Hæc ante conditionem impletam, ſub qua datum, non eſt pura & perfecta. l. 2. §. 5. *&* 7. ff. h. t. l. 22. *&* 23. C. *eod.* quæ pendente conditione à donatore revocari nequit, cum illius effectus tantum per conditionem ſit ſuſpenſus, ipſa verò donatio in ſe eſt perfecta.

(b) Cum datur, ut aliquid fiat, vel non fiat. l. 1. §. 1. ff. h. t. l. 3. C. *de donat. quæ ſub mod.*

TH. 6. Quæritur, an donator donationi conditionem adjicere poſſit? Reſp. diſting. initio donationis poteſt, poſt perfectam verò donationem, conditionem in donatarij præiudicium iure prohibetur. l. *pen.* C. *de donat. quæ ſub mod.*

TH. 7. Cuilibet patrifamilias, qui liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habet, donare permittitur. l. 12. C. h. t. ſuæ enim quiſque rei moderator eſt, & arbiter. l. 21. C. *mandat.* ſic filiusfam. ratione peculij caſtrenſis & quaſi donare poteſt. l. 7. §. *fin.* ff. h. t. l. 6. ff. *de caſtrenſ. pecul.* idem affirmatur de adventitio peculio extraordinario, cuius plenam habet proprietatem. *Nov.* 117. *c. 1.* ratione autem peculij adventitij ordinarij & profectitij demum patris conſenſu. d. l. 7. *pr.* Excipe [1] furioſum, infantem, prodigum, quibus voluntas ad donationem neceſſaria deeſt. l. 1. *pr. ff. de curat. furioſ.* [2] uxorem, quæ neque rem dotalem, quia eſt mariti, neque aliam, in qua marito competit adminiſtratio; res tamen paraphernales, quarum & proprietas & adminiſtratio ad eam ſpectat, rectè donat. [3] maritum ratione rerum dotalium, propter legis Iuliæ prohibitionem. l. 21. C. h. t.

TH. 8. Omnibus in univerſum donari licet, niſi ſpecialiter legibus prohibeatur. Sic donatio prohibetur [1] inter virum & uxorem. l. 3. *& t.t.ff.& C. de donat. inter vir.& uxor.* [2] inter patrem & filiumfamilias, inter quos ob eandem perſonā civilem, quam repręſentant non poteſt ſtare obligatio, niſi mors eam confirmet, vel fiat ob benemerita, pro quibus quodammodo merces, vel compenſatio requiritur. l. 11. C. h. t. *Gail. lib.* 2. *obſ.* 38. aſt quatenus merita non excedit, eatenus ſubſiſtit.

TH. 9. Datur res quælibet, ſive corporalis, ſive incorporalis. l. 11. *&* l. 33. §. 1. C. h. t. quæ eſt in hominum commercio, & eſt donatoris propria, (a) nec alienari prohibita per teſtatorem, aut legem.

(a) E. res aliena cum effectu donari nequit. l. 9. §. *fin.* ff. h. t. hoc eſt ut donator donatione facta dominium rei donatæ in donatarium transferat, quia evinci poteſt. l. 2. C. *de evict.* nemo etiam plus iuris in alium transfert, quam ipſe habet. Attamen legatario uſucapiendi conditio ex rei alienæ, donatione acquiritur. l. 3. ff. *pro donat.*

TH. 10. Non modo pars bonorum, ſed & univerſa bona, tam præſentia, quàm futura donari eſt permiſſum. l. 35. §. 4. *&* 5. C. h. t. l. 5. C. *de inoffic. donat.* l. 8. C. *de revocand. donat.* Excipe, niſi ratio donationis inofficioſæ obſtiterit, h. e. ſi legitima liberorum, vel parentum non lædatur. d. l. 8. quo in caſu querela inofficioſæ donationis poſt mortem donatoris extenditur. *Novel.* 92. quia ante eius mortem, nulla intelligitur læſio commiſſa. *arg. l. ult. C. de inoffic. donat.* Nota; in donatione, quæ bona futura & præſentia continet, non veniunt nomina debitorum, ſive iura & actiones. l. 86. *pr.* ff. *de legat.* 2. *Gail.* 2. *obſ.* 11. teſtator enim ſibi quædam reſervaſſe intelligitur, quando hæc tria conjunctim non comprehendit, [1] iura & actiones, [2] bona mobilia & immobilia, [3] bona præſentia & futura. *Schneidwin. Inſtit.* hoc tit.

TH. 11. Quod ſi omnia bona ſimpliciter ſint donata, futura ſub tali donatione non complectuntur; quoniam donatio eſt ſtricti iuris. l. 22. ff. h. t. ſtrictam ſaltem admittens interpretationem.

TH. 12. Cum Reipubl. interſit, ne quis re ſua abutatur. l. 2. ff. *de his qui ſunt ſui, vel alien. iur.* vel ne quis prodigaliter liberalitatem exerceat, aut ne facilè fraus fiat inductis falſo donationibus, ideo volunt leges donationem 500. aureos Vngaricos excedentē debere in acta publica redigi, atque notioni Magiſtratus inſinuari. l. 31. C. h. t. nec aliter ratam eſſe, quam publica ſcriptura interveniente. l. 25. l. 34 *&* 35. *in fin.* C. h. t. Excipiuntur ab hac regula quidam caſus, in quibus ultra 500. ſolidos donatio, non inſinuata valet, [1] ſi Princeps privato donationem

500. ſolidis majorem obtulerit, hæc enim firma eſſe debet, quantacumque ſit. l. 34. C. h. t. [2] vel ſi privatus Principi donaverit. *Novel.* 52. *c.* 4. [3] remuneratoria. l. 27. *&* 34. ff. h. t. [4] ſi talis donatio pro redemptione captivorum ſit facta. l. 36. C. h. t. [5] vel ſi donatio in eum, cuius domus incendio, aut ruina perijt, ad eam reficiendam fiat. d. l. 36. *pr.* *&* §. 2. ratio eſt in cauſa commiſerationis & pietatis, [6] ſi Magiſter militum in milites eiuſmodi donationem faciat. *Novel.* 52. *c.* 2.

TH. 13. Quæritur, utrum donator inſinuationi renuntiare licitè queat? Reſp. negand. quia ijs tantum renuntiare quis poteſt, quæ in favorem ſuum & non in alienum, & maximè publicum ſunt introducta, uti hic ad exterminandas fraudes. l. 27. C. h. t. quas impedire publicè intereſt; unde in l. 55. ff. *de legat.* 1. ſtatuitur, quod nemo facere poſſit, quo minus legibus in ſuo teſtamento, aut in alijs contractibus non ſit locus.

TH. 14. Donatio ſimplex inter vivos ſemel ritè per traditionem perfecta, pœnitentiâ revocari nequit. l. 3. *& ult. pr. C. de revoc. donat.* nec reſcripto Principis. l. 2. *&* 5. C. d. t. quia ius ſemel quæſitum nemini ſine iuſta cauſa eſt auferendum, ne quidem Principis authoritate, niſi publicum ſubſit intereſſe.

TH. 15. Dantur tamen caſus, quibus donationes perfectæ, vel pro parte tantum, (a) vel in totum (b) reſcinduntur.

(a) Quando plus donatum, quam ut legitima liberis, quibus debetur ſuperſit. l. 2. *&* 3. C. *de inoffic. donat.* hæc olim fuit quarta bonorum, hodie eſt triens, ſi quatuor, vel pauciores exiſtant liberi, ſemis, ſi plures dentur quam quatuor. *Novel.* 91. *c.* 1. idem conceditur & parentibus contra factam liberorum donationem. l. 4. C. *de inoffic. donat.*

(b) Ob ingratitudinem, quam non ſolummodo boni mores, verum & leges paſſim averſantur; ne donatario concedatur facultas donatoris res accipiendi, & frugalitatem eius irridendi, cui durum ab ingrato malis affici. l. *ult.* C. *de revoc. donat.* qualis eſt [1] iniuria atrox in donatorem verbo, vel facto commiſſa, [2] impiarum manuum illatio, [3] vitæ periculum per ipſum donatarium, vel per alium procuratum.

TH. 16. Quæritur, utrum donator ob denegata ſibi à donatario alimenta, ſi egere incipiat, donationem revocare poſſit? Reſp. affirm. *arg.* l. 4 ff. *de agnoſc. liber.* aſt ſi alimenta ſubminiſtret egenti, ultra rei donatæ quantitatem illa præſtare non cogitur, ne ingratitudinis accuſetur.

TH. 17. Quæritur, an donatio ob ſupervenientes poſtea liberos à do-

natore revocari queat? Reſp. affirm. ſi nimirum donans tempore donationis, nec liberos habuerit, nec de ijs cogitaverit. l. 8. C. *de revocand. donat.* quæ revocatio in ſana ratione ſuum habet fundamentum, cum nemo præſumatur ſuam poſteritatem alienæ poſtponere voluiſſe. l. 102. ff. *de condit. & demonſtr.* & ſi de liberis cogitaſſet, donaturus non fuiſſet, ipſa pietate dictitante. d. l. 102. l. 30. C. *de fideicomm.* Proinde natis poſtea liberis ipſo iure reſolvitur tota donatio, & rei vindicatio donatori competit. Quod interim à tempore donationis caſu perijt, vel bona fide à donatario conſumptum, revocari non licet. *arg. l. 16. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Imò nec fructus perceptos.

TH. 18. Cauſa efficiens donationis eſt beneficia, & libera donantis voluntas, quæ non præſumitur, niſi probetur. Interdum tamen præſumitur, [1] ubi fit debiti remiſſio hoc modo, ſi creditor debitori cautionem reddat. l. 2. §. 1. ff. *de pact.* [2] ſi inſtrumenti cancellatio per creditorem fiat; remiſſio enim ſui iuris vim donationis obtinet. l. 23. ff. h. t. l. 12. ff. *de novat.* [3] ſi quis paterno affectu pecuniam in liberos conferat. l. 44. ff. *de negot. geſt.* [4] ſi quis alicui pecuniam numerat, quam non debet, & ſcit, ſe eam non debere. l. 29. ff. h. t. l. *donari*, 82. ff. *de R. I.*

TH. 19. Materia donationis ſunt omnes res in commercio hominum exiſtentes. E. non ſacræ, ſanctæ, & religioſæ huc quadrant.

TH. 20. Forma eſt, ut alter det, alter accipiat, (à datione enim vim olim habuit donatio,) nec aliter valida eſt, quam traditione. l. 3. ff. *de obl. & act.* aut ſtipulatione. l. 2. C. *de evict.* l. 17. l. 19. l. 20. *& ſeqq.* ff. h. t. Hodie etiam nudo pacto efficaciter iure promittitur, diciturque pactum legitimum. l. 35. §. *ult.* C. h. t. §. 1. *Inſt. eod.* donatio hæc poteſt fieri Iure & non purè, ſcriptis & ſine ſcriptis. l. 23. 25. & 29. C. h. t.

TH. 21. Finis donationis eſt, ut liberalitas & munificentia exerceatur.

TH. 22. Effectus donationis iure veteri eſt, quod donatio non aliter valeret, niſi ſtipulatio eſſet interpoſita, vel traditio ſubſecuta; aliàs enim nudum eſſet pactum, quod quidem naturaliter, non verò civiliter erat efficax ad agendum. l. 1. ff. *de pact.* Facta traditione donatio erat valida, ſive ea ſit vera, ſive ficta; qualis eſt, ſi inſtrumentum rei donatæ tradatur. l. 1. C. h. t. videtur namque per illud rem ipſam tradi, ſic traditio clavium horrei facit cenſeri traditas merces in eo exiſtentes. §. 44. *Inſtit. de rei diviſ.* Noviſſimo iure Iuſtinianus in l. 35. C. h. t.

conſtituit donationem hanc etiam ſolo pacto perfici , etiam ante rei traditionem, aut ſtipulatione non interveniente, legitimiſque contractibus annumerari. Vnde donator ad rem donatam tradendum cogi poteſt.

TH. 23. Ex donatione hac ſimplici inter vivos non vna tantum competit actio, ſed plures, cum cauſæ per quas perficitur donatio, non ſaltem tendant ad obligationem, & inde deſcendentem actionem perſonalem, verumetiam ad dominium. Hinc ſi ſtipulatione, vel pacto (unde hodie actio datur) fiat donatio, actio duntaxat perſonalis, non autem realis datur, d. l. 35. §. 6. aſt ſi per traditionem ſit perfecta donatio, tunc non datur actio perſonalis, ſed rei vindicatio, quæ competit, ſi res donata ab alio, quam donatario poſſideatur.

TH. 24. De evictione non tenetur donator, (a) niſi quatenus dolo malo fecit. *l. Ariſto, 18. §. Labeo.* ff. h. t.

(a) Ne nimirum liberalitas ſua ſibi ſit damnoſa.

TITVLVS VI.

De Mortis cauſa donationibus.

Iung. tit. 57. libr. 6. C.

TH. I. PRIMAM donationis ſpeciem quæ ſimplex & pura, titulo præcedente vidimus. Reſtat altera, quæ conditiones (a) pactioneſque continet, & vocatur donatio mortis cauſa.

(a) Donationi mortis cauſa ſemper ineſt conditio aliqua, quæ eſt vel ſuſpenſiva, vel reſolutiva. Suſpenſiva conditio eſt, quando donatio non ſtatim fit accipientis, ſed demum morte teſtatoris ſecuta, niſi donatorem donationis pœnituerit, quoniam ita donans, magis vult ſeipſum habere, quam alium. l. 1. *pr.* l. 35. §. 2. ff. h. t. Reſolutiva eſt, quando donatio mortis quidem ſtatim fit accipientis, ſed conditione reſolutiva exiſtente reſolvitur; ut cum donator mortis cauſa rem donatam tradat donatario, qui ante donatorem moritur. l. 29. ff. h. t.

TH. 2. Donatio mortis cauſa eſt liberalitas, quæ propter mortis cogitationem nullo iure cogente fit.

TH. 3. Tres ſunt huius donationis ſpecies. l. 2. ff. h. t. [1] cum quis nullo præſentis periculi metu conterritus, ſed ſola mortalitatis cogitatione donat. *l. 2. ff. h. t.* huic donationi duæ conditiones inſunt, ſi

mors donatoris ſequatur, vel niſi pœnitentia eius ſequatur. [2] Cum quis imminente periculo mortis commotus ita donat, ut ſtatim fiat accipientis, quod fit, ſi quis ab hoſte, vel prædonibus, vel ab hominis potentis crudelitate, aut odio, aut navigationis ineundæ gratia ita donat. l.3. ff.h.t. aut per inſidioſa loca iturus. l.4. ff. h. t. Huic donationi hæc tacita adhæret conditio, ſi periculum evadat donatori, donatio cenſetur revocata. [3] ſi quis periculo mortis commotus non ſic det, ut ſtatim fiat accipientis, ſed tunc demum, cum mors fuerit ſecuta.

TH. 4. Mortis cauſa donationes legatis comparantur. l. 15. l. 17. *&* 35. §. 2. ff. h. t. Proinde quodcumque iuris eſt in legatis, id in mortis cauſa donationibus erit accipiendum. l.37. *pr.* ff. h. t.

TH. 5. Qui mortis cauſa donat, donatario non obligatur, ſed donationem, quam pollicetur, quovis tempore revocare poteſt. *l. fin.* C. h. t. in quo naturam ultimæ voluntatis participat. l. 1. C. *de SS. Eccleſ.*

TH. 6. Quibus teſtamentum facere & legare licet, eidem & mortis cauſa donandi eſt facultas. l. 15. ff. h. t. Hinc pupillo nequidem interveniente tutoris autoritate mortis cauſa donare eſt permiſſum. l. 1. §. 1. ff. *de tut. & rat. diſtrah.*

TH. 7. Filiusfam. quamvis teſtamentum ne permittente quidem patre facere poſſit, quia ius publicum privata parentis authoritate immutari nequit, (a) permiſſu tamen patris (b) cauſa mortis donare poteſt.

(a) *l. 3. ff. de teſtament. l. jus publicum, 39. ff. de pact.*

(b) Ratione peculij profectitij, & adventitij ordinarij, cuius plena proprietas filio non competit. l. 25. §. 1. ff. h. t. aſt ratione peculij caſtrenſis, & quaſi caſtrenſis, imò & peculij adventitij extraordinarij, cuius plenâ gaudet proprietate, patris conſenſus non requiritur. *arg. Novel.* 117. *c.* 1.

TH. 8. Minor abſque curatoris voluntate teſtari poteſt. l. 4. C. *qui teſtam. fac. poſſ.* E. & mortis cauſa abſque eius conſenſu rectè donare intelligitur. l. 15. *&* 25. ff. h. t. l. 7. §. *ult.* ff. *de donat.*

TH. 9. Quicumque legata, illi etiam donationes mortis cauſa accipere queunt. *l. omnibus*, 9. ff. h. t. non debemus autem hic tempus donationis, ſed mortis donantis inſpicere, an quis capere poſſit. l. 22. ff. h. t. cum eo demum tempore ſit perfecta. *l. non videtur*, 32. ff. h. t.

TH. 10. Res, quæ in bonis donatoris ſunt, mortis cauſa donari licitè poſſunt. l. 9. §. *ult. ff. de donat.*

TH. 11. In donatione mortis cauſa quinque teſtes non rogati adhi-

bentur. *l. ult.* C. h. t. quod fallit in donatione apud Magiſtratum, ſive acta publica factâ. l. 31. C. *de donat.* ubi teſtes non deſiderantur, ad teſtamenti exemplum.

TH 12. Donatio hæc etiamſi 500. ſolidos, ſive aureos Vngaricos excedat, neque ſcriptura, neque inſinuatione indiget. *l. ult. C. de donat.* quia ex ultima voluntate participat.

TH. 13. Cum donatio mortis cauſa non præcisè fiat verbis, ſed conſenſu, ob id præſentia donatarij, vel donatoris præcisè non requiritur, ut in ſtipulatione, ſed abſenti fieri poteſt, modò eius voluntas concurrat. l. 38. ff. h. t.

TH. 14. Sicut donatio ſimplex inter viuos ſecundùm Imp. Iuſtiniani conſtitutionem per l. 35. C. *de donat.* rectè perficiebatur, vel traditione, vel ſtipulatione, vel pacto legitimo, ita & donatio mortis cauſa fit ijſdem modis; Et ſi traditione perficiatur, dominium eo ipſo in donatarium transfertur, eſt tamen revocabile. l. 29. *pr.* ff. h. t. §. 1. *verſ. ſi autem*, *Inſt. eod.* Si verò ſtipulatione fiat donatio mortis cauſa, hoc caſu, donatario poſt donatoris mortem datur actio ex ſtipulatu. l. 34. ff. h. t. Si denique pacto donatio ſit contracta, conceditur donatario condictio ex d. l. 35. §. 5. C. *de donat.*

TH. 15. Mortis cauſa donatio tribus modis revocatur, (1) ſi donatarius ante donatorem moriatur, (2) reconvaleſcentia, ſive liberatione ex periculo, eiuſmodi revocatio fit ipſo iure. l. 29. ff. h. t. §. 1. *Inſt. de donat.* (3) Pœnitentia donantis. l. 30. §. 1. ff. h. t. quæ eſt, vel expreſſa, vel tacita; & ex utraque revócatur donatio, ut ſi inimicitiæ poſtea capitales inter donatorem & donatarium intervenerint. *arg.* l. 3. §. *fin.* & l. 4. ff. *de adminiſtr. tut.* quia nemo cenſetur ei, à quo gravi injuria eſt affectus, benefacere velle. l. 9. ff. *de his quæ vt indig. aufer.* vel ſi donator rem donatam abſque neceſſitate voluntariè poſtea alienaverit. l. 22. & 23. §. 5. ff. *de donat. int. vir. & uxor.*

TH. 16. Quæritur, utrum donator in dubio præſumatur mortis cauſa, vel inter vivos donaſſe? Reſp. affirm. poſterius. Hinc ſi in donatiotionibus mortis mentio tantum fiat, ea non ſimpliciter ſufficit, ad mortis cauſa donationem, ſed conjunctim requiritur, ut donator donet mentione mortis, & cauſa mortis; unde ſi infirmus, vel moriturus ſimpliciter donet, intuitu & cauſa mortis donaſſe non intelligitur, verum donatio inter vivos facta præſumitur. l. 42. §. *ult.* ff. h. t. adeoque etiamſi mortis mentio facta ſit in donatione attamen pro donatione inter vivos accipitur. E. ad mortis cauſa donationem non ſufficiunt illa, ſi quis ſic donet. Cajus heres meus eſto, ſi poſt mortem meam

Titio centum dederit; quamvis hic mortis mentio ſit facta, Titius tamen non eſt mortis cauſa donatarius, cum teſtator ipſi non donet, ſed heres, & hic quidem non mortis cauſa, ſed ob implendam conditionem: quale relictum dicitur mortis cauſa capio. l. 38. ff. h. t.

TH. 17. Mortis cauſa capio dupliciter ſumitur, [1] generaliter, quando quid propter mortem capitur & acquiritur; quod prædicatur de hereditate, legato, fideicommiſſo, donatione mortis cauſa; capere enim in iure nihil aliud eſt, quam acquirere, [2] ſpecialiter & ſtrictè dicitur mortis cauſa capio, quia non eſt ex ſupra nominatis cauſis, ſed donatio teſtamento quidem relicta; aſt non de bonis relinquentis, ſed alterius, cui teſtator quid reliquit ea conditione, ut de ſuis bonis aliquid det. Huius ſpecialis mortis capionis cauſæ ſunt ſequentes, (1) cauſa eſt impletio conditionis, quod non cadit in donationis ſpeciem. l. 38. ff. h. t. e. g. ſi ſtatuliber, aut legatarius alicui conditionis implendæ cauſa certam pecuniæ ſummam numerat. (2) cauſa eſt, quando donatio non propter noſtram mortem, ſed alterius, putà filij, vel cognati inſtituitur. l. 11. *&* 18. ff. h. t. (3) cauſa eſt omiſſio teſtamenti, ſeu hereditatis ex teſtamento. l. 31. §. 2. ff. h. t.

TH. 18. Cauſa efficiens eſt donator, de quo Theſ. 6. Materia donationis Theſ. 10. proponitur. Forma, ut præſens præſenti, vel nomine abſentis acceptanti donet. l. 10. ff. *de donat.* l. 6. C. *eod.* & quidem coram quinque teſtibus. *l. ult.* C. h. t. quod ſi quatuor ſaltem adfuerint, una cum Notario, tunc hic quinti vicem ſuſtinet. *arg. l.* 27. ff. *de teſtam.* Finis, ut morte ſubſequente donatio ſit firma, nec reſolvenda.

LIBER

LIBER QVADRAGESIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

De manumiſſionibus.

TH. 1. IN duobus præcedentibus titulis de donationibus ſive liberalitate compilatoribus iuxta Digeſtorum ſeriem agere placuit, quibus haud ineptè annexuerunt materiam de manumiſſionibus: quia manumiſſio cum donatione plerumque eſt conjuncta, purà cum manumiſſo peculium ſuum quandoque donatur, l. *ult. pr.* ff. *de donat.* vel quia manumittendus ipſe aliquid donare jubetur, l. *quem* 41. *ff. quod ſtatu lib.* vel quia interdum id, quod mortis cauſa ſervo donatum eſt, manumiſſum ſequitur, vel denique quia ſervus interdum ita donatur, ut poſt tempus manumittatur. l. 18. ff. *de donat.*

TH. 2. Hic liber ad actiones præjudiciales præprimis pertinet, quibus defenditur ſtatus hominis, nimirum libertas: quæ per ſe facit ingenuum, per manumiſſionem verò impetrata libertum.

TH. 3. Manumiſſio (a) eſt de manu (b) datio, (c) ſive libertatis datio, *pr. Inſt. de libertin.*

(a) Vox manumiſſionis dupliciter ſumitur, [1] latè & impropriè denotat emancipationem, vt *in rubr. ff. ſi quis à parent. manumiſſ.* [2] ſtrictè, & propriè, ut hic deſcribitur.

(b) Hæc hic ratione ſubjectæ materiæ accipitur pro poteſtate dominica; aliàs propriè loquendo ſumitur pro parte corporis.

(c) Dominus olim tenebat caput ſervi manumiſſuri, vel aliud membrum, ac præfatus, hominem liberum eſſe volo, quem manu verſum, impacto colapho è poteſtate ſua dimittebat. l. *ult.* C. *de mancip. liber. Novel.* 81.

TH. 4. Manumiſſio hæc ex iure gentium proceſſit, quo cum eſſet

eſſet inducta ſervitus, ex eodem quoque beneficium manumiſſionis eſt ſecutum.

TH. 5. Cuilibet domino, majori 20. annis abſque cauſæ cognitione manumittere licet, l. 1. ff. h. t. aſt ſi filiusfam. minor 20. annis manumittere velit, patris conſenſu poteſt. l. 16. ff. h. t. idem ſtatuitur de nepote iuſſu avi. l. 22. ff. h. t.

TH. 6. Omnes in univerſum ſervi manumitti licitè poſſunt, (a) ſic infans, furioſus. l. *pen.* ff. h. t. imò & in ventre exiſtens. l. 14. C. *de fideicom. libert.*

(a) Excipe, niſi ſervus manumitti ſit prohibitus, velut ſi hac lege vendatur ne manumittatur, vel teſtamento, vel Præſide ſit prohibitus manumitti. l. 9. ff. h. t.

TH. 7 Manumiſſionis alius iure veteri, (a) alius iure novo (b) effectus. (b)

(a) Illo non ſtatim fiebant ingenui, ſed fiebant vel libertini, vel dedititij, vel latini.

(b) Hoc fiebant ingenui, *Nov.* 78. c. *ult.* qua omnem manumiſſorum differentiam ſuſtulit, eoſque civitate donavit, *t. t. C. de dedit. libert. toll.* undè etiam ius aureorum annulorum, quod ingenuitatis eſt ſignum, ijs conceſſit Imp. Iuſtinianus, iure tamen Patronatus ſalvo. *auth. & hodie C. de jur. aur. annul. d. Nov.* 78.

TH. 8. Ius ſervitutis, & per conſequens manumiſſionis, quod uſurparunt Romani, veteribus Germanis omnino erat infrequens, nec in uſu. Sub finem ſeculi Chriſtiani 5. inter Germanos ipſos gravi bello exorto, Rex illorum Clodoveus hos planè devictos ſervituti iuxta morem Romanis receptum, ſubjecit, ut in poſterum omnis reſiſtendi facultas penitus præcideretur. *Lehman.* 2. *Chron. Spirenſi* 20. unde factum, varia apud Germanos extitiſſe ſervorum genera, tam durum tamen ſervitutis iugum, ut Romani non ſuſtinuêre. Horum plurimi pretio, merito & gratia ad libertatem pervenerunt. Lapſu temporis maxima Germanorum pars armis priſtinam recuperavit libertatem, quare effectum, ut reliqui non uſque adeo durè haberentur, ne ipſis anſa præbeatur libertatem recuperandi, ſive vindicandi. Idcirco in tantum ſervitutis rigor illis remiſſus, ut dominorum agri ſaltem opera eorum qui laſſi vocabantur, excolerentur.

TH. 9. Laſſi quorum hodie ingens in Germania invenitur copia, natura ſunt liberi, quoad culturam agrorum ſervi. Manet illis patria poteſtas in liberos, legitima in iudicio ſtandi perſona, rerum acquiſi-

tio, commercium, etiam cum dominis, teſtamenti factio, ſucceſſio, &c. ab hoc ſervitutis onere ſe liberare nequeunt, niſi à dominis legitimè dimiſſi. Nota; hi laſſi non ſunt unius conditionis, ſed pro diverſitate locorum & conſuetudine, melioris vel deterioris ſunt conditionis.

TH. 10. Aſcriptitij ſive glebæ adſcripti ſunt; qui mediante ſcriptura terræ colendæ ita addicti, ut pro libitu inde diſcedere nequeant, & matris conditionem, ut ſervi ſequuntur, l. 21. C. *de agricol. & cenſ.* libertatem nunquam præſcribentes. l. 23. C. *eod.*

TH. 11. Originarij ex adſcriptitijs, vel alijs colonis nati, iura originis ſuæ ſequuntur. l. 11. *&* 13. C. d. t.

TH. 12. Cenſiti ſive cenſibus adſcripti, l. 20. ff. *de Epiſc. & Cleric.* non ita omnino ut adſcriptitij glebæ ſunt addicti, ſed tantum ad certam penſionem ſeu cenſum.

TITVLVS II.

De manumiſſis vindicta.

Iung. tit. 1. libr. 7. C. *De vindict. libert. & apud concil. manumiſſ.*

TH. 1. MANVMISSIO varijs modis contingere poterat, & quidem in genere verbis vel facto.

TH. 2. Si verbis fieret, iterum diſtinguendum utrum in teſtamento, aut inter vivos contingeret. Quod ſi inter vivos celebraretur, fiebat vel [1] vindictâ aut [2] inter amicos ſive per epiſtolam, §. 1. *Inſt. de libert.* aut [3] in cœtu Eccleſiæ, ſive coram Antiſtite & populo. *t. t. C. de his qui in Eccleſ. manum.*

TH. 3. Facto manumiſſio fiebat, unde voluntas domini colligitur, ut ſi quis homini libero ſuam ancillam in matrimonium collocaverit, dotemque pro ea conſcripſerit, vel ſi dominus ſervum apud acta nominaverit filium, eo ipſo videtur manumiſſus. l. 1. § 6. *& ſeqq. C. de latin. libert. toll.*

TH. 4. Manumiſſio vindicta coram Magiſtratu majori celebrabatur, ita ut lictor iuſſu Magiſtratus virgulam capiti ſervi manumittendi imponens ſervum in libertatem vindicaret.

TITVLVS III.

De manumiſſionibus, quæ ſervis ad univerſitatem pertinentibus imponuntur.

Iung. tit. 9. libr. 7. C. *De ſervis Reip. manumittendis.*

TH. I. TAM univerſitatibus, (a) quam privatis, ſervos, quos habent proprios, libera manumittendi facultas per Syndicum permittitur. l. 1. ff. h. t. *t. t. C. eod.*

(a) Per eas intelligimus ſocietates, collegia, decurias, & ſimilia corpora, item vicos, municipia & civitates, &c. l. 1. *pr.* & §. 1. ff. *quod cuiuſque univerſ.* l. 9. §. 1. ff. *quod. met. cauſ.*

TITVLVS IV.

De manumiſſis teſtamento.

Iung. tit. 2. lib. 7. C. *De teſtamentaria manumiſſ.*

TH. I. QVÆCVNQVE inter vivos validè præſtari & confici poſſunt, eadem vis & efficacia ultimæ voluntati, h. e. teſtamento, vel codicillis teſtamento confirmatis attribuitur, l. 43. ff. h. t. unde ſequitur teſtamento manumiſſionem eſſe conceſſam. §. 1. *Inſt. de libert.*

TH. 2. Manumiſſio, ſive libertatis conceſſio teſtamento fit duplici modo, [1] directò, ſive verbis directis, (a) [2] verbis precarijs, de qua manumiſſionis ſpecie *tit. ſequent.*

(a) Quando ipſe teſtator brevi manu, libertatem ſervo concedit, e. g. Stichus liber eſto, taliter manumiſſus fit libertus orcinus, h. e. ipſius defuncti, proinde heredi ius patronatus non competit, cum teſtatore decedente patronum nullum habeat. E. nemini obſequia, & operas præſtare cogitur, §. *fin. Inſt. de ſingul. reb. per fideicommiſſ. relict.* l. 4. & 10. C. h. t.

TH. 3. Teſtator eos ſeruos ultimâ ſuâ voluntate directò liberos proclamare poteſt, qui utroque tempore fuerunt in eius poteſtate & tempore facti teſtamenti, & mortis teſtatoris. l. 35. ff. h. t. l. 9. C. h. t.

TITVLVS V.

De fideicommiſſarijs libertatibus.

Iung. tit. 4. libr. 7. C. d. t.

TH. 1. CONCEDITVR nonnunquam ſervo à teſtatore per fideicommiſſum libertas, verbis nimirum precarijs. e. g. peto, volo, rogo, heres, ut Stichus ſervus manumittatur. l. 41. ff. h. t. item precor cupio, deſidero, mando, fideicommitto, ut ſervus hic manumittatur. l. 115. & 118. ff. *de legat.* 1. §. *ult. Inſtit. de ſing. reb. per.*

TH. 2. Cum hic factum heredis intercedat, ideo manumiſſus fit libertus heredis, qui ius patronatus conſequitur.

TITVLVS VI.

De ademptione libertatis.

TH. 1. QVA facilitate libertas à teſtatore dari, eadem adimi poteſt. *t. t. ff. de adimend. legat.* *l.* 50. *ff. de fideicomm. libert.* adimitur etiam aliquando à lege quando videlicet teſtator, in fraudem creditorum, vel fiſci, libertatem teſtamento conceſſit. *l un.* ff. h. t. l. 15. ff. *qui & à quib.*

TITVLVS VII.

De ſtatu liberis.

TH. 1. STATV liberum hic definit Paulus Ictus *in l. 1. ff. h. t.* qui ſtatutam & deſtinatam in tempus, vel conditionem habet libertatem; quia non modo purè teſtamento libertas, verumetiam in tempus, aut ſub conditione, ſicut cętera legata relinqui poteſt, interea dum dies, vel conditio expectatur, ſtatu liber appellatur, qui inter-

medio tempore, vel pendente conditione verè qua libertas ſuſpenditur eſt, ſervus. l. 25. §. 1. *de liber. agnoſc.* l. 15. & 16. ff. *de noxal act.* l. 9. *pr.* l. 16 & 29. *pr.* ff. h. t. die autem effluxo, vel exiſtente conditione libertas ſtatu liberis defertur.

TITVLVS VIII.

Qui ſine manumiſſione ad libertatem perveniunt.

Iung. tit. 13. libr. 7. C. *Pro quib. cauſ. ſervi pro præmio libertatem accipiunt.*

TH. I. QVOMODO teſtamento, vel hominis facto, manumiſſio fiat, in ſuperioribus titulis memoravimus, dicendum reſtat, quemadmodum ſervi non facto hominis, h. e. non ab ipſis dominis manumittuntur, ſed ipſa lege ad libertatem rapiuntur. l. 2. 6. *pen.* & *ult.* ff. h. t.

TH. 2. Quod fit ſequentibus caſibus, [1] ſi ſingulare beneficium Reip. præſtitit. l. 2. & 4. C. h. t. [2] ſi necem domini detexit. l. 5. ff. h. t. l. 1. C. *eod.* [3] ſi ſervus ea lege eſt alienatus, ut intra certum tempus manumittatur, quo caſu ſervus poſt moram manumittendi, declaratur liber, ſi modo in ea voluntate is, qui alienavit, perſeveraverit; quia voluntatem mutare licitè poteſt. l. 3. & l. 8. ff. h. t. *l.* 1. C. *eod.* unde clarè patet, libertatis ademptionem non minus in contractibus, quam teſtamento eſſe receptam, (4) ſi ſervus ob gravem infirmitatem à domino pro derelicto eſt habitus. l. 2. ff. h. t.

TITVLVS IX.

Qui & à quibus manumiſſi liberi non fiunt ad L. Æliam Sentiam.

Iung. tit. 11. libr. 7. C. *Qui manumitti non poſſunt.*

TH. I. EX rubrica conſtat, omnibus omnino dominis abſque diſcrimine manumittendi facultatem non eſſe conceſſam;

nam debitores in fraudem creditorum (a) ſervos ſuos manumittere L. Ælia Sentia, (b) vetabantur, (c) ut & minores 20. annis, (d) niſi cauſa manumiſſionis, apud concilium, (e) prius fuerit approbata. §. 4. *&* 5. *Inſt.* h. t. l. 13. ff. *de manumiſſ. vindict.*

(a) Si veró manumiſſor animum fraudendi non habuerit, libertas non revocatur à creditoribus; licet bona creditoribus non ſufficiant, cum ſæpènumero homines de facultatibus ſuis amplius ſperent, quam in ijs eſt. §. 3. *Inſt.* h. t.

(b) Quæ tempore Auguſti, Sexto Ælio & C. Sentio Coſſ. eſt lata.

(c) l. 7. 8. 10. *&* 11. ff. h. t.

(d) Quod Iuſtinianus mutavit, ut 18. annum attingens manumittere poſſet. §. *pen. &* §. *fin. Inſt. h. t.* Iure autem noviſſimo, & hoc immutatum, ita ut manumittendi poteſtas ſit penes ipſum, penes quem eſt teſtamenti factio activa. *Auth. ſed hodie, C. h. t. Novel.* 119. *c.* 2.

(e) Hoc eſt, collegium, cui Romæ præerat Prætor; Prætori aſſidebant quinque Senatores, & totidem Equites. In provincijs autem aſſidebant Præſidi viginti cives Romani, quos appellabant Recuperatores.

TITVLVS X.

De iure aureorum annulorum.

Iung. tit. 8. lib. 6. C.

TH. I. HOC ius eſt beneficium principale, (a) quod qui impetravit, ius civitatis conſequitur, & in ordinem ingenuorum tranſit. *l.* 44. *ff. de excuſat.* putà quoad exteros, non quoad patronos, quibus iura Patronatus ſalva manent, ideo & ius ſuccedendi. *l. pen. & ult.* ff. h. t. nec non reverentia circa in ius vocationem. l. 10. §. 2. ff. *de in ius voc.*

(a) Sive à Principe impetratam. l. 1. ff. h. t. quo conceſſo nobilitatem, ſive equeſtrem dignitatem conſequebatur. Aureos enim annulos nulli, præter equeſtris ordinis viros geſtare, olim fas fuit. Hoc beneficium olim virtuti militari tribuebatur, ut & iura imaginum; unde fortè inſignium & armorum noſtri temporis uſus originem trahit.

TH. 2. Iure verò Novellarum hoc beneficium geſtandi aureos annulos omnibus libertinis conceditur, quapropter principalis impetratio non deſideratur. *Novel.* 78.

TITVLVS XI.

De Natalibus reſtituendis.

TH. I. HOc quoque principale eſt beneficium. *t.t. ff. & C. h.t.* quo videlicet Princeps ingenuos facit reſtituendo eos natalibus, in quibus initio omnes homines fuerunt, non verò in quibus ipſi naſcuntur, quoniam ſervi ſunt nati.

TH. 2. Hoc ius nemini à Principe abſque patroni conſenſu facilè concedi ſolet, nam in eius præiudicium aliàs fieret, cum reſtitutione natalium factâ, ius patronatus exſpiret. l. 2. & 4. ff. h. t.

TH. 3. Iure noviſſimo ſpecialis Principis conceſſio non requiritur, ſed patroni conſenſu libertis datur. *Novel.* 78. *c.* 1.

TITVLVS XII.

De liberali cauſa.

Iung. tit. 16. libr. 7. C. d. t.

TH. I. DE liberali cauſa, (a) hoc eſt, cauſa libertatis (b) hic agitur.

(a) Per cauſam hic intelligimus negotium, litem, vel judicium liberale. l. 7. §. *fin.* l. 24. *cum ſeq.* ff. h. t.

(b) Quæ eſt duplex, ut libertinitas & ingenuitas. l. 40. C. h. t. ob id libertas modò pro hac, modò pro illa uſurpatur. l. 2. C. *de iur. aureor. annul.*

TH. 2 In liberali cauſa, vel de ingenuitate, vel de libertinitate diſceptatur. d. l. 40. l. 14. ff. *de probat.* ut ſi controverſia inter aliquos exoriatur, altero affirmante ſe ingenuum, vel liberum, altero contra in ſervitutem trahente. Actiones inde deſcendentes vocantur præiudiciales. §. 13. *Inſt. de action.*

TH. 3. Actio præjudicialis eſt actio in rem, qua controverſus ſtatus libertatis, vel ſervitutis vindicatur.

TH. 4. Actionum præjudicialium tres ſunt ſpecies, (1) eſt de libertate, ubi controvertitur, an quis ſit liber, vel ſervus, (2) de ingenuitate, utrum

te, utrum quis ſit ingenuus, vel libertus, (3) de partu agnoſcendo, qua quæritur an quis ſit filius, vel non.

TH. 5. Actio præiudicialis de libertate, vel ſervitute eſt duplex, directa & utilis.

TH. 6. Directa eſt verbis legis deſcendit, & competit [1] domino contra ſervum, contendenti, eum, qui in poſſeſſione libertatis eſt, ſéque pro libero gerit, eſſe ſervum ſuum, [2] datur & ſervo contra dominum, contendenti ſe non eſſe ſervum, adeoque vult liber declarari.

TH. 7. Actio utilis ex mente legis oriens datur contra adſcriptitios, colonos, cenſitos, atque proprios homines. Hinc ſi dominus hodiè aſſerat, hominem hunc, vel iſtum ſibi eſſe proprium, reus verò neget, petitorio iudicio agendum eſt, dictâ utili actione præjudiciali.

TH. 8. Quoties iudicium liberale, ſive cauſa liberalis cum cauſis, ſive civilibus, ſive criminalibus concurrit, illud prius examinari & decidi, ordo iuris poſtulat, cum huic præjudicium faciat. *vide t. C. de ordin. cognit.*

TITVLVS XIII.

Quibus ad libertatem proclamare non licet.

Iung. tit. 18. libr. 7. C. d. t.

TH. 1. ILLIS qui ad libertatem proclamare vetantur, de liberali cauſa agere non eſt permiſſum, quales ſunt majores viginti quinque annis, qui ad pretium participandum ſe venundari ſunt paſſi. l. 1. & 3. ff. h. t. Item ſervi per vim domino erepti, inque teſtamento liberi declarati. l. 2. ff. h. t.

TITVLVS XIV.

Si ingenuus eſſe dicatur.

TH. 1. HIC titulus eſt de manumiſſis, in ingenuitatem proclamantibus, ut apertè rubrica Cod. probat, quæ eſt de ingenuis manumiſſis. E. hic titulus eſt velut exceptio, aut temperamen-

tum eius, quod dicitur *in fin. Inſt. de iur. perſon.* natalibus non officere manumiſſionem. Cum quis ſcilicet ingenuus natus in ſervitute fuit, ac poſtea manumiſſus eſt, neque ideo libertinum fieri. l. 2. ff. h. t. quanquam autem ſola manumiſſio per ſe non noceat, quinquennij tamen elapſi adminiculo ſuffulta officit, quaſi qui tamdiu tacuit, libertinum ſe agnoſcere, & fateri videatur. l. 2. 3. 4. *& ſeqq.* ff. h. t. hanc quinquennij præſcriptionem exulare conſtituit Imp. Iuſtinianus. *l. ult. C. ubi cauſ. ſtat. agi?*

TH. 2. Actio hæc præjudicialis, competit tam patrono, quàm liberto; illi, ceu manumittenti contra reum, qui eſt in quaſi poſſeſſione ingenuitatis, negatque ſe eſſe libertum actoris; ad id ut obſequia, iure debita patrono exhibeat. (a) Huic puta manumiſſo datur actio præjudicialis contra eum, qui ſe patronum aſſerit, ad id, ut pronuncietur, actorem eſſe ingenuum; quare nec ad obſequia cogendum.

(a) Patrono interim neceſſitas probandi incumbit, reum eſſe ſuum libertum, ſi verò non probet, vincitur. *l. ult.* ff. h. t. quia præſumptio contra ipſum militat.

TITVLVS XV.

De ſtatu defunctorum poſt quinquennium ne quæratur.

Tit. 21. libr. 7. C. d. t.

TH. 1. DE ſtatu defuncti principaliter agi haud poteſt. l. 13. C. *de liber. cauſ.* invidioſum namque foret, & quaſi manes defuncti inquietare, ſi nihil interſit. Per conſequentias tamen agi, ſive quæri poteſt, putà [1] propter perduellionis crimen, quod etiam poſt mortem iudicatur, tunc enim memoria defuncti damnatur, ac ſtatus conſequenter retractatur, fiſcoque bona vindicantur. §. 5. *Inſt. de hered. quæ ab inteſt. defert.* [2] propter emolumentum ſucceſſionis. d. l. 13. C. l. 3. 4. *& ult.* C. h. t. vel [3] ob quæſtionem ſtatus quæ liberis movetur. d. l. 13. elapſo tamen quinquennio poſt defuncti mortem quærere non conceditur, ſi nimirum conditio defuncti inde deterior exiſtat; contrarium obtinet, ſi melior, e. g. ſi pro ſervo libertus, pro liberto ingenuus eſſe dicatur. l. 1. §. *fin.* l. 3. ff. h. t.

TH. 2. Si de vivi ſtatu quæſtio moveri queat, ſtatuitur vivum tum demum eſſe tutum ab omni ſervitutis iugo & exprobratione, ſi eius

ſtatus longo tempore (a) ſtabiliatur. (b)

(a) Decem annos inter præſentes, viginti inter abſentes.

(b) Vbi obſeruanda diſtinctio, vtrum bona, an mala fide ſine interpellatione in libertatis poſſeſſione fuerit. Illo caſu eius ſtatus firmatur, l. 1. C. *de long. temp. præſcript.* hoc autem caſu non item. d. l. 1. C.

TH. 3. Ex oppoſito, etiamſi ingenuus ſexaginta & plures annos in ſervitute fuerit, ex libero non redditur ſervus, cum contra libertatem præſcriptio planè non admittatur. *l. fin. C. de long. temp. præſcript. l. 6. C. de manumiſſ.*

TITVLVS XVI.

De colluſione detegenda.

Tit. 20. libr. 7. C. d. t.

TH. 1. NE nimia quorundam dominorum indulgentia inquinaret ampliſſimum Senatorium ordinem, eo quod paterentur ſervos ſuos (a) in ingenuitatem proclamare, liberoſque iudicari, atque ſic etiam ſervis & libertis cum ingenuis connubiorum permixtionem, & promiſcuam dignitatum participationem indignè concedi. Hinc ad hoc malum avertendum Sctum tempore Domitiani factum eſt, quo conſtitutum, ut ſi intra quinquennium probetur, ſervum, vel libertum colludente domino, vel patrono ingenuum fuiſſe iudicatum, is ſervus, vel libertus eius, qui colluſionem (b) detexit, efficiebatur. l. 1. 2. & 3. ff. h. t.

(a) Quoniam ingenuis ſolummodo, & non libertinis ad Senatum perveniendi concedebatur aditus.

(b) Quæ à colludendo derivatur, & ſic dicitur, quaſi ſimul luſio in illuſionem tertij: hac enim colluſione id intentatur, ut alter ab altero ſe vinci patiatur.

LIBER QVADRAGESIMVS PRIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

De acquirendo rerum dominio.

Iung. tit. 27. libr. 4. C. *Per quas perſonas nob. acquir.*

TH. I. IN præcedentibus libris, ratione inſtituti noſtri, breviter & dilucidè pro poſſe declaravimus quomodo res noſtras, vel nobis debitas actionibus partim civilibus, partim Prætorijs perſequamur; ſubjicitur nunc tractatus de acquirendo rerum dominio, quod præbet materiam iudicio petitorio; unde cauſatur actio realis, quam vocamus vindicationem, *de qua lib. 6. ſuprà.*

TH. 2. Si mundi principium, ſive primævum rerum ſtatum conſiderare velimus, omnia ſingulis pro arbitrio ad occupandum patebant quæ communia & indiviſa omnibus, ceu unum cunctis erat patrimonium; quod poſtea lapſu temporis ob multitudinem & depravationem hominum intervenientem eſt ſublatum, ubi ex poſſeſſione locorum paulatim dominia rerum inducebantur.

TH. 3. Dominium (a) eſt ius reale, quo res corporalis (b) alicuius propria eſt, ſive eſt ius proprietatis. l. 13. C. *de pœn.*

(a) Vox dominij eſt æquivoca plures admittens ſignificationes; ſumitur (1) latiſſimè, pro quacunque poteſtate, ſeu facultate legitima ad aliquid, ita Imperator dicitur mundi dominus. l. 9. ff. *ad L. Rhod. de jact.* putà ratione iuriſdictionis, non verò proprietatis; hoc ſenſu & procurator vocatur dominus litis eiuſque habere dominium lite conteſtata. l. 22. *&* 23. C. *de procurat.* l. 4. §. *ult. ff. de appellat.* (2) ſenſu juridico ſæpè accipitur in materia iuris, quod rerum communione ſublatâ privati in res ſibi acquiſiverunt; atque ſic iterum dupliciter ſumitur, primo latè denotat quodcumque ius inter privatos in re conſtitutum. Sic hereditas. l. 19 §. 3. ff. *de caſtr. pecul.* ſervitus. l. 8. ff. *de reb. auth. judic. poſſid. l. 3. ff. ſi uſuſfr. pet.*

pignus. l. 48. ff. *de ſolut.* poſſeſſio, d. l. 3. voce domini impropriè veniunt. Denique ſecundo in eadem juris materia dominium capitur propriè pro illo iure, quod quis habet in ipſam rem corporalem, ſeu quo res eſt propria, quo ſenſu dominium pignori, poſſeſſioni, ſervituti & hereditati directo opponitur. l. 13. §. 1. C. *de judic.* l. 19. *pr.* ff. *de damn. infect.* aliud enim eſt dominium, aliud ſervitus, l. 1. §. 3. ff. *de remiſſ.* aliud dominium & hereditas, *arg.* l. 19. ff. *de petit. hered.* item poſſeſſio aut pignus, l. 12. §. 1. ff. *de acquir. poſſeſſ.* l. 5. §. 2. ff. *qui ſatiſd. cogun.*

(b) Qua reliqua iura in re ſeparantur à dominio, quod in rei ſive corporis ſubſtantiam comparatum eſt, reliqua autem iura duntaxat in rei accidentia & qualitatis, e. g. pignus pro ſecuritate, ſervitutes propter rei emolumenta, poſſeſſio ratione detentionis, & quæ illius ſunt commoda.

TH. 4. Dominium eſt duplex, plenum & minus plenum. l. 2. *pr.* ff. *quibus mod. uſusfr. amit.*

TH. 5. Dominium plenum eſt ius proprietatis cum uſufructu conjunctum. l. 3. §. 1. C. *de ſecund. nupt.*

TH. 6. Dominium minus plenum eſt iterum duplex, directum, (a) vel utile. (b)

(a) Illud eſt proprietas nuda abſque uſufructu, quale habet dominus feudi, dominus emphyteuſeos, & dominus ſoli ſuperficiarij.

(b) Hoc eſt cui uſusfructus rei abſque proprietate competit, ut Vaſſallo, 2. *feud* 8. §. 2. emphyteutæ l. 1. ff. *ſi ager vectig.* l. 12. C. *de fund. patrim.* & ſuperficiario. l. 16. *in fin. ff. de pign. act.* l. 75. ff. *de Rei vind.*

TH. 7. Dominium eſt verum vel fictum; de illo ſupra egimus, hoc autem eſt, quando is, qui rem à non domino ex iuſta cauſa traditam accepit, ut bonæ fidei poſſeſſor, cui ob id actio Publiciana ſuppeditatur.

TH. 8. Ratione dominij acquirendi, tria veniunt conſideranda, (1) perſonæ, (2) res & (3) modus acquirendi.

TH. 9. Dominium quilibet acquirere poteſt, qui non natura, (a) vel lege (b) prohibetur.

(a) Vt furioſus, infans, l. 1. §. 3. l. 32. §. 2. ff. *de acquir. poſſ.* quorum hic accedente tutoris autoritate acquirere poteſt, d. l. 32. §. 2. ille per curatorem ob æquitatem acquirit. *arg.* l. *ult.* C. *de curat. furioſ.* qui verò non eſt infans, ſed infante major ſine tutoris autoritate acquirere poteſt. d. l. 1. §. 3.

(b) Vt [1] qui alienæ poteſtati, vel patriæ, vel dominicæ eſt ſubjectus, ut ſervus, filiusfamilias; excipe cauſam peculij caſtrenſis, vel qſ. caſtrenſis & peculij adventitij extraordinarij, l. 10. §. 1. ff. h. t. [2] cui commercium rerum eſt interdictum, vel ob delictum, l. 1. l. 4. §. 1. l. 22. C. *de hæret.* l. 17. §. 1. ff. *de pœn.* aut ob metum concuſſionis. l. 61. *pr. ff. de contrah. empt.*

TH. 10. Quibus acquirere licet, illi vel per ſe, vel per alios acquirunt, & hi, vel poteſtati ſuæ ſunt ſubjecti, (a) vel ſunt extranei. (b)

(a) Vt per filiumfam. ratione peculij adventitij Ordinarij, non veró caſtrenſis vel qſ. aut adventitij extraordinarij, & per ſervum. l. 24. ff. h. t §. 1. & 3. *Inſtit. per quas perſ. cuique acquir.*

(b) Si nimirum ex mandato generali, vel ſpeciali adminiſtrationem rerum noſtrarum licitè habeant; l. 1. §. 2. l. 42. §. 1. ff. *de acquir. poſſ.* ut procuratores.

TH. 11. Modos acquirendi quod attinet, vel ſunt naturales (a) ſive iuris gentium, vel civiles (b) ut uſucapio, &c.

(a) Ius naturale hîc latè ſumitur, quod non modó ex naturali ratione, ſed per ratiocinationem ſive diſcurſum eſt, atque ita idem quod ius gentium denotat.

(b) Ius civile tripliciter hic accipi poteſt, (1) quod à populo Romano originem habet, & ab eo eſt introductum, (2) quod ab eo quidem non introductum, informatum tamen novis qualitatibus, (3) quod introductum & informatum ita à quapiam civitate, *arg.* §. 1. & 2. *Inſt. de I. N. G. & C.*

TH. 12. Modi acquirendi dominij iuris naturalis, ſive gentium, (a) ſunt duo, (1) occupatio, ſive apprehenſio, & (2) acceſſio.

(a) In his acquirendi modis benè attendendum, quod dominium vel noviter acquiratur, ubi adhuc à nemine in alterum tranſlatum, l. 1. §. 1. ff. *De acquir. vel amitt. poſſ.* vel ex domini prioris voluntate in alium transfertur.

TH. 13. Occupatio eſt rerum, quæ in nullius ſunt patrimonio, poſſunt tamen in alicuius patrimonio eſſe. Hinc res ſacræ, ſanctæ, & religioſæ excluduntur.

TH. 14. Occupatio hæc eſt quadruplex, (1) venatio, §. 13. 14. 15. & 16. *Inſt de rer. diviſ.* (2) occupatio bellica, §. 17. *Inſt. eod.* (3) inventio §. 18. & §. 47. *Inſt. eod.* & denique (4) traditio. §. 41. 42. 43. 44. 45. & 46. *Inſt. eod.*

TH. 15. Venatio in genere conſiderata eſt occupatio animalium ferorum; & cum tria dentur animalium ferorum genera, ut terreſtria, aquatica & volatilia, ideo pro diverſitate objecti venatio eſt triplex, (1) venatio in ſpecie dicta, (2) aucupium, (3) piſcatio.

TH. 16. Venatio in ſpecie appellata eſt occupatio ferarum terreſtrium, (a) quæ in terra liberè vagantur, §. 12. *Inſt. de R. D.* l. 3. §. 14. ff. *de acquir. vel amitt. poſſ.*

(a) Vnde excluduntur (1) animalia manſueta, ut oves, boves, equi, canes, anſeres, gallinæ, §. 16. *Inſt. de R. D.* (2) animalia manſuefacta, quamdiu

ſcil. conſuetudinem ſive animum revertendi habent, l. 5. §. 5. ff. h. t. §. 15. *Inſt. eod.*

TH. 17. Aucupium eſt occupatio avium ferarum. §. 12. & 15. *Inſt. de R. D.*

TH. 18. Piſcatio eſt occupatio piſcium in libertate naturali relicto-rum. d. § 12. E. licet piſces in mari, fluminibus & ſtagno alieno capere, quia in naturali libertate eſſe videntur, l. 10. §. 1. ff. h. t. l. 8. §. 14. ff. *de acquir. poſſeſſ.* niſi domini prohibitio ratione ſtagni acceſſerit, l. 13. §. *fin.* ff. *de injur.* contrarium aſſeritur de piſcibus in piſcinam conjectis, qui non in libertate naturali ſunt, ſed verè poſſidentur.

TH. 19. Quæritur an venatio in genere conſiderata ſit prohibita? Reſp. diſting. inter ius gentium & ius civile antiquum & ius hodiernum. Illo iure venatio omnibus erat conceſſa, & quicquid captum, occupanti cedebat, (a) hoc autem iure eſt prohibita, (b) competens iure ſuperioritatis Principibus, qui rurſus ex benevolentia, & gratia eam nonnullis permittunt.

(a) §. *feræ igitur.* 12. *Inſt. de rer. diviſ.* §. 1. ff. h. t.

(b) Et quidem ob ſeqq. rationes politicas, (1) ne animalia fera, quæ circuribus ſunt rariora, extirpentur, quod facile fieri poteſt, ſi omnibus venandi uſus indifferenter eſſet conceſſus. (2) Ne liberrimus venandi uſus ruſticos ab agricultura, & agrorum cura abſtrahat, à qua eos non abduci, Reip. intereſt, l. 2. ff. *de ferijs auth. agricultores C. quæ res pign.* (3) Quia venatio ferarum, præcipuè verò maiorum ſine armis & tormentis aptè exerceri nequit, uſus autem armorum quotidianus certis ex cauſis interdictus eſt, præprimis ruſticis, *t t. in auth. ut armor. uſus* (4) Quia ad pacem & tranquillitatem tuendam publicè intereſt non eſſe omnibus commune ius venationis; ſicut enim reliquarum rerum communio diſcordias parit, l. 77. §. 20. ff. *de legat.* 2. ita res procul dubio multis litibus & certaminibus, atque etiam cædibus occaſionem daret, ſi promiſcuè venari eſſet conceſſum. Nam ipſa experientia teſtatur, fratres interdum & agnatos de iure venationum communi acerbiſſimè inter ſe contendere, & digladiari; quid futurum putamus, ſi omnibus hominibus, maximè ruſticis, eius iuris liber ſit uſus?

TH. 20. Porro quæritur ſi fera ab homine, cui ius venandi non conceſſum, ſit capta, utrum capiens pœna capitali ob id affici poſſit? Reſp. negando, quia nulla proportio inter feram captam & hominis vitam, ideo nimis durum videtur, hominem ad imaginem Dei creatum, cui dominium quaſi in fera animalia naturaliter datum, ob captam feram vita privari, poteſt tamen ob tranſgreſſionem legis à Principe datæ moderatâ pœnâ plecti.

TH. 21. Quæritur utrum ſubditis à Principe iniuria inferatur, prohibitione venationis? Reſp. diſting. inter ius gentium, ius civile vetus, & ius civile novum & conſuetudinem. Secundum duo priora membra eis iniuriam infert Princeps, non verò iuxta poſteriora. Imperator autem Fridericus & reliqui ſequentes Impp. iuſtis de cauſis, quas *in Theſi* 19. *lit.* 6. declaravimus, commoti, ruſticis venandi ius ademerunt. *t. C. ut amor. uſus.*

TH. 22. Quæritur, an venatio in ſpecie dicta perſonis Eccleſiaſticis ſit interdicta? Reſp. diſting. (1) inter venationis uſum & abuſum, ille eſt Eccleſiaſticis concedendus, & non in turpibus habetur, non hic; uſus enim venationis temperatus ſervit (1) neceſſitati, ut victus & amictus, nam ferarum carnibus veſcimur, pellibus contegimur, & (2) valetudini; abuſus ex adverſo efficit, ut quis neceſſarijs vocationis negotijs neglectis totum ſe venationi mancipet, c. *an putatis* 86. *diſtinct.* l. 7. C. *de excuſat. muner.* (2) diſtinguendum eſt inter venationem clamoſam & quietam; illa quę fit inflatu venatorij cornu, & cum canibus, Clericis eſt prohibita, hæc autem ſine ijs fit, ubi avibus, vel alijs feris laquei & retia tenduntur, nec interdicta cenſetur. c. 1. *Extr. de Cler. venator.*

TH. 23. Aucupium non æque abſolutè & rigoroſè eſt prohibitum, ut venatio ſpecialiter dicta. Sic certa avium genera venari abſque venia non licet, ut maiores & nobiliores aves, ut turdos, perdices, anates, anſeres, gallos & gallinas ſylueſtres.

TH. 24. Nec hodie in fluminibus & ſtagnis alienis piſcari ullo modo licet, niſi vel in his permiſſu domini, in illis verò Principis conceſſione. *Conſtit. crimin. art.* 169.

TH. 25. Secunda occupationis ſpecies eſt, occupatio bellica, ſive captivitas, qua res (a) & perſonæ (b) hoſtium in bello capientium fiunt. l. 1. §. 1. ff. *de acquir. vel amit. poſſeſſ.* §. 17. *Inſt. de R. Diviſ.*

(a) Tam immobiles, quam mobiles, ſive animatæ, ſive inanimatæ hoſtibus acquiruntur, l. 5. §. *ult.* l. 7. *pr.* ff. h. t. Hæc autem capientibus cedunt non ex ea ratione, quod ſint nullius, cum ſint hoſtium, ſed quod turbando mutuam ſocietatem, inferendo vicinis iniuriam, earumque reparationem recuſando, deliquerint, atque per hoc indignos ſe fecerint, quorum rebus parcatur, aut etiam perſonis.

(b) Quæ hoſtium ſervituti ſubjiciuntur, l. 12. *in f. ff de captiv. & poſtl. rev.* & quidem ob hanc rationem, ut hac via coërceatur improbitas, & ut impoſterum bellum ardentes cautius & ſanctius cum vicinis agere diſcant. Si enim privatim vim vi repellere licet ex iure naturæ, quidni & publicè per bellum? Hodie in bello à Chriſtianis ſuſcepto capti non rediguntur

in

in ſervitutem, ſed ex laudabili conſuetudine manent liberi, qui ſoluto redemptionis pretio dimittuntur.

TH. 26. Tertia occupationis ſpecies eſt inventio, quæ eſt occupatio non bellica rerum inanimatarum mobilium quæ nullius ſunt, quales ſunt lapilli pretioſi, gemmæ margaritæ, conchilia, &c. in littore maris inventa. §. 18. *Inſt.* hoc tit. l. 18. §. 17. ff. *de aur. & arg. legat.* huc etiam referuntur res pro derelictis habitæ, quas dominus ſciens liberè ea mente abjecit, ut eas in rerum ſuarum numero haberi nolit, l. 17. §. 1. ff. *de acquir. vel amitt. poſſ.* Ex dictis colligitur, res, quæ dominis ignorantibus de curru cadunt, pro derelictis non eſſe habendas, quia animus deeſt. Ergo ſunt reſtituendæ. Idem affirmatur de mercibus, quæ exortâ procellâ navis levandæ cauſa ejiciuntur, ubi non ſubeſt animus eas derelinquendi: proinde ad litus appulſæ domino ſunt reſtituendæ. Moribus hodiernis, ſive conſuetudine ita receptum, ut in littore inventa privatis non acquirantur, ſed ad Principes ſpectent, cum ius littoris ad regalia quodammodo referatur.

TH. 27. Inventioni annumeratur quoque theſaurus, qui etſi alicuius fuerit, nullius tamen habetur, quia dominus eius ignoratur. Ideo ſic definitur, quod ſit vetus depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, ut dominum non habeat. l. 31. ff. h. t.

TH. 28. Si quis theſaurum in loco ſuo inveniat, inventori cedit totus, etiamſi data opera eum invenerit. Aſt ſi in loco alieno eum repererit, pro dimidia parte cedit inventori, altera autem dimidia domino loci tribuitur; puta, ſi non arte magica, vel datâ ad hoc operâ, (a) ſed fortuito caſu in loco alieno, ſive privato, ſive publico (b) invenerit. §. 39. *Inſt. de R. D.* l. 3. §. 1. ff. *de iur. fiſc.*

(a) Quia data opera theſaurum quærere non licet, ne aliena effodiendi & violandi occaſio detur; hinc eo modo inventus theſaurus non inventori nequidem pro parte, ſed totus domino loci cedit. l. *un. C. de theſaur.*

(b) Sic dimidium Cæſari, vel civitati, cui eſt locus proprius, cedit. d. §. 39.

TH. 29. Quarta occupationis ſpecies eſt traditio quæ eſt actus, quo res propria animo transferendi dominij in alium transfertur; eſtque duplex, vel vera, vel ficta; illa eſt, quando res actualiter traditur, & apprehenditur; Hæc eſt, quæ interveniſſe fingitur, vel (1) ex nuda voluntate, ut ſi quis rem apud aliquem depoſitam habeat, poſtmodum depoſitario eandem vendat, vel (2) ex ſigno aliquo, ut ex clavium traditione in conſpectu horrei facta. §. 44. *Inſt. de R. D.* Nota, ut dominium rei in alterum legitimè traditione transferatur, requiruntur

ſeqq. [1] ut tradens habeat transferendi facultatem; nam non omnis dominus res ſuas alienare poteſt, quibus alienatio interdicitur, ut prodigis, furioſis, infantibus, pupillis, minoribus curatorem habentibus, &c. *pr. Inſt. quib. alien. licet, vel non* [2] ut habeat voluntatem, ſive animum transferendi dominij; nemo enim invitus re ſua eſt privandus, [3] ut conſenſus eius, cui fit traditio, accedat, cum nemo in actibus voluntarijs ad quid faciendum cogi poſſit. l. 36. ff. h. t. l. 69. ff. *de R. I.*

TH. 30. Iam ad alterum diviſionis membrum ratione juris gentium eſt perveniendum, quod eſt acceſſio, quæ eſt triplex, naturalis tantum, (a) vel artificialis (b) tantum, vel mixta. (c)

(a) Illius ſunt quinque ſpecies, ut [1] fœtus animalium, §. 19. *Inſt. de R. D.* [2] alluvio, §. 20. *I. eod.* [3] coalitio, §. 21. [4] inſulæ in flumine productio, §. 22. [5] alvei mutatio. §. 23. *Inſt. eod.*

(b) Iſtius ſunt ſeptem ſpecies, [1] ſpecificatio, §. 25. *Inſt. de R. D.* [2] confuſio, §. 27. [3] inædificatio, §. 30. [4] commixtio, §. 28. [5] ſcriptura, §. 35. [6] pictura, § 27. & tandem [7] intextura. §. 34.

(c) Huius ſunt tres ſpecies, ut [1] implantatio, §. 31. [2] ſatio, §. 32. & [3] fructuum perceptio, §. 35. §. 37. 38. & 39. *Inſt. eod.*

TH. 31. Acceſſio naturalis eſt, qua natura duntaxat operante quid rei noſtræ accedit, ut fœtus, alluvio, &c.

TH. 32. Fœtus animalium eſt acceſſio naturalis, qua quæ ex animalibus dominio noſtro ſubjectis nata ſunt, nobis acquiruntur, quia fœtus ventrem ſequitur. §. 19. *Inſt. eod.* l. 5. §. 2. ff. *de Rei vindic.*

TH. 33. Alluvio eſt acceſſio naturalis, qua motu fluminis (a) ſenſim ita fundo noſtro non limitato quid adjicitur, ut intelligi nequeat, quantum quoquo temporis momento adjectum: vocatur aliàs incrementum latens, ubi inſenſibiliter fundo unius quid detrahitur, & alterius adjicitur. Vnde patet, ſi quid vi fluminis detractum, atque alteri adjectum, eius acquiſitionem non facit, nec dominium quod ante fuit mutat, quia eiuſmodi detractio & adjectio non fit latenter & inſenſibiliter; quæ enim vi detrahuntur, omnium oculis obvia ſunt. §. 20. *Inst. de R. D.* l. 16. ff. h. t.

(a) Non verò in ſtagnis & lacubus, aut privatis rivis ius alluvionis agnoſcitur; l. 12. *pr.* l. 7. §. 3. ff. h. t. quia hoc propter æſtum & impetum eius non ita latenter quid adjicit.

TH. 34. Coalitio eſt acceſſio naturalis eius partis, quæ de alterius prædio vi fluminis (non verò latenter) detracta, & noſtro adjecta tamdiu cohæſit, ut cum terra noſtra coaluerit; quod tunc fit, ſi ar-

bores unà cum terra abreptæ in fundo noſtro radices egerint, ex eo tempore videntur meo fundo acquiſitæ, §. 21. *Inſt.* h. t. l. 7. §. 2. ff. h. t. ut & pars terræ; quo caſu non datur directa rei vindicatio, l 9. §. 2. ff. h. t. utilis tamen vindicatio, qua non ipſa res, ſive arbor vindicatur, quam æſtimatio, competit. l. 5. §. 3. ff. *de R. V.*

TH. 35. Inſulæ (a) in flumine (b) productio eſt etiam acceſſio naturalis, quæ ſi in medio flumine ſit nata, communis eſt eorum, ab utraque fluminis parte prope ripam prædia poſſidentium, pro modo ſcil. latitudinis cuiuſque fundi; quod ſi alteri parti proximior ſit, eorum eſt tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia poſſident. §. 22. *Inſt. de R. D.*

(a) Vox inſulæ variè in iure noſtro accipitur, (1) denotat ædes, quæ communibus parietibus cum vicinis non iunguntur, ſed publico, privatove circuitu cinguntur ad ſimilitudinem earum terrarum, quæ aqua cinguntur, (2) vulgariter ſignificat eum locum, qui aquis ambitur, uti hic.

(b) Quæ verò in mari naſcitur, cuilibet occupanti cedit, nullius enim ante occupationem eſſe creditur, ſicut ipſum mare. d. §. 22.

TH. 36. Alvei mutatio eſt cum aqua ad aliam partem fluere cœpit, & fit eorum, qui prope ripam alvei prædia poſſident pro modo latitudinis cuiuſque agri. §. 23. *Inſt. de R. D.* & quidem ob hanc rationem, quia vicinorum agri ſæpe pericula & incommoda ex flumine, agros ſuos alluente ſuſtinent; ideo & commodis frui licet. Quod ſi poſt aliquod tempus ad priorem alveum reverſum fuerit flumen, rurſus novus alveus eorum eſſe incipit, qui prope ripam eius prædia poſſident. d. §. 23.

TH. 37. Acceſſio induſtrialis, qua mediante ſaltem induſtria quid rei noſtræ accedit, qualis eſt ſpecificatio, quæ eſt acceſſio induſtrialis, qua quis ex aliena materia (a) novam ſpeciem, quæ ad priorem materiam reduci nequit, (b) ſuo nomine conficiens occupat.

(a) Per materiam hic non intelligimus rem talem, omni forma deſtitutam; verùm cui forma non tribuitur, ob ſupervenientem novam formam. l. 7. §. 7. l. 24. & 26. ff. h. t. §. 25. *Inſt. de R. D.*

(b) Quo caſu res videtur extincta; ob id à priori domino non amplius vindicari non poteſt, cui tamen actio in factum ob æquitatem conceditur, ne damnum aliquod præter meritum incurrat, *arg.* l. 23. §. 5. ff. *de rei vind.* e. g. ſi quis ex aliena lana veſtem fecerit, neque enim veſtis ad lanam reduci poteſt, quæ ideo cedit veſtem facienti, quod eatenus verum, quatenus ſpecificans bona fide hoc facit; ſi verò mala fide ex aliena materia quid fecerit, tenetur actione ad exhibendum, & rei vindicatione ne malitijs hominum indulgeatur, l. 12. §. 3. ff. *ad exhibend.* eſt etiam furto obnoxius, cum rem alienam lucri faciendi animo contrectat. l. 52. §. 14. ff. *de furt.*

TH. 38. Confuſio eſt acceſſio induſtrialis, qua ex materia duorum dominorum liquida, vel liquefacta unum corpus fit; & quidem ſi duorum materiæ, ſive homogeneæ, ſive heterogeneæ ex voluntate dominorum confuſæ ſint, utrique commune eſt; e. g. ſi homogeneæ, puta vina ſua confuderint, aut maſſas argenti, vel auri conflaverint; idem affirmatur de heterogeneis, ut ſi ex melle & vino mulſum, ex auro & argento electrum. Si autem caſu fortuito præter dominorum voluntatem confundantur, corpus confuſum manet commune. §. 27. *Inſt. de rer. diviſ.*

TH. 39. Inædificatio eſt acceſſio induſtrialis, quando quis ex ſua materia ædificat in ſolo alieno, aut contra ex aliena materia in ſolo ſuo; ubi notanda regula, quicquid ſolo inædificatur, ſolo cedit tanquam acceſſorium, §. 29. *Inſt.* h. t. l. 7. §. 10. ff. h. t. atque ſic domino ſoli dominium materiæ alienæ acquiritur, ut materiæ dominus eam quaſi extinctam vindicare nequeat; ob hanc rationem ne quis tignum alienum ædibus ſuis iunctum eximere cogatur, atque per hanc tigni exemptionem ædificia reſcindantur, & urbs ruinis ædium deformetur. Competit tamen tigni, vel materię domino adverſus ędificantem actio in duplum, § 29. *Inſt. de R. D.* l. 23. §. 6. ff. *de R. V.* Aſt diruto ædificio materiæ dominus eam vindicare poteſt & ad exhibendum agere. l. 7. §. 11. ff. h. t. d. §. 29.

TH. 40. Commixtio eſt acceſſio induſtrialis, qua res ſolidæ ita commiſcentur, ut inde totum fiat per aggregationem, e. g. ſi frumentum Titij cum alterius frumento utriuſque domini voluntate commiſceatur, eſt commune, quia ſingula grana, quæ cuiuſque propria fuerunt, ex conſenſu veſtro communicata ſunt. Si verò non utriuſque voluntate, ſed vel caſu fortuito, aut unius voluntate commixtio ſit facta, frumentum non videtur eſſe commune, cum ſingula corpora in ſua ſubſtantia durent. Quod ſi totum frumentum ab alterutro retineatur, in rem quidem actio pro modo frumenti cuiuſque competit. Arbitrio tamen iudicis relinquitur, cui non ſolum attendere convenit, quot quiſque modios ante permixtionem habuerit, ſed etiam ipſe æſtimet, quale cuiuſque frumentum fuerit; quo cum grana adeò accuratè ſeligi nequeant, illi, qui melius habuit frumentum, plus, qui deterius, minus adiudicetur. §. 27. *Inſt. de R. D.* l. 5. *pr.* ff *de R. V.* l. 30. ff *de uſucap.*

TH. 41. Scriptura eſt acceſſio induſtrialis, qua ſi quid in charta, membranave ſcriptum, eius fiat, cuius eſt materia; ſicut enim inædificatum ſolo, ita literæ, quamvis aureæ chartæ & membranæ cedunt. Hinc ſi quis in alterius charta hiſtoriam, orationem, vel carmen

ſcripſerit, dominus chartæ & operis facti cenſetur dominus; tenetur alteri ad impenſas ſcripturæ, ſi nimirum bona fide ſcripſerit, chartam ſuam eſſe putans. l. 9. §. 1. ff. h. t § 33. *Inſt. eod.* eiuſmodi anxia curioſitas hodiè non obſervatur, ſed ſi quid in aliena charta præter intentionem ſcribatur, pretium chartæ ſolvitur.

TH. 42. Pictura eſt acceſſio induſtrialis, qua tabula aliena cedit picturæ; quod priori regulæ contrariatur. l. 9. §. 2. ff. h. t. §. 34. *Inſt. de R. D.* & quidem ob ſingulare artificium, ſivę artis privilegium, quia Imp. Iuſtiniano indignum videbatur, picturam Parrhaſij, vel Appellis cedere viliſſimæ tabulæ; ſufficit igitur tabulæ pretium ſolviſſe; quo non ſoluto competit domino tabulæ, ſi eam poſſideat actio doli mali; ſin minus, actio ad exhibendum & rei vindicatio.

TH. 43. In textura eſt acceſſio induſtrialis, e. g. ſi quis alienam purpuram veſtimento ſuo intexuerit, licet pretioſior ſit purpura, tamen acceſſionis vice cedit veſtimento. d. §. 26.

TH. 44 Acceſſio mixta eſt, quæ partim à naturâ, partim ab induſtria humana provenit. Qualis eſt implantatio, ut ſi Titius alienam plantam in ſolo ſuo poſuerit, ipſius erit, & ex diverſo, ſi Titius ſuam plantam in Mævij ſolo poſuerit, Mævij planta erit, ſi modo utroque caſu radices egerit, (a) antequam enim radices egerit, eius permanet, cuius fuerat, &c. §. 31. *Inſt.* h. t.

(a) Quo caſu arbor, vel planta cenſetur extincta, cum alienæ terræ alimento nutriatur, datur tamen ex æquitate, arboris domino utilis actio ad plantæ, vel arboris æſtimationem. l. 23. §. 4. ff. *de R. V.* l. 9. §. 2. ff. *de damn. infect.*

TH. 45. Satio eſt acceſſio mixta ſatorum in ſolo noſtro; licet frumenta ſata radices nondum egerint, domino tamen ſoli ſtatim poſt ſationem acquiruntur. §. 32. *Inſt.* h. t. l. 9. *pr.* ff. h. t. datur nihilominus ei, qui in alieno bona fide ſeminavit, ex æquitate, ad impenſas petendas actio.

TH. 46. Fructuum perceptio, (a) eſt acceſſio mixta, quâ bonæ fidei poſſeſſor fructus perceptos, tam naturales, quàm induſtriales, quaſi iure dominij lucratur. (b) l. 22. C. *de rei vindic.* d. §. 35. *& ſeqq.*

(a) In hac materia fructus cenſentur percepti, non modò illi, qui perfectè ſunt collecti, ut conjecti in horreum, ſed & qui terra ſeparati. l. 48 *pr.* ff. h. t. l. 78 ff. *de rei vindic.* veluti ſi ſpica, aut fœnum ſit cæſum, uvæ ademptæ, oleum excuſſum, quamvis necdum frumentum ſit tritum, oleum factum, vindemia coacta. l. 13. ff. *quib. mod. uſusfr. amitt.* Hoc ipſo enim, quo terra amplius non continentur, deſinunt eſſe pars fundi, & cedunt ipſi poſſeſſori.

(b) Vel revocabiliter, vel irrevocabiliter, illo modo ſi nimirum fructus adhuc extent, quod fit, cum fundus à vero domino evincitur, tunc reſtitutis bonæ fidei poſſeſſori ſumptibus, ſive impenſis in rem evictam factis, fructus extantes vindicari poſſunt; hoc modo, ſi fructus iam ante litem conteſtatam ſint conſumpti, quamvis bonæ fidei poſſeſſor inde locupletior ſit factus. l. 40. ff. h. t. l. 4. §. 2. ff. *fin. regund.* quia bonæ fidei poſſeſſori in percipiendis fructibus idem iuris attribuitur, quod dominis prædiorum attributum eſt; quod enim illis dominium, his bonorum poſſeſſio tribuit. Excipe poſſeſſorem hereditatis, qui in quantum locupletior eſt factus, etiam de conſumptis tenetur. l. 25. §. 11. l. 40. §. 1. ff. *de heredit. petit.* l. 1. C. *eòd.*

TH. 47. Iam ad alterum principale diviſionis membrum deſcendimus, videlicet modos acquirendi civiles, qui ſunt duplicis generis, [1] univerſales, (a) & [2] particulares. (b)

(a) Vt hereditatis acquiſitio, bonorum poſſeſſio, arrogatio, addictio bonorum libertatum conſervandarum cauſa, item emptio bonorum omnium. §. *ult. Inſt. de bonor. poſſ. t. Inſt. de acquiſ. per arrog. t. t. Inſt. de eo cui libert. cauſ. bon. add.*

(b) Quales ſunt uſucapio, donatio mortis cauſa, legatum & fideicommiſſum particulare. *t. Inſt. de uſucap. & t. Inſt. de donat.*

TH. 48. Iiſdem omnino modis dominia amittuntur, quibus acquiruntur, ſcilicet traditione, uſucapione, &c. quatenus hæ ſunt ſpecies alienationis, l. 1. ff. *pro derelict.* amittitur etiam dominium ob domini delictum. l. 7. C. *unde vi.* l. 8. ff. *de publican.* l. 1. ff. *de bon. damnat.*

TH. 49. Dominium acquiſitum interdum imminuitur, adempta alienandi poteſtate, quod fit tripliciter, [1] teſtamento, ut cum teſtator rem aliquam propter perſonas, aut cauſas alienari prohibuit. l. 69. §. *ult.* & l. 77. §. 27. ff. *de legat.* 2. l. 114. §. 11. ff. *de legat.* 1. vel [2] conventione, e. g. ſi quis vendat, aut donet ſub hoc pacto, ne res alienetur. *l. pen. ff. de pact. l. ult. C. de reb. alien. non alien.* vel [3] lege, qua alienandi poteſtas mentem nullam, aut imperfectam habentibus aufertur, ut infanti, pupillo, furioſo, &c.

TH. 50. Cauſa efficiens dominij acquirendi eſt ius naturale latè dictum, ſive ius gentium, & ius civile.

TH. 51. Materia, in qua conſiſtit dominium, ſunt res omnes corporales humani juris, quæ in commercium cadunt, ſic excipiuntur res ſacræ, ſanctæ, religioſæ.

TH. 52. Forma ex Theſi 11. & ſeqq. percipi poteſt. Hic refertur, quod dominium rei acquiratur, vel immediatè, (a) vel mediatè. (b)

(a) Quod fit ſolo animo, abſque corpore, (aliàs enim plerumque animo & corpore acquiritur, ut in pleriſque modis juris gentium, aliquando abſque animo & corpore ut per ſervos, etiam invitis nobis. l. 32. ff. h. t. quatenus ne momento ſubſiſtere poſſit dominium in ſervo ob incapacitatem. l. 79. ff. *de acquir. hered.* non quaſi nolens volens ſibi habere dominium illud dominus cogatur; hic enim ſi velit nihilominus illud poſtea repudiare poteſt.) putà in modis civilibus, ut [1] aditione hereditatis. l. 23. ff. *de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* [2] legato. l. 64. ff. *de furt.* [3] donatione mortis cauſa. l. 2. ff. *de public. in rem act.* [4] in fideicommiſſo. [5] in donatione Eccleſiæ, vel pijs locis, aut civitatibus facta. l. 23. C. *de SS. Eccleſ.* [6] in donatione alimentorum cauſa facta. l. 2. C. *de donat. quæ ſub mod.* [7] in ſocietate univerſorum bonorum. l. 1. §. 1. l. 2. ff. *pro ſocio.*

(b) Quod fieri ſolet per factum, ſive traditionem; E. non ſolo animo, ſed animo & corpore acquiritur.

TH. 53. Forma probandi dominium eſt perquam difficilis; probatur autem [1] inſtrumentis nimirum inveſtituræ. l. 4. C. *de probat.* l. 9. C. *de rei vind.* item emphyteuſeos, aut alterius tituli. d. l. 4. *&* 11. C. *de probat.* ex quo titulo traditionem eſſe factam apertè conſtat, quoniam ſolus titulus ad dominij probationem haud ſufficiens eſt. [2] teſtibus. l. 4. *&* 11. C. *de probat.* cauſam tamen ſcientiæ idoneam aſſerentibus. [3] præſcriptione. ***Auth. niſi C. de bon. mater.*** & [4] poſſeſſione præprimis tanti temporis, unde præſcriptio reſultat, imò & [5] per famam antiquam & publicam.

TH. 54. Finis dominij eſt, ut conſtituta rerum proprietate, aliquis litium & controverſiarum ſit finis, cum dominij incertitudo, & rerum communio diſcordias pariat. l. 79. §. 20. ff. *de legat.* 2. Deinde, ut quod ſuo quiſque iure poſſidet, id tuto quoque ac ſecurè poſſidere, eoque pro arbitrio uti frui poſſit.

TH. 55. Effectus dominij eſt imprimis duplex; [1] ius reale, (a) & [2] rei vindicatio. (b)

(a) Illud rem ipſam afficit, eſtque nihil aliud, quam ius de re propria diſponendi, & hoc iterum, vel laxius, vel ſtrictius, prout dominium eſt plenum, vel minus plenum. Vnde dominium plenum habenti regulariter tria competunt, (1) ius uſusfructus pleniſſimum, ut pro arbitrio liberrimè uti frui poſſit. l. *ſi ita ſtipulatus.* l. 126. §. 1. ff. *de V. oblig.* l. 21. C. *mandat.* (2) ius poſſeſſionis. l. 12. §. 1. ff. *de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* (3) poteſtas alienandi. *l. ult. C. de reb. alien.* l. 1. C. *de fund. dotal.* quapropter concluditur, quod domino rei pleno præter alienationem competat facultas, (1) rem precario concedendi. *t. t. ff. de precar.* (2) pignori dandi. *t. t. ff. & C. de pign. action.* (3) commodandi. l. 8, 9 *&* 15. ff. *commod.* (4) deponendi. l. 17. §. 1. *& t. t. ff. & C. depoſiti.* (5) locandi. *t. t. ff & C. locat.* (6)

rem ſuam ſervitute onerandi. (7) in ſtipulatum deducendi. *pr. Inſt. de inutilib. ſtipulat.* (8) in emphyteuſin dandi. *t. t. C. de iur. emphyt.* §. 3. *Inſt. de locat. & conduct.* (9) item in feudum concedendi. 2. *feud.* 23. *in fin.* Aſt qui ſaltem minus plenum, quod vel directum, vel utile, habet, ei circa rem reſtrictior eſt poteſtas.

(b) Quæ ſuppeditatur domino ob amiſſam rei poſſeſſionem, contra quemlibet poſſeſſorem, ad rem recuperandam. l. 23. ff. *de rei vind.*

TITVLVS II.

De acquirenda, vel amittenda poſſeſſione.

Iung. tit. 32. libr. 7. C. *De acquir. vel retinenda poſſeſſione.*

TH. I. POSTQVAM modos acquirendi dominij ex iure gentium & civili deſcendentes enodavimus, poſſeſſio nunc enodanda reſtat.

TH. 2. Acquirere & amittere hac rubrica conjunguntur, ut acquirere & retinere. *Vide t. C. h. t.* item acquirere & omittere. *t. ff. de acquir. vel omitt. hered.* nam cum totum ius, aut in acquirendo, aut in conſervando, aut in minuendo conſiſtat. *l. ult. ff. de legib.* extrema duo, nimirum acquirere, & minuere, ſive amittere, neceſſariam relationem inter ſe habent, ita ut altero poſito, alterum ſequatur, ex uno enim relatorum alterum eſt intelligendum. l. 62. ff. *de acquir. rer. domin.*

TH. 3. Poſſeſſio (a) eſt detentio rei corporalis, (b) cum affectione, ſeu animo poſſidendi ſibique habendi. (c)

(a) Vox poſſeſſionis varias admittit ſignificationes, (1) denotat ipſam proprietatem quæ aliàs dicitur dominium. l. 17. ff. *de ſervit. R. Præd.* l. 78. ff. *de V. S.* (2) objectum poſſeſſionis, ut res immobiles poſſeſſas. l. 4. §. 2. ff. *de alien. indic. mut. cauſ.* l. 5. §. 10. ff. *de reb. eor. qui ſub tut.* l. 2. C. *de probat.* (3) ipſum rei uſum abſque proprietate. l. 115. ff. *de V. S.* (4) uſucapionem. l. 19. l. 23. & 30. ff. *ex quib. cauſ. maj.* hoc ſenſu cauſa pro effectu ponitur, (5) jus perſequendi, retinendique patrimonij ſive rei, quæ cujuſque cum moreretur fuit, hoc eſt poſſeſſio bonorum, (6) ſignificat detentionem rei corporalis, quo ſenſu iterum dupliciter accipitur, ut (1) impropriè, & (2) propriè. Impropriè ſumitur pro detentione nuda & ſimplici, ſic poſſident qui non ſibi, vel ſuo, ſed alieno nomine rei inſiſtunt. l. 18. *pr.*

l. poſſeſ-

l. poſſeſſio, 49. §. 1. ff. h. t. quales ſunt tutores, curatores, procuratores. l. 1. §. 20. d. l. 18. ff. h. t. ſervi, depoſitarij. *arg.* l. 8. *&* 9. ff. *commodat.* coloni, inquilini. l. 31. § 3. ff. *de uſurp. & uſucap.* qui precario impetrarunt, ut in poſſeſſione ſint. l. 10. §. 1. ff. h. t. ſic etiam poſſidere dicuntur, ex primo decreto ventris, damni infecti nomine, & legatorum ſervandorum gratia in poſſeſſionem miſſi. d. l. 10. §. 1. l. 3 §. *ult.* ff. h. t. l. 3. §. 8. ff. *uti poſſidet.* Propriè, uti hic ſumitur poſſeſſio, pro detentione qualificatâ, ſive cum affectione ſibi habendi coniuncta. l. 1. §. 3. l. 3. §. 3. ff. h. t. l. 67. ff. *de furt.* quo ſignificatu reliqui, in præcedentibus membris recitati excluduntur.

(b) Quoniam incorporalia propriè non poſſidentur. l. 3. *pr.* ff. h. t.

(c) Nam ad iuſtam poſſeſſionem conſtituendam, non ſufficit rem tenere, ſed oportet, ut quis ſuo nomine, ac iure, cum animo & affectione poſſidendi detineat. l. 10. ff. h. t.

TH. 4. Poſſeſſio eſt duplex, [1] vera, ſive propria, & [2] quaſi ſive impropria poſſeſſio; illa eſt rei corporalis, ut ſupra deſcripta; hæc eſt rei incorporalis, quam propriè poſſidere non poſſumus. l. 3. *pr.* ff. h. t. ſic dicitur poſſeſſio juris. l. 49. § 1. ff. h. t. & quaſi poſſeſſio uſusfructus. l. 3. § *pen. in fin. ff. de vi & vi armat.*

TH. 5. Poſſeſſio vera iterum duplex, naturalis & civilis.

TH. 6. Poſſeſſio naturalis eſt, detentio rei corporalis cum affectione & animo ſibi habendi, ſed abſque iure & opinione domini. l. 13. §. 1. ff. *de public. in rem act.* eiuſmodi poſſeſſione naturali gaudet, [1] creditor circa pignus, quod naturaliter poſſidere dicitur. l. 40. ff. *de pign. act.* quia non poſſidet animo domini, [2] ſequeſter, apud quem res omittendæ poſſeſſionis cauſa eſt depoſita. l. 17. §. 1. ff. *depoſit.* l. 39. ff. h. t. [3] uſufructuarius, qui rem non poſſidet, ſed habet uſumfructum, ſive ius utendi fruendi. l. 10. §. *ult. ff. de acquir. rer. dom.* l. 7. §. 10. ff. *comm. divid.* l. 12. *pr. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* [4] qui alterum vi dejicit, naturaliter poſſidet, non autem civiliter cum ius civile poſſeſſionem vi impetratam improbat, & poſſeſſionem auferri violento, ac reſtitui ſpoliato iubet. l. 22. l. 17. ff. h. t. unde penes dejectum poſſeſſio adhuc eſſe fingitur. d. l. 17. h. t. l. 143. ff. *de V. S.*

TH. 7. Poſſeſſio civilis (a) eſt detentio rei corporalis cum affectione & animo domini coniuncta. l. 13. §. 1. ff. *de public. in rem act.* l. 22. §. 1. ff. *de noxal. action.*

(a) Ita dicitur ob juſtum titulum acquirendi dominij, ut qui rem ex iuſta cauſa ab alio traditam bona fide poſſidet, ut bonæ fidei poſſeſſor, qui non aliter ſcit, quam ſe eſſe dominum. §. 35. *Inſt. de R. diviſ.*

TH. 8. Poſſeſſio alia eſt iuſta, (a) alia iniuſta. (b)

(a) Cum quis poſſidet bona fide, & ex iuſta cauſa, ſive legitimo titulo. §. 35. *Inſt. de R. diviſ.* l. 27. ff. *de contrah. empt.*

(b) Cum quis mala fide poſſidet, ſciens rem eſſe alienam. l. 33. §. 1. ff. *de uſucap.*

TH. 9. Circa acquiſitionem poſſeſſionis tria ſunt obſervanda; [1] perſonæ, [2] res, & [3] acquirendi modus.

TH. 10. Poſſeſſio acquiritur animo & corpore, h. e. corporali apprehenſione, non autem per ſe animo, nec per ſe corpore, (a) ſed coniunctim utroque; (b) aſt acquiſita poſſeſſio ſolo animo retinetur.

(a) Præter animum actus quidam corporalis interveniat, eſtque duplex, (1) occupatio in ſpecie ſic dicta, & (2) traditio. Illa eſt rerum nullius, & earum, quæ non traduntur. l. 1 *pr. &* §. 1. ff. h. t. Hæc ſcilicet traditio iterum, vel vera, vel ficta. Vera eſt cum rem mobilem loco movemus, vel rem ſoli ingredimur. l. 3. §. 1. & 3. l. 10. ff. h. t. Ficta fit varijs modis, ut (1) cuſtodis appoſitione. l. 51. ff. h. t. (2) cum ſignum pro re ſignata accipitur, ut cum traduntur inſtrumenta rei. l. 1. C. *de donat.* traduntur claves. l. 74. ff. *de contrah. empt. l. 1.* §. 21. ff. h. t. (3) fit oculis & aſpectu, ut ſi dominus, aut poſſeſſor in re præſenti, quam demonſtrat, nobis ſe eam rem, ſeu eius vacuam poſſeſſionem tradere dicat, atque nos hoc animo ſimus, ut velimus poſſidere. d. l. 1. §. 21. l. 18. §. 2. ff. h. t. (4) cum apprehendimus alieno corpore, putá per procuratorem.

(b) l. *poſſideri*, 3. §. 1. & l. 8. ff. h. t.

TH. 11. Vnde liquet furioſum, pupillum poſſeſſionem ſibi quærere haud poſſe. l. 1. §. 3. ff. h. t. quia animum poſſidendi non habent, niſi accedente tutoris & curatoris authoritate, quæ ſuppleat iudicium furioſi & pupilli; ſi enim hi admitterentur, affirmandum foret, ſolo corpore poſſeſſionem acquiri, quod illis ſenſus, ſive animus deſit.

TH. 12. Prodigus ſibi poſſeſſionem acquirere non prohibetur, ratione namque acquiſitionis non eſt prodigus. l. 6. ff. *de verbor. obligat.*

TH. 13. Poſſeſſio acquiritur, vel per nos ipſos, vel per alios, in poteſtate, ſive patria, ſive dominica exiſtentes, ut filiosfamilias & ſervos. l. 53. ff. *de acquir. rer. domin.* l. 1 C. *per quas perſon.* &c. Idem hic ſtatuitur de perſonis poſſeſſionem acquirentibus, quod de dominio, *qua de re vide Theſin 9. & 10. tituli præcedentis.*

TH. 14. Materia poſſeſſionis ſunt omnes res in commercio (a) hominum exiſtentes, ſive mobiles, ſive immobiles. l. 3. *pr.* ff. hoc tit.

(a) Ob id eximuntur res ſacræ, ſanctæ, religioſæ, quæ extra commercium; fruſtra enim earum prætenditur poſſeſſio, cum haberi nequeant. §. 1. *Inſt. de uſucap.* excipitur & liber homo.

TH. 15. Non modo totam rem, verum & partem poſſidere poſſumus. l. 18 §. *ult.* ff. h. t. quia eadem ratio eſt totius, quæ eſt & partis, ſive pro diviſo, ſive pro indiviſo poſſideatur. l. 26. ff. h. t.

TH. 16. Apprehenſio ad acquirendam poſſeſſionem ſemper eſt neceſſaria. l. 30. §. 5. ff. h. t. adeò, ut licet ad heredem adita hereditate omnia iura tranſeant, poſſeſſio tamen ſine apprehenſione non tranſeat. l. 23. *pr.* ff. h. t.

TH. 17. Poſſeſſio acquiſita conſervatur non tantum animo noſtro, & corpore ſimul. l. 19. §. 1. ff. h. t. verumetiam ſolo animo, (a) vel animo noſtro & corpore alieno. (b)

(a) Facilior eſt retentio, quam poſſeſſionis acquiſitio, ad retentionem ſolus animus ſufficit. l. 4. C. h. t. cum neceſſe non habeam rei meæ ſemper inſiſtere, liceat certis temporibus eam relinquere. l. 3. §. *ſalvus*, ff. h. t unde ſi ad nundinas proficiſcar, nemine in poſſeſſione relicto, retineo tamen poſſeſſionem; Excipe, niſi interea temporis alius occupaverit, cui reverſus ceſsi. l 6. §. 1. ff. h. t.

(b) Vt ſi colonus, inquilinus, depoſitarius, commodatarius, conductor, uſufructuarius, procurator, &c. noſtro nomine poſsideat. §. *poſſidere*, 5. *Inſt. de interdict. l.* 3. §. 12. l. 30. §. 5. l. 32. §. 1 ff. h. t.

TH. 18. Quemadmodum poſſeſſio animo & corpore ſimul & coniunctim acquiritur, ita animo & corpore ſimul amittitur. l. 8. ff. h. t. l. 153. ff. *de R. I.* Ergo non ſolo corpore, quia ſolo corpore non acquiritur, poteſt nihilominus ſolo animo amitti, quamvis acquiri non poſſit; quia in poſſeſſione amittenda, affectio eius, qui poſſidet, eſt intuenda. Itaque ſi in fundo ſis, & tamen nolis eum poſſidere, protinus amittes poſſeſſionem. l. 3 §. 6. ff. h. t. l. 17. §. 1. l. 44. §. *ult.* ff. *eod.* quare hoc ſtatuitur, quod poſſeſſio principaliter amittatur animo. d. l. 3. §. 6. quatenus illa eſt iuris, at per conſequentiam etiam corpore; cum animum poſſidendi amittens non poteſt non etiam corpore amiſiſſe videri; pugnant enim inter ſe, & ſimul in eodem ſubjecto ſubſiſtere nequeunt, affectionem poſſidendi non habere, & ſuo nomine detinere.

TH. 19. Amiſſio poſſeſſionis dupliciter accidere poteſt, (1) ex voluntate poſſidentis, vel abſque eius voluntate. (b)

(a) Quando ex iuſto titulo res bonâ fide alij poſsidenda traditur. l. 1. §. 21. l. 21. *pr.* ff. h. t.

(b) Vt in ſequentibus caſibus, (1) authoritate publicâ, ſi poſſeſſio rerum ad debitorem ſpectans ad creditores ex ſecundo Prætoris decreto transferatur. l. 11. ff. h. t. (2) ſi res per flumen occupetur; recedente tamen aqua reſtituitur poſſeſſio, ſicut ipſum rei dominium. l. 3. §. 17. ff. h. t.

TH. 20. Poſſeſſio cum proprietate nihil commune habet, putà ratione identitatis ſpecificæ. Quia dominium in ſubſtantiam rei comparatum eſt, poſſeſſio ſaltem in detentionem, idcirco illius ius longè fortius eſt huius; ratione tamen generis & accidentium eſt inter ea communio [1] naturæ, quod utrumque incorporale ſit, & ius in re, utrumque etiam eſt iuris gentium. l. 5. ff. *de iuſt. & iur.* cum enim omnia adhuc communia erant, & nemo quicquam animo ſibi habendi tenebat; ſiquidem quod occuparat, eo ſaltem animo habebat, ut re tanquam communi uteretur. Poſtquam autem dominia diſtingui cœperunt, occupari quoque res cœperunt affectu & animo habendi; [2] ratione connexitatis, ſi enim quis poſſeſſor & dominus poſſeſſionem transfert ex cauſa dominij, tunc non modo poſſeſſio, ſed & dominium transfertur. l. 8. C. h. t. [3] ratione conſequentiæ, quia unum antecedens, ut poſſeſſio, alterum conſequens. l. 1. ff. h. t. [4] intuitu nominis, quoniam vox poſſeſſionis nonnunquam & proprietatem denotat. l. 78. ff. *de V. S.*

TH. 21. Quæritur, an poſſeſſio fundi amittatur, ſi quis eum per colonum, aut familiam poſſideat, & ille, aut hæc ſponte fundum deſerat? Reſp. negando, per *l. ult.* C. h. t. ob hanc rationem ne dolus, aut deſidia coloni ſit domino præjudicio.

TH. 22. Cauſa efficiens poſſeſſionis eſt iuſta rei apprehenſio & detentio eo animo facta, ut poſſidere velimus, nam animo & corpore poſſeſſio acquiritur. l. 3. *pr.* & l. 8. ff. h. t. Materiam Theſi 14. & formam Th. 10. expoſuimus.

TH. 23. Finis & effectus poſſeſſionis eſt, ut rebus poſſeſſis utamur fruamur. Effectus poſſeſſionis inſuper eſt, [1] quod poſſeſſor onere probandi liberetur, quia præſumptio eſt pro poſſeſſore eum iure poſſidere. l. 2. C. *de probat.* & in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis. l. 5. §. 1. ff. *de calumniat.* l. 8. C. *de condit. ob turp. cauſ.* l. 126. §. 2. l. 154. ff. *de R. I.* l. 9. §. 4. ff. *de publ. in rem act.* [2] quod fructus faciat percipientis, quatenus bona fide poſſidet. [3] quod poſſeſſor propria authoritate illis, in poſſeſſione ſibi impedientibus reſiſtere jure queat, quinimò ſi quis ipſum poſſeſſione dejicere tentet, moderamine inculpatæ tutelæ vim vi repellere permittitur. l. 1. C. *unde vi. l. fin.* ff. h. t. l. 3. §. 9. l. 17. ff. *de vi & vi armat.* Hæc tamen

repulſio & reſiſtentia ad poſſeſſionem defendendam in continenti, h. e. in ipſa concertatione, & congreſſu fieri debet, d. l. 17. ff. *de vi & vi armat.* nam ex intervallo id non licet, d. l. 3. §. 9. quod hoc non ad defenſionem, iure naturali permiſſam, ſed ad ultionem ſive aggreſſionem ſpectaret.

TH. 24. Corollarij loco aſſeritur, quòd poſſeſſio in alium transferri licitè queat per conſtitutum poſſeſſorium, l. 18. ff. h. t. e. g. ſi poſſidens conſtituat alteri, quod eius nomine, & non amplius proprio poſſidere velit. Huius conſtituti poſſeſſorij ſequentia ſunt requiſita; [1] à parte conſtituentis requiritur rei poſſeſſio tempore conſtituti poſſeſſorij, d. l. 18. l. 77. ff. *de R. V.* ſi enim illam conſtituens non habeat, eam transferre nequit, l. 20. ff. *de acq. rer. dom.* cùm nemo plus iuris in alium transferre poſſit, quam ipſe habet. [2] ut conſtituens deſinat ſuo nomine poſſidere, & alieno nomine poſſidere incipiat, d. l. 18. quia hic de amittenda (ratione conſtituentis) & acquirenda poſſeſſione (reſpectu conſtitutarij) tractatur. Conſtituens igitur, ut ſuo nomine poſſidere deſinat, duplici modo efficitur, vel [1] verbis expreſſis, ſive nominatim, vel [2] re ipſa; illo modo, ut conſtituo, vel confiteor me tuo nomine poſſidere; hoc modo ſi conſtituens retineat vel ex conducto, l. 32. §. 1. ff. h. t. l. 77. ff. *de R. vind.* vel precario, l. 21. ff. h. t. l. 32. §. 3. ff. *de donat. int. vir. & uxor.* vel depoſito, commodato. [3] à parte conſtitutarij intercedere debet approbatio, ſive præſens ſit, quo caſu conſenſus generalis ſufficit) ſive abſens ſit, hoc caſu non acquirit antea poſſeſſionem conſtituentis, niſi, quod conſtituens egit, ratum habuerit conſtitutarius. *arg.* l. 42. §. 1. ff. h. t.

TITVLVS III.

De uſurpationibus & uſucapionibus.

Iung. tit. 31. libr. 7. C. *De uſucap. transform.* tit. 30. *Ibid. communia de uſucapionibus.*

TH. 1. QVOMODO iure gentium dominium acquiratur, ſupra tit. 1. explicatum, addendum nunc ſupereſt, quemadmodum iure civili dominium per continuatam poſſeſſionem acquiratur, ut in uſucapione quæ eſt modus acquirendi dominij iure civili introductus, (a) præprimis cernere licet.

(a) *pr. Inſt.* h. t. uſucapio non ideo dicitur modus civilis, ac ſi iuri naturæ, aut gentium adverſetur, vel nullo planè modo in iure naturæ ſit fundata, quod directò ſubrueret, l. *6.* ff. *de I. & I.* aut quaſi ſolis Romanis ſit propria, & alijs gentibus non uſitata; verum quod Romani ſingulares conſtitutiones in Republ. ſua de uſucapione ſanciverint certumque tempus ad uſucapionis perfectionem conſtituerint. Hinc uſucapionem haud ineptè dupliciter conſideramus, [1] abſolutè, & [2] relativè illo modo eſt iuris gentium, quia & aliæ gentes ea uſi ſunt, ut Græci, Hebræi, *Levit* 25. 29. *Deut.* 15. v. 1. hoc modo ſc. relativè ad Remp Romanam conſiderata, uſucapio eſt iuris civilis, cum à Romanis non ſaltem recepta, ſed & multifariam eſt informata.

TH. 2. Quod iuri gentium, aut naturali æquitati non contrarietur uſucapio, vel inde dilucidè conſtat. Cum iure gentium dominiorum diſtinctio, eſt introducta, non ſatis erat, hanc dominiorum diſtinctionem introduxiſſe, niſi & eodem jure introduceretur, quî dominia cuique aſſignata ſint certa, ne iterum confundantur, atque ſic infinitæ lites inde oriantur. Ea autem certa eſſe vix poſſent, ſi dominis, vel rerum poſſeſſoribus, rem ſuam nimis diu, vel in perpetuum negligere concederetur, quo caſu nemò ad rerum neglectarum poſſeſſionem metu privationis accedere auderet. Vt autem hanc inconvenientem atque Reip. noxiam negligentiam unà cum metu tollerent Legiſlatores, ideo certum tempus, intra quod cuilibet rem ſuam perſequi licuit, ab ijs eſt determinatum, quo effluxo novus poſſeſſor rem ſecurè & abſque metu, ut propriam retinere potuit. l. 1. ff. h. t. l. *ult.* ff. *pro ſuo.*

TH. 3. Vſucapio (a) eſt adjectio (acquiſitio) dominij per continuationem (b) poſſeſſionis, temporis lege definiti, (c) l. 3. ff. h. t. ſive eſt acquiſitio dominij per uſum.

(a) Vox uſucapionis variè accipitur, (1) iure veteri pro ea, qua acquiruntur res mancipi (quæ mancipari, h. e. alienari poterant) ſive Italicæ mobiles, vel immobiles, non verò Provinciales, l. 37. 38. l. 39. ff. h. t. l. *un.* C. h. t. (2) iuxta Imper. Iuſtiniani conſtitutionem, ſumitur quoque pro ea, qua res nec mancipi, atque Provinciales acquiruntur, quæ olim ſpecialiter dicebatur longi temporis præſcriptio, d. l. *un. & arg.* l. *un.* C. *de nud. iur. Quirit. toll.* (3) generaliter pro omni dominij acquiſitione, quæ fit per uſum; hoc ſenſu & longiſſimi temporis, imò immemorialis ac omnem præſcriptionem quâ hodiè dominium acquiritur, continet; talis enim præſcriptio rectius uſucapio quam præſcriptio dicitur. l. 3. ff. h. t.

(b) Si poſſeſſio non ſit continuata, ſed interrupta, uſucapio ad effectum produci nequit: interrumpitur verò per poſſeſſionis privationem, l. 5. ff. h. t. aut per litem motam. l. 10. C. *de acquir. poſſ. l. fin. C. de præſcript.* 30. *ann.*

(c) Propter temporis diuturnitatem, & domini negligentis patientiam præſumitur res conſenſu prioris domini alienata, & quidem ob publicam utilitatem, l. 28. ff. *de V. S.* Nam ſi hoc beneficium novis ſupervenientibus poſſeſſoribus non concederetur, humana negotia conſtare vix, ac ne vix poſſent, quis enim cum alio vellet contrahere, quis ab alio emere, ſi nullius rei unquam certa vel ſecura eſſe poſſet poſſeſſio. Quî publicam tranquillitatem tueri, injuriaſque exterminare commodè poſſent ad Reipubl. gubernacula ſedentes, ſi perpetuò liberum ſit rem per multorum manus jam pervagatam vindicare, prætextu alicuius priſci, & exoleti tituli.

TH. 4. Vſucapio & præſcriptio olim differebant, [1] illa tantum habebat locum in rebus in Italia, & non in Provincijs ſitis; in mobilibus anno, in immobilibus biennio uſucapio procedebat, l. 54. *pr.* ff. *de evict.* l. *un.* C. *de uſucap. transf.* hæc, ſc. præſcriptio, locum habebat in rebus in Provincijs ſitis, & longo tempore, h. e. decem vel viginti annis perficiebatur; [2] illa requirebat initium bonum, hæc cum mala fide perficitur, l. *pen.* §. 1. C. *de præſcript.* 30. *annor.* [3] illa efficit dominium, & proinde actionem in rem, hæc ſaltem cauſat exceptionem, *t. t.* ff. *de except. & præſcript.* Aſt cum Imp. Iuſtinianus differentiam inter res Italicas & Provinciales ſuſtulit, d. l. *un.* C. *de nud. iur. Quir. toll.* ideo omnes res hodie uſucapi licitè queunt; ubi verò annus olim ad rerum mobilium uſucapionem perficiendam tribuebatar, datur nunc triennium, & in rebus immobilibus pro biennio datur decennium inter præſentes, (qui in eadem civitate, vel Provincia ſub uno eodemque regimine domicilium habent) inter abſentes vero ſpatium 20. annorum. d. l. *un.* C. *de uſucap. transf.*

TH. 5. Vſucapionis perfectæ requiſita ſunt quatuor, [1] bona fides, (a) [2] iuſtus titulus, (b) [3] tempus legitimum & [4] poſſeſſio continuata. (c)

(a) Quæ eſt illæſa conſcientia, excuſans poſſeſſorem à ſcientia rei alienæ, quia in omnibus negotijs iuris ac iuſtitiæ dolum & fraudem abeſſe, bonam autem fidem & voluntatem adeſſe oportet; nam ſine titulo non eſt bona fides, cum quod meum non eſt, ſcire debeam, ad alium pertinere, l. 31. ff. *de reb. credit.* Vbi notandum: quod iure civili tantum ab initio requiratur, bona fides adſit, nec mala fides poſtea ſuperveniens curſum uſucapionis turbet, l. 48. §. 1. ff. *de acquir. rer. dom.* quod tanquam impium damnat. Ius Canonicum ſemper bonam fidem requirens, c. *ult. Extr. de præſcript.* adæquata huius aſſertionis & correctionis ratio in eo eſt fundata, quod, quicquid non eſt ex fide, ſit peccatum; unde hoc caſu hodie recedimus à iure civili, canones ſequentes, quia hic de peccato quod non dimittitur, niſi reſtituto ablato, agitur. c. *peccatum* 4. *de R. I. in 6.*

(b) Qui legibus eſt approbatus, ideo falſus titulus ab uſucapione excluditur; niſi quis probabili & iuſta cauſa erraverit, l. 11. ff. *pro empt.* l. *ult.* § 1 ff. *pro ſuo* l. 48. ff. h. t. juſtus titulus & bona fides qualificant poſſeſſionem.

(c) Non autem interrupta aliàs uſucapio expirat; unde continuata dicitur poſſeſſio, quæ nunquam ante uſucapionem fuit interrupta, ſed penes uſucapientem continuo actu permanſit, (ut in rebus mobilibus triennium, in immobilibus longum tempus) & vel in una perſona, vel diverſis quando res ab uno ad alium legitimè eſt tranſlata, §. 12. *Inſt.* h. t. atque ita juſta poſſeſſio, quę defuncto prodeſſe cœpit, continuatur in heredibus, & ſucceſſoribus ſingularibus, ſi ſint b. fidei poſſeſſores, quia illi defuncti perſonam repræſentant, hi verò acceſſione ſui anteceſſoris gaudent: item tempus heredis in legatarium, l. 12. ff. h. t. venditoris in emptorem, donatoris in donatarium continuatur.

TH. 6. In dubio bona fides & ab initio, & in progreſſu adeſſe præſumitur; adeoque mala fides ab actore probanda. l. 21. ff. *de probat.* l. *pen.* C. *de præſcript. long. temp.*

TH. 7. Quibuſcunque dominium acquirere vel poſſidere eſt permiſſum, ijſdem & uſucapio conceditur, ſive ſit paterfam. ſive filiusfam. l. 4. §. 1. l. 25. ff. h. t.

TH. 8. Furioſus & infans per ſe, & abſque curatoris & tutoris autoritate uſucapere nequeunt, quia, affectione & animo poſſidendi deſtituuntur, l. 4. §. 2. ff. h. t. hunc animi defectum ratione uſucapionis acquirendæ ſupplet furioſi curator & infantis tutor.

TH. 9. Ex præcedenti Theſi liquet, quod quis non ſolum per ſe ipſum, verumetiam per alium uſucapere poſſit, putà ſervum ex cauſa peculiari etiam ignorans, l. 8. *pr.* ff. h. t. & per procuratorem ſciens, l. 47. ff. h. t.

TH. 10. Res ſequentes uſucapi nequeunt. [1] quæ nullius, & extra hominum commercium, (a) [2] res publica, (b) [3] furtiva, & vi poſſeſſa, (c) [4] meræ facultatis, (d) [5] pupillaris, (e) [6] dotalis, (f) vel [7] teſtamento alienari prohibita. (g)

(a) Vt res ſacræ, ſanctæ, religioſæ, liber homo, l. 9. ff. h. t. unde aſſeritur quod contra ius divinum nulla currat præſcriptio.

(b) Per eam intelligimus, rem quæ eſt populi Romani vel civitatum, d. l. 9. vel fiſci, §. 9. *Inſt.* h. t. l. 18. l. 24. §. 1. ff. h. t. vel Principis. *t. t.* C. *ne rei dominicæ vel templ. vindic. tempor. præſcriptione ſummoveatur;* iuri enim publico non debet obeſſe præſcriptio. l. 6. C. *de oper. publ.*

(c) §. *furtivæ inſtit.* h. t. *l. ſequitur* 4. §. *quod 6.* ff. h. t. d. l. 4. §. 22. & 23. ff. etiamſi res furtiva non per furem, ſed per tertium bonæ fidei poſſeſſorem, in quem fur tranſtulit, poſſideatur. ratio in eo fundata, quia vitium

reale

reale ſemel contractum rem ſemper ſequitur.

(d) Res meræ facultatis dicuntur actus à mero alicuius arbitrio dependentes, & ex libertate naturali, vel gentium, vel civili iure communes, ita ut eorum exercitium, omiſſiove alteri nullum ius tribuat, & exercenti, omittentive non præiudicet quales ſunt ire per viam publicam, l. 2. ff. *de via publ. & itin. publ. res.* in publico balneo lavare, in theatro ſpectare, l. *Prætor* 2. §. *ſi quis* 9. ff. *ne quid in loc. publ. vel itin* feneſtram facere, aut quid vis aliud in ſuo ædificare, l. 24. ff. *de ſervit. V. Pr.* l. 8. *&* 9. C. *de ſervit. & aq.* l. 12. §. 3. C. *de ædific. privat.*

(e) l. *ſi communem.* 10. ff. *quemadm. ſervit. amitt.* l. 48. ff. *de acq. rer. dom.* l. 3. C. *de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.* contra pupillos non tantum non incipit præſcriptio, verùm & ante contra defunctum inchoata ſiſtitur, & impubere ætate durante, quaſi dormit, eâque finitâ, poſteriora tempora cum prioribus continuantur. l. 3. C. *de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.*

(f) Quæ penes maritum exiſtunt, quia earum alienationem lex Iulia prohibet. l. 4. *&* 16. ff. *de fund. dotal.* alienationi autem annumeratur uſucapio. l. 28. ff. *de Verb. Signif.*

(g) Sicut enim earum rerum alienatio eſt prohibita, ita & uſucapio, quæ & alienatio, l. 2. C. *de uſucap. pro empt.* l. *ult.* §. 4. *in fin.* C. *comm. de legat.*

TH. 11. Contra minorem currit tantum præſcriptio triginta annorum. l. *ſicut* C. *de præſcript.* 30. *ann.*

TH. 12. Omnes res, exceptis ijs, quæ expreſſè prohibentur, uſucapere licet, ſive ſint corporales, ut mobiles & immobiles, ſive incorporales, *pr. Inſt.* h. t. *ult.* C. *de præſcript. long. tempor.*

TH. 13. Præſcriptio longiſſimi temporis iure Digeſtorum fuit incognita, introducta tandem ab Imp. Iuſtiniano in l. *pen.* C. *de præſcript.* 30. *ann.* Nam olim poſſeſſio abſque titulo vel vero, vel præſumpto, non proderat ad dominij acquiſitionem, ſed ſaltem ad excipiendum, l. 8. §. 1. C. *eod.* tanto autem tempore uſucapiuntur [1] res privatæ quælibet ſine iuſto titulo, bona tamen fide per 30. annos poſſeſſæ, l. *pen. de præſcript.* 30 *ann.* [2] res minorum, l. 3. C. *eod.* l. 1. *in fin.* C. *de annal. except.* [3] res vitioſæ, ut furtivæ & vi poſſeſſæ, *arg.* l. 8. §. 1. *&* 2. C. *de præſcript.* 30. *ann.* (4) res incorporales, ſic locum habet in actionibus perſonalibus ratio, quare in his 30. anni requirantur, cum in realibus 10. ſufficiant, conſiſtit in continuo uſu, qui eſt circa res, quarum actio perimitur, cum in perſonalibus nullus ſit uſus, qui actionem perimere queat, h. e. nulla ſubeſt res corporalis, cuius uſu obligatio perimatur, ſed tantum eſt negligentia creditoris, ſibi debitum non petentis, cui proinde tardius præiudicatur, quoniam nullus poſſeſſoris favor ſubeſſe dici poteſt.

TH. 14. Quædam res quadraginta annis præſcribuntur, ut (1) bona Eccleſiaſtica, *C. ad. aures 6. Extr. de præſcript.* (2) Prædia piorum locorum, qualia ſunt Xenodochia, Noſocomia, Orphanotrophia, & eiuſmodi pijs uſibus deſtinata. *Novel.* 131. c.6. (3) Bona civitatis l. 9. ff. h. t. *auth. quas actiones de SS. Eccleſ.* (4) res fiſcales, nec non patrimoniales Principis, l. *ult.* C. *de fund. patrim.* l. 4. C. *de bon. vacant.*

TH. 15. Præſcriptionem immemorialem (a) ſeu centenariam reduxit Imp. Iuſtinianus ad quadragenariam; antea enim ſanciverat, ne ulli Eccleſiæ alia præſcriptio noceret, quam centenaria, l. *ult. C. de SS. Eccleſ. Novel.* 9. hanc ſententiam eatenus tandem mutavit, ut Eccleſiæ Romanæ ſaltem hoc privilegium competeret reliquis 40. annos ad præſcriptionem tollendam ſufficere voluit. *Nov.* 111. & 131.

(a) Ita vocatur, quia memoriam hominis excedit, & communis vitæ terminus habetur centum annorum. l. 23. C. *de SS. Eccleſ.* l. 56. ff. *de uſufr.*

TH. 16. Saxones duas tantum præſcriptionum ſpecies agnoſcunt, quarum (1) eſt annalis, & aliquot dierum, quæ titulum & bonam fidem requirit in rebus mobilibus, item utenſilibus & expeditorijs; (2) eſt quæ triginta & uno annis atque aliquot diebus in rebus immobilis etiam abſque iuſto titulo & bona fide completur.

TH. 17. De prima rubricæ parte ſuperiora ſufficiant, alteram rubricæ partem, puta uſurpationem, quæ uſucapioni eſt contraria, (a) aggrediamur.

(a) Vnde etiam definitur. Vſurpatio eſt uſucapionis interruptio, l. 2. ff. h. t. quia per uſurpationem continuatio temporis ad uſucapionem perficiendam neceſſaria interpellatur, & interrumpitur.

TH. 18. Probè diſtinguendum inter interrumpere (a) uſucapionem, ſive præſcriptionem, & dormire (b) præſcriptionem.

(a) Quando uſucapio ſ. præſcriptio interrumpitur & interpellatur, tunc poſſeſſio non eſt continua & quieta, ſed inchoata uſucapio ad nihilum recidit, quæ Ictis dicitur uſurpatio, ſive interruptio.

(b) Cum dormit uſucapio, tunc prius inchoata uſucapio ſ. præſcriptio non eſt nullius momenti, ſed ſublato impedimento, puta impuberi ætate, furore, hoſtilitate, peſte, &c. continuatur, & tempus prius cum ſequente jungitur ad cœptam uſucapionem, ſive præſcriptionem abſolvendam: hinc intermedio tempore, quo uſucapio inchoata non currit, illa dormire dicitur.

TH. 19. Vſurpatio, ſive interruptio eſt duplex, naturalis & civilis.

TH. 20. Vſurpatio naturalis eſt, cum quis poſſeſſionem ipſam amittit, quod fit naturali aliquo facto & re ipſa, non verò fictione iuris, l. 1. §. 22. l. 5. & 15. ff. h. t. l. 3. §. 17. l. 30. §. 3. ff. *de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* ut cum alicui res corporalis mobilis aufertur, aut de immobili vi dejicitur. l. 5. ff. h. t.

TH. 21. Vſurpatio civilis, eſt ficta quædam interruptio, quæ fit per actum civilem, ut litis conteſtationem, l. 18. ff. *de R. vind.* l. 26. C. *eod.* l. 10. C. *de præſcript. long. temp.* aut ſi litis conteſtationi non ſit locus, ob adverſarij abſentiam, furorem, potentiam, etiam per actum extrajudicialem, ut denuntiationem privatam, vel contradictionem uſucapio interrumpitur. l. 17. C. *de rei vindic.* l. *item veniunt* 20. §. 11. ff. *de petit. hered.* l. 2. C. *de annal. except.*

TH. 22. Vſurpationis, ſive interruptionis effectus eſt, quod curſum uſucapionis ſiſtat, & ſi per civilem actum interpelletur, tunc actiones ad 40 annos perpetuantur à tempore quo noviſſima cognitio eſt facta. l. *ult.* C. *de præſcript.* 30. *ann.*

TH. 23. Cauſa efficiens uſucapionis eſt lex civilis 12. Tabb. quæ poſtea varijs Principum conſtitutionibus in melius producta. *pr. Inſt. de uſucap.*

TH. 24. Materia Th. 12. eſt explicata. Ad formam uſucapionis requiritur poſſeſſio, abſque illa enim uſucapio eſt nulla, l. 25. ff. h. t. ratione poſſeſſionis requiritur, ut poſſeſſor eam ſuo, & non alieno nomine poſſideat, ſi enim alieno nomine poſſideat, non uſucapit. l. 2. C. *de præſcript.* 30. *ann.*

TH. 25. Finis. Vſucapio ad publicam utilitatem (a) eſt introducta. l. 1. ff. h. t. ne rerum dominia ſint incerta, & ut aliquis reperiatur litium finis. l. *ult. in fin.* ff. *pro ſuo.* quas minui, & ſopiri publicè intereſt.

(a) Quia major ratio publicæ utilitatis & tranquillitatis, quam privatæ utilitatis eſt habenda; meritò etiam cum aliquo privatorum incommodo, negligentium res ſuas, & quodammodo pro derelicto habentium uſucapiones ſunt introductæ. d. l. 2. C.

TH. 26. Effectus uſucapionis præcipuus eſt, quod dominium poſſeſſori adjiciat. l. 20. ff. *de pact.* Contraria uſucapioni ſunt mala fides, injuſtus titulus, &c.

TH. 27. In ſequentibus huius libri titulis ſpecialiter proponuntur quidam tituli ad dominium transferendum habiles. Sic (1) pro ſoluto uſucapit, cum quis rem debitoris non propriam, (a) ſed alienam debiti cauſa accipit, vel rem eius quidem propriam, attamen non ve-

rè debitam; quam & tradens & accipiens ex errore putavit eſſe debitam. l. 46. l. *pen.* ff. h. t.

(a) Contrarium obtinet, ſi res debitoris propria ab eo ſolvatur, non ex errore, ſed ut id, quod verè debet, ſolvat; quo caſu dominium ſtatim transfertur, quapropter uſucapio non deſideratur, *arg.* l. 4 §. 19. ff. h. t.

TH. 28. Vltimò obſervandum, uſucapionem in ijs ſaltem eſſe conceſſam, quæ nostra exiſtimantes, ex iuſtis cauſis poſſidemus, ijs ſcilicet, quibus dominium rerum acquiri ſolet, l. *ult.* ff. *pro ſuo*, *l. pen. C. de uſucap pro empt.* Cauſa autem acquirendi quod noſtrum non eſt, ſunt infinitæ, ut pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote, pro herede, pro bonorum poſſeſſore, pro derelicto, pro ſuo, l. 3. §. 14. ff. *de acq. poſſeſſ.*

TITVLVS IV.

Pro emptore.

Iung. tit. 26. lib. 7. C. *De uſucapione pro emptore.*

TH. 1. SECVNDVS titulus ſpecialis eſt pro emptore, quo quis rem à non domino emit, & traditam accipit. l. 2. *pr.* ff. h. t.

TH. 2. Pro emptore poſſidet, & uſucapit, qui rem bona fide verè (a) emit: cum emptio vel dominium, aut uſucapiendi conditionem transferat, ſi nimirum dominus non fuerit, qui b. fide accipienti tradit, l. 74. ff. *de contrah. empt.*

(a) Quod ſi emptio revera non intervenerit, ſed tantum in ea opinione eſt, ſe rem pro emptore poſſidere, uſucapio non procedit. d. l. 2. *pr.* ff. h. t.

TH. 3. Hic contractus pro emptore ideo requirit bonam fidem, ne facile furta fiant, & res furtivæ, atque alienæ diſtrahantur, & aliquo juris prætextu doloſus emptor ſe excuſet, veroque domino res ſuas per fraudulentam uſucapionem intervertere moliatur. l. 44. ff. *de uſucapion.*

TH. 4. Qui ex diviſione, vel permutatione, (a) vel tranſactione rem alienam poſſident, pro emptore poſſidere intelliguntur. l. 29. ff. *de uſucap.* l. 8. C. h. t.

(a) Quod diviſio & permutatio vice emptionis fungantur. l. 1. C. *commun. utriuſque iud. l. 2. ff. de rer. permut.*

TH. 5. Emptori rem emptam uſucapere non conceditur, niſi bonam fidem & tempore contractus, & traditionis habuerit. d. l. 2. *pr.* l. 48. ff. *de uſucap.* quia hiſce duobus temporibus in emptione b. fidei requiritur, & improbè facit, qui dato pretio rem alienam invito domino in ſe transferre per venditoris fraudem ſtudet; nec poteſt in mala non hærere cupiditate, qui rem ab eo nundinatur, quem ſcit, eſſe non dominum, nec ius alienandi habere. l. 34. §. 3. ff. *de contrah. empt.*

TITVLVS V.

Pro herede, vel poſſeſſore.
Iung. tit. 29. libr. 7. C. *De uſucapione pro herede.*

TH. 1. TERTIVS titulus ſpecialis eſt pro herede, quo defunctus res alienas ſingulares, (a) bona fide (b) poſſ. ſſus in hereditate reliquit, & heres eas bona fide inventas hereditatis cauſa poſſedit. l. 3. l. 11. ff. h. t.

(a) Non verò univerſales, ſeu ius hereditarium; quod uſucapi nequit, cum ſit ius incorporale, nulli rei immobili cohærens (ut ſervitus cohæret, ideo etiam uſucapitur. l. 2. C. *de ſervit.*) tam mobilia, quàm immobilia continens.

(b) Si verò defunctus mala fide res alienas poſſederit, ignorantia heredi ad uſucapionem non prodeſt, quia in defuncti vitium ſuccedit. l, 3. ff. h. t. l. 11. C. *de acquir. poſſeſſ.*

TH. 2. Vſucapioni pro herede etiam tunc locus eſt, quando heres rem defuncto commodatam, vel apud eum depoſitam bonâ fide accipienti vendiderit. §. 4. *Inſt. de uſucap.* ſi autem res iſtæ tali modo in hereditate inventæ, adhuc apud heredem extiterint, nullâ venditione factâ, ab ipſo uſucapi nequeunt. Ratio eſt, quia ius uſucapiendi in perſona heredis æſtimatur ex fide & titulo defuncti propter repræſentationem. E. ſi defuncto poſſeſſio non profuit, nec ipſius ſucceſſori prodeſſe debet. d. l. 11. C. *de acquir. poſſeſſ.*

TH. 3. Sicuti pro herede poſſidere dicitur, qui ut heres ex hereditatis cauſa poſsidet. l. 11. ff. *de petit. hered.* ita pro poſſeſſore, (a) qui ex cauſa bonorum poſſeſsionis Prætoriæ poſsidet. l. 3. §. 1. ff. *de bon. poſſeſſ.* quia bonorum poſſeſsio Prætoria hereditati eſt ſimilis. d. l. 3. §. d.

(a) Per eum intelligimus iuſto titulo & bona fide poſſidentem, non verò nudum poſſeſſorem, qui mala fide poſſidet, ut prædo. l. 10. *& ſeqq. ff. de petit. hered.*

TITVLVS VI.

Pro donato.

Iung. tit. 27. lib. 7. C. d. t.

TH. I. ILLE ſpeciali titulo nimirum pro donato uſucapit, qui rem à non domino bona fide donatam poſſidet. l. 1. ff. h. t. l. 3. C. *eod.*

TH. 2. Eiuſmodi donatio iure ſit valida, oportet. Vnde colligitur, donatum coniugi à coniuge, aut à patre filiofam. pro donato non uſucapi, quia eſt contra iuris prohibitionem. l. 1. §. 1. *&* 2. l. 3. *&* 4. ff. h. t. licet contrahentes ſibi perſuadeant, donationem talem ſubſiſtere; cum error iuris non ſit iuſtus, nec in uſucapionibus proſit. l. 26. ff. *de uſucap.* habetur enim pro ſcientia.

TITVLVS VII.

Pro derelicto.

TH. I. TITVLVS ſpecialis pro derelicto eſt, quo quis rem à non domino, (a) pro derelicto verè habitam, (b) tanquam à vero domino pro derelicto habitam poſſidet. l. 4. *&* 7. ff. h. t.

(a) Quod ſi ab ipſo vero domino res pro derelicto ſit habita, occupanti ſine uſucapione conceditur. l. 1. ff. h. t.

(b) Quod fit, cum dominus rem ea mente abjicit, ut illam in numero rerum ſuarum diutius eſſe nolit. §. *qua ratione,* 47. *Inſt. de rer. diviſ.*

TITVLVS VIII.

Pro legato.

TH. I. TITVLVS ſpecialis pro legato eſt, quando à teſtatore alienæ res legatæ & traditæ ſunt, & à poſſidente bona fide ſunt acceptæ. l. 1. 2 *&* 8. ff. h. t.

TH. 2. Legatorum nomine nemini rem alienam legatam uſucapere permittitur, ſi teſtamenti factionem non habuerit, ratio in eo conſiſtit, qnod ea poſſeſſio ex teſtamenti iure deſcendat. l. 7. ff. h. t.

TITVLVS IX.

Pro dote.

Iung. tit. 23. libr. 7. C. d. t.

TH. I. TITVLVS ſpecialis pro dote eſt, quo maritus alienam rem in dotem datam accepit. l. 1. *pr.* l. 3. ff. h. t. eamque uſucapit; uſucapio tamen à tempore nuptiarum demum incipit, & continuatur conſtante matrimonio. l. 1. §. 2. *&* 3. ff. h. t. *l. un.* C. h. t.

TITVLVS X.

Pro ſuo.

TH. I. TITVLVS pro ſuo, (a) eſt partim generalis, partim ſpecialis. Generalis cum alijs concurrit, & ita dicitur ex quacunque cauſa, ex qua dominium acquiri poteſt. l. 1. ff. h. t. Specialis eſt, cum alius titulus dari nequit, & tamen æquitas ſuadet, ut ſe tueatur poſſeſſor. e. g. ſi quis cervum alterius manſuetum putans nullius eſſe, in ſylva cœperit, ac per definitum tempus retinuerit, vel ſi gemmas, aut pretioſos lapillos, qui iter facienti exciderunt, in

(c) Quæſtio emergens eſt, quæ proceſſum reſpicit, ad judicij ordinationem, vel firmationem ſpectans. Hæc lite eſt recentior, nec litem perimit. e.g. ſi proponatur quæſtio, utrum quis ſit, vel poſſit eſſe procurator, an Iudex ſit competens, &c. qualis eſt, qui in iſto loco habet iuriſdictionem quoad cauſam & perſonam.

TH. 6. Sententia definitiva, (Germanicè *ein endurtheil*,) eſt, qua ipſa cauſa principalis in iudicium deducta, vel condemnando, vel abſolvendo deciditur. l. 1. ff. h. t.

TH. 7. Antequam iudex competens ſententiam ferat, litis conteſtatio, probationes, cauſæ cognitio, & legitimus procedendi ordo præcedere debet. Proinde judici incumbit præprimis proceſſum examinare, & an iudicium rationę iudicis, litigantium, & ordinis rectè conſtitutum, & peractum ſit; factum etiam cum circumſtantijs perpendere cogitur, quo peracto in actionem eiuſque requiſita inquirat, utrum ea ſint probata, an autem per exceptionem eliſa. Quibus omnibus ritè à judice habili, & competente (a) examinatis, & ponderatis, iudex pro tribunali ſedens, (b) loco conſueto, (c) & die iuridico, (d) partibus litigantibus, vel eorum procuratoribus præſentibus, (e) ſententiam pronunciat.

(a) *t. t. C. ſi à non compet. iudic. fuer.*

(b) *Novel. 82. c. 3. l. 6. §. ult. ff. de poſtul. & c. fin. de ſent. & re iud. in 6* ubi dicitur, quod ſententia ſtando, & non ſedendo prolata nullius ſit momenti, quod de ijs cauſis, quæ plenam cognitionem requirunt, eſt intelligendum, non verò de his, quæ de plano tantum aguntur, eiuſmodi ſtando à iudice pronunciari poſſunt.

(c) l. 11. ff. *de Iuſtit. & iur.* l. 6. C. *de ſent. & interlocut. omn. iud.*

(d) E. ſi die feriato ſententia feratur, ceſſat abſentis contumacia, vel ſi nocte pronuncietur. *Novel. 82. c. 3.* l. 1. ff. & l. 7. l. 11. C. *de ferijs.*

(e) Quos ad ſententiam audiendam citare oportet. l. *6. C. quom. & quand. iud. ſent. profer. deb.* l. 47. l. 60. ff. *Novel* 112. *c. 3.* interdum quoque ſententiam pronunciat iudex, altera parte per contumaciam abſente. l. 1. C. *quom. & quand. &c.*

TH. 8. Sententia iudicis ſequentia continere debet, [1] judicis & partium nomina, [2] ut ſit iuri conformis; non apertè contra leges lata. *pr. Inſt. de offic. iudic.* l. 31. ff. h. t. [3] libello & actis congrua, l. 18. ff. *commun. divid. l. ult. C. de fideicomm.* quod fit primo, vel quoad rem petitam, ne reus in alia re condemnetur, vel ſecundo quoad cauſam petendi; quare ſententia, vel abſolutionem ab eo, quòd petitum eſt ex cauſa, vel condemnationem continet. l. 1. ff. h. t. [4] certa. §. 32. *Inſt. de action.* l. 3. C. *de ſentent. quæ ſine cert. quant.*

prof. Ratio eſt, quia ſententiæ finis eſt determinare litem, quem non conſequetur, niſi per certam pronunciationem; aliàs namque ex lite lis oriretur nova. Vnde non valet ſententia; quæ bona accepiſti, ſolve, cum incertum, quid acceptum ſit. *l. ult. C. de ſent. quæ ſine.* Item nec illa, omne debitum cum uſuris competentibus ſolve. Sententia verò certa eſt, vel per ſe, & ſimpliciter; cum iudex certam quantitatem nominatim exprimit, & deſignat, in quam reum nominatim condemnat, ſeu quando ex ſententia clarè apparet, quid, quale, & quantum id ſit, ad quod reus condemnatur; vel per relationem ad locum, vel tempus, vel quantitatem antea determinatam, vel libellum factum, vel inſtrumentum obligationis. l. 5. §. 1. ff. h. t. l. 59. ff. *eod.* l. 3. *&* 4. C. *de ſentent. quæ ſin. cert. quant.*

TH. 9. Sententiam definitivam iudex de toto, quod in iudicium expreſsè, vel tacitè eſt deductum, ferre tenetur. E. ſi non de toto, ſed parte ſententiam ferat, ea ſententia iure declaratur nulla. l. 27. ff. *famil. erciſcund.* l. 3. C. h. t. Excipe, ſi plura ſint litis capita, quo caſu ſuper quibuſdam eorum ſententiam ferre legitimè poteſt, déque reliquis ulterius quærere, atque ſententiam ferre. *l. penult. C. de ſentent. & interlocut. l. 41. ff. famil. erciſcund.*

TH. 10. Quæritur, ſi plures ſint iudices competentes, qui de cauſa cognoſcunt, utrum omnes ſententiam pronunciare debeant? Reſp. diſting. iudices quidam, vel abſunt, vel omnes adſunt. Priori caſu ſententia à præſentibus lata non valet, omnes enim pronunciare debent. l. 37. *&* 39. ff. h. t. Poſteriori caſu ſi iudices in ferenda ſententia non conveniant, tunc majora vota concludunt. l. 36. *&* 39. ff. hoc tit. l. 27. §. 3. ff. *de recept. arbitr.* Quod ſi eorum ſuffragia fuerint paria, tunc ratio cauſarum & perſonarum eſt habenda: unde in cauſis liberalibus ſententia pro libertate prævalet. l. 38. ff. h. t. In alijs cauſis, pro reo pronunciandum.

TH. 11. Quæritur, utrum iudex victum in expenſas condemnare teneatur? Reſp. regulariter hoc verum eſt. l. 13. §. 8. C. *de iudic. l. pen.* C. *de fruct. & lit. expenſ.* Hinc etiamſi expreſsè à victore non petitæ fuerint, tamen petitæ intelliguntur, ubi victor à judice generatim petit jus & juſtitiam ſibi omni meliori modo adminiſtrari, videtur enim ſuper acceſſorijs officium judicis imploraſſe. *Gail.* 1. *obſ.* 151. *Mynſing.* 4. *obſ.* 55. Hæc in expenſas condemnatio tam in criminalibus, quàm in civilibus cauſis obtinet. l. 3. C. *de his, qui accuſ. non poſſ.*

TH. 12. Sententia iuxta jus civile in procuratorem, & non in dominum ferenda eſt. l. 1. C. *de ſentent. interlocut. l. pen. ff. iudic. ſolv.* ratio eſt, quia procurator per litis conteſtationem fit litis dominus. c. 1. §. 1. *de procurat. in 6.* Iure Canonico in utrumque, tam in dominum, quàm in procuratorem ſententia ferri poteſt. *cap. ſuſcitata, Extr. de reſtit. ſpoliat.* Excipe cauſam matrimonialem & criminalem, in quibus cauſis in dominum duntaxat ferenda eſt.

TH. 13. Iudicem, vel adverſarium corrumpens cauſa cadit, l. 1. C. *quomod. & quand. iud.* & in quadruplum damnatur. *l. ſancimus, 6. C. ad L. Iul. repetund.*

TH. 14. Iudex, qui dolo, (a) vel culpa (b) malè iudicat, litem ſuam facit; (c) & ideo ob dolum commiſſum ex delicto, ob culpam ex quaſi delicto obligatur. (d)

(a) Si ob inimicitiam, pecuniam, ſive munera accepta, vel gratiam & ambitionem (quod hodie multorum animos à vero abſtrahit) iniuſtè iudicaverit: quo caſu infamia notatur, & dignitatem amittit, damnumque læſo illatum reſtituere tenetur. l. 2. C. *de pœna iud. qui mal. iud.*

(b) Quod fit propter eius imperitiam, iudici enim incumbit ius ſcire, quod ignorare, lata culpa eſt.

(c) Hoc eſt, damnum alienæ litis in ſe transfert, & tenetur parti, cuius intereſt, in tantum, quantum religioni iudicantis æquum videbitur.

(d) Quod ei datum eſt ad tripli reſtitutionem, promiſſi verò duplum reſtitui condemnatur, & quidem in cauſa pecuniaria, ſive civili; aſt in cauſa criminali, omnia eius bona confiſcantur, inque exilium mittitur. *Auth. ſed novo iure, C. de pœn. indic. qui mal. iudic. Novel.* 142. *c.* 2.

TH. 15. Sententia ſemel lata, à judice reſcindi nequit. l. 14. l. 42. & l. 55. ff. h. t. l. 1. C. *ſentent. reſcind. non poſſ.* (cum officio ſuo ſit functus *l. Paulus, 42. l. Iudex, 55.* ff. h. t.) nequidem interveniente Principis reſcripto. *l. ult. C. ſentent. reſcind.* neque prætextu inſtrumentorum noviter inventorum. l. 2. & 4. C. h. t. neque ob omiſſam aliquam peremptoriam exceptionem. l. 2. C. *ſentent. reſcind. non poſſ.* quia illa ante ſententiam erat proponenda. Exceptiones ab hac regula ſunt ſequentes; [1] ſi quis in integrum reſtituatur. *l. divus Hadrianus*, 33. ff. h. t. vel [2] dolo adverſarij factum, quo minus inſtrumenta ante proferri potuerint. *arg.* l. 19. C. *de tranſact.* [3] ſi victus à lata ſententia appellaverit. l. 2. C. h. t. vel [4] ab ea ſupplicatum. *l. un. C. de ſentent. Præfect. Prætor.*

TH. 16. Qui à judice eſt abſolutus, ſi iterum ab adverſa parte conveniatur, exceptionem rei judicatæ legitimè opponere poteſt, vide *t. t. ff. de except. rei iudicat.*

TH. 17. Actio iudicati eſt actio in perſonam, (a) ei competens, pro quo iudicatum eſt, eiuſque heredibus, contra condemnatum (b) (ſive per ſe, ſive per procuratorem, cuius factum dominus habuit ratum l. 56. ff. *de iudic.*) ut is ſententiæ pareat.

(a) Cum ſit ex quaſi contractu, l. 3. §. 11. ff. *de pecul.* l. 29. ff. *de novation.*

(b) Non veró contra tutorem vel curatorem, l. 4. §. 1. ff. h. t. aut procuratorem, quia illi ſuo nomine non litigant; Excipe, niſi is (1) ſit procurator in rem ſuam, l. 4. *pr.* ff. h. t. vel (2) niſi ſe liti obtulerit.

TH. 18. Quod ſi à condemnato poſt rem iudicatam reſtitutio rei non fiat, ſed ſubdolè detineatur, (a) reſque interim pereat, æſtimationem rei victor hac actione petere poteſt, (b) imò & fructus atque uſuras poſt legitimum tempus, puta quatuor menſes à victo, ſive condemnato petere conceditur, l. 1. §. 6. ff *de uſur.* l. 1. 2. & 3. C. *de uſur. rei iudic.*

(a) E. ubi victus reſtitutionem rei non moratur, & illa abſque eius culpa caſu perit, æſtimationem rei præſtare non cogitur. l. 88. ff. *de R. I.* l. 127. ff. *de V. Obligat.*

(b) l. 7. C. *de execut rei iudicat.*

TH. 19. Plures ſi una ſententia in unam ſummam condemnentur, ſinguli pro virilibus ſaltem partibus, & non in ſolidum ex cauſa iudicati tenentur, etiamſi cæteri non ſint ſolvendo, quia ex perſona cæterorum ex eadem ſententia nemo conveniri debet. l. *Paulus* 43. ff. h. t. l. 1. & 2. C. *ſi plur. una ſent.* Excipe niſi (1) in ſententia iudex expreſsè pronunciaverit, omnes in ſolidum condemnari, vel (2) niſi res debita ſit individua. l. 192. *de R. I.* l. 65. ff. *de eviction.*

TH. 20. Sententia, poſtquam in rem iudicatam tranſijt, facit ius inter partes litigantes, quibus ſolis emolumentum & præiudicium affert, t. C. *res inter alios acta.* l. 2. C. *quib. res iudic. non noc.* ſive cauſa ſit civilis, ſive criminalis, l. *pen.* C. d. t. l. 2. C. *de fide inſtrument.* etiamſi negotium, quod alius habet, ei per omnia ſit ſimile, ſuper quo ſententiam pronunciavit iudex, l. *ult. C. quib. res iudic. non noc.* ſic ſententia contra heredum unum lata, alteri non nocebit, ſua enim ipſi manet integra defenſio, l. 63. *in med.* ff. h. t. quia alteri per alterum iniqua conditio non eſt inferenda, nec alter alterius facto prægravandus.

TH. 21. Si condemnatus, rem certam adjudicatam ſponte debito tempore (a) non reſtituat, victor adit iudicem (b) ſive Magiſtratum, juriſdictionem habentem, ut is rem judicatam exequi (c) iubeat. (d)

(a) Quod eſt in actionibus perſonalibus poſt quatuor menſium lapſum, l. *ult.* §. 1. C. *de uſur. rei ind.* in realibus actionibus executio continuo peragitur,

ſi res ſtatim reſtitui poteſt. §. 2. *Inſt. de offic. iudic.*

(b) Non autem pedaneum; hic enim ſententiam à ſe latam non exequitur, ſed eum adit, qui iudicem pedaneum dedit, l. 15. *pr.* ff. h. t. contrarium obtinet in iudice dato à Principe & Pontifice; hic enim ipſe iuriſdictionem habet, unde & iudicem dare, & ſententiam exequi poteſt. l. 6. C. *de iudic.* c. 5. *Extr. c. paſtoralis* 28. *Extr. de offic. de legat.*

(c) Si res extet, manu militari condemnato auferenda, & victori tradenda, l. 68. ff. *de Rei vindic.* aut in poſſeſſionem victor eſt mittendus, l. 1. ff. *quib. ex cauſ. in poſſeſ. eat.* aſt ſi non res, ſed rei æſtimatio, debiti ſolutio, aut intereſſe præſtandum ſit, executio fit captis pignoribus, l. 4 *&* l. 15 §. 2. 3. ff. h. t. in quibus hunc ordinem leges ſervari volunt (1) ut res mobiles capiantur, ijs deficientibus immobilia; tandem & iura & nomina capi permittitur, l. 15. §. 2. 3. *&* 8. ff. h. t.

(d) Non ipſe Magiſtratus ſententias à ſe latas exequi ſolent, per alios, puta ſuos officiales, qui executores dicuntur. l. 1. *&* 6. C. *de execut. rei iudic.*

TH. 21. Si res adiudicata in alieno ſit territorio, tunc iudex, qui ſententiam tulit, iudicem rei ſitæ per literas requiſitoriales adit, ut is executionem fieri mandet. l. *à divo Pio* 15. §. *ſententiam* 1. ff. h.t. l. 45. §. 1. ff. h.t. l. 12. §. 3. C. *de iudic. Novel.* 134. c. 4.

TH. 22. Victor à condemnato regulariter ſolidum exigere poteſt. Excipe, niſi condemnatus gaudeat beneficio competentiæ, (a) vel bonis ceſſerit. (b)

(a) Quod efficit, ut quis ultra id, quod facere poteſt, excuti nequeat, h. e. quod commodè ſolvere poteſt, retento tantum bonorum, ne egeat: hoc beneficio fruuntur (1) parentes, patroni, eorumque liberi, ob pietatem & reverentiam. l. *ſunt qui* l. 16. l. 17. *&* 30. h. t. (2) Maritus, ſi ab uxore de dote reſtituenda conveniatur; uxori enim maritum ad tantas anguſtias redigere non permittitur, ut debita vitæ alimenta dotis exactione ſubtrahantur, d. l. 17. ff. h. t. (3) idem ſtatuitur de uxore & ſocero, ſi illa à marito, hic à nuru, vel genero (cum parentis loco ſit) conveniantur, l. 20. l. 21. *&* 22. ff. h. t. l. 15. ff. *ſolut. matrim.* (4) miles quoque hoc privilegio gaudet propter cauſam publicam, l. 6. *&* 18. ff. h. t. (5) donator ſi ex cauſa donationis cum illo agatur, l. *inter eos* 19. §. *is quoque* 1. ff. h. t. l. 30. ff. *eadem* (6) ſocius omnium bonorum, quia ſocietas complectitur aliquod ius fraternitatis, non ferens rigidam & inclementem unius per alterum exactionem, l. *ſunt qui* 16. ff. h. t. (7) Nobilis & doctor, *Carpzov.* p. 2. *conſt.* 32. *def.* 16. 18. Nota; privilegiatæ hæ perſonæ coguntur tamen nihilominus actoribus nuda repromiſſione cavere de integra ſolutione facienda, quando ad meliorem fortunam pervenerint, l. *verum eſt* 63. §. *idem* 4. ff. *pro ſocio* l. *un.* §. 7. C. *de rei uxor. act.* Hoc privilegio deſtituuntur, ſi ex delicto vel dolo cum illis agatur. l. 22. §. 1. l. *ſi rerum* 52. ff. h. t.

(b) Quoties bona iudicato non ſufficiebant, olim iuxta l. 12. Tabb. carceri mancipabatur victus, ſive condemnatus, l. 1. C. *qui bon. ced. poſſ.* ubi ſi ex ſuo non habeat, unde alatur, alimenta modica illi ſubminiſtrare oportebat actorem. Hanc carceris pœnam evitare debitores poterant bonis cedendo, *de quibus infra* t. 3. *ſeq.*

TH. 23. Cauſa efficiens ſententiæ eſt competens iudex, l. 28. ff. h.t. à quo illa pronuncianda eſt. l. 1. & 2. C. *de ſentent. ex peric. recitand.*

TH. 23. Materia de qua pronunciatur ſententia, ſunt omnes res, de quibus in iudicio agi & diſceptari poteſt. Formam ex Theſi 7. 8. & 9. percipies.

TH. 24. Finis ſententiæ eſt, lites finiri. Effectus, ſententiæ principalis, poſt decennium tranſit in rem iudicatam.

TITVLVS II.

De confeſſis.

Iung. tit. 56. libr. 7. C. d. t.

TH. 1. DE re iudicata & effectu ſententiarum hoc quoque titulo, aliquatenus agitur, cum, ut eſt in l 1. ff. h. t. confeſſus pro iudicato habeatur, & quodammodo ſua ſententia damnatus cenſeatur. Quàpropter nec ſententia iudicis requiritur, ſed in confeſſum, ſicut in iudicatum parata datur executio. l. 56. ff. *de re iudic.*

TH. 2. Confeſſio eſt qualiſcunque contra ſe pronunciatio. Confeſſio debet eſſe libera, aut ſi coacta ſit, ratificationem poſtea requirit. Vnde ſi quis iuſto metu compulſus quid confitetur, confeſſio non nocet; ob id confeſſio in tormentis facta habetur pro nulla, niſi deinceps remotis tormentis, vel in iudicio apud acta, vel in vinculis coram duobus confitens, eam habeat ratam. l. 2. C. *de cuſtod. reor. conſtitut. Crimin. Carol.* 5. *art.* 56. §. *der gefangene, &c.*

TH. 3. Confeſſio eſt duplex, iudicialis, vel extraiudicialis.

TH. 4. Confeſſio iudicialis ſecundum ius vetus fiebat in jure coram pedaneo iudice; iuxta ius novum fit coram Magiſtratu competente in iure, vel in iudicio poſt litem conteſtatam.

TH. 5. Confeſſio extrajudicialis fit extra iudicij locum. l. *tale pactum* 40. *pr.* ff. *de pact.* hæc non eandem habet vim cum iudiciali, ſemiplenam tamen probationem facit, ſi duobus teſtibus probetur, l. 58. § *ult.*

ſi res ſtatim reſtitui poteſt. §. 2. *Inſt. de offic. iudic.*

(b) Non autem pedaneum; hic enim ſententiam à ſe latam non exequitur, ſed eum adit, qui iudicem pedaneum dedit, l. 15. *pr.* ff. h. t. contrarium obtinet in iudice dato à Principe & Pontifice; hic enim ipſe iuriſdictionem habet, unde & iudicem dare, & ſententiam exequi poteſt. l. 6. C. *de iudic.* c. 5. *Extr. c. paſtoralis* 28. *Extr. de offic. de legat.*

(c) Si res extet, manu militari condemnato auferenda, & victori tradenda, l. 68. ff. *de Rei vindic.* aut in poſſeſſionem victor eſt mittendus, l. 1. ff. *quib. ex cauſ. in poſſeſ. eat.* aſt ſi non res, ſed rei æſtimatio, debiti ſolutio, aut intereſſe præſtandum ſit, executio fit captis pignoribus, l. 4 *&* l. 15 §. 2. 3. ff. h. t. in quibus hunc ordinem leges ſervari volunt (1) ut res mobiles capiantur, ijs deficientibus immobilia; tandem & iura & nomina capi permittitur, l. 15. §. 2. 3. *&* 8. ff. h. t.

(d) Non ipſe Magiſtratus ſententias à ſe latas exequi ſolent, per alios, puta ſuos officiales, qui executores dicuntur. l. 1. *&* 6. C. *de execut. rei iudic.*

TH. 21. Si res adiudicata in alieno ſit territorio, tunc iudex, qui ſententiam tulit, iudicem rei ſitæ per literas requiſitoriales adit, ut is executionem fieri mandet. l. *à divo Pio* 15. §. *ſententiam* 1. ff. h. t. l. 45. §. 1. ff. h. t. l. 12. §. 3. C. *de iudic. Novel.* 134. c. 4.

TH. 22. Victor à condemnato regulariter ſolidum exigere poteſt. Excipe, niſi condemnatus gaudeat beneficio competentiæ, (a) vel bonis ceſſerit. (b)

(a) Quod efficit, ut quis ultra id, quod facere poteſt, excuti nequeat, h. e. quod commodè ſolvere poteſt, retento tantum bonorum, ne egeat: hoc beneficio fruuntur (1) parentes, patroni, eorumque liberi, ob pietatem & reverentiam. l. *ſunt qui* l. 16. l. 17. *&* 30. h. t. (2) Maritus, ſi ab uxore de dote reſtituenda conveniatur; uxori enim maritum ad tantas anguſtias redigere non permittitur, ut debita vitæ alimenta dotis exactione ſubtrahantur, d. l. 17. ff. h. t. (3) idem ſtatuitur de uxore & ſocero, ſi illa à marito, hic à nuru, vel genero (cum parentis loco ſit) conveniantur, l. 20. l. 21. *&* 22. ff. h. t. l. 15. ff. *ſolut. matrim.* (4) miles quoque hoc privilegio gaudet propter cauſam publicam, l. 6. *&* 18. ff. h. t. (5) donator ſi ex cauſa donationis cum illo agatur, l. *inter eos* 19. §. *is quoque* 1. ff. h. t. l. 30. ff. *eadem* (6) ſocius omnium bonorum, quia ſocietas complectitur aliquod ius fraternitatis, non ferens rigidam & inclementem unius per alterum exactionem, l. *ſunt qui* 16. ff. h. t. (7) Nobilis & doctor, *Carpzov.* p. 2. *conſt.* 32. *def.* 16. 18. Nota; privilegiatæ hæ perſonæ coguntur tamen nihilominus actoribus nuda repromiſſione cavere de integra ſolutione facienda, quando ad meliorem fortunam pervenerint, l. *verum eſt* 63. §. *idem* 4. ff. *pro ſocio* l. *un.* §. 7. C. *de rei uxor. act.* Hoc privilegio deſtituuntur, ſi ex delicto vel dolo cum illis agatur. l. 22. §. 1. l. *ſi rerum* 52. ff. h. t.

(b) Quoties bona iudicato non ſufficiebant, olim iuxta l. 12. Tabb. carceri mancipabatur victus, ſive condemnatus, l. 1. C. *qui bon. ced. poſſ.* ubi ſi ex ſuo non habeat, unde alatur, alimenta modica illi ſubminiſtrare oportebat actorem. Hanc carceris pœnam evitare debitores poterant bonis cedendo, *de quibus infra* t. 3. *ſeq.*

TH. 23. Cauſa efficiens ſententiæ eſt competens iudex, l. 28. ff. h. t. à quo illa pronuncianda eſt. l. 1. *&* 2. C. *de ſentent. ex peric. recitand.*

TH. 23. Materia de qua pronunciatur ſententia, ſunt omnes res, de quibus in iudicio agi & diſceptari poteſt. Formam ex Theſi 7. 8. & 9. percipies.

TH. 24. Finis ſententiæ eſt, lites finiri. Effectus, ſententiæ principalis, poſt decennium tranſit in rem iudicatam.

TITVLVS II.

De confeſſis.

Iung. tit. 56. libr. 7. C. d. t.

TH. 1. DE re iudicata & effectu ſententiarum hoc quoque titulo, aliquatenus agitur, cum, ut eſt in l 1. ff. h. t. confeſſus pro iudicato habeatur, & quodammodo ſua ſententia damnatus cenſeatur. Quàpropter nec ſententia iudicis requiritur, ſed in confeſſum, ſicut in iudicatum parata datur executio. l. 56. ff. *de re iudic.*

TH. 2. Confeſſio eſt qualiſcunque contra ſe pronunciatio. Confeſſio debet eſſe libera, aut ſi coacta ſit, ratificationem poſtea requirit. Vnde ſi quis iuſto metu compulſus quid confitetur, confeſſio non nocet; ob id confeſſio in tormentis facta habetur pro nulla, niſi deinceps remotis tormentis, vel in iudicio apud acta, vel in vinculis coram duobus confitens, eam habeat ratam. l. 2. C. *de cuſtod. reor. conſtitut. Crimin. Carol.* 5. *art.* 56. §. *der gefangene*, *&c.*

TH. 3. Confeſſio eſt duplex, iudicialis, vel extraiudicialis.

TH. 4. Confeſſio iudicialis ſecundum ius vetus fiebat in jure coram pedaneo iudice; iuxta ius novum fit coram Magiſtratu competente in iure, vel in iudicio poſt litem conteſtatam.

TH. 5. Confeſſio extrajudicialis fit extra iudicij locum. l. *tale pactum* 40. *pr.* ff. *de pact.* hæc non eandem habet vim cum iudiciali, ſemiplenam tamen probationem facit, ſi duobus teſtibus probetur, l. 58. § *ult.*

ff. *de ædilit. edict.* l. 4. & 7. ff, *de probat.*

TH. 6. Confeſſio iudicialis iterum ſubdiſtinguitur in veram, & præſumptam illa eſt, quando quis in iudicio conventus actione aliqua expreſsè confitetur, ſe debere, l. 6. §. 2. ff. h. t. Hæc eſt, quæ colligitur ex factis, re ipſa, ut paciſcendo, contumacia, ſola interdum taciturnitate. l. 1. §. 4. *de tributor. action.* ut ſi quis in jure contumaciter taceat, & reſpondere interroganti iudici nolit, vel ſi quæ ab adverſa parte allegantur, non eat inficias, tacitè enim confiteri videtur.

TH. 7. Confeſſio extraiudicialis fit dupliciter, (1) in ſcriptis, (a) vel (2) vivâ voce. (b)

(a) Quia privata ſcriptura probat contra ſcribentem, etiamſi is, ad quem ſcriptum, abeſt, *arg.* l. 25. § *fin.* ff. *de probat.*

(b) Si quis coram duobus teſtibus probatæ fidei confiteatur. l. 13. ff. *de non numerat. pecun.* in criminalibus ſecundum ius noviſſimum ſi quis duobus teſtibus præſentibus volens confiteatur, vel iactet, ſe hoc vel illud commiſiſſe, ad torturam facit hæc confeſſio, vel iactatio indicium. *art.* 32. & 30. *conſtit. crimin.*

TH. 8. Minor 25. annis contra confeſsionem in integrum reſtituitur. l. 6. §. 5. ff. h. t.

TH. 9. Niſi quis ſit dominus cauſæ, confeſsio eius nihil operatur. E. tutor, curator & procurator ſi quid confiteantur, domino nihil præiudicant. d. l. 6. §. 4.

TH. 10. Confeſsio confitenti duntaxat nocere debet, l. *fin. C. de accuſat.* c. 1. *extr.* h. t. Hinc ſocius criminis de ſe confeſſus ſuper aliorum conſcientijs non eſt interrogandus, excepto Majeſtatis crimine, d. c. 1. *Extr.* h. t. quia de ſua vita deſperans aliorum ſalutem quamvis innocentium poſſet reddere ambiguam, d. l. *fin. de accuſat.*

TH. 11. Quæritur, an quis iudicialem confeſsionem revocare queat? Reſp. negando per l. *un.* C. h. t. dum enim quis confeſsionem ſuam revocare conatur, mendacium ſuum detegit, proinde potius puniendus, quam audiendus eſt, *arg. Auth. contra qui C. de non numer. pecun.* Aſt ſi ex errore confeſſus fuerit, confeſsio ei remittitur, errorem tamen expreſsè, & legitimè probare tenetur confitens.

TH. 12. Quæritur, an in criminalibus ſententia poſt confeſsionem factam ſit neceſſaria? Reſp. affirm. per l. 5. *in fin. ff. de cuſtod. reor.* quia ad pœnam etiam ipſo iure inflictam nemo ante ſententiam tenetur. Hinc iudici attendendum, non omnes confeſsiones reorum habendas eſſe pro exploratis facinoribus, ſi nulla alia probatio religionem cognoſcentis inſtruat, l. 1. §. 17. ff. *de quæſtion.* poſſet enim confeſsio

potius

potius vitæ tædio, aut deſperatione quadam eſſe emiſſa, quàm conſcientia criminis. d. l. 1. §. 27. ff. *de quæſtion.*

TH. 13. Quæritur, ſi quis moribundus confiteatur, ſe alteri certam pecuniæ ſummam debere, utrum hæc defuncti confeſſio heredibus præjudicet? Reſp. licet moriturus præſumatur veritatem dicere, nec immemor ſalutis æternæ, conceditur nihilominus confitentis heredibus ob æquitatem, probare contrarium, (ſi poſſint) quod videlicet cauſa nulla debiti ſubſit, quo facto liberantur, l. 28. §. *ult.* ff. *de liber. legat.* ſi verò in probatione deficiant, tunc confeſſio obligatoria, & inde dependens debitum valet inſtar fideicommiſſi, l. 93. §. 1. ff. *de legat.* 3.

TH. 14. Quæritur, an confeſſio mariti noceat creditoribus, ſi nimirum moribundus confeſſus ſit, dotem cautam ſibi eſſe numeratam? Reſp. negando, quia nulli creditur in præiudicium tertij, l. *verba C. de teſtib. l. cum quis*, 37. §. 6. ff. *de legat.* 3.

TH. 15. Cauſa efficiens confeſſionis eſt voluntas debitoris, evidentiâ rei atque veritate convicta, vel alijs modis ad confitendum commota.

TH. 16. Formam confeſſionis ex Theſi 2. addiſces.

TH. 17. Finis eſt, vt veritas abſque ulteriori circuitu & inquiſitione eruatur.

TITVLVS III.

De ceſſione bonorum.

Iung. tit. 71. libr. 7. C. *Qui bonis cedere poſſunt.*

TH. 1. IN titulo 1. huius libri Th. 22. lit. b, brevibus expoſuimus, debitorem ſolvendo non exiſtentem iuxta l. 12. Tabb. carceri mancipari, hoc tamen ob commiſerationem exceptionem patitur, niſi bonis ceſſerit debitor, hac enim ceſſione inops debitor carceris moleſtiam aliaſque creditorum vexationes effugit. l. 1. & 4. C. *qui bonis ceder. poſſ.*

TH. 2. Ceſſio bonorum eſt, cum quis oneratus ære alieno bona ſua creditoribus ſponte concedit, ut debitor ſalvâ exiſtimatione ab importunitate & moleſtijs creditorum liberetur, & creditoribus in quantum ipſi poſſibile ſatisfaciat, l. *pen. & ult.* ff. h. t. l. 6. *& ult.* C. h. t.

TH. 3. Omnibus debitoribus qui facultatibus infortunio (a) lapſi ſunt, permittitur bonis cedere; ob id excluduntur illi qui dolo, vel culpâ ſuâ (b) deſinunt eſſe ſolvendo.

(a) Ratione huius commiſerationi ſolummodo eſt locus. §. *ult. Inſt. de Action.*

(b) Vt (1) decoctores, qui foro cedunt multorum pecunijs interceptis, & contra fidem publicam aliò confugiunt, *ordin. polit. Carol.* 5. *tit. von verdorbenen Kaufleuten*, bancoruptores dicti. (2) qui in fraudem creditorum bona alienarunt. (3) qui pecuniam aleâ perdiderunt, helluando luxurioſè vivendo, in meretrices atque ſcorta publica profuderunt, quo vitio proh dolor! plus nimio magna hodie iuventutis pars execratis illecebris ita capta, præprimis hîc Pariſijs, ut in voluntariam cæco impetu ruens labyrinthum, corpus & animam eant perditum, (3) debitores locupletes, h. e. qui creditoribus ſatisfacere queunt, ad bonorum ceſſionem non admittuntur. l. 7. C. h. t.

TH. 4. Requiſita ceſſionis ſunt tria, [1] ut debitum ſit liquidum, quod tale eſt vel ex ſententia iudicis condemnatoria, vel ex propria debitoris confeſſione, l. 8. ff. h. t. (2) creditores citentur ad actum bonorum ceſſionis, (3) ut debitor omnia bona (a) alienari non prohibita (b) iuratò indicet, & cedat.

(a) Quæ tunc temporis habuit, ita ut ipſi præter veſtem quotidianam (quæ ipſi ratione humanitatis, ne nudus incedat, *arg. l. ult. ff. de bon. damnat.* conceditur) nihil quicquam à creditoribus relinquatur.

(b) Quorum commoditas tantum, quoad debitoris vitam, tranſit ad creditores; huc referuntur bona emphyteutica, feudalia & fideicommiſſa, horum commoditas in fructibus conſiſtens vi debiti in ſatisfactionem creditoribus cedi poteſt, ſcil. pro tempore vitæ debitoris, *arg.* l. 8. *in fin. ff. de peric. & commod. rei vendit.* proprietas verò cedi nequit, cum hæc bona quaſi ſint aliena, quæ poſt mortem debitoris in alios tranſeunt.

TH. 5. Debitor non ſemper ad ceſſionem urgetur, ſed quinquennales inducias moratorias à creditoribus expetere, ei permittitur; ubi attendendum, ſi circa has inducias diſſenſerint creditores, quibuſdam inducias concedentibus, quibuſdam ceſſionem eligentibus; præferendi ſunt, quibus plus debetur, quamvis unus ſaltem ſit creditor, eius electioni ſtetur; quod ſi debitum inter diſſidentes creditores fuerit æquale, & numerus perſonarum prævaleat, huic electio conceditur, utrum inducias moratorias, an ceſsionem velint. Aſt ſi ratione quantitatis debitæ & numeri perſonarum ſit æqualitas, tum præfertur pars indulgens inducias, ob pietatem & commiſerationem. l. *ult.* C. h. t.

TH. 6. Poſt ceſſionem bonorum factam creditores non ſtatim im-

petrant horum dominium, ſed à competente iudice impetrare debent, ut bona diſtrahantur, indeque ipſis ſatisfiat, l. 4 C. h. t. ſi bona ad debita ſolvenda non ſint ſufficientia, debitor ob factam ceſſionem à debito nondum ſoluto minimè liberatur. Suſpenditur tamen actio adverſus debitorem, donec ad pinguiorem fortunam pervenerit. l. 6. ff. h. t.

TH. 7. Quæritur, an bonis cedentes notentur infamia? Reſp. negando, [1] per expreſſum textum, l. 11. C. *ex quibus cauſ. infam. irrogat.* afflicto enim non eſt addenda afflictio, ſufficit, ſe omnibus ſuis bonis deſtitutum, adque incitas redactum miſerrimè vivere, [2] cum nulla ſit lex eos infamia notans, l. 1. *&* l. *ult. verſ. ſalva eorum exiſtimatione C. qui bonis ceder. poſſ.* nequidem infamia facti notantur, ratio eſt, quia cedere bonis eſt de genere permiſſorum, & indifferens, nec probrum aliquod; quapropter etiam beneficium iuris dicitur.

TH. 8. Moribus & ſtatutis multorum locorum reditur ad ius antiquum, ita ut contra obæratos creditores paratum remedium habeatur carcer publicus, ut hic in florentiſſimo Galliæ regno, Hiſpania, Anglia, Belgio, & in Germania ſuperiori, in quem intrudi ſolent debitores, & tamdiù retineri, donec creditoribus ſatisfaciant; in nonnullis locis aluntur à creditoribus, vel Magiſtratu, alibi verò ex eleemoſinis tranſeuntium, quos miſerrimo ululatu implorant, vivunt. *Vide Magnif. Dn. Mævium in theatr. concurſ. credit. Th.* 46.

TH. 9. Cauſa efficiens ceſſionis eſt voluntas debitoris æs alienum confitentis, l. 6. C. h. t. & ex duobus malis minimum eligentis, qui bonis cedere, quam gravius quid perpeti mavult. *arg.* l. 22. ff. *de rit. nupt.*

TH. 10. Materia ſunt omnia debitoris bona, hic enim uſque ad ultimum quadrantem à creditoribus excutitur, l. 4. C. h. t. Formam ex Theſi 4. quodammodo percipies.

TH. 11. Finis ex Theſi 2. percipi poteſt, nimirum ut creditoribus ſatisfiat, & debitor à creditorum vexatione liberetur.

TITVLVS IV.

Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur.

TH. I. HVNC titulum cum ſuperioribus tribus, multis modis aptiſſimè continuari, haud obſcurè conſtat. Proximiori quidem ita annectitur, quia ut in eo debitor cedit bonis, ita à contrario in hoc creditor de poſſeſſione, in quam miſſus fuerat, aliquo caſu decedit. l. 5. §. 1. *&* 2. ff. h. t. l. 15. §. *fin.* ff. *de damn. infect.* & generaliter, ſi ei ab adverſario ſatisfactum ſit. l. 5. § 1. ff. *ut in poſſeſſ. leg.* item & ipſe debitor interdum de veteri ſua poſſeſſione coactus decedit, puta ex cauſa damni infecti poſt tempus aliquod, l. 4. § 2. l. 15. § 9. ff. *de damn. infect.* Et in univerſum, quicunque miſſionem in poſſeſſionem patitur, poſſeſſione bonorum ſuorum aliquatenus cedere videtur eo ipſo quod latitat, nec defenditur, l. 2. *&* 7. *pr.* ff. h. t. Deinde hic titulus conjungitur titulo 2. de confeſſis hoc modo, qui latitat, nec defenditur, confiteri intelligitur, ſeque ſuſpectum ſuâ ſententiâ facit, l. 7. §. 1. ff. *de ſuſpect. tutor. &c.*

TH. 2. Tres imprimis ſunt cauſæ, ex quibus in poſſeſſionem mitti ſolet, [1] rei ſervandæ, hoc eſt debiti cauſa, [2] legatorum ſervandorum gratia, & (3) ventris nomine; quibus accedit damni infecti nomine, ſi non caveatur, miſſio, ſed non in omnia bona, verum in eam duntaxat rem, ex qua damnum timetur. l. 1. ff. h. t. l. 4. § 1. ff. *de damn. infect.* de primo membro hic agitur, d. l. 1. ff. h. t. de ſecundo ſupra ad *t.* ff. *ut in poſſeſſ. legat. vel fideicom. ſervand. grat.* & de tertio *ad t.* ff. *de ventre in poſſ. mittend.* tractatum eſt.

TH. 3. Miſſio rei ſervandæ cauſa dicitur ab Interpretibus decretum primum, ex quo Magiſtratus, præmiſſâ ſummariâ cauſæ cognitione (a) actorem cuſtodiæ cauſa mittit (b) ut hic bona latitantis (c) tamdiu retineat, donec reus tædio affectus compareat.

(a) *Auth. & qui iurat. C. de bon. auth. judic. Nov.* 53. c. 4. quia antequam miſſio decernitur, certum eſſe debet, reum eſſe debitorem & contumacem.

(b) l *cum legatorum* 12. ff. h. t.

(c) Latitare, eſt poteſtatem ſui non facere, vel id agere, ne adverſarius eius copiam ſui habeat. l. 2. §. 1. ff. h. t.

TH. 4. Furioſis, prodigis & pupillis, quamvis animus latitandi & fraudandi deſit, ſi tamen præſentes à tutoribus & curatoribus ſuis non defendantur, habentur pro abſentibus. *l. ſi pupillus, 10.* ff. h. t. ideo in eorum bona miſſio fieri poteſt. l. 7. §. 10. *&* 12. l. 3. § *ult.* l. 4. ff. hoc tit.

TH. 5. Si debitor intra annum veniat, & iudicio ſe offerat, cautionemque iudicio ſiſti præſtet, & damna atque impenſas abſque dolo malo in bona poſſeſſa factas reſarciat, bona ei reſtituuntur. l. 9. *pr. &* §. 4. ff. *de rebus author. iudic. poſſ.*

TH. 6. Quod ſi reus, in cuius bona miſſio ex primo decreto facta, ob contumaciam non comparuerit, actori ex ſecundo decreto, poſt anni lapſum bonorum poſſeſſio conſtituitur. l. 15. §. 16. ff. *de damnat. infect.*

TH. 7. Cauſa efficiens miſſionis eſt Magiſtratus competens, in cujus territorio bona Rei ſunt ſita. l. 12. §. 1. ff. *de reb. author. iudic. poſſid.* creditori enim privatâ authoritate bona debitoris occupare non licet. l. 13. ff. *quod met. cauſ.* Cauſa impulſiva eſt petitio creditoris, quia officium ſuum non impertitur iudex, niſi imploratus. l. 4. §. 8. ff. *de damnat. infect.*

TH. 8. Materia ceſſionis ſunt omnia debitoris bona, non verò alterius. l. 1. §. 4. ff. *ne vis fiat ei, &c.*

TH. 9. Forma, ut iudex ſummatim cognoſcat, quid debeatur, & qualis ſit debitoris fruſtratio, poſtea ſolenni decreto miſſionem decernat.

TH. 10. Finis, ut tædio affectus debitor ad reſpondendum veniat. l. 5. ff. *ut in poſſeſſ. legat.* Effectus eſt immiſſus creditor detinet, & ius pignoris conſequitur non poſſidet, qui cum reo in fundo commoratur, ne fructus peſſum eant, hos quidem non lucratur, colligere tamen cogitur. l. 8. *&* 9. ff. *de rebus author. iud. poſſ.*

TITVLVS V.

De rebus authoritate iudicis poſſidendis, ſeu vendendis.

Iung. tit. 72. libr. 5. C. *De bonis authorit. iud. poſſ.*

TH. 1. IN præcedenti titulo diximus, miſſionem ex primo decreto, jus detinendi & pignoris ſaltem efficere, (a) ex ſecundo autem decreto, quod effluxo anno integro à primo decreto numerato demum incipit, (b) miſſum fieri bonorum poſſeſſorem. (c)

(a) l. 26. ff. *de pignor. act.* l. 2. C. *qui potior. in pignor.*
(b) l. 8. §. 3. C. *de præſcript. 30. annor. Novel.* 53. *c.* 4. §. 1.
(c) d. l. 15. §. 16. ff. *de damno infect.*

TH. 2. Miſſionem in bonorum poſſeſſionem ex ſecundo decreto factam poſt tempus, quod iudicis arbitrio relinquitur. l. 9. C. h. t. ſubſequitur venditio, & ſolennis bonorum ſub haſta (a) diſtractio, (b) ut creditoribus ſatisfiat. l. 3. C. *de execut. rei iudic.* l. 15. §. 2. ff. *de re iudicat.*

(a) Quam in foro ponunt, quod venditionis eſt ſignum. l. 1. 2. & 5. C. *de fide & iure haſtæ fiſc.*
(b) Quæ ideo fieri ſolet, ne creditores ob Rei abſentiam, vel contumaciam diutius fruſtrentur, aut inter creditores diſcordia quam bonorum communio excitare ſolet, naſcatur. Hinc ex eorum diſtractione cuilibet pro rata debiti quantitate, ſi omnes æquè ſint privilegiati, ſatisfit, ſin verò nonnulli ſint potiores, potius etiam illis attribuitur jus.

TH. 3. Debitor hac bonorum diſtractione amittit dominium. l. 5. §. *fin.* ff. *commodat. arg. l. 18. C. de diſtract. pign.* liberatur tamen à creditoribus, ſi nimirum illis integrum debitum ex rerum venditarum diſtractione obvenit.

TH. 4. Si plures res diſtrahendas emere velint, emptoribus extraneis præferuntur cognati; extraneis verò & cognatis præfertur creditor, vel ſi inter creditores diſſenſio de hac re emenda oriatur, tunc ei, cui major pecuniæ ſumma debetur, venditur; intellige ſi tantundem,

quantum alius pro ea dare paratus eſt, dederit. *l. cum bona*. l. 16. ff. h. t. Vnde & hæc auctionum regula obſervatur, ut qui licitatione vicerit, melioremve conditionem attulerit, ei res addicatur. l. 4. C. *de fid. & iur. haſtæ fiſc. l.* 4. *C. de vectigal.*

TH. 5. Bona feudalia in venditionem non veniunt, niſi ratione fructuum; cum aliàs in debitoris bonis non cenſeantur. *Gail. 1. obſerv.* 117.

TH. 6. Si plures ſint creditores, inter quos ceſſa bona ſunt dividenda; animadvertere oportet, [1] creditores (a) in certo termino eſſe citandos, [2] eoſdem credita ſua edere, ac probare, ſive liquidare teneri, & dehinc [3] in iuſto ordine, atque loco eſſe collocandos. (b)

(a) Quibus ex quacunque cauſa debetur, ſive ex obligatione, conventione, delicto. ſive ex iure in re conſtituto. l. 10. 11. 12. 108. ff. *de V. Signif.*

(b) *Vide Dn. Carpzov. libr.* 1. *conſt.* 28. *defin.* 1. *&* 12.

TH. 7. Creditores in concurſu creditorum non promiſcuè, & abſque diſcrimine ad bona debitoris admittuntur, ſed alij alijs præferri ſolent, [1] ob peculiare ius in re, apud debitorem exiſtente, [2] ob prioritatem, & [3] ob ſeparationem bonorum, ſcilicet debitoris defuncti, eiuſque heredis.

TH. 8. Ob ius in re præferendi ſunt, qui iure dominij res ſuas apud debitores exiſtentes petunt per rei vindicationem; ijs verò non exiſtentibus, poſt hypothecarios demum ad debitoris bona admittuntur. Sic ratione juris in re præferuntur [1] precariò concedentes, qui rem ſuam alij (ſcilicet debitori cedenti) conceſſam, & adhuc extantem repetunt; [2] commodantes, qui rem ſuam debitori commodatam adhuc extantem repetunt, quia nemo commodando rem facit eius, cui commodat. l. 8. 9. & 10. ff. *commodat.* [3] deponentes, qui rem ſuam depoſitam extantem repetunt. l. 17. §. 1. ff. *depoſit.* ſi enim non amplius extet, eo caſu & hypothecarij illis præferuntur. [4] uxor, ratione rerum dotalium, & paraphernalium adhuc extantium, quod maritus de ſua ſubſtantia, creditoribus ſuis ſatisfacere debeat, non verò de dote uxoris, quam ad ſuum victum, & ſuſtentationem poſſidet mulier. l. 29. & l. 69. §. 7. ff. *de iur. dot.* l. 12. C. *qui potior. in pign.* [5] filiusfam. quoad bona adventitia ordinaria apud patrem adhuc extantia. *Carpz. 1. conſt. 28. def.* 14. [6] venditor reſpectu rei venditæ & traditæ adhuc extantis, fide tamen de pretio nondum habita, vel illâ quidem habitâ, dominio tamen ſibi, donec pretium fuerit ſolutum, reſervato. *arg.* l. 5. §. 18. ff. *de tribut. action.* [7] locator, qui rem ſuam

alij locatam, adhuc extantem repetit. [8] debitor intuitu rei pignori datæ adhuc extantis, hanc debitor ſoluto debito repetere poteſt. [9] creditor quidam, qui pignus in re, priuſquam debitor eam emerit, eſt conſecutus; hic omnibus indifferenter creditoribus debitoris, tam privilegiatis, quàm alijs præfertur. *Dn. Carpzov. p. 1. conſt. 28. d. 12.* [10] pater quo ad pecuniam ſuam adhuc extantem, & non conſumptam, quam filiusfam. mutui gratia ſolvit, rei vindicatione, poſtpoſitis alijs creditoribus, repetere poteſt [11] ſocius, quod fit, ubi iudicio communi dividundo ſuam portionem adhuc extantem repetit. [12] Heres ratione iuris hereditarij; quando rem hereditariam adhuc extantem ab eo, qui illam pro herede, vel poſſeſſore poſſidet, repetit, vel quando ut coheres debitam portionem extantem familiæ erciſcundæ iudicio petit. *Dn. Richter. de concurſ. credit. c. 2.*

TH. 9. Ob prioritatem, ſive prælationem concurrentes creditores ex diverſa qualitate debiti, quod prætendunt, diſtinguuntur quinque claſſibus.

TH. 10. Prima creditorum claſſis eſt, ſimpliciter & ſingulariter privilegiatorum; ſic in illa claſſe numerantur, [1] qui impenſas in inventarij confectionem, & bonorum debitoris æſtimationem faciunt, (a) [2] qui mercedem exigunt, (b) [3] qui funebres impenſas petunt, (c) [4] legatum ad pias cauſas, (d) [5] fiſcus, (e) [6] dominus directus in ſuperficie ratione ſalarij. l. 15. ff. *qui potior in pign.*

(a) Quia eiuſmodi impenſæ omnibus omnino proſunt. *arg.* l. 8. ff. *depoſit. l. fin.* §. 9. C. *de jur. deliber.* Huc refertur ſalarium, quod fortè curatori promiſſum, item quod heres, hereditate cum beneficio inventarij aditâ, impendit, ſi poſtea hereditatem creditoribus reſtituat: quia hi ſumptus ſunt neceſſarij, ob id meritò deducendi ſunt. *dd. ll.*

(b) Vt famuli, ſive miniſtri domeſtici, ratio eſt, quia per famulos & ancillas bonis debitoris multum commodi adfertur: Huc etiam hodie pertinent ſtipendia, ſive ſalaria pædagogorum liberos debitoris obærati informãtium, Scribarum, Conſiliariorum, & Officialium Principis, Miniſtrorum civitatum, aliorumque Collegiorum; hi namque omnes non aliter Reip. ſerviunt, quam famuli domino, item Profeſſorum & Studioſorum, item refertur ſemen frumentarium, & merces pro colendo agro debita, quia utroque caſu debitoris bona amplificantur, inque creditorum commodum vergit, vide *Dn. Carpzov. lib. 1. conſt. 28. defin. 26. 36. & 38. Dn. Mævium ad ius Lubec. lib. 3. art. 11. n. 59. 71. & ſeq.*

(c) Intellige neceſſarias. l. 14. §. 1. l. 45. ff. *de religioſ & ſumptib. funer.* l. 17. ff. *de reb. Auth. iudic. poſſid. l. fin.* §. 9. C. *de iur. deliber.* l. 4. C. *de petit. hered.* ſub impenſis his neceſſarijs non modo comprehenduntur ea, quæ in funus verum & quæ in Pharmaca, Medicos, Chirurgos, ob morbum

quo

quo obijt ſunt collata. l. 37. ff. *de religioſ. & ſumpt. funer.* d. l. 4. C. quod ob utilitatem publicam & decumbentium commiſerationem eſt receptum, ne cadavera ob denegationem impenſarum iaceant inſepulta, vel graviter decumbentes à Medicis, Chirurgis, &c. negligantur.

(d) Vt eleemoſynæ, ad Xenodochia, Noſocomia, &c. *arg.* l. 15. & l. 23. C. *de SS. Eccleſ.* quod moribus obſervatur.

(e) Ratione tributi, collectarum, & aliorum onerum publicorum. l. 1. & 2. C. *ſi propter publ. penſit. l. 4. C. in quib. cauſ. pign. tacit. contrah. Magnif. Dn. Mevius libr. 3. t. 1. art. 12. Dn. Carpz. lib. 1. conſt. 28. defin.* 47. & *ſeqq.*

TH. 11. Si bona debitoris omnibus creditoribus in prima claſſe exiſtentibus non ſufficiant; pro rata portione credita non accipiunt, ſed iuxta ordinem privilegiorum iam poſitum alter alteri præfertur. *Dn. Carpzov. lib. 1. conſt. 28. def.* 12.

TH. 12. Secunda claſſis eſt Hypothecariorum, qui propter privilegium hypothecæ expreſſæ, vel tacitæ annexum, & modum hypothecæ conſtitutæ (hoc eſt, publicam habent hypothecam) præferuntur non modo chirographarijs, verumetiam hypothecarijs, licet anterioribus. Ad hanc ſecundam claſſem ſpectant ſequentes, [1] qui militiæ emendæ cauſa credidit. *Novel.* 97. *c.* 4. huic membro hodiè quoque annumerantur, qui ad equeſtres ordines, ad Doctoratus, Licentiatus, Magiſterij inſignia aſſequenda, item qui pro adipiſcendis Bullis Beneficij Eccleſiaſtici mutuum dederunt, vel crediderunt; [2] uxor in perſecutione dotis illatæ. l. 12. C. *qui potior. in pign.* eiuſque liberi. *l. un. C. de privileg. dot.* hoc privilegium mulieri ob matrimonij favorem, & Reip. utilitatem conceditur. Obſerva, hoc privilegium ad paraphernalia, donationes propter nuptias non extenditur. d. l. 12. §. 2. [3] qui ad refectionem & conſervationem ædificij expreſsè & nominatim credidit. l. 24 §. 1. ff. h. t. *d. Novel.* 97. *c.* 1. hoc privilegium ideo mutuantibus conceditur, quia in ædibus tuendis reſarciendiſque publica verſatur utilitas, dignitas, & ornamentum civitatis. Hoc privilegium tria poſtulat requiſita; primò, ut nominatim ad domum reficiendam pecunia ſit data; ſecundò, ut domus pignoris loco ſit accepta, l. 7. C. *qui potior in pign.* ut tertiò realiter ſit impenſum. *Novel.* 97. *c.* 3. [4] ætas pupilli & minoris, & conditio prodigi & furioſi faciunt eos in bonis tutorum & curatorum potiores alijs creditoribus. l. 20. C. *de adminiſtrat. tutor.* idem obſervatur, ſi eorum pecuniâ res ſit empta. l. 7. ff. *qui potior in pignor. l. pen. C. de ſervo pign. dat. manum. Dn. Carpzov. d. conſt.* 28. *d.* 109. [5] fiſcus in adminiſtratorum ac debitorum ex contractu bonis, poſt contractum acquiſitis, quamvis alij dentur

IIIii

creditores, expreſſam hypothecam generalem anteriorem habentes, attamen fiſcus illis præfertur. l. 28. ff. *de iur. fiſc. Carpzov. conſt.* 28. *def.* 103. *& ſequ.* [6] qui privilegio prælationis inter chirographarios gaudet, & inſuper hypothecam expreſſam ſibi acquiſivit, qualis eſt, qui ad aliûs rei, quam ædificij conſervationem & refectionem credidit, & de hypotheca expreſsè, ſibi proſpexit, modo etiam verè in eam rem ſit expenſum. l. 26. & l. 34. ff. *de reb. author. iudic. poſſid.* l. 5. ff. *qui potior. in pignor.* l. 7. C. *eod.* l. 17. C. *de pignor. Novel.* 97. *c.* 3.

TH. 13. Si bona debitoris omnibus creditoribus non ſufficiant, in hac ſecunda claſſe prioritas temporis obſervatur; ratio in eo eſt fundata, quia privilegiatus contra æquè privilegiatum privilegio ſuo uti haud poteſt; privilegio igitur ceſſante prior tempore potior eſt iure. *arg. l. 7. & l. fin. C. qui potior. in pignor. Novel.* 91. *c.* 1.

TH. 14. Ratione modi hypothecæ conſtitutæ ſtatuimus, quod Hypothecarius publicum inſtrumentum habens, ſit potior hypothecario, privatam ſcripturam habente, ut ut anteriorem. l. 11 *& Auth. ſi quis, C. qui potior. in pign.*

TH. 15. Tertia claſſis eſt Hypothecariorum ſimplicium, qui privilegium hypothecæ non habent annexum; ubi attendendum, utrum pluribus creditoribus concurrentibus eodem tempore eadem res pignori ſit obligata, an diverſo tempore. Si eodem tempore animadverti oportet, utrum omnibus ſeparatim, an ſimul conjunctim pignoris nexu ſint obſtrictæ. Priori caſu in ſolidum omnibus & ſingulis res oppignoratæ cenſentur, ita ut ſinguli adverſus extraneos agentes in ſolidum Serviana utantur, concurrentes inter ſe partes concurſu pro rata crediti faciant. l. 16. §. 8. ff. *de pignor.* Poſteriori caſu, (ubi pluribus conjunctim res pignori obligata) notandum, an res omnibus & ſingulis in ſolidum ſit obligata, an pro partibus: illo modo adverſus extraneos ſinguli in ſolidum Serviana experiri licitè queunt; aſt ſi inter ſe concurrant, poſſidentis conditio erit potior. d. l. 16. §. 8. ff. *de pignor.* l. 10. ff. *eod.* hoc modo (ſi nimirum pro partibus ſit obligata) non plus tribuitur hypothecario, quam pars ſibi oppignorata. d. l. 10. ff. *de pignor.* ad ſecundum membrum jam perveniendum; videlicet ſi diverſo tempore eadem res pluribus ſit pignori obligata, quo caſu prior tempore potior habetur iure. l. 2. l. 8. l. 11. *& ſequ.* ff *qui potior. in pign.* l. 14. & l. 15. C. *de pignor.* proinde una ſaltem hora, vel horæ puncto prius conſtitutam in re hypothecam habens præfertur alijs, ſtatim poſtea

rem candem ſibi oppignoratam habentibus. *Carpzov. libr.*1. *conſt.* 28. *def.* 111. Hinc ſi creditor, qui prior hypothecam accepit, eam poſſideat,& poſterior creditor contra priorem actione hypothecaria agat, tunc prior ſe exceptione prioritatis tueri poteſt. Sin verò poſterior poſſideat,& prior vindicet hypothecaria actione, poteſt hic excipienti replicare, quod prius ipſi res fuerit obligata.

TH. 16. Ratione huius tertiæ claſſis præprimis notandum, ſicuti hypothecarij in ſorte chirographarijs præferuntur, ita & in uſuris. l. 18. ff. *qui potior. in pignor.* Vnde regula; qui prior eſt ratione ſortis,prior & potior quoque habendus ratione uſurarum. Ergo creditoribus ex prima claſſe, tam ſors, quàm uſuræ ſunt ſolvendæ, prius quam creditores ex ſecunda claſſe ad debitoris bona admittantur; idem affirmatur de creditoribus ſecundæ claſſis, ratione venientium ex tertia; quamdiu enim illis, (ſcilicet ex ſecunda claſſe) quoad ſortem & uſuram nondum ſatisfactum, hi excluſi habentur. Iure Saxonico contrarium obtinet, ſolvitur enim prius omnibus creditoribus ſors, & ſi quid poſtea ſuperſit, tunc iuxta ordinem prioritatis uſuræ expoſcuntur.

TH. 17. In claſſe quarta ſunt, qui hypothecam nullam habent, ſed quibus poſt hypothecarios privilegium exigendi perſonale præ alijs chirographarijs competit; quales ſunt [1] deponentes, qui quid apud depoſitarium depoſuerunt, quod amplius non extat. l. 24. §. 2. ff. *de reb. auth. iudic. poſſid. l. ſi hominem*, 7. §. *quoties*, 2. ff. *depoſit.* Aliud iure Lubecenſi receptum, quo deponens in prima claſſe exiſtit, *vide Dn. Mævium ad ius Lubec. libr.* 3. *tit.* 1. *art.* 12. [2] Reſpublica creditrix. l. 38. §. 1. ff. *de rebus auth. iudic. poſſid. l. 9. C. de iur. dot.* [3] Advocati, Procuratores, Notarij, Nuncij. *Gail.* 1. *obſ.* 44. *Mynſing.* 3. *obſ.* 7. [4] Qui ad rem emendam, vel reficiendam crediderunt, nec ſibi de hypotheca proſpexerunt. l. 17. C. *de pignor. l. qui in navim*, 26. *l. quod quis*, 34. ff. h. t. l. 5. *&* 6. ff. *qui potior. in pign.* [5] qui pecuniam mutuam ſine uſuris dederunt. l. 24. §. 2. ff. h. t. l. 7. §. 2. ff. *depoſit.* [6] pupillus in bonis eius,qui ex officio amicitiæ negotium illius geſſit. *l. ſi negotium*, 23. ff. h. t.

TH. 18. Inter hos creditores ex quarta claſſe, nulla temporis ratione habita, dividuntur debitoris bona pro rata,ſi nimirum omnibus ad debiti exſolutionem non ſufficiant. *l. privilegia*, 32. ff. h. t. *Dn. Carpzov. conſt.* 28. *def.* 149.

TH. 19. In ultima ſive quinta claſſe ſunt chirographarij ſimplices, (a) qui ſine ullo reſpectu temporis atque cauſæ pro rata

admittuntur. l. 10. C. *qui potior. in pign.*

(a) Sub his comprehenduntur & illi, qui ex nuda debitoris confeſſione, vel per teſtes, vel ex libro rationum credita ſua probant, eaque petunt. *l. fin. C. qui bon. ceder. poſſ. l. un. C. etiam ob chirograph. pecun.*

TH. 20. Quoties in concurſu creditorum ab aliquo debitum ex ceſſione prætenditur, illud non æſtimatur ex poſteriori eventu, verùm ex ſua origine. E. ſi cedenti competat privilegium, ceſſionario tale dari poteſt. Ex oppoſito, ſi cedens creditori privilegium nullum habuit, nec ceſſionarius habet, quia nemo plus juris in alium transferre poteſt, quàm ipſe habuit. Hinc apertè conſtat, ſi chirographarius nomen cedat Eccleſiæ, hæc exigit debitum ex cedentis iure, non autem proprio. *Dn. Mævi. ad ius Lubec. d. art.* 12. *n.* 83. *& ſeq.*

TH. 21. Ad claſſem quartam referuntur Arreſtantes; ubi attendendum materiam arreſtorum iuri civili eſſe incognitam. Iure autem Saxonico fundamentum habent arreſta, quæ deinde paſſim moribus recepta ſunt; ut ſi quis præ reliquis creditoribus curarit ſibi à Magiſtratu in bonis debitoris arreſtum decerni; quod ut plurimum in ſequentibus caſibus fieri ſolet, (1) ſi debitor ſit fugitivus, vel abiturus, & tantum unde creditor ſuum conſequi poſſit, non relinquit. (2) Arreſtari poteſt hoſpes pro eo, quod debet pro victu, vel pro conductis ædibus, ſi ſit abiturus. Arreſta in multis locis regulariter ſunt prohibita, quia ſpeciem habent executionis, à qua non eſt incipiendum.

TITVLVS VI.

De Separationibus.

Iung. tit. 72. lib. 7. C. *De bon. author. iudic. poſſid. & ſeparatione bonorum.*

TH. 1. RATIONE ſeparationis bonorum, ſcilicet debitoris, eiuſque heredis ius prælationis creditoribus competit.

TH. 2 Separatio eſt bonorum à bonis diſcretio. l. 1. *pr. &* §. 15. l. 3. l. 5. *& pen* ff. h. t. l. 2. C. *eod.* l. 7. §. 15. ff. *de minor.* quod ideo fit, ut ex ſingulis patrimonijs æs cuique patrimonio adhærens ſolvatur. d. l. 1. *pr.*

TH. 3. Hæc bonorum ſeparatio eſt indemnitatis remedium, ſive beneficium, quod creditoribus defuncti petentibus, edicto Prætoris poſt cauſæ cognitionem, ob æquitatem indulgetur, l. 1. *pr. &* §. 12. ff. h. t. d. l. 2. C. *eod.*

TH. 4. Separatio tali modo permitti ſolet. e. g. Creditores Sejum habuerunt debitorem, is deceſſit, heres ei extitit Titius, qui non eſt ſolvendo & patitur bonorum venditionem; creditores Seij dicunt, bona Seij ſufficere, & creditores Titij debere eſſe contentos bonis Titij; quamvis Titius heres adeundo ſe obligavit creditoribus Seji defuncti, §. 5. *Inſt. de obligat. quæ ex quaſi contract.* ſuaſque obligationes cum illius bonis permiſcuit, attamen quoniam iniquum eſſet, creditorum conditionem fieri deteriorem facto heredis, l. 25. C. *de pact.* ideo ſeparatio conceditur.

TH. 5. Non modò creditoribus defuncti, verùm etiam legatarijs ſeparatio conceditur, (intellige poſt exſolutionem debiti creditoribus defuncti factam, l. 4. §. 1. ff. h. t. (ne illis legatum ſubtrahatur per heredis creditores. l. *pen* ff. h. t.

TH. 6. Contra, creditoribus heredis beneficium ſeparationis non tribuitur, l. 1. §. 2. ff. h. t. ratio eſt, quod debitori conditionem ſuorum creditorum deteriorem facere liceat, non verò alienorum, l. 1. §. 2. ff. h. t.

TH. 7. Separatio bonorum niſi intra quinquennium ab aditione elapſum à defuncti creditoribus poſtuletur, poſtea impetrari nequit, (a) item [2] ſi creditores defuncti fidem heredis ſequantur. [3] ſi hereditatem heres bona fide diſtraxerit, l. 2. ff. h. t. [4] ſi res hereditariæ, ſive bona defuncti cum heredis bonis ita confuſa & commixta ſint, ut nullo planè modo diſcerni queant; confuſis enim bonis & unitis ſeparationis beneficium ceſſat. l. 1. §. *præterea* 12. ff. h. t.

(a) l. 1. §. 13. ff. h. t. Excipe hypothecarios creditores, licet enim hi intra quinquennij metam debita ſua non exegerint, nec ſeparationem poſtulaverint, ipſo iure tuti ſunt propter ius in re ipſis conſtitutum. l. 2. C. *qui potior in pign.*

TH. 8. Quod ſi creditorum quidam patrimoniorum ſeparationem poſtulent, quidam autem non; tunc ceſſat ſeparatio ratione eorum, eam non petentium, qui creditoribus heredis annumerantur. l. 1. §. 16. ff. h. t.

TH. 9. Si ex bonis defuncti, exſolutione creditoribus præſtitâ, quicquam ſuperfuerit, creditoribus heredis id in ſuum creditum trahere licet; contrà, creditoribus defuncti ex bonis heredis nihil quicquam;

cuius rei ratio datur hæc, quod qui impetravit ſeparationem, ſibi debeat imputare ſuam facilitatem, ſi, cum eſſent bona heredis idonea, illi maluerint bona potius defuncti ſibi ſeparari, heredis autem creditoribus hoc imputari non poſſit. l. 1. §. *item ſciens*, 17. ff. h. t.

TITVLVS VII.

De Curatore bonis dando.

TH. 1. INTER tutorem & curatorem hæc differentia traditur, quod tutor perſonæ non cauſæ vel rei detur, §. *certæ* 4. *Inſt. qui teſtam. tutor. dar. poſſ.* Officium verò curatoris in adminiſtratione negotiorum, & rei familiaris conſiſtit. l. 20. ff. *de rit. nupt.*

TH. 2. Sæpenumero conſtituitur bonorum curator in gratiam tam debitoris (a) quam creditorum, qui bona tueatur, cuſtodiat, adminiſtret, diſtrahat, & ex redacto creditoribus ſatisfaciat quod fit ſequentibus in caſibus, ut [1] ſi debitori defuncto nemo heres exiſtat, aut [2] heres onera hereditaria, ſive æs alienum metuens ab hereditate abſtineat, aut (3) ſi debitor foris ceſſerit, l. *fin.* ff. h. t. vel denique [4] ſi debitor latitet. t. t. ff. h. t. l. 2. §. 2. *eod.*

(a) Quia curator ſuo nomine, & non debitoris, eius bona diſtrahit, ob id nulla infamia debitori inuritur. l. 5. ff. *de curator. furioſor.*

TH. 3. Curator hic bonorum volens & non invitus (a) conſtituitur dupliciter, vel [1] privata creditorum voluntate, (b) vel [2] autoritate Magiſtratus. (c)

(a) Quia nemo ad hoc onus ſuſcipiendum cogendus eſt, l. *de curatore* 2. §. *quæritur.* 3. ff. h. t.

(b) l. *ſi debitor.* 5. ff. h. t.

(c) Si nimirum inter ſe convenire non poſſint, aut nemo id onus in ſe ſuſcipere velit: ideo à Magiſtratu eligitur, abhibito tamen majoris partis creditorum quorum intereſt conſenſu, quos Magiſtratus omnes citare debet. *Gail.* 2. *obſ.* 130.

TH. 4. Conſtitutus bonorum curator inventarium conficere tenetur, (a) aut iurabitur contra ipſum in litem. *Menoch.* 2. *arb. quæſt.* 105.

(a) l. 15. ff. *de rebus auth. iudic. poſſidend.* quia curatoris eſt reddere rationem bonorum adminiſtrationis

TH. 5. Curator creditoribus dolum, latam & levem culpam præſtare obligatur, (a) debitori verò tantum dolum & latam culpam. l. 8. §. 2. l. 9. §. 5. ff. *de rebus auth. judic. poſsid.*

(a) *arg.* l. 1. §. 12. ff. *de ventr. in poſſeſ. mittend.*

TH. 6. Quæritur, an curator omnibus creditoribus teneatur? Reſp. diſting. inter privatim & publicè (à Magiſtratu) conſtitutum; ille obligatur ſaltem illis, qui ipſum elegerunt qui actionem mandati contra eum inſtituere poſſunt, reliquis verò non tenetur, l. *ult.* ff. h. t. Hic omnibus omninò creditoribus obligatur; & à præſentibus convenitur actione mandati, ab abſentibus actione negotiorum geſtorum. *arg.* l. 22. §. 10. ff. *manda.* l. 6. ff. *negot. geſt.*

TH. 7. Datur tamen & curatori contra creditores contraria mandati actio, d. l. 22. §. 10. vel negotiorum geſtio, ratione eius, quod ipſi ob bonorum adminiſtrationem abeſt.

TITVLVS VIII.

Quæ in fraudem creditorum facta ſunt, ut reſtituant.

Iung. tit. 75. libr. 7. C. *De revocandis his, quæ in fraud. creditor, &c.*

TH. 1. QVOTIES bona debitoris diſtracta creditoribus ad debitorum exſolutionem non ſufficiunt, creditoribus animadvertendum, utrum etiam quædem fraude, ſive aſtutiâ debitorum ſint alienata: quia debitores poſſeſſionem, vel diſtractionem bonorum metuentes, maturè res ſuas in creditorum diſpendium intervertere & alienare ſolent: ſi hoc factum appareat, actionem Paulianam creditoribus ſubminiſtrat Prætor, qua res illicitè alienatas revocare poſſunt, l. 1. *pr.* ff. h. t. §. 6. *Inſt. de action.*

TH. 2. Actio Pauliana datur cuilibet creditori adverſus debitorem, & in quem alienatio fraudulenta eſt facta, l. 1. §. 1. l. *ait Prætor* 10. §. *ita* 1. ff. h. t. l. *ſi quis* 15. ff. *eod.* ubi attendendum, ſi alienatio ex titulo oneroſo ſit facta, requiritur, ut fraus non ſolum in alienante, ſed & in eo, in quem alienatio eſt facta. d. l. 10. §. 2. ff. h. t. Si verò in quem alienatio facta fraudis ignarus, tunc non ex titulo oneroſo, verùm ex lu-

crativo datur actio Pauliana,hoc eſt, quatenus locupletior inde factus eſt. l. 6. §. 12. l. *pen.* C. h. t.

TH. 3. Datur ad id, ut in creditorum detrimentum fraudulenter alienatum reſcindatur, ac ſi nihil tranſlatum ſit, ſed in bonis debitoris ſemper manſiſſet. §. 6. *Inſt. de action.* Veniunt etiam fructus reſtituendi, qui nimirum tempore alienationis terræ cohæſerunt,& qui poſt inchoatum iudicium percipiuntur, l. 38. §. 4. ff. *de uſur. & fructib.* nam medio tempore (inter alienationis & litis conteſtatæ tempus fructus percepti in reſtitutionem non veniunt, l. *fin.* §. 4. ff. h. t. & quidem hanc ob rationem, quia eos fructus poſſeſſor ratione tituli & dominij, quod habuit, meritò lucretur.

TH. 4. Actio hæc ad reſtituendam rem intra annum utilem datur, qui computatur à tempore excuſſionis debitoris, ante enim adverſus alium agere nequit, cum adhuc ignoret an debitor ſit ſolvendo, nec ne. l. 1. *pr.* ff. h. t.

TH. 5. Quæritur, utrum hæc actio ſit realis, vel perſonalis? Reſp. eam diverſo reſpectu modò realem, modo perſonalem eſſe. Realis eſt, quando alienatio fraudulenter facta eſt à debitore, poſtquam creditores miſſi ſunt in bonorum poſſeſſionem, oritur enim tunc ex pignore,quod per miſſionem in bonorum poſſeſſionem conſtituitur, l. 26. *de pign act.* l. 2. ff. *qui potior. in pign.* quo caſu actio Pauliana actionibus in rem annumeratur, d. §. 6. *Inſt. de action.* quando verò alienatio à debitore eſt facta, bonis à creditoribus nondum poſſeſſis, tum hæc actio merè eſt perſonalis, quia oritur ex maleficio, vel quaſi. l. 9. l. 10. *pr.* §. 1. 2. & 3. ff. h. t. l. 38. §. 4. ff. *de uſur. & fructib.*

LIBER

LIBER QVADRAGESIMVS TERTIVS.

TITVLVS PRIMVS.

De interdictis ſive extraordinarijs actionibus, quæ pro his competunt.

Iung. tit. 1. libr. 8. C. d. t.

TH. I. QVOMODO poſſeſſio acquiratur & amittatur, in præcedentibus declaravimus; nunc ad ſingularia quædam ſive extraordinaria remedia, videlicet interdicta quæ cauſam poſſeſſionis, vel quaſi continent, perveniendum.

TH. 2. Interdicta (a) ſunt formulæ (b) atque conceptiones verborum, ſeu iuſſa & præcepta certis formulis prolata, quibus Prætor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat, quod tum maximè fiebat, cum de poſſeſſione, (c) vel quaſi poſſeſſione (d) inter aliquos contendebatur. *pr. Inſtit. de interdict.*

(a) Derivantur ab interdicendo, quod non modò denotat vetare aut iubere ne quid fiat, verumetiam iubere, ſive dicere inter duos, ut fiat, ſub hoc enim implicitè quoque continetur, ut ne contrarium fiat. Quia Prætor in pleriſque interdictis utitur verbis prohibitorijs, ne quid fiat, vim fieri veto, &c. aſt ſi iubet, nihilominus verbis eius vis prohibitionis ineſt, l. 4. *de pœn.* vox interdicti plures habet ſignificationes, ſignificat (1) prohibitionem ſeu præceptum cuiuſcunque rei à quolibet factam, (2) ſenſu magis iuridico quemlibet iuſſum ſeu præceptum Prætoris in genere, atque ſic latitudine decreta & edicta, quæ ab edictis propriè loquendo differunt, complectitur, l. 20. §. 1. ff. *de novi oper. nunciat.* l. 1. §. 7. l. 18. ff. *eod.* vel (3) ſtrictius denotat remedium ſeu iudicium poſſeſſorium, quo Prætor inter litigantes utitur, l. 2. *pr.* ff. *ne quid in loc. publ.* l. 15. ff. *ad exhibend.*

(b) Has formulas & veterem dandi iudices modum ſuſtulit Conſtan-

tinus Magnus, t. t. C. *de form. & impetrat. action. ſublat.* unde hodie interdicta nihil aliud ſunt quam actiones extraordinariæ ex cauſa interdicti, §. *ult. Inſtit.* h. t. Nam hodiè revera interdictis non agimus, ſed potius actione ad exemplum interdicti conceptâ. Vnde actor ſtatim actionem ſuam de poſſeſſione exprimere cogitur, & obligationes ſuas proponere, l. *fin.* C. h. t. quamvis hodie neceſſe non ſit, nomen actionis exprimere, ſed factum ipſum exponere, & narrare ſimpliciter rei veritatem, annexâ congruâ petitione. *cap. 6. Extr. de iudic. & not.*

(c) Super hac interdictis eſt locus, ut ſciatur, quis actoris, quis Rei partibus fungatur, & cui incumbat onus probandi.

(d) Eiuſmodi interdicta ſunt (1) ſuper rebus incorporalibus, quæ quaſi poſſidentur, l. 16. §. 4 l. 18. §. 1. ff. *de petit. hereditat.* (2) interdicta pro rebus ſacris, publicis, alijſque commercio hominum exemptis.

TH. 3. Interdicta differunt ab edictis, quia hæc ius publicum continent generale, ad omnes ſpectans; Prætores enim Magiſtratum inituri generalia edicta (edicere eſt prædicere) proponere ſolebant, abſque ullis perſonarum & rerum circumſtantijs, ne quid dare viderentur cuiuſquam odio, aut gratiæ: ut ex propoſitis edictis ſciri poſſet, qua deinceps ratione de rebus futuris, durante officio ius dicturi eſſent. Illa ſcilicet interdicta verò inter privatas perſonas redduntur, & ad eas ſpectant, inter quas proponuntur. *Cujac. 5. Obſervat. cap. 17.*

TH. 4. Interdictorum variæ ſunt diviſiones; prima diviſio eſt à materia deſumpta; quod interdicta nimirum ſint vel de rebus divinis, vel de humanis (a) quæ de rebus hominum competunt, vel reſpiciunt ea, quæ nullius in bonis numerantur, vel reſpiciunt ea, quæ ſunt in alicuius bonis: hæc ſunt vel publica, (b) vel ſingulorum. (c)

(a) Qualia interdicta ſunt circa defuncti bona ſequentia, [1] quorum bonorum [2] quod legatorum, [3] de tabulis exhibendis.

(b) Illa ſunt de locis publicis, de vijs, deque fluminibus publicis.

(c) Hæc ſunt interdicta, uti poſſidetis, de itinere & actu. l. 1. *pr.* l. 2. §. 1. ff. h. t.

TH. 5. Ratione formæ interdicta dividuntur in prohibitoria, (a) reſtitutoria, (b) exhibitoria, (c) & mixta. (d)

(a) Quibus Prætor prohibet aliquid fieri, e. g. vis, ædificatio in publico, in ſacro, §. 1. *Inſtit.* h. t. l. 1. §. 1. ff. *uti poſſidet.* l. 1. *pr.* ff. *de ſuperfic.* l. 1. §. 1. ff. *utrubi* l. 3. §. 11. ff. *de itin. & act. privat.* t. t. ff. *ne quid in loc. publ.* t. t. ff. *ne quid in loc. ſacr.*

(b) Quibus Prætor reſtitui aliquid iubet, ut (1) bonorum poſſeſſori poſſeſſio eorum quæ quis pro herede aut poſſeſſore poſſidet, aut (2) vi de poſſeſſione dejecto bonorum poſſeſſio. d. §. 1. *Inſtit.* t. t. ff. *unde vi* t. ff. *de precar.*

(c) Quibus Prætor jubet quid exhiberi; quo copia illud videndi & agnoſcendi pateat. t. ff. *de tabul. exhibend.* & t. ff. *de liber. exhibend.*

(d) Quibus Prætor aliquid exhiberi iubet, & quid fieri vetat. d. l. *i.* §. 1. ff. h. t. l. 1. & 3. *pr.* ff. *de liber. exhibend.*

TH. 6. Ratione finis & effectus dividuntur interdicta, quod quædam in præteritum, (a) quædam in præſens, (b) quædam in futurum referantur, l. 1. §. *pen.* ff. h. t.

(a) Qualia ſunt interdicta de itinere, actuque & aqua æſtiva. l. 1. §. 2. ff. h. t.

(b) Vt interdictum uti poſſidetis.

TH. 7. Ratione perſonarum litigantium alia ſunt ſimplicia, (a) alia duplicia. (b)

(a) In quibus alter actor, alter reus eſt, ad quem Prætor verba edicti dirigit; eiuſmodi ſunt omnia reſtitutoria & exhibitoria; actor enim is eſt, qui deſiderat reſtitui aut exhiberi; reus contrà eſt is, à quo deſideratur, ut reſtituat aut exhibeat: ſic & illa prohibitoria ſunt interdicta ſimplicia, in quibus alter deſiderat, ne quid fiat, alter autem quid facere conatur, l. 2. *pr.* ff. h. t. §. *tertia* 7. *Inſtit.* h. t.

(b) In his par utriuſque litigatoris eſt conditio; ubi quilibet & actoris & rei perſonam ſuſtinet, utroque nimirum ſe poſſidere contendente, l. 1. §. *inter litigatores* l. *ſi duo* 3. §. *hoc interdictum* 1. ff. *uti poſſidet.* ob id à Prætore verba interdicti ad utrumque diriguntur, l. 1. *pr.* ff. *eod.* qualia ſunt interdicta retinendæ poſſeſſionis, uti poſſidetis, & utrubi, §. *pen. Inſtit.* h. t. prius tamen ad iudicium provocans intelligitur actor. *arg.* l. 13. ff. *de iudic.* l. 2. §. 1. ff. *commun. dividund.*

TH. 8. Ratione temporis interdicta ſunt annalia, (a) vel perpetua. (b)

(a) l. 1. §. 4. ff. h. t. Illa intra annum utilem ſunt inſtituenda, ab eo tempore, quo competere cœperunt, l. 1. §. 29. ff. *de vi & vi armat.* l. 15. §. 4. ff. *quod vi aut clam.* eiuſmodi interdicta ſunt, quæ ex maleficio deſcendunt.

(b) Hæc rei perſecutionem continent, & poſt annum quoque competunt, l. *ſemper* 15. §. *ſed ſi* 5. & 6. ff. *quod vi aut clam.* l. 3. §. 1. ff. *de vi & vi armat.* l. *Prætor ait* 20. §. *hoc interdictum ult.* ff. *de novi oper. nunciat.*

TH. 9. Interdicta ad res privatas, ſive rem familiarem ſpectantia ſunt vel retinendæ, (a) vel recuperandæ, (b) vel adipiſcendæ poſſeſſionis, (c) §. 2. *Inſtit.* h. t. l. *interdictum* 2. §. *hæc autem* ff. h. t.

(a) Quibus poſſeſſio, quæ habetur, defenditur contra turbantes ut uti poſſid. & utrubi. §. *retinendæ* 4. *Inſtit.* h. t.

(b) Quibus poſſeſſio amiſſa repetitur; ut ſi quis de poſſeſſione fundi, vel ædium vi dejectus fuerit, §. *recuperandæ* 6. *Inſtit.* h. t. t. ff. *de vi & vi*

armat. l. 69. ff. *de ſolution.* l. 5. *& ſeqq.* l. *ult.* C. *unde vi.* l. *videamus* 38. §. *in Faviana* 4. ff. *de uſur. & fructib.*

(c) Quibus agitur, ut poſſeſſionem, quam ante non habuimus, acquiramus, ut in quorum bonorum, §. *adipiſcendæ* 3. *Inſtit.* h. t. t. ff. *quod legator.* t. ff. *quor. bonor.* Nota, in his tribus interdictis omne ius circa rem conſiſtit, nimirum, ut (1) aliquid acquiramus, (2) ut acquiſita tueamur, & (3) ut amiſſa recuperemus. l. *ult.* ff. *de legib.*

TH. 10. Interdicta omnia licet in rem videantur concepta, vi tamen ipſa ſunt perſonalia, hoc eſt quamvis videantur, generaliter de re & poſſeſſionibus loqui, vi tamen, id eſt poteſtate & effectu ad certas perſonas pertinere, l. 1. §. 3. ff. h. t. quod enim Prætor inter litigantes interdicit, non continuò inter omnes ius facit, ut nec res inter alios actæ iudicatæve. l. 63. ff. *de re iudic.* Hodie tamen, poſtquam interdicta in pandectas ſunt relata, ea certum ius, ſicut aliæ leges inter omnes faciunt.

TH. 11. Quæritur, utrum iudicium petitoriũ cum poſſeſſorio cumulari poſſit? Reſp. diſting. inter cumulationem ſimultaneam & ſucceſſivam ſive alternativam. Simultanea non admittitur ob has rationes; quia (1) interdicta ordinant, & præparant reale iudicium ſeu rei vindicationem, (2) quia inter iſta iudicia eſt ordo, proinde cumulari haud poſſunt, l. 13. C. *de rei vindicat.* l. 35. ff. *de acquir. poſſeſſ.* l. 3. C. h. t. l. 3. C. *fin. regund.* quod ſucceſſivam cumulationem concernit, petitorium & poſſeſſorium iungi poſſunt, l. *cum fundum* 18. §. *eum, qui* 1. ff. *de vi & vi armat.* l. 12. §. 11. ff. *de acquir. poſſeſſ.* Aliud iure Canonico, quod hodie in eo caſu ſequimur, introductum eſt, ut videlicet adipiſcendæ, & recuperandæ poſſeſſionis interdictum cum rei vindicatione cumulari poſſit, c. 3. *& ſeqq. Extr. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* non autem interdictum retinendæ, quia in d. c. 5. *& 6.* huius cumulationis non fit mentio, & horum iudiciorum contrarietas non admittit, utens enim poſſeſſorio iudicio, ſive interdicto retinendo affirmat ſe poſſeſſorem, l. 1. § 4. ff. *uti poſſidet.* Aſt petitorio agens videtur poſſeſſionem attribuere adverſario, aut ſaltem ei renuntiare, & in adverſarium transferre, ut quaſi contraria proponens non ſit audiendus volens cumulare.

TH. 12. Cauſa efficiens interdictorum eſt Prætor, qui ad finiendas poſſeſſionum controverſias interdicta protulit; nam oborta de poſſeſsionibus contentione, ne interea, dum litigabatur ad vim & arma res deveniret, utroque litigatorum in poſſeſsionis utilitatem imminente, Prætor ſtatim aliquid inter eos interdicebat, puta vetando vim fieri. donec cauſa ordinario iudicio plenius diſceptaretur.

TH. 13. Materia interdictorum ſunt res divini & humani iuris. Formam ex Theſi 5. ſupra aliquatenus percipies. Finis eſt, ut poſſeſſionum iura tueantur. Et licet nonnulla interdicta rei perſecutionem, hoc eſt, proprietatis cauſam complectantur, attamen illud magis fit per conſequentiam, ex qualitate rei, de qua agitur. *l. interdictorum*, 2. §. 2. ff. h. t. quam ex naturâ, aut formâ interdicti.

TH. 14. In Camera Imperiali, & alijs Principum Germaniæ iudicijs hodie obtinet, ut ſecundùm antiquum fermè interdicendi modum mandata ſine clauſula decernantur, *vide Ordin. Cam. 3. tit. 23. Carpzov.* 1. *reſp.* 19. *&* 20. *Gail.* 1. *obſerv.* 13. *& ſeq.*

TITVLVS II.

Quorum bonorum.

Iung. tit. 2. libr. 8. C.

TH. 1. CONSIDERATIS generaliter interdictis, ſubnectuntur nunc interdictorum ſpecies. Et cum univerſalia particularibus amplitudine præſtent, prius de his interdictis, quæ ad univerſitatem rerum pertinent, vel quæ ex generalibus cauſis proveniunt, tractandum, quam ad particularia, ſive quæ ex iure ſingulari promanant, perveniendum.

TH. 2. Eiuſmodi univerſalia interdicta, quæ ex cauſis generalibus deſcendunt, hoc titulo, & tribus ſequentibus proponentur.

TH. 3. Interdictum quorum bonorum, (a) datur bonorum poſſeſſori, (b) contra eum qui pro herede, vel pro poſſeſſore, (c) res hereditarias poſſidet, (d) ut eas reſtituat. l. 1. *pr.* l. 29 *& ſeq.* ff. *de furt.* l. 9. *&* 10. ff. *de petit. heredit.*

(a) Scilicet poſſeſſio: hoc interdictum ita appellatum eſt à primis interdicti verbis, & eſt adipiſcendæ poſſeſſionis univerſorum bonorum. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(b) Et quidem directò atque principaliter. l. 1. *pr.* ff. h. t. huic Prætor ſpecialiter providit, ut decretam à ſe poſſeſſionem tueretur. Vtile tamen interdictum etiam cuilibet heredi civili, tam ab inteſtato, quàm ex teſtamento competit. l. 1. C. h. t. *Dn. Perez. in Cod. h. t. n.* 2.

(c) §. 3. *Inſtit.* h. t. l. 1. ff. h. t. l. 6. *&* l. 11. ff. *de heredit. petit.* Non autem contra eum, qui titulo ſingulari poſſidet, ob has rationes, [1] quod nec hereditatis petitio contra tales competat. l. 9. ff. *de heredit. petit.* quæ

adhuc bonorum poſſeſſione eſt firmior. [2] quod titulo ſingulari poſſidens ſit in pari cauſa cum petitore,proinde eius ratio habetur potior. Nec datur contra debitores hereditarios, quibus cum perſonalibus actionibus eſt agendum, quia hoc edicto tantum tenentur corporum poſſeſſores. l. 2. ff. h. t.

(d) Vel dolo poſſidere deſijt. *l. ſin autem*, 27. §. *ſed &* 15. ff. *de rei vindic.* l. 25. §. 8. ff. *de petit. heredit.*

TH. 4. Quæritur,utrum hoc interdictum competat pro rebus incorporalibus? Reſp. diſtinguendo inter iura incorporalia,realia & perſoſonalia. Ratione horum interdicto huic nullus eſt locus. Ratione verò illorum obtinet, non quidem per ſe, ſed quatenus iura incorporalia realia rebus adhærent,indéque pro rebus corporalibus habentur.Qualia ſunt ſervitutes ruſticæ & urbanæ,ius venandi,piſcandi,& paſcendi, iuriſdictio caſtri, annuæ præſtationes, ſeu ius eas exigendi, iura emphyteutica & feudalia. l. 1. §. 4. l. 3. §. 13. *& ſeq.* ff. *de vi & vi armat.* l. 8. §. 5. ff. *ſi ſervit. vindic.*

TH. 5. Quæritur, an res ſingulæ ad hoc interdictum ſpectent? Reſp. non quidem per ſe principaliter & directò, ſed relativè; quoniam res ſingulæ dupliciter hic conſiderantur. (1) In ſe & ſimpliciter,quo caſu ad hoc interdictum non referuntur, vel (2) relativè ad actorem, ſive jus petentis. Hinc ſi quis rem ſingularem iure hereditatis petat, eadem etiam pro univerſali habetur,cum titulo univerſali petatur. l. 10. C. *famil. erciſc.* quapropter & interdicto huic eſt locus.

TITVLVS III.

Quod legatorum.

Iung. tit. 3. libr. 8. C.

TH. 1. CVM præcedenti interdicto quorum bonorum affinitatem habet interdictum quod legatorum, hoc titulo propoſitum. Sicut enim illud ad totam pertinet hereditatem, ita hoc ad partem ex hereditate debitam. l. 15. l. 26. ff. *de legat. 1.*

TH. 2. Interdictum quod legatorum (a) eſt,quo agit heres (b) poſt aditam hereditatem contra legatarium, ut poſſeſſionem rei legatæ, quam non ex voluntate heredis, ſed propria authoritate occupavit,

(c) reſtituat, (d) vel intereſſe præſtet. (e)

(a) Scilicet nomine, hoc interdictum ita nominatur à verbis initialibus.

(b) Sive civilis, ſive Prætorius. l. 1. §. 3. ff. h. t. *l. un. C. eod.* heredi autem heredis, & bonorum poſſeſſoris & cæteris ſucceſſoribus utiliter ſaltem. d. l. 1. §. 3. *&* d. l. *un. C. obſerva.* heres ad hoc interdictum non admittitur, niſi prius de legato reddendo ſatiſdederit. l. 1. §. 16. ff. hoc tit.

(c) Periculoſum eſt, & peſſimi exempli, quempiam ſibi ius dicere. l. *un. C. ne quis in ſua cauſ.* Vnde æquiſſimum Prætori viſum, unumquemque non ſibi ipſi ius dicere, occupatis legatis, ſed hæc ab herede petere. l. 1. §. 2. ff. h. t.

(d) Nec heres dolo facit, petendo id, quod reſtituere debet, (cum legatarius rei legatæ ſit dominus) ea enim regula in iudicijs ſaltem petitorio valet. *l. dolo, 8. ff. de doli mal. & met. except.* non autem in poſſeſſorijs, qualia ſunt interdicta, in quibus ſpoliatus ante omnia eſt reſtituendus. c. 1. 6. 7. *& t. t. Extr. de reſtitut. ſpoliat.*

(e) *l. diverſum, 2. §. ex hoc, 2.* ff. h. t.

TH. 3. Hoc interdictum eatenus habet locum, quatenus legatarius res legatas ante hereditatem ab herede poſſeſſam invadit & occupat; aſt ſi res legatas ab herede poſſeſſas violenter ſubtrahat, aut vi extorqueat, iure legati cadit. l. 5. C. *de legat.* exemplo aliorum creditorum violentorum. *l. extat. 13.* ff. *quod met. cauſ.* l. 7. C. *unde vi.*

TH. 4. Principalis huius interdicti cauſa eſt, ut heres recuperata rerum legatariarum poſſeſſione quartam ex L. Falcidia retineat, heredis namque intereſt ut ſibi Falcidiam retineat. Cauſa adjuvans eſt legatarij audacia, quæ omni iure habetur odioſa. l. 1. §. 2. ff. h. t. Hanc tamen audaciam purgat legatarius ſequentibus caſibus, (1) ſi heres non ſit ſolvendo, vel (2) ſit decoctor, aut de fuga ſuſpectus, (3) ſi res mobilis ſit legata, (4) ſi heres ſit homo ſeverus, à quo ſine magna difficultate extorqueri legatum non poſſit, &c. *Mindanus, tit. 17. num. 6. & ſeq.*

TITVLVS IV.

Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus erit.

TH. I. EXPOSITIS interdictis, quæ ex cauſa ſucceſſionis competunt, ad adipiſcendam poſſeſſionem; ſequitur iam ter-

tium ex generali edicto oriens, ne vis fiat in poſſeſſionem miſſo. Quod interdictum æquè, ut duo priora eſt univerſale, alio tamen reſpectu, videlicet quatenus omnibus in poſſeſſionem miſſis prodeſt. l. 1. §. 2. ff. h. t.

TH. 2. Interdictum ne vis fiat, &c. competit in poſſeſſionem miſſo, (a) eiuſque heredibus, adverſus eum qui dolo malo (b) facit, quo minus actor permiſſu Magiſtratus in bonorum poſſeſſione ſit, ad id, ut quanti intereſt, miſſum habere poſſeſſionem præſtet.

(a) Hoc interdictum ad quemlibet in poſſeſſionem à Prætore miſſum ſpectat. l.1.*pr.* ff. h.t. ſive rei ſervandæ cauſa, aut legatorum, aut ventris. l. 1. §. 2. ff. h. t. aut damni infecti nomine ſit miſſus. *l. ult. pr. &* §. 1. 2. *&* 3. ff. h. t. ſive ſuo, ſive alieno nomine ſit prohibitus, nihil intereſt. l. 2. ff. h. t.

(b) Quo ceſſante non erit interdicto locus, e. g. ſi quis miſſum ideo poſſeſſione arcuerit, quia rem ſuam putabat. l. 1. §. 4. h. t.

TH. 3. Actio ex hoc edicto intra annum competit, quo effluxo exſpirat, (a) quia eſt pœnalis; atque ſic in heredes non datur, niſi quatenus ad eos quid pervenit.

(a) Excipe legatorum, vel fideicommiſſorum cauſa miſſionem, unde actio perpetua & in heredes datur. l. 1. §. 8. ff. h. t.

TH. 4. Interdictum hoc eſt partim prohibitorium, (a) partim reſtitutorium. (b) *l. ſi quis, 3. §. Prætor ventrem,* 2. ff. h. t.

(a) Quoniam Prætor in edicto diſertè vim fieri prohibet.

(b) Quia eiuſmodi iudicium Prætor promittit; iubet namque poſſeſſionem reſtitui, aut niſi factum erit, damnari reum, quanti ea poſſeſſio eſt. l. 1. §. 5. ff. h. t.

TH. 5. Si immiſſus ad bonorum poſſeſſionem non admittatur, & ad intereſſe agere nolit, ſed poſſeſſionem habere malit, permittitur ei officium iudicis implorare, ut iudex vi poteſtatis ſuæ decretum ſuum exequatur, quod interdum fieri ſolet per manum militarem, qua in rem mobilem inducitur; ſi autem mobilis reo aufertur. l. 3. §. 1. ff. h. t. l. 68. ff. *de Rei vindic.* l. 2. C. *de his qui latron. occult.*

TIT. V.

TITVLVS V.

De Tabulis exhibendis.

Iung. tit. 7. libr. 8. C.

TH. I. TANDEM quartum & ultimum interdictum ex generali edicto proveniens, adque cauſam univerſitatis, putà hereditatis ſpectans aggredimur, quod eſt de tabulis exhibendis; Hoc interdicto iubet Prætor tabulas teſtamenti, (a) vel alterius ultimæ voluntatis, apud ſe exhiberi iis, quorum intereſt; & debent exhiberi ab illis, apud quos tabulæ hæ ſunt, aut eorum dolo malo factum eſt, ut deſinerent eſſe, quia perinde habetur, ac ſi penes eum adhuc eſſent. l. 3. §. 6. ff. h. t. l. 1. ff. h. t.

(a) Putà defuncti, non vivi. l. 1. §. *hoc interdicto*, 10. ff. h. t.

TH. 2. Ex hoc interdicto competit actio omnibus, quibus aliquid in teſtamento, vel libello, ſive codicillis adſcriptum eſt, & quorumcumque intereſt tabulas exhiberi. *l. locum habet*, 3. §. *ſolent*, *10*. ff. h. t. *l. un. C. eod.* ut ſunt heredes, legatarij, aut cæteri ſucceſſores. d. l. 3. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 3. Datur contra poſſeſſorem, aut tabularum detentorem, ſi neget ſe tabulas habere, vel exhibere poſſe, vel debere. l. 1. §. 1. ff. h. t. *l. pen. ff. eod.*

TH. 4. Datur ad id, ut tabulæ exhibeantur, (a) apud Prætorem, ut authoritate eius ſignatores admoniti veniant ad recognoſcenda ſigna. *l. locum*, 3. §. *exhibere*, 9. ff. h. t.

(a) Quod eſt tabularum apprehendarum copiam facere apud Magiſtratum d. l. 3. §. *quid ſit*. 8. ff. h. t.

TH. 5. Interdictum hoc & poſt annum competit, cum non ſit pœnale. Et datur heredibus, aliiſque ſucceſſoribus. d. l. 3. §. *fin.* ff. h. t. contra heredes tamen non competit, niſi detineant, aut in dolo malo ſint. Interdictum enim hoc rem perſequitur, & contra unumquemque poſſeſſorem ſuo nomine competit, vel quia poſſidet, vel dolo poſſidere deſiit.

TITVLVS VI.

Ne quid in loco ſacro fiat.

TH. I. HACTENVS de interdictis univerſitatem rerum comprehendentibus diſſeruimus; ad particularia interdicta, ſive quæ ex iure ſingulari oriuntur deſcendendum reſtat. Hæc vel ad religionem ſpectant, vel ad hominum utilitatem.

TH. 2. Religionis tuendæ cauſa propoſitum eſt hoc interdictum ne quid in loco ſacro (a) fiat, quod ſubminiſtratur à Prætore cuivis è populo, (b) contra eum, qui in loco ſacro aliquid fecit, aut in eum immiſit, (c) ad id, ut ædificatio, vel immiſſio intermittatur. l. 1. ff. h. t. & ſi quid factum reſtituatur. *l. interdictorum*, *2.* §. *1* *ff. de interdict. l. 2.* §. 19. *ff. ne quid in loc. publ.*

(a) Vox ſacri hic latè accipitur, ut & loca ſancta includat, quæ violari, aut habitari abſque Principis permiſſu haud poſſunt; ſic in muris & portis habitari prohibetur, ob fortuita incendia. l. 2. *&* 3. ff. h. t.

(b) Quia publicè intereſt, publica loca ſarta tecta ſervari. l. 2. §. 2. ff. *ne quid in loco publ. l.* 10. *C. de Epiſcop. & Cleric.*

(c) Si videlicet ex eo deformitas & damnum loco ſacro inferatur, aliud obtinet, ſi ornamenti cauſa fiat. *l. in muris*, ff. h. t.

TH. 3. Huius interdicti cauſa eſt delictum, quod committitur, dum in loco ſacro illicitè quid ædificatur. *t. t. ff. h. t.*

TH. 4. Interdictum hoc eſt prohibitorium, (a) & reſtitutorium. (b)

(a) Quatenus prohibetur, ne quid in loco ſacro fiat.

(b) Vbi ædificatum, vel factum reſtituere iubemur. *l. Prætor*, 2 §. *locorum* 19. ff. *ne quid in loco publ. vel itin. fiat.*

TITVLVS VII.

De locis & itineribus publicis.

TH. I. INTERDICTA quæ ad hominum utilitatem ſpectant, vel ad res publicas, vel privatas referuntur. De publicis rebus hic generale edictum proponitur, quo Prætor quid fieri vetat, ad impediendum loci publici uſum. *t. t ff. h. t.* cum eius uſus omnibus ſit communis, idcirco quilibet ex hoc edicto agere licitè poteſt. l. 1. ff. h. t.

TH. 2. Loca publica ſunt quorum proprietas ad populum ſpectat, uſum verò eorum omnes habent communem. d. l. 1. e. g. viæ publicæ, agri publici, inſulæ, & itinera publica. l. 1. §. 3. ff. *ne quid in loc. publ.*

TITVLVS VIII.

Ne quid in loco publico, vel itinere fiat.

TH. I. SPECIALE hîc proponitur interdictum de locorum, & itinerum poſſeſſione, vel fruitione tuenda.

TH. 2. Interdictum, ne quid in loco publico fiat, datur cuivis è populo, (a) adverſus eum, qui in loco publico, (b) quid vult facere, aut in eum immittere, ex quo illi damnum datur, (c) ad id, ut opus in publico non fiat, (d) & de eo caveatur. l. 2. §. 18. ff. h. t.

(a) In cuius damnum opus in publico factum redundat. l. 2. §. 2. *&* 5. ff. h. t. *&* d. l. 2. §. 34. ſic damno afficitur, cui commodum, quo ex publico fruebatur, adimitur; quoties ergo alicui aditus, vel proſpectus redditur deterior, vel planè adimitur, ex hoc interdicto agere poteſt. l. 2. §. 11. *& ſeq.* ff. h. t. Hinc quoties in publico quid fieri permittitur, ita oportet permitti, ut ſine iniuria, ſive incommodo cuiuſque fiat. l. 2. §. *merito ait*, 10. *&* 12. ff. h. t.

(b) Intellige areas, inſulas, agros & vias, ſeu loca extra urbem publica: aliud obtinet in vijs & locis urbicis, de quibus tit. 11. intrà tractabitur. l. 2. §. 5 ff. h. t. quoniam horum cura ad Magiſtratum pertinet. l. 2. §. 24. ff. h. t.

(c) d. l. 2. *pr.* §. 6. 8. 14 *&* 19. ff. h. t.

(d) Vnde patet, hoc interdictum non eſſe reſtitutorium. l. 2. §. 17. ff. h. t. ſed prohibitorium. l. 2. *pr. &* §. 1. ff. h. t.

TH. 3. Interdictum ne quid in via, vel itinere publico fiat, datur cuivis è populo, contra eum, qui in via publica quid facit, aut immittit, quo via, vel iter deterius fiat, (a) ad id, quanti actoris intereſt, id opus eſſe factum. d. l. 2. §. 34. ff. h. t. l. 15. §. 7. ff. *quod vi aut clàm.*

(a) Vt ſi uſus viæ ad commeandum corrumpatur, hoc eſt, ad eundum, vel agendum. l. 2. § 32. §. 26. *& ſeq.* ff. h. t.

TH. 4. Datur & interdictum, ut ſi quis in via publica, vel itinere publico quid factum, immiſſumve habeat, quo via iterve deterius fiat. l. 2. §. 35. ff. h. t. quod datur cuilibet è populo contra eum, qui immiſit, vel fecit, ad id ut opus factum, vel immiſſum reſtituatur. d. l. 2. §. 35.

TH. 5. Hoc interdictum à priori diſtat, ut ex d. l. 2. §. 36. conſtat, quia hoc eſt reſtitutorium, illud autem prohibitorium; in eo tamen conveniunt, quod ex eadem cauſa oriantur, nimirum quatenus ex opere, vel facto via publica fiat deterior.

TITVLVS IX.

De loco publico fruendo.

TH. 1. INTERDICTVM hoc de loco publico fruendo datur conductori loci publici, (a) eiuſque ſocio, (b) contra eum, qui vim facit, vel in loci publici fruitione impedit, (c) ad id, ut conductori, iuxta conductionis legem frui liceat. l. 1. §. *ult.* ff. h. t.

(a) Qui vocatur publicanus, conducens vectigal publicum. l. 1. *pr. &* §. 1. ff. h. t. *l. ſed &* 13. §. *præterea* 1. ff. *de public. & vectigal.* ut ſalinæ, piſcariæ, cretifodinæ, &c. *l* 1. *in fin. ff. ſi ager. vectigal.*

(b) Speciale eſt, eandem actionem quoque publicani ſocio dari: cum aliàs ſocius ex contractu ſocij actione uti nequeat, niſi ſibi ea cedatur. l. 3. *pr.* ff. *pro ſocio.*

(c) Vnde liquet actionem ex interdicto hoc ortam eſſe ex delicto.

TH. 2. Hanc actionem Prætor, publicæ utilitatis gratia, ad conſervanda vectigalia publica, quorum reditus ſunt conducti, conductoribus locorum publicorum conceſſit. d. l. 1. §. 1. h. t.

TITVLVS X.

De via publica, & ſi quid in ea factum eſſe dicatur.

TH. I. NON ſufficit, liberum cuilibet viarum uſum concedi, verum inſuper requiritur, ut purgentur & reficiantur, ne uſus earum pereat. *l. inde etiam,* 3. §. *utilitas* 12. *ff. de itin. & act.*

TH. 2. Tria dantur viarum genera, ut [1] via publica, [a] (2) privata, (b) & [3] vicinalis (c) l. 3. ff. h. t.

(a) Sive regia, ſive Prætoria (*Germanicè eine landſtraſſe*) conſularis, item militaris (*eine heer ſtraſſe*) quia per eam à Prætoribus, aut Conſulibus exercitus ducebantur, l. 2. §. 22. ff. *ne quid in loc. publ.* de hac publica via hic agitur, aſt non ut ruſtica, de qua tit. 8 jam egimus, ſed urbica.

(b) Sive agraria; hæc propriè & impropriè ſumitur. Illo modo, quæ eſt in ſolo alieno & agris, quibus ſervitus eſt impoſita, ut ad agrum alterius ducat, l. 2. §. 23. ff. *ne quid in loc. publ. vel itin.* hoc modo, ubi via privata quidem ad agros ducit, ſed per eam omnibus commeare licet; atque ſic propriè loquendo talis via eſt magis publica.

(c) Quæ eſt in vicis, vel quæ in vicos ducit, exque privatorum agris collatis eſt facta, d. l. 2. §. 22. eiuſmodi vicinalis via non ad privatas, ſed ad publicas refertur.

TH. 3. Interdictum hoc de via publica urbica Prætor ideo conceſſit, ne in viam urbicam quid immittatur, fiat, aut projiciatur, quod prætereuntibus aut impedimento, aut noxæ eſſe poſſit, l. 1. *pr.* ff. h. t. & ſi via urbica in aliquo deterior fuerit facta, ut tollatur, & in priſtinum ſtatum reponatur, l. 1. §. 2. ff. h. t. quoties ergo viam ſubruat, effodiat, &c. reſtituere tenetur. Item cuilibet, viam publiclam ante ſuam quiſque domum ſartam, ſtratam & purgatam habere, injungitur.

TH. 4. Quod fora, pontes, foſſas, aggeres, mœnia, &c. attinet, publicis ſumptibus parantur & reparantur, ita tamen, ut ærario non ſufficiente, omnes cives & incolæ nequidem Eccleſiâ & clericis exceptis conferre cogantur, l. *ad inſtructiones* 7. *C. de SS. Eccleſ. l. abſit. ut nos C. de privilegijs dom. aug. vel rei priv.*

TITVLVS XI.

De via publica & itinere publico reficiendo.

TH. I. INTERDICTVM hoc tam ad ruſticas, quam ad urbicas vias pertinet, aliàs antecedentia interdicta de vijs publicis ſtruendis, reparandis & purgandis forent eluſoria, niſi vim huic refectioni obſtantem Prætor edicto inhibeat, uti hoc titulo fit.

TH. 2. Interdictum hoc Prætor ſubminiſtrat ijs, qui viam talem, vel iter tale aperire & reficere (a) volunt adverſus illum, qui refectionem impedit, ad id, quod actoris intereſt. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(a) h. e. ad veterem altitudinem, & latitudinem reſtituere. d. l. 1. *pr.* & §. 1. h. t.

TH. 3. Quatenus Prætor in hoc interdicto vim fieri vetat, eſt prohibitorium; aſt quatenus via deterior eſt facta, eſt reſtitutorium, d. l. 1. *pr.*

TITVLVS XII.

De fluminibus, ne quid in flumine, ripave eius fiat, quo pejus navigetur.

TH. I. SVBIICIVNTVR nunc quatuor interdicta de fluminibus publicis & ripis, ne quid in flumine (a) publico vel ripa (b) eius fiat aut immittatur, quo deterior ſtatio (c) fiat, vel quo pejus navigetur ob corruptum navigationis iter. l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) Quod à fluendo deducitur, & propriè loquendo denotat aquarum collectionem intra certas ripas in alveo decurrentem.

(b) Quæ flumen continet, naturalem rigorem curſus ſui tenens, l. 1. §. 5. ff. h. t.

(c) Hæc eſt locus, quo naves tutò ſtare poſſunt. l. 1. §. 11. & *ſeqq.* ff. h. t.

TH. 2. Flumen eſt publicum vel privatum; illud eſt perenne, quod ex naturali fonte oriens ſemper fluit, (a) hoc eſt, quod non eſt pe-

renne & in privati dominio. l. 1. §. 4. ff. h. t.

(a) Publicum ſive perenne flumen ſive navigabile, ſive non, olim ad populum, hodiè ad Principem, qui populo præeſt, ſpectat.

TH. 3. Flumen à rivo ratione magnitudinis differt aut etiam exiſtimatione circumcolentium. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 4. Lacus eſt, qui citra certum fluxus rigorem perpetuam aquam habet. l. 1. §. 3. ff. *ut in flumin. publ. navig. lic.*

TH. 5. Stagnum eſt, quod temporalem continet aquam ibidem ſtagnantem, quæ aqua plerumque hyeme ibi cogitur. l. 1. §. 4. ff. *ut in flum. publ. navig. lic.*

TH. 6. Interdictum hoc competit cuilibet è populo adverſus eum, qui aliquid in flumine, vel eius ripa facere intendit, quo ſtatio vel iter navigij deterior reddatur, quod fit ſi uſus eius corrumpatur, vel difficilior fiat, aut minor vel rarior, aut ſi in totum auferatur. l. 1. §. *deterior* 15. ff. h. t.

TH. 7. Quæritur, utrum molendinum ſuperius exſtruere licitè permittatur, ſi eo ſubtrahatur inferiori molendino aqua? Reſp. negando. *vide Dn. Hering. de molend. q. 15. n. 23.*

TH. 8. Quæritur, an privatus molam, ſive molendinum in flumine ædificare iure queat? Reſp. diſting. inter flumen privatum & publicum, in illo exſtruere poteſt, cum eius, ad quem flumen pertinet, conſenſu, in hoc verò olim ſine permiſſu Prætoris & poſtea Principis, aut Senatus non licuit, l. 50. ff. *de acquir. rer. domin.* l. 2. §. 10. *&* 15. ff. *ne quid in loc. publ.* Nec hodie abſque conſenſu Superioris licet.

TITVLVS XIII.

Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat, atque uti priori æſtate fluxit.

TH. 1. INTERDICTO hoc ne quid in flumine, &c. Prætor vetat in flumine, ripave eius aliquid facere aut immittere, quo aliter aqua fluat, quam priori æſtate fluxit, l. *un. pr.* ff. h. t. quod ea intentione à Prætore factum, ne aquarum derivationibus, molarum conſtructionibus, alijſque eiuſmodi operibus flumina exareſcant, aut

curſus vel alveus eorum immutetur, aut depreſsior, vel altior fiat aqua ad iniuriam & detrimentum, vel publicum, vel accolentium.

TH. 2. Interdictum hoc datur cuilibet de populo, contra eum, qui id egit, ut aliter aqua flueret, quam priori æſtate fluxit, cum ius ad hoc ei non competat, l. 1. §. 9. ff. h. t. ad id, ut ab opere deſiſtat, (a) vel ſi opus jam factum, ut tollatur, (b) inque priſtinum ſtatum per omnia reſtituatur.

(a) Hoc eſt prohibitorium. l. *un.* §. 12. ff. h. t.
(b) Atque ſic reſtitutorium eſt. d. l. *un.* §. 12.

TITVLVS XIV.

Vt in flumine publico navigare liceat.

TH. 1. INTERDICTVM hoc, ut in flumine publico nauigare liceat, competit cuilibet flumine publico uſuro, adverſus prohibentem in lacu, foſſa, (a) ſtagno publico navigare, & in ripa onerare, & exonerare merces, (b) ad id ne vis fiat. l. *un.* ff. h. t. l. 3. C. *de navicular.*

(a) Quæ eſt receptaculum aquæ manufactum, l. *un.* §. 5. ff. h. t. quid flumen, quid locus & ſtagnum ſit, *tit.* 12. *Theſi* 3. *& ſeqq.* expoſuimus.

(b) Quapropter huic interdicto locus eſt, ubi accolæ vel vicini prohibent merces, ligna, trabes, &c. in ripis & littoribus onerari & exonerari. d. l. *un.* h. t.

TH. 2. Sicuti in præcedentibus vetuit Prætor, vim fieri, publica via utentibus, ita & hic vetat, uſum navigationis, fluminiſve publici impediri.

TH. 3. Si publicanus lacum publicum vel ſtagnum conducens ſi piſcari prohibeatur, utile ipſi competit interdictum ob vectigalis favorem. d. l. *un.* §. 7. h. t.

TITULUS XV.

De ripa munienda.

TH. I. HAUD iniquè à Prætore propoſitum eſt interdictum hoc de ripa fluminis munienda, quia omnium & ſingulorum intereſt, ripas publicorum fluminum refici & muniri, (a) ne damnum agris ex aquarum curſu inferatur. l. *un.* ff. h. t.

(a) Modo ob refectionem vel munimentum navigatio non fiat deterior; ea enim ſola refectio eſt toleranda, quæ navigationi non eſt impedimento. d. l. *un.* §. 2.

TH. 2. Interdictum hoc eſt directum vel utile. Illud ratione ripæ fluminis muniendæ vel reficiendæ competit; hoc etiam ratione ripæ muniendæ in lacu, foſſa, ſtagno. d. l. *un.* §. *fin.* ff. h. t.

TITULUS XVI.

De vi & vi armata.

Iung. tit. 4. libr. 8. C. *Unde vi.*

TH. I. PERSPECTIS interdictis, publicam rem tuendam concernentibus; annectuntur & ea, quæ ad res privatas ſive ſingulorum ſpectant: eiuſmodi interdicta ſunt vel retinendæ, vel recuperandæ, vel adipiſcendæ poſſeſſionis, horum Theſi 9. tit. *de interdict.* ſupra fecimus mentionem; de illis titulo ſequ. de iſtis hoc titulo, de his verò tit. 2. & ſeqq. egimus.

TH. 2. Interdictum de vi & vi armata ſuppeditat Prætor poſſeſſori (a) vi atroci (b) dejecto (c) de poſſeſſione rei immobilis (d) adverſus dejicientem, (e) ut dejecto poſſeſſio cum omni cauſa, (f) reſtituatur.

(a) Sive bonæ fidei, ſive malæ fidei poſſeſſor ſit, l. 1. §. 30. l. 8. & 14. ff. h. t. ſive naturaliter, ſive civiliter poſſideat. l. 1. §. 9. ff. h. t.

(b) l. 1. § 3. ff. h. t. ſive ea vis fuerit publica, ſive privata, illa armis, hæc

ſine ijs fit; ideo illa dicitur publica, quia qui armis violenter graſſatur, & cives Romanos pulſat, aut bona eorum invadit, ius civium publicum, & pacem violari communem, atque ſeditionis faces accendere videtur.

(c) Et poſſeſſione ſpoliato. Spoliatus hic duo probare debet, poſſeſſionem & dejectionem, l. 1. §. 24. 26. *&* 44. ff. h. t. Vnde hoc interdictum competit vero domino dejecto; & qui domino ſunt ſimiles, e. g. emphyteutæ, vaſſallo, uſufructuario, uſuario, &c. Aſt inquilinis, colonis, ſervis, mercenarijs, &c. non datur, l. 1. §. 22. ff. h. t. *arg.* §. 5. *Inſtit. de interdict.* l. 4. ff. *de uſu & habit.* l. 9. ff. *de rei vindic.* quia hi tantum detinent, non poſſident, neque civiliter, neque naturaliter; ideo domino interdictum hoc ſubminiſtratur. l. *ſi colonus* 20 ff. h. t.

(d) Vel ei cohærentis, l. 1. §. 3. *&* 6. ff. h. t. ſi veró res mobiles unà cum rebus immobilibus ablatæ ſint, interdictum competit, d. l. 1. §. 6. §. 33. *&* 39. ff. h. t. ſi autem res mobiles ſolummodó ſint ablatæ, ceſſat hoc interdictum & datur actio furti, vel bonorum raptorum; item ad exhibendum. d. l. 1. §. 6. ff. h. t.

(e) Perinde eſt, an per ſe, an per alios, putá ſervos, &c. aliquem de poſſeſſione rerum immobilium dejecerit, l. 1. §. 11. *& ſeqq.* ff. h. t. cum & is dejeciſſe videtur, qui mandavit, vel iuſſit, ut aliquis dejiceretur, parvi enim referre viſum eſt, ſuis manibus quis dejiciat, an per alium, l. 1. §. 12. ff. h. t. dummodo factum fuerit ſubſecutum; non datur contra tertium poſſeſſorem, qui à dejiciente poſſeſſionem bona vel mala fide accepit. *arg* l. 7. ff. h. t. quoniam hoc interdictum duntaxat conceptum eſt in dejicientem vi, adeoque eſt ex delicto & perſonale. In heredes tamen datur, quatenus ad eos pervenit. l. 1. §. *ult.* ff. h. t.

(f) Quam habuiſſet ſpoliatus, ſi dejectus non eſſet, l. 1. §. 4. ff. h. t. Ob id dejiciens reſtituere cogitur dejecto, immobilia & mobilia omnia, ſive eius propria fuerint, ſive apud eum depoſita, commodata, pignorata, locata, &c. d. l. 1 §. 32. ff. h. t. fructus etiam omnes, ut naturales, induſtriales & civiles tam percepti, quàm percipiendi ex die ſpolij commiſſi ſunt reſtituendi. l. 4. C. h. t. l. 5. *&* 22. C. *de rei vindicat.*

TH. 5. Quæritur, an dejectus quolibet tempore reſtitutionem rerum immobilium cum omni cauſa & intereſſe petere queat? Reſp. ſi intra annum agat, affirmatur per l. 1. *pr.* ff. ib. t. ſin poſt anni lapſum actionem adverſus dejicientem intentet, accipit tantum id, quod ad dejicientem pervenit, d. l. 1. *pr. &* §. *ult.*

TH. 4. Quæritur, utrum hoc interdictum prædoni contra dominum dejicientem competat? Reſp. diſtinguendo, inter prædonem notorium, & non notorium. Notorio prædoni Prætor non concedit hoc interdictum contra dominum, ob ſequentes rationes, [1] quoniam dejecto nihil iuris competit ad poſſeſſionem, ubi apertè patet, ius proprietatis ſpectare ad ſpoliantem, qui propterea dicit, alterum dolo age-

re, dum petit poſſeſſionem mox reſtituendam, l. 8. ff. *de dol. mal. & met. except.* [2] *arg.* l. 31. ff. *depoſit.* quod depoſitum deponenti ſit reddendum, niſi iuſtior cauſa aliud exigat, e. gr. ſi dominus rei concurrat cum deponente. Quod non notorium prædonem attinet, hoc interdicto utitur; l. 7. C. *ad L. Iul. Maieſt.* l. *pen.* §. 2. C. *de præſcript.* 30. *annor.* l. 7. C. h. t. Excipe, niſi dominus hunc non notorium prædonem ex continenti & non ex intervallo iterum dejecerit. l. *quod eſt* 3. §. *cum igitur* 9. ff. h. t.

TITVLVS XVII.

Vti poſſidetis.

Iung. tit. 6. libr. 8. C. d. t.

TH. I. IN præcedenti titulo vidimus interdictum recuperandæ poſſeſſionis, quod non modò privatam, verùm etiam publicam ſalutem concernit, videamus & interdictum retinendæ poſſeſſionis, quod duplex, generale & ſpeciale; illud eſt vel de rebus immobilibus, de quo h. t. vel mobilibus, de quo tit. 31. tractabitur. hoc tit. ſeq. conſiderabimus.

TH. 2. Interdictum uti poſſidetis eſt, quo Prætor prohibet vim fieri, rem immobilem (a) legitimè poſſidenti, quem in poſſeſſione tuetur, (b) niſi vi, clam, aut precariò ab adverſario poſſideat. §. *retinendæ Inſt. de interdict.* l. 1. *pr.* & §. 1. & 2. ff. h. t.

(a) Sive totam, ſi pro certa parte, ſive pro indiviſo poſſideat, l. 1. §. 7. h. t. aut ei ſimilem, e. gr. rem incorporalem, quæ rebus immobilibus annumeratur, l. 8. §. 5. *in fin.* ff. *ſi ſervit. vindicet. arg.* l. 1. ff. & l. *un.* C. h. t. atque ſic competit pro ſervitutibus realibus & perſonalibus, pro iure venandi, aucupandi, paſcendi, percipiendi annuos reditus, &c. & quamvis multa interdicta de ſervitutibus ſpecialiter ſint propoſita, e. g. de itinere, actuque privato, de fonte, de aqua quotidiana, de cloacis, attamen generale eſt interdictum hoc, uti poſſidetis introductum, ut prædictis plenius conſuleretur, & aliarum quoque ſervitutum ratio haberetur, de quibus tuendis nihil dictum; nec etiam novum eſt, de una, eademque re plures proponere actiones.

(b) In hoc interdicto non agitur de ablata, ſed de turbata ſaltem poſſeſſione, quo nomine nec condictio furti, nec vi bonorum raptorum, nec actio ad exhibendum intentari poteſt.

TH. 3. Interdictum hoc competit poſſeſſori (a) rei immobilis, & in-

corporalis, qui non vi, non clam, nec precariò ab adverſario poſſidet, his enim tribus modis vitioſè, & mala fide poſſidetur, l. 1. §. 9. ff. h. t. l. 13. §. 1. ff. *de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* poſſeſſio tamen ei prodeſt, ſi non ab adverſario, ſed ab alio, vi, clam, vel precariò poſſideat; ratio eſt, iuſta, an iniuſta adverſus cæteros poſſeſſio ſit, in hoc interdicto nihil refert; qualiſcunque enim poſſeſſor, hoc ipſo quod poſſeſſor eſt, plus iuris habet, quam ille, qui non poſſidet. l. 2. ff. h. t.

(a) Ergo non datur ſervo, colono, ſequeſtro, creditori ex primo decreto miſſo, quia hi tantum detinent, nec poſſident. Ex oppoſito datur vaſſallo, emphyteutæ, uſufructuario, uſuario, quia hi poſſident.

TH. 4. Interdictum hoc datur contra quovis modo turbantes, (a) aut impedientes poſſeſſionis uſum, l. 3. §. 3. ff. h. t. ſive per ſe, ſive per alium turbent, perinde eſt.

(a) Turbare nihil aliud eſt, quam ius poſſeſſoris obſcurum facere; eiuſmodi turbatio fit dupliciter, iudicialiter & extrajudicialiter, illo modo per ſolam inficiationem, l. 1. § 3 ff. h. t. hoc modo re ipſa & facto extra iudicium.

TH. 5. Datur ad id, ut alter poſſidentem turbare deſinat, cautionemque de non amplius turbando præſtet, & ſi intra annum agat, in id, quod eius intereſt, quietam retinuiſſe poſſeſſionem, l. 3. §. *ult.* ff. h. t. Priuſquam verò hoc fiat, Prætor declarat alterum iuſtum poſſeſſorem, & alterum iniuſtum turbatorem, l. 1. §. 1. & 4. ff. h. t. quod tunc demum fit, cum actor probaverit, ſe poſſidere, ſicut ex actibus poſſeſſorijs demonſtrari poteſt, §. 4. *Inſtit. de interdict.* [1] ex locatione, ſi contra conductorem agat, ob præſumptionem. [2] ex fructuum perceptione, l. 2. C. *de acquir. poſſeſſ.* [3] ex cuſtodis appoſitione, l. 51. ff. *eod.* [4] ex cultura rei. l. 3. §. 4. ff. h. t.

TH. 6. Interdictum hoc eſt duplex, quia uterque actoris & rei perſonam ſuſtinet, uterque enim litigantium ſe poſſidere contendit, & adverſarium non poſſidere; is tamen ratione proceſſus iudiciarij eſt actor, qui ad iudicium provocat. l. 29. ff. *de iudic.*

TH. 7. Contraria huic interdicto ſunt ſequentia, [1] exceptio annalis, conceditur namque à Prætore intra anni ſpatium agere, quo effluxo expirat, [2] dominij exceptio, quam in hoc interdicto æquè validè opponere licet, ut in interdicto, unde vi, ſi enim opponi poſſit in poſſeſſorio recuperandæ, quid ni in interdicto retinendæ eam opponere liceat. c. 2. *de reſtit. ſpol. in* 6. [3] ſi alter probet, agentem vi, clam. aut precariò ab altero poſſidere, quem hoc caſu defendere, æquitas non permittit.

TITVLVS XVIII.

De ſuperficiebus.

TH. 1. GENERALE interdictum retinendæ poſſeſſionis excipit ſpeciale de ſuperficiebus.

TH. 2. Interdictum de ſuperficie datur ei, qui ſuperficiem (a) in loco alieno habet, (b) eaque legitimè fruitur, (c) adverſus eum, qui vim facit, quo minus fruatur, ad id, ut à turbando deſiſtat victus, & quanti poſſeſſoris intereſt, præſtet. l. 3. §. 11. ff. *uti poſſidet.*

(a) Vox hæc eſt ambigua; dicitur [1] Mathematicis extrema cuiuſque corporis facies, omni profunditate carens, [2] ſignificat ædes ſuperficiarias. l. 3. ff. *de ſervitut.* l. 20. ff. *de ſervit. urb. prædior.* [3] jus prædij, quo ædificium in ſolo alieno ponere, & ædificatum habere permittitur. l. 86. §. 1. ff. *de legat.* 1. quo ſenſu hic ſumitur; unde ſuperficiarius ius in re habere dicitur. l. 1. §. 1. ff. *ſi ager vectig. l. ſi duo*, 3. §. *ſed ſi*, 7. ff. *uti poſſidet.*

(b) Putà ex legato, donatione. l. 1. §. 7. ff. h. t. ex conductione, ſi ſuperficiem conduxit, ex emptione. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(c) Quoties enim ſuperficiarius non vi, clàm, aut precariò ab adverſario poſſidet, Prætor vim fieri vetat. l. 1. §. 2. ff. h. t.

TH. 3. Superficiarius eſt, qui ædificavit in alieno ſolo, ea lege conducto, vel empto, &c. ut ædificatum ſub annuo ſalario, vel in perpetuum, vel in plures annos habere liceat. l. 74. ff. *de rei vindicat.* Hoc ius ſuperficiei, in ſolo alieno quęſitum, eſt ſuperficiario inſtar dominij, ut ſuperficie frui, déque ea diſponere pro arbitrio poſſit. l. 1. §. 7. ff. h. t. l. 32. ff. *de contrahend. empt.*

TH. 4. Superficiarius ab emphyteuta & vaſſallo, ſimile jus in re habentibus diſtinguitur; quia horum jura adeo rem ipſam afficiunt, ut illis competat etiam vera ipſius ſoli poſſeſſio atque vindicatio, unde etiam proprium uti poſſidetis interdictum habent. l. 4. ff. *uti poſſidet.* Superficiario neque ſoli ius, neque poſſeſſio competit. *arg.* l. 3. § *pen.* ff. *de nov. oper. nunciat.* ſed ſolius ſuperficiei.

TITVLVS XIX.

De itinere, actuque privato.

TH. I. IN nonnullis ſequentibus titulis agetur de quaſi poſſeſſione ſervitutum ruſticarum, quos haud ineptè ad titul. uti poſſidetis referimus, ſicut enim de rebus corporalibus interdicta proponuntur, ita etiam de iuribus, quæ ſunt incorporalia, idem fit, quoniam & hæ quaſi poſſidentur. l. 43. §. 1. ff. *de acquir. rer. dom.* l. 12. ff. *de acquir. vel amit. poſſeſſ.*

TH. 2. Interdictum de itinere actuque privato eſt, vel de uſu ſervitutum ruſticarum tuendo, vel de refectione itineris non impediendа.

TH. 3. Ratione prioris membri interdictum datur ei, qui dictis ſervitutibus hoc anno legitimè uſus eſt, (a) contra eum, qui ita quoque in poſterum uti vi prohibet, vel impedit, (b) ad id, ut vim intermittat, & quanti actoris interfuit, via ſive itinere non prohiberi præſtet. l. 3. §. 3. ff. h. t.

(a) Prætor non inquirit, utrum habeat ſervitutem iure impoſitam, an non, ſed hoc tantum, an itinere actuque hoc anno uſus ſit, non vi non clàm, nec precariò, & tuetur eum, licet eo tempore, quo interdictum redditur, uſus non ſit. l. 1. §. 2. ff. h. t. quia vijs & itineribus non ſemper utimur.

(b) Vel ipſe, vel per alium. l. 1. §. 7. ff. h. t.

TH. 4. Ratione poſterioris membri interdictum datur ei, qui dictis ſervitutibus legitimè eſt uſus, & ius reficiendi habet, (a) & cavet adverſario de damno infecto, ſive vitio operis, ad id, ut quis liberè reficere (b) poſſit. *l. apparet*, 5. §. *qui* 4. ff. h. t.

(a) *l. inde etiam*, 3 §. *qui iter*, 11. *&* 13. ff. h. t.

(b) Quod eſt ad priſtinam formam iter actumve reducere, non dilatare, producere, deprimere, aut exaggerare in alicuius damnum. l. 3. §. 15. ff. h. t.

TITVLVS XX.

De aqua quotidiana & æſtiva.

TH. I. INTERDICTVM de aqua ducenda eſt triplex,[1] de aqua quotidiana, (a) [2] de aqua æſtiva, (b) & [3] de aqua ex caſtello (c) ducenda.

(a) Quæ aſſiduè duci ſolet, tam æſtivo, quàm hiberno tempore. l. 1. §. 2. *&* §. 3. ff. h. t. attamen non ideo dicitur quotidiana, quaſi quotidie neceſſariò ſit ducenda, & intermitti non poſſit; ſed etiam ſi aliquando non ducatur, ſervitus eius nihilominus ob intermiſſum uſum non exſpirat. d. l. 1. §. 3.

(b) Qua æſtate ſola uti expedit; quæ ita vocatur, non quia non poſſit hyeme duci, verum quia non ſolet, ſicuti dicimus veſtimenta æſtiva, ſaltus æſtivos, caſtra æſtiva, quibus interdum & hyeme, plerumque autem æſtate utimur. l. 1. §. 3. ff. h. t.

(c) Quod eſt receptaculum aquam publicam ſuſcipiens. d. l. 1. §. 39. hoc ideo factum, ut inde aquæ ductibus, eorumque fiſtulis & canalibus ad uſum & neceſſitatem derivari poſſit. d. l. 1. §. 38.

TH. 2. Interdictum primum de aqua quotidiana, competit illi, qui eam legitimè, (a) hoc anno ſaltem una die, aut nocte à capite, (b) bona fide duxit, (c) contra eum, qui imposterum ita ducere prohibet, (d) ad id, ut actori aquam liberè ducere permittatur, & reus cautionem præſtet, ſe ducentem aquam non impediturum, quamdiu de iure ſuo doceat. Quod ſi neget ius eſſe adverſario aquæ ducendæ, cavere ſine præjudicio amittendæ ſervitutis debebit, donec quæſtio finietur ſe non uſurum. l. 7. ff. h. t.

(a) Non vi, non clàm, nec precariò. d. l. 1. *pr.* §. 10. *&* 20. ff. h. t.

(b) Caput aquæ eſt, unde aqua naſcitur, ſi ex fonte naſcatur, ipſe fons eſt, ſi ex flumine, vel lacu prima incilia, vel principia foſſarum. l. 1. §. 8. ff. h. t. incile autem dicitur, quia inciditur lapis, vel terra, unde primum aqua ex flumine cogi poteſt.

(c) l. 1. §. 10. *&* 19. ff. h. t. ad quemcumque uſum etiam in prædium urbanum. d. l. 1. §. 11. *& ſeq.*

(d) Sive ſit dominus fundi, ſive non. d. l. 1. §. *competit*, 25. ff. h. t.

TH. 3. Interdictum ſecundum, de aqua æſtiva competit ei, qui illam priori æſtate, (a) legitimè, h. e. non vi, non clàm, aut precariò, ad

quemcumque uſum duxit, (b) contra eum, qui impoſterum actorem ita ducere prohibet, ad id, ut eo modo, quo antea eam duxit, liberè ducere concedatur. d. l. 1. §. 15. §. 19. & §. 43. ff. h. t.

(a) Hæc incipit ab æquinoctio verno, atque finitur æquinoctio autumnali; unde patet, hyemem & æſtatem ſex menſibus abſolvi. l. 1. §. 32. ff. h. t.
(b) d. l. 1. §. 11. & *ſeq.* ff. h. t.

TH. 4. Interdictum tertium, de aqua ex caſtello ducenda competit illi, qui aquam ex caſtello ducendi ius à Principe conceſſum (a) habet. d. l. 1. §. 42. adverſus impedientem, ad id, ut eam liberè ducat.

(a) Sine Principis permiſſu ex caſtellis ducere non licet, ne per privatorum derivationes, aqua publica diminuatur. l. 1. §. 41. ff. h. t. l. 3. & *ſeq. ff. de aquæduct.*

TITVLVS XXI.

De Rivis.

TH. 1. CONSIDERATIS interdictis de aqua ducenda, & non impedienda, addendum eſt interdictum de aquæductibus reficiendis; cum ſine refectione ſervitutis uſus diu conſervari nequeat. *l. inde etiam*, 3. §. 12. ff. *de itin. & act. privat.*

TH. 2. Prætor vim fieri vetat, quo minus liceat rivos, (a) ſpecus, (b) ſepta, (c) foſſas, puteos, (d) cuniculos, (e) aquæ ducendæ cauſa reficere, ſi modò eodem anno, vel ſuperiori æſtate legitimè eam duxit. *l. de rivis*, 4. ff. h. t.

(a) Rivus eſt locus per longitudinem depreſſus, quo aqua decurrat, qui diſtinguitur à flumine non ſpecie, ſed quantitate. l. 1. §. 2. ff. h. t. nomen eius ἀπὸ τοῦ ῥεῖν. h. e. à fluendo derivatur.
(b) Qui eſt locus, undique apertus, & in profunditatem demerſus, per quam aqua ducitur, à deſpiciendo dictus, ex quo deſpicitur. d. l. 1. §. 3.
(c) Quæ ſunt excogitata, ſive lignea, ſive lapidea ad derivandam compellendamve aquam ex flumine.
(d) Hæc duo ad hoc interdictum referuntur. d. l. 1. §. 5. ff. h. t.
(e) Per quos vapor trahitur in balnearijs vaporibus. *l. ſervius*. 3. §. 6. ff. h. t.

TIT. XXII.

TITULUS XXII.

De fonte.

TH. I. QUEMADMODUM de aquæductibus interdicta propoſuit Prætor, ita & de fontis uſu, ſive aquæ hauſtu, & pecoris ad aquam appulſu duplex proponit interdictum prohibitoriũ.

TH. 2. Interdictum primum eſt. Ne vis fiat ei, qui aquæ hauſtu (a) hoc anno legitimè uſus eſt adverſus impedientem. l. 1. §. 6. ff. h. t. ne vis fiat, ſed aqua uti liceat.

(a) Perinde eſt, utrum ex fonte, an ex lacu, puteo, vel piſcina hauriatur, modo aquam perennem & vivam contineant. l. 1. §. 4. ff. h. t. E. interdictum de ciſterna ceſſat, vivam aquam non habente.

TH. 3. Alterum interdictum eſt de refectione. Ubi Prætor inquit, quo minus fontem, quo de agitur, purges, reficias, ut aquam coërcere, utique eâ poſſis, dum ne aliter utaris, atque uti hoc anno, non vi, non clàm, non precariò ab illo uſus es, vim fieri veto. d. l. 1. §. 6. h. t.

TH. 4. Hoc interdictum ad tuendam fontis & aquæ munditiem ſpectat, ut ſi ex fonte, vel puteo haurire quidem moris ſit ad coquendum, lavandum, alioſque uſus puriores; tunc alter ſordidas ſuas veſtes, induſia & alia immunda in eodem fonte proluere non debet.

TITULUS XXIII.

De Cloacis.

TH. I. DUPLEX hîc de cloacis proponitur interdictum, [1] prohibitorium, & [2] reſtitutorium.

TH. 2. Prohibitorium conceditur à Prætore ei, qui cloacam (a) privatam purgare, reficere vult & prohibetur, contra prohibentem, qui damno infecto cavere cogitur. l. 1. §. 14. ff. h. t. ad id, ne vis fiat, ſed liberè purgare, & reficere queat. l. 1. *pr. &* §. 2. ff. h. t.

(a) Quæ eſt locus cavus, per quem colluvies defluit. l. 1. §. 4. ff. h. t.

TH. 3. Reſtitutorium interdictum competit cuilibet è populo, (a)

contra eum, qui in cloaca publica factum, ſive immiſſum habet, quo uſus eius fit deterior, ad id, ut reſtituatur. l. 1. §. 15. *& ſeq.* ff. h. t.

(a) Quod cloacarum purgatio ad publicam utilitatem ſpectet, ne ſordium immunditie & fœtore ſalubritas aëris corrumpatur, & cœlum peſtilens reddatur. l. 1. §. 2. ff. h. t.

Th. 4. Cloacas quilibet ſine vicinarum ædium damno exſtruere debet; unde iure Saxonico præcipitur ædificanti, cloacam ad terræ ſuperficiem uſque munire, & à vicini ædibus trium pedum ſpatio eam arcere; de tali tamen cloaca in hoc interdicto non agitur, verùm de canalibus & fiſtulis, per quas culinariæ ſordes, nec non alia proluvia cæterarum quarumlibet ſordium emittuntur & eluuntur.

TITVLVS XXIV.

Quod vi, aut clàm.

Th. 1. GENERALE hîc à Prætore proponitur interdictum, quo vi aut clàm quid factum eſt, iubet reſtitui, & poſſeſſiones tuetur, ad occurrendas eorum fallacias, qui vi, (a) aut clàm (b) quid moliuntur in aliorum detrimentum.

(a) Is vi quid feciſſe intelligitur, qui contra prohibitionem facit. l. 1. §. 5. *& 6.* ff. h. t. *l. vi facit,* 20. *ff h. t. l. quo tutela,* 73. §. *vi factum, ff de reg. iur.*

(b) Clàm facere videtur, qui celavit adverſarium opus, neque ei denunciavit, ipſi, ſe opus facturum, ſi modo timuit eius controverſiam, aut timere debuit. *l. prohibere,* 3. §. *clam. pen.* ff. h. t.

Th. 2. Interdictum hoc quod vi, aut clàm competit non ſolùm domino, verumetiam ei, cuius intereſt, opus non eſſe factum. l. *is qui,* 11. §. *ſi fundus,* 10. l. 12. *&* 16. ff. h. t. contra eum, qui vi, aut clàm in re ſoli, aut ſolo cohærente quid fecit. l. 1. §. 4. *l. ſi alius,* 3. §. *notavimus,* 5. ff. h. t. l. 8. *& ſeq. ff. eod.* l. 20. §. *ult.* ff. h. t. non autem in re mobili. d. l. 20. § *pen. ff. eod.*

Th. 3. Datur ad id, ut quod factum eſt, reſtituatur, ſive in priorem ſtatum reponatur, deſtructo opere, quod vi clàmve fecit, refuſo etiam eo, quòd intereſt, & fructibus reſtitutis. l. 15. § 7. *&* l. 16. ff. h. t.

Th. 4. Interdictum hoc datur quoque adverſus heredes, quatenus ad eos pervenit, aſt poſt annum à die perfecti operis elapſum non competit. d. l. 15. §. 3. *& ſeq.*

TH. 5. Huic interdicto non eſt locus, ſi cauſa aliqua ſubſit. e. g. [1] agri colendi, [2] arcendi incendij. *l. ſi alius, 7. §. eſt & alia, 4. §. planè*, 7. ff. h.t. [3] ſi denunciatum fuerit actori legitimo tempore, [4] ſi ipſe poſtea conſenſerit, hoc in caſu vis abeſſe intelligitur, aut [5] damni infecti nomine reus cautionem præſtare ſit paratus, &c.

TITVLVS XXV.

De remiſſionibus.

TH. I. INTERDICTVM præcedenti titulo propoſitum non obtinet, nec vim feciſſe videtur, ſi Prætor, (a) vel nuncians novi operis nunciationem nunciato remittat: Hinc dicimus remiſſionem eſſe nunciationis novi operis abolitionem. l. 1. ff. h. t.

(a) Qualis remiſſio fieri ſolet, ſi nunciatus de demoliendo novo opere præſtet cautionem, ſi injuſtè ædificatum apparuerit. *l. de pupillo, 5. §. ſi is*, 17. *ff. de nov. oper. nunciat. Gail. 1. obſ. 16.*

TITVLVS XXVI.

De Precario.

TH. I. TRES ſunt vitioſæ poſſeſſiones, quas mala fide acquirimus, vi, clàm & precariò. l. 13. §. 1. ff. *de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* de quarum ultima hîc agitur.

TH. 2. Interdictum hoc de precario, ideo eſt introductum, quia nulla eo nomine actio civilis ab initio fuit, cum magis ad beneficij cauſam, quàm negotij contracti referatur precarij conditio. l. 14. ff. h. t.

TH. 3. Precarium eſt quod precibus petenti utendũ conceditur tamdiu, quoad is, qui conceſſit patitur. l. 1. *pr.* ff. h. t. quod eſt genus liberalitatis, donationi, (a) & commodato (b) haud diſſimile; unde precariò poſſidenti competit interdictum uti poſſidetis contra omnes excepto rei domino. l. 17. ff. h. t. à quo poſſeſſionem precibus impetravit. l. 2. ff. h. t. nam ratione domini non iuſtè poſſidet, ſed detinet. *l.* 10. §. 1. ff. *de acquir. poſſeſſ.*

(a) A qua tamen differt, ratio eſt, quia in donatione dominium transfertur, & ſemel traditione perfecta, repeti, revocarique nequit. l. 1. ff. *de donat.* contrarium in precario obtinet, ubi non dominium, ſed uſus transfertur.

(b) Diſtinguitur etiam ab eo; commodatum enim civiliter obligat, & ad certum uſum, atque certum tempus expreſſum, vel tacitum datur. l. 17. §. 3. ff. *commodat.* precarium contra neque ad certum uſum, neque ad certum tempus conceditur. Idcirco quotieſcumque placuerit, repeti poteſt.

TH. 4. Interdictum de precario eſt, quo Prætor iubet, ut quod quis precariò ab aliquo habet, id illi reſtituat. Et datur ei, qui precariò dedit, (a) contra eum, qui rem corporalem, eamque mobilem, vel immobilem, aut incorporalem precariò accepit, (b) ad id, ut in priſtinam cauſam reſtituat, aut intereſſe præſtet, quanti ſcil. actoris interfuit, rem ſibi reſtitui ex eo tempore, quo interdictum eſt editum, unde & fructus ex die interdicti ei præſtabuntur. *l. quæſitum*, §. *ex hoc*, 4. ff. h. t. *l. in honorarijs*, 35. ff. *de obligat. & action.*

(a) l. 8. *pr.* l. 6. § 4. ff. h. t. eiuſque heredibus. l. 21. ff. h. t.

(b) *l. ait Prætor*, 2. §. *habet*, 3. ff h. t. l. 4. *pr.* l. 15. §. 2. ff. h. t.

TH. 5. Quæritur, utrum precariò accipiens teneatur etiam ad levem culpam? Reſp. negando, *per l.* 8. §. 3. ff. h. t. quod precarium juris civilis regulis non ſit allegatum; inſuper Prætori æquum viſum eſt, mitius cum precariò accipiente eſſe agendum, quia totum negotium ex liberalitate provenit. d. l. 8. §. 3. ff. h. t.

TH. 6. Actio hæc non modo intra annum, verùm in perpetuum datur, quia eſt rei perſecutoria. d. l. 8. §. 7. ff. h. t.

TH. 7. Interdictum de precario eſt reſtitutorium, naturalem in ſe comprehendens æquitatem; cum nihil naturâ ſit æquius, quam rem precariò mera liberalitate conceſſam pro arbitrio à domino quolibet tempore repeti poſſe. l. 1. ff. h. t.

TH. 8. Quæritur, an precarium ſit contractus propriè dictus? Reſp. negando, *per l. interdictum*, 14. ff. h. t. non producit civilem actionem. l. 14. §. 4. ff. *de furt.* (2) quia neque nomen, ſive formam ſpecialem, neque cauſam contractus habet. Quod non habeat ſpeciale nomen, ſive formam inde patet, quia hic tantum datur res utenda, ut ad libitum revocari queat. d. l. 1. ff. h. t. nec cauſam habet, cum non detur quid, ut iterum quid detur, vel fiat. *arg.* l. 14. ff. h. t. unde definitur, quod ſit actus liberalitatis quò res utenda conceditur, ut ad libitum revocari poſſit. Nec officit, actionem preſcriptis verbis ex eo oriri, quia ea ſaltem eſt anomala, quæ extra ordinem varijs ex cauſis competere poteſt. l. 2. & *ſeq.* ff. *de P. V.*

TITVLVS XXVII.

De arboribus cædendis.

TH. I. PRÆTOR etiam duo ſpecialia interdicta de arboribus, quæ in urbano vel ruſtico ſunt prædio, proponit.

TH. 2. Primum interdictum de arboribus cædendis in urbano prædio ſuppeditat domino, vel ei, cuius intereſt, ut fructuario, l. 1. § 4. ff. h. t. contra vicinum, qui arborem (a) ædibus ſuis nocentem non adimit, ad id, ut actori eam tollere (b) permittatur, nec auferenti vis fiat. l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) Quam hic ita latè accipimus, ut & vites ſub ea complectatur. l. 1. §. 3. ff. h. t.

(b) Hodie non tota arbor à ſtirpe ſucciditur, ſi noceat uicini ædibus ſed ſaltem frondes impendentes vel nocentes, domino arboris id facere recuſante.

TH. 3. Secundum interdictum eſt de arboribus prædio ruſtico nocentibus, ut ſi umbra vicini arboris prædio vicini detrimentum adferat, & per dominum arboris ſtet, quo minus ramos arboris quindecim pedes à terra altius coërceat, vicino eos ad hunc modum amputare, lignaque auferre licet. l. 1. §. 7. *&* 8. ff. h. t.

TH. 4. Quæritur, ſi vento arbor vicini in alterius fundum incliner, quid iuris? Reſp. quod vicinus de ea adimenda agere poſſit. l. 2. ff. h. t.

TITVLVS XXVIII.

De glande legenda.

TH. I. INTERDICTVM de glande legenda competit domino glandis (a) quæ ex illius agro in vicini fundum cadit, contra vicinum, qui actori in fundum ſuum ingredienti intra triduum (b) glandemque legenti & auferenti vim facit, quod Prætor vetat, ad id, ut liberè ingrediatur, legat & auferat.

(a) Vox huius generalis eſt, omnem fructum in ſe comprehendens. l. *un.* ff. h. t.

(b) Cum fructus in terram prolapſi facilè putreſcant, hinc Prætori viſum eſt ſufficere, ſi domino ad colligendos fructus triduum concederetur, quo effluxo pro derelicto eſſe habendos, & vicino cedere. Aliud hodiè de talibus fructibus caducis ſtatuitur, ut ei cedant, in cuius fundum pendent aut cadunt. *vide ius Saxon. lib.* 2. *art.* 52.

TITVLVS XXIX.

De homine libero exhibendo.

Iung. tit. 8. lib. 8. C. *De liber. exhibend. ſeu deduc. & de hom. lib.*

TH. I. IN hoc & ſequenti titulo proponuntur duo interdicta de perſonis. Primum interdictum (a) de libero homine exhibendo competit cuilibet (b) contra eum, qui liberum hominem invitum (c) dolo malo, vel ſine iuſta cauſa retinet, (d) ad id, ut eum exhibeat, ſeu in publicum producat, ut libertas eius defendatur, aut litis æſtimationem præſtet, & quidem ſæpius, donec hominem liberum dimiſerit. l. 3. §. 13. ff. h. t.

(a) Quod libertatis tuendæ cauſa inductum eſt, ne liberi homines iniuſtè detineantur à quopiam. l. 4. ff. h. t.

(b) Ob favorem libertatis, quam ab omnibus tueri, æquitatis ratio poſtulat, l. *quod &* 3. §. *hoc interdictum* 9. ff. h. t. & perpetuo competit, quia libertati nunquam præſcribitur. l. *ult.* C. *in quib. cauſ. præſcript. long. temp. ceſſ.*

(c) Sive maſculus, ſive fœmina, ſive pubes, ſive impubes, ſui vel alieni iuris. l. 3. §. 1. ff. h. t.

(d) Ita ut abeundi facultas non concedatur, quod ſervituti quàm proximum. l. 2. ff. h. t.

TITVLVS XXX.

De liberis exhibendis, item ducendis.

Iung. tit. 8. libr. 8. C. d. t.

TH. I. ALTERVM interdictum de liberis exhibendis (a) datur liberos in poteſtate habenti, (b) contra illum, apud

quem illi inviti (c) ſunt, vel dolo malo fecit, quo minus apud ſe eſſent, ad id ut exhibeantur, quo magis eos ducere poſſit. l. 1. §. 4. ff. h. t.

(a) Huius interdicti præparatorium eſt interdictum ſuperiori titulo propoſitum, l. 5. ff. h. t. ratio eſt, antequam homo detentus duci poteſt, exhibendus eſt, ſicut res prius eſt exhibenda, quam vindicari poteſt. *t. t. ff. ad exhibend.*

(b) Idem affirmatur de marito, qui contra ſocerum, penes quem eius uxor eſt, ex hoc interdicto ad exhibendum agere poteſt. l. 2. ff. h. t. l. *ſi invita C. de nupt.*

(c) Si verò filius ſua ſponte apud aliquem maneat, interdicto huic non eſt locus; quia filius magis penes ſe, quàm penes alium eſt, qui cum non impediat, quo minus filius alienus abeat, non eſt ratio, cur ex hoc interdicto contra eum agatur. l. *ult.* ff. h. t.

TH. 2. Hoc interdictum non datur in ſequentibus duobus caſibus, [1] ſi pater agat contra generum ad exhibendam filiam ei nuptam; cum maritus præferatur, l. 3. §. *ult.* ff. h. t. & quidem hanc ob rationem, ne pacata & concordantia matrimonia iure patriæ poteſtatis turbentur, vel planè diſtrahantur, [2] ſi filius à matre retineatur, apud quam interdum magis, quam apud patrem morari filium decet, l. 1. § 3. ff. h. t. l. 1. C. *de divort. fact. apud. qu. lib. mor.*

TITVLVS XXXI.

Vtrubi.

TH. 1. AD tuendam rei mobilis poſſeſſionem Prætor propoſuit ſequentia interdicta, interdictum utrubi, quod competit ei, qui legitimè, h. e. non vi, non clam, nec precariò, majore huius anni parte rem mobilem poſſedit, contra quovis modo inquietantem, ad id, ut quis quietè ſua poſſeſſione uti poſſit. l. *un.* ff. h. t. § 4. *Inſt. de interdict.*

TH. 2. Interdictum hoc ab interdicto uti poſſidetis in eo differt, illud de rebus mobilibus, hoc de rebus ſoli loquitur. d. l. *un.*

TITVLVS XXXII.

De migrando.

TH. I. SECVNDVM interdictum de rebus mobilibus tuendis eſt de migrando, quod à Prætore conceditur inquilinis, qui ſolutâ penſione, ſive mercede, (a) migrare, reſque ſuas illatas & invectas aliò transferre volunt, l. 1. §. 1. ff. h. t. adverſus locatorem, qui res inquilini illatas pignoris nomine abducere prohibet, ad id, ut ei abducere liceat.

(a) Vel per locatorem, ſive ædium dominum ſtat, quo minus ſolvatur, vim migranti fieri, vetat Prætor. l. 1. pr. ff. h. t.

TH. 2. Datur inquilino & utile interdictum, ratione rerum alienarum, quæ ſunt in domo conducta, ut ſunt apud conductorem depoſitæ, commodatæ, locatæ, pignoratæ. l. 2. ff. h. t.

TH. 3. Hoc interdictum colono non datur, quia eius res pignore non tenentur, *t. ff. in quib. cauſ. pign.* & inſuper publicè intereſt, agricolarum res & inſtrumenta diutius non detineri. *Anth. agricolatores C. quæ res pign.*

TH. 4. Interdictum hoc eſt perpetuum, quod datur ſucceſſoribus & in ſucceſſores. l. 1. §. *ult.* ff. h. t.

TITVLVS XXXIII.

De Salviano interdicto.

Iung. tit. 9. libr. 8. C. *De precario & Salv. interd.*

TH. I. INTERDICTVM Salvianum (a) competit locatori prædij ruſtici contra colonum, ad poſſeſſionem rerum, quam pro mercedibus fundi per expreſſam conventionem pignori obligavit adipiſcendam. (b)

(a) Ita dicitur ab inventore Salvio-Iuliano, edicti perpetui autore & interprete.

(b) § 3.

(b) §. 3. *Inſtit. de interdict.* l. 1. ff. h. t. l. 4. & 7. ff. *quib. in cauſ. pign. tac. contrah.*

TH. 2. Ex interpretatione datur utile interdictum locatori ædium, & creditoribus contra inquilinum & debitorem, l. 1. C. h. t. Hodiè Salvianum interdictum tam directum, quam utile Pragmaticis quaſi eſt incognitum.

TH. 3. Quamvis Serviana actione pignus perſequi poſſimus, §. 7. *Inſtit. de action.* tamen quia petitorij eſt iudicij, & gravat probandi onere agentem, ut cogatur oſtendere, rem in bonis debitoris fuiſſe, l. 15. §. 1. ff. *de pignor.* æquitas vult, creditori hoc interdicto ſuccurri, ut pignus ſuum compendiaria via perſequi poſſit, ſi nimirum probaverit, rem pignoris nomine fuiſſe inductam, l. 1. *pr.* ff. h. t.

TH. 4. Actio Serviana ſive hypothecaria ab interdicto Salviano diſtinguitur; [1] illa eſt petitorij & ordinarij judicij, quæ per viam libelli & plenarij examinis, atque ſententiæ expediri debet, hoc autem eſt merè poſſeſſorium (a) remedium paratæ executionis, ob id quoque leviores probationes, ſolam cauſam poſſeſſionis reſpicientes ſufficiunt. [2] In illa oſtenditur, rem pignoratam in debitoris bonis fuiſſe, in hoc tantum probatur, bona illata à colono fuiſſe poſſeſſa tempore obligationis. l. 1. ff. h. t.

(a) Iudicium poſſeſſorium hodiè diſpeſcitur in ordinarium ſive plenarium & extraordinarium, ſummarium ſive ſummarijſſimum; illud eſt, in quo ſolenni ordine iuris ſervato proceditur, atque ideo libellus, litis conteſtatio, & plenæ probationes requiruntur: *Gail.* 1. *obſerv.* 7. hoc eſt, in quo non ſolenni iuris ordine ſervato celeriter atque ſummariè proceditur, ubi quidem citatio, petitio, reſponſio, leviores poſſeſſionis probationes & ſententia (putà interlocutoria) requiritur, aſt non libellus, nec litis conteſtatio, nec concluſio deſideratur. *Clement. ſæpè de verbor. ſignif.* & *Gail.* d. l.

LIBER QVADRAGESIMVS QVARTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De exceptionibus, præſcriptionibus & præjudicijs.
Iung. tit. 36. libr. 8.

TH. 1. POSSESSIONES non ſolummodo per interdicta, verumetiam per exceptiones à poſſeſſore objectas legitimè defenduntur.

TH. 2. Exceptio (a) eſt quaſi quædam excluſio, (b) quæ opponitur actioni cuiuſque rei, (c) ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve deductum eſt.

(a) Vox exceptionis dupliciter accipitur, (1) generaliter denotat defenſionem, *arg.* l. 5. ff. h. t. l. 10. C. *eod.* l. 56. ff. *de condict. indebit.* l. 1. C. *de iur. & fact. ign.* quo ſenſu retorſio, replicatio, duplicatio triplicatio, quadruplicatio dicuntur exceptiones, l. 2. §. 1. ff. h. t. (2) ſtrictè, ubi iterum dupliciter ſumitur, (1) impropriè ſignificat negationem intentionis, qua conventus in judicio agentem à ſe depellit, ſive ei iure competat actio, ſive de facto ſaltem experiatur, cum actori nullum jus agendi competat, (3) propriè ſumitur pro actionis competentis excluſione, l. 2. *pr.* ff. h. t. ita hic accipitur; Nota. huius tituli videntur tres eſſe partes; ſi autem accuratè loqui velimus, duæ tantum ſunt; quia exceptio & præſcriptio ratione huius materiæ ſunt ſynonima, præſcribere enim denotat excipere, vel exceptionem opponere. l. 3. §. 1. ff. *de prævaricat.*

(b) Hæc actionem vel ad tempus, vel in perpetuum tollit, ſive excludit; illa dicitur exceptio dilatoria, ſive temporalis, hæc peremptoria, ſive perpetua. l. 2. §. *fin.* l. 3. ff. h. t §. 10. *Inſt.* h. t.

(c) Atque ſic iudicium redditur inefficax, actione per exceptionem eliſa.

TH. 3. Exceptionum variæ dantur diviſiones, [1] à cauſa efficiente.

Exceptio alia eſt civilis, (a) alia Prætoria. (b)

(a) Quæ ex legibus ſpecialiter dictis, vel ijs, legis vicem obtinentibus deſcendit, v. g. Sctis, conſtitutionibus Principum, ſic ex Scto eſt exceptio Scti Macedoniani, & exceptio Scti Vellejani; ex conſtitutione Principum eſt exceptio non numeratæ pecuniæ, *vid. t. C. de except. non num. pecun.* exceptio diviſionis inter confideiuſſores ex conſtitutione divi Adriani, &c.

(b) Quam Prætor edicto ſuo concedit, quales ſunt exceptio doli, metus pacti, &c. §. *quarum* 7. *Inſtit.* h. t.

TH. 4. [2] A cauſa finali & effectu. Exceptio eſt vel dilatoria, vel peremptoria. l. 3. *pr.* ff. h. t. §. 8. *Inſtit. eod.*

TH. 5. Exceptio dilatoria eſt, quæ ad tempus, actionem differt, ſive temporis dilationem tribuit, §. 10. *Inſt.* h. t. eiuſmodi exceptiones ante litis conteſtationem regulariter ſunt proponendæ & probandæ, l. *pen. & ult.* C. h. t. nam poſtea non admittuntur, l. 13. C. *de procurator.* Excipe [1] ſi dilatoria demum incepit poſt litem conteſtatam, c. *paſtoralis Extr.* h. t. [2] ſi per reum non ſteterit, ſed per iudicem fortè, quo minus fuerit oppoſita ante litis conteſtationem, [3] ſi exceptio dilatoria gravamen habeat ſucceſſivum, ut loci non tuti, ſuſpecti & inhoneſti. c. *ex pacto Extr. de appellat.*

TH. 6. Exceptio dilatoria iterum eſt triplex, vel pertinet ad merita cauſæ, (a) vel ad proceſſum, (b) vel ad perſonas iudicium conſtituentes, principales & acceſſorias, putà iudicem, (c) actorem reum (d) & procuratores. (e)

(a) Eiuſmodi ſunt (1) exceptio pacti conventi temporalis, ubi contrahentes conveniant de non petendo intra certum tempus, *Gail. 2. obſ. 46.* huc refertur exceptio moratoria, qua debitores abſque culpa facultatibus lapſi, reſcripto Imperatoris aut Principis ad certum tempus contra creditores ſuos ſe defendunt, l. 2. C. *de prec. Imper. offer* (2) Exceptio plus petitionis, §. 38. *Inſt. de action.* (3) exceptio excuſſionis, *Dn Vultej* c. 7. *num.* 461. *& ſeqq.* (4) diviſionis, (5) cedendarum actionum, *Dn. Vultej* c. 7. *num.* 514. *& ſeqq.* (6) exceptio litis pendentiæ, (7) cautionis, (8) retentionis, quæ datur rem poſſidenti abſque vitio.

(b) Quæ modum, tempus & locum reſpicit. Ad modum ſpectat [1] exceptio ſubreptionis & obreptionis, *Dn. Vultej. c. 7. num.* 404. *& ſeqq.* [2] exceptio libelli generalis, inepti, obſcuri, *ibid. num.* 400. *& ſeqq.* [3] exceptio ineptæ cumulationis, [4] exceptio præiudicialis, hæc opponitur quoties majori cauſæ per minorem fieri poteſt præiudicium, l. *fundum* 16. ff. h. t. l. *fundi* 18. l. *rei majoris* 21. ff. *eod.* Ratione temporis competit exceptio temporis, ſive termini anguſti, exceptio feriarum, *Gail.* 1. *obſ.* 52. intuitu loci datur exceptio loci non tuti, aut inhoneſti. *Vultej.* c. 7. *n.* 249.

(c) Vt exceptio iudicis incompetentis, ſive incompetentiæ, quam cita-

tus judici citanti opponere ſolet, *Gail.* 1. *obſ.* 29. *&* 74. [2] exceptio iudicis ſuſpecti. l. 16. *cum Auth. ſeq. C. de judic. Myncing.* 3. *obſ.* 63. *Gail.* 1. *obſ.* 33.

(d) Litigantibus, ut actori & reo dantur [1] exceptio inhabilitatis, ſive legitimationis perſonarum, [2] exceptio contumaciæ, *Vultej.* c. 7. *n.* 394. *& ſeq.* [3] exceptio iuſti impedimenti, qua quis ſe excuſat, quod intra præfinitum tempus venire non potuerit.

(e) Reſpectu procuratorum dantur exceptiones procuratoriæ, ut cum procuratores non habent mandatum, vel habent, aſt non ſufficiens; vel mandanti ius conſtituendi procuratorem non competit, vel mandatarius conſtitui non poteſt; vel cauſa eſt talis, procuratorem non admittens. *Gail.* 1. *obſ.* 47.

TH. 7. Exceptio peremptoria eſt, quæ ſemper agentibus obſtat, & perpetuò actionis vires excludit, §. 9. *Inſtit.* h. t. hæ exceptiones regulariter poſt litem conteſtatam ad ſententiam (a) uſque opponuntur, poſſunt tamen & ante litis conteſtationem opponi. l. 4. 8. & 9. C. h. t. l. 2. C. *ſentent. reſcind. non poſſ.*

(a) Extra ordinem tamen poſt ſententiam quoque peremptoriæ exceptiones ad impediendam executionem admittuntur, ut (1) exceptio ſolutionis, (2) Sčti Macedoniani & (3) Vellejani, l. 11. ff. *ad Sčt. Maced.* (4) exceptio non numeratæ pecuniæ, (5) exceptio diviſionis, (6) compenſationis. *Gail.* 1. *obſ.* 17.

TH. 8. Exceptiones peremptoriæ quædam in ipſo litis ingreſſu exiſtunt, (a) quædam etiam initio rectè conſtituto poſt exiſtunt. (b)

(a) Tales exceptiones competunt vel ratione perſonarum qualitatis, ut exceptio Sčti Vellejani, Sčti Macedoniani, minoris læſi, quem in integrum reſtitui oportet: vel ob negotium competit, ut exceptio doli, metus, erroris, non numeratæ pecuniæ, &c.

(b) Quales exceptiones oriuntur (1) ex iureiurando, (2) ex remiſſione debiti (3) actoris ſilentio, (4) dolo in actione inſtituenda adhibito.

TH. 9. Dantur exceptiones, quas poſt ſententiam opponere licet, quales ſunt [1] ob privileginm, ut exceptio Sčti Macedoniani, & Vellejani, l. 11. ff. *de Sčt. Maced.* militis, [2] ob qualitatem ſententiæ, ſi ea declaretur nulla, vel per reſtitutionem in integrum retractari poſſit, [3] ob qualitatem ipſarum exceptionum, quæ ſententiæ executionem impediunt, l. 2. ff. h. t. ut exceptio non numeratæ pecuniæ, exceptio compenſationis. *Gail.* 1. *obſ.* 17.

TH. 10. Exceptio alia eſt realis, alia perſonalis.

TH. 11. Exceptio realis rei, ſive cauſæ cohæret, quæ in heredes tranſit; ut ſunt exceptio rei iudicatæ, doli mali, iurisjurandi, pacti conventi de non petendo.

TH. 12. Exceptio perſonalis eſt, quæ perſonæ cohæret. l. 7. ff. h. t. vel perſonam reſpicit, nec ad alios tranſit; eius ordinis eſt, (1) exceptio minoris ætatis, (2) exceptio, qua legatus, vel alij domum revocant, (3) exceptio competentiæ, qua parens, patronus, donator, maritus, ſocius ſe non facere poſſe excipiunt. d. l. 7.

TH. 13. Exceptio eſt nominata, vel innominata. Illa eſt, cui proprium aliquod in iure inditum eſt nomen. Hæc eſt, quæ certum & proprium nomen non habet.

TH. 14. Tales nominatæ exceptiones dantur in iure perplurimæ, ut (1) exceptio rei iudicatæ, de qua *tit. ſeq.* (2) exceptio doli mali, de qua *tit. 4. ſeq.* (3) exceptio rei venditæ & traditæ. l. 1. *& l. ult. ff. de except. rei vendit. &c.*

TH. 15. Innominatæ exceptiones dicuntur exceptiones in factum. l. 14. ff. h. t. quæ ſunt ſaltem utiles l. 21. ff. *de Pr. Verb.* nominatæ verò ſunt directæ.

TH. 16. Secunda huius tituli pars eſt præiudicium, (a) ſive exceptio præjudicij, qua reus ita excludit actorem, ut dicat per actionem inſtitutam non debere præiudicium fieri alteri cauſæ potiori, quæ prius intentando probanda & decidenda erit. *l. fundum, 16. l. fundi, 18. l. rei maioris*, ff. h. t.

(a) Vox hæc varias habet ſignificationes, [1] denotat detrimentum. l. 4. §. *pen. ff. de cenſib.* [2] iudicis interlocutionem, quæ ſententiam antecedit, [3] propriè ſignificat certum actionum genus, quæ actiones præiudiciales appellantur. §. 13. *Inſtit. de action. l. 37. ff. de obligat. & action.* cum videlicet ante quid petitur iudicari, quam ad principale negotium perveniatur. e. g. ſi patronus petat à liberto operas, prius poſtulet declarari eſſe libertum; aut ſi filius petat à patre alimenta, prius petat judicari, ſe eſſe filium. l. 1. §. 2. ff. *de rei vindicat.*

TH. 17. Cauſa efficiens exceptionis eſt æquitas naturalis, unde proficiſcitur, *pr. Inſtit. de except.* quare etiam iuris gentium dicitur, putà ratione originis, reſpectu verò informationis dicitur iuris civilis.

TH. 18. Materia, circa quàm verſatur, ſunt actiones & iudicia.

TH. 19. Forma exceptionis, illa olim à Prætore dari ſolebat, perinde atque actiones, quæ aut purum præſcribebat iudicium, non admiſſa rei exceptione, ut ſi paret promiſiſſe, condemnato; aut ſub conditione, ut cum exceptionem admiſſam formulæ inſerebat, ſi paret promiſiſſe Titium Sejo decem, condemnato, extra quàm ſi quid dolo malo, metuve geſtum ſit. l. 8. §. 14. ff. *quib. mod. pign.* Hodie exceptiones formam nullam habent, ſed quibuſcumque verbis, ſcripto, vel

ab ipſo ſcripto viva voce proponi poſſunt.

TH. 20. Finis exceptionis eſt, ut actionum rigor exceptionibus objectis temperetur, & cum nihil æquius ſit, aliquem exceptionibus defendi, qui alias contra [illegible] & actionum propoſitarum rigorem condemnetur.

TH. 21. Effectus exceptionum peremptoriarum eſt, ut actoris intentionem excludant, aut perimant. l. 22. & 23. ff. h. t. dilatoriarum autem effectus eſt, ut aut differant, aut transferant judicium. Hinc affirmant, quod per exceptionem dilatoriam oppoſitam & probatam reus abſolvitur ab obſervatione judicii, non vero in totum abſolvitur, ideo actori de novo in alia inſtantia contra reum agere permittatur; per exceptionem vero peremptoriam oppoſitam & probatam reus in totum ab actione eſt abſolvendus; unde ſi denuo conveniatur, exceptionem rei judicatæ opponere poteſt, *vide Vultej. c. 7. num. 914.*

TH. 22. Contraria exceptioni eſt replicatio, quamvis illa ſit quædam exceptio, attamen eam oppugnat & excludit. l. 2. ff. h. t. ſicut replicatio a duplicatione rurſus oppugnatur, & ea à triplicatione, &c.

TITULUS II.

De exceptione rei judicatæ.

TH. 1. PROPOSITAM in genere exceptionis materiam præcipuæ quædam exceptionum peremptoriarum ſpecies ſubſequuntur, inter quas exceptio rei judicatæ haud immerito primum locum meretur.

TH. 2. Exceptionem rei judicatæ opponit reus, [a] pro quo judicatum eſt, & ut [illegible] abſolutum, actori, [b] qui litem jam ſemel [illegible] iterum contra reum abſolutum intentat. *l. ſingulis,* 6. l. 20. pr. & l. 21. ff. h. t.

(a) Hanc quoque pater tandem opponere poteſt ſi pro filio judicatum, ejuſque nomine [illegible]. l. [illegible] § [illegible] ff. h. t. idem dicitur de ſucceſſoribus tam univerſalibus, quam particularibus; quia enim exceptio [illegible] quam poſſidebat, venditori prodeſſe cœpit; eadem & emptori ex venditoris perſona prodeſſe debet. l. 9. § 2. ff. h. t. prodeſt & donatori. l. 11. § 10. ff. h. t.

(b) Contra hunc in iudicio victum hæc exceptio ſubminiſtratur, ſive ipſe egerit, ſive alius eius nomine, ut procurator, cui mandatum eſt, curator, tutor. l. 11. §. 7. ff. h. t. intellige, ſi eandem rem ex eadem cauſa petat. l. 12. l. 13. *& l. & an eadem*, 14. *pr.* ff. h. t.

Th. 3. Tria ſunt huius exceptionis requiſita, [1] ut eadem ſit res, atque idem ius, quod antea petitum. d. l. 12. 13. *&* 14. h. t. e. g. ſi grex petitus, ſi poſtea augeatur, vel diminuatur, nihil intereſt, ſufficit, ſi modo de eodem antea iudicatum. l. 21. §. 1. ff. h. t. Idem ſtatuitur, ſi actor antea victus duo corpora, ſive duas res petendo, poſtea unam petat, vel ex toto partem. l. 7. *pr.* ff. h. t. [2] ut ſit eadem cauſa petendi. d. l. 14. *pr.* ff. h. t. quod ſi alia fuerit, quamvis eadem res petatur, exceptioni huic nullus eſt locus. Sic qui commodati egit, victus non impeditur vindicare, item qui egit interdicto de poſſeſſione, poſtea in rem agens non repellitur per hanc exceptionem: quoniam in interdicto poſſeſſio, in actione proprietas vertitur. d. l. 14. §. 3. ff. h. t. [3] ut eadem quæſtio inter eaſdem perſonas revocetur. *l. Iulianus*, 3. *l. ſi quis*, 7. § *& generaliter*, 4. ff. h. t. *l. cum de hoc.* 27. ff. *eod.* eaſdem autem perſonæ intelliguntur non modo principales, verum & in earum locum ſuccedentes, ut procuratores, tutores & curatores. l. 4. l. 5. §. 1. l. 11. *pr.* ff. h. t. at ſi inter alias perſonas eadem quæſtio ventiletur, puta alium reum, vel actorem alium, exceptio ceſſat. e. g. ſi actum fuerit depoſiti cum vno herede, cum alio herede agere licet, non obſtante hac exceptione. l. 22. ff. h. t. proinde dicimus, rem inter alios iudicatum aliis non nocere. l. 1 ff. h. t. l. 2. C. *quibus res iud. non noc.*

Th. 4. Exceptio rei iudicatæ eſt perpetua rei cohærens. l. 7. ff. h. t. l. 3. ff. *de except.*

Th. 5. Cum res iudicata, vel condemnatione, vel abſolutione contingat, idcirco exceptio hæc eſt, vel condemnatoria; (a) vel abſolutoria. (b)

(a) Illa prodeſt ei, qui in iudicio ante de eadem re egit, ex oppoſito nocet ei, contra quem iudicatum eſt.

(b) Hæc prodeſt reo, eiuſque heredibus & ſucceſſoribus univerſalibus, & ſingularibus. *l. ſi mater*, 11. §. *hæc verò*, 7. ff. h. t.

Th. 6. Exceptioni huic & in civilibus & criminibus eſt locus; e. g. qui abſolutus eſt à crimine in uno territorio, exceptio hæc rei iudicatæ proderit ei etiam in alio.

TITVLVS III.

De diverſis temporalibus præſcriptionibus & acceſſionibus poſſeſſionum.

Iung. tit. 33. & ſeqq. uſque ad 40. libr. 7. C.

TH. 1. PRÆSCRIPTIO (a) temporalis eſt exceptio peremptoria, quæ actori ideo opponitur, eumque ab agendo repellit, quod debito tempore non egerit.

(a) Vox præſcriptionis non uno modo accipitur, [1] pro acquiſitionis ſpecie. *t.C. de præſcript. long. tempor.* [2] uti h. t. eſtque quaſi temporis præfinitio, præſcribere namque in iure ſæpiſſimè denotat excipere, hinc præſcriptio & exceptio ſunt ſynonima. *l. ult. ff. de ſuſpect. tutor.* Nota. Præſcriptio vulgò dividi ſolet in præſcriptionem rerum & temporis; illa nihil aliud eſt, quam uſucapio, hæc vero nihil aliud eſt, quam exceptio ex lapſu temporis lege definiti competens.

TH. 2. Eiuſmodi præſcriptiones, ſive exceptiones temporis ad excludendas actiones ſunt quadruplicis generis, [1] momenti, (a) [2] dierum, (b) [3] menſium, (c) & [4] annorum.

(a) Talis præſcriptio opponitur ei, qui non ſtatim proteſtatur eo in caſu, ubi proteſtatione opus eſt ad iuris ſui conſervationem, ut ſi creditor in venditione pignoris conſentiat. l.4.§.1. ff. *quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv.* item quando filius, mutuo accepto, literas miſit parenti, mentitus in eis de mandato, nec pater de contraria mente eſt proteſtatus. l. 16. ff. *ad SCt. Macedon.*

(b) Sic [1] effluxo triduo non auditur Advocatus, errorem correcturus, ſed iuri corrigendi præſcribitur. l. 3. C. *de error. Advocat.* tot etiam diebus præſcribitur poteſtati glandis legendæ in alienum fundum prolapſæ. *l. un. ff de gland. legend.* [2] elapſo decennio provocatio non admittitur. *l. pen. C. de recept. arbit. Novel.* 23. *c.* 1. *Novel.* 123. [3] reo citato 20 dies conceduntur ad deliberandum, utrum concedere, an contendere, vel iudicem recuſare velit. *Nov.* 53. *c.* 3. *Nov.* 96. [4] intra 30. dies Apoſtoli à judice ſunt petendi. l.24. C. *de appellat. Nov.* 126. [5] quinquaginta diebus præſcribitur excuſationi tutorum. l. 13. §. 1. ff. *de excuſat. tutor.* [6] ſexaginta diebus, h. e. duobus menſibus effluxis præſcribitur accuſationi adulterij, marito vel patri iure mariti, vel patris competenti. l. 6. C. *ad L. Iul. adult.* l. 11. §. 5. *& ſeq. ff. eod.* item actioni redhibitoriæ, certis caſibus, ut ob non præſtitam cautionem, ob iumentorum venditorum ornamenta detracta, &c.

l. 28. l. 31. § 22. ff. *de Ædil. edict.* [7] Nonaginta diebus exceptioni non numeratæ dotis. *Auth quod locum habet, C. de dote caut. non numer. Novel.* 100. [8] diebus centum præſcribitur iuri petendi bonorum poſſeſſionem ab agnatis & cognatis. l. 2. C. *qui admitt. ad bonor. poſſeſſ. l. 3. ff. unde cognat.*

(c) [1] Duobus menſibus. d. l. 6. C. [2] tribus menſibus. *d. Novel.* 100. [3] quatuor menſibus. *l. lege cum duobus, 52. § idem, 10. ff. pro ſocio,* l. 4. C. *de Ædil. privat.* [4] ſex menſibus præſcribitur actioni redhibitoriæ morbi vitijve nomine, ut & actioni æſtimatoriæ in ijs ſaltem caſibus, quos *lit. b. num. 6.* ratione redhibitoriæ innuimus.

TH. 3. Anni lapſu præſcribitur [1] regulariter actionibus Prætorijs. *pr. Inſt. de perpet. & tempor. action. l. in honorarijs, 35. ff. de obligat. & action.* imprimis autem ſi ſint pœnales. *d. pr. Inſt. l. un. C. de annal. except.* [2] bonorum poſſeſſioni à parentibus & liberis petendæ. l. 1. ff. *de ſucceſſ. edict. l. 6. ff. ad Sct. Tertull.* [3] omnibus popularibus actionibus. *l. fin.* ff. *de popul. act.* [4] actioni quanti minoris. l. 19. §. *ult.* l. 31. §. 16. ff. *de Aedil. edict.* [5] præſcribitur juri revocandi feudum ab agnato alienatum. *2. feud. 26. §. Titius,* &c.

TH. 4. Biennio præſcribitur [1] actioni de dolo *l. ult. C. de dol.* [2] inſtantiæ in cauſis criminalibus. l. 13. C. *de iudic. l. 2. & ſeq. C. ut intra cert. temp. crim. quæſt. term.* [3] exceptio non numeratæ pecuniæ. l. 14. *pr. C. de non num. pecun.*

TH. 5. Triennio præſcribitur, ſive excluditur [1] inſtantia in cauſis civilibus. d. l. 13. C. *de iudic. Mynſing. 2. obſ.* 48. [2] actio pro re mobili. *pr. Inſt. de uſucap.*

TH. 6. Quadriennio exſpirat ius petendi in integrum reſtitutionem. *l. ult. C. de temp. in integr. reſtit.* l. 1. C. *de quadrienn. præſcript.* quod petunt minores & majores ratione abſentiæ. Hic tamen excipitur actio de dolo, quæ finitur biennio. *l. ult. C. de dol. mal.*

TH. 7. Quinquennio præſcribitur (1) querelæ inofficioſi teſtamenti. l. 8. §. *fin. ff. de inoffic. teſtam.* (2) inofficioſæ dotis. *l. un. C. de inoffic. dotib.* (3) inofficioſæ donationis. *l. ult. C. de inoffic. donat.* (4) accuſationi adulterij contra maſculum iure extranei competentis. l. 29. §. *6. & ſeq. ff. ad L. Iul. de adult.* (5) quæſtionibus de ſtatu defunctorum. l. 1. *& l. fin. C. ne de ſtatu defunctor. poſt. quinqu. quær.* (6) actioni fiſcali pro vindicatione rei ob non ſolutum vectigal commiſſæ. l. 2. C. *de vectigal.* (7) accuſationi contra Sctum Silanianum apertarum tabularum eius, qui à familia occiſus eſſe dicitur. l. 13. ff. *ad Sct. Silan.* (8) iuri revocandi alienationem rerum minoris ſine decreto titulo oneroſo alienatarum. *l. ult. C. ſi major fact. alien. fact. ſine decret. rat. habuer.*

TH. 8. Actionibus perpetuis, ſive in rem, ſive in perſonam competant, variè præſcribitur, ut [1] ſi inter pręſentes agatur, de rebus immobilibus, finitur decennio, ſi inter abſentes vicennio. *l. un. C. de uſucap. transf.* [2] quæſtionibus fiſcalibus & criminalibus vicennio præſcribitur. l. 12. C. *ad L. Iul. de falſ.*

TH. 9. Triginta annis præſcribitur actionibus perſonalibus. l. 1. *&* 3. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.*

TH. 10. Quadraginta annis præſcribitur [1] vindicationi fiſcali. *l. ult. C. de fund. patrimon.* [2] vindicationi in ſervitutem. l. 4. C. *de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* [3] actioni, de qua lis fuit conteſtata. *l. ult.* C. *eod.*

TH. 11. Quinquaginta annis præſcribitur actioni, qua luſu quid perditum. l. 1. C. *de aleatorib.*

TH. 12. Centum annis, ſive tempore immemoriali pręſcribitur rebus, in quibus nulla bona fides, nullus titulus, nulla rerum qualitas attenditur, ſed tantum rem, vel ius eſſe neglectum tanto tempore, cuius initij memoria non extat. l. 23. *cum auth. C. de SS. Eccleſ.* l. 56. ff. *de uſufr.*

TITVLVS IV.

De doli mali, & metus exceptione.

TH. 1. HVIVS tituli duæ ſunt partes, quarum prima eſt exceptio doli mali, (a) quæ eſt exceptio peremptoria, quam reus opponit actori, qui dolum in negotio, ex quo agit, commiſit. l. 2. §. 2. ff. h. t.

(a) Hanc exceptionem ideo propoſuit Prætor, ne cui dolus ſuus per occaſionem iuris civilis contra naturalem æquitatem proſit. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 2. Exceptio doli mali eſt generalis, quæ ex omni negotio, ſive cauſa naſcitur, ut cum aliquid ex quocumque negotio ab actore contra naturalem æquitatem, ſive bonam fidem petitur, quod exceptione elidi poteſt. Hinc dicimus, eum dolo facere, quicumque id, quod quaque exceptione elidi poteſt, petit, vel quod ſcit non oportere ſolvi. l. 2 §. 3. ff. h t.

TH. 3. Exceptio hæc datur ei, qui iure civili eſt obligatus, æquitas ta-

men non vult eum condemnari; datur & eius heredibus & fidejuſſoribus. *l. exceptiones*, 7. ff. *de exception. pr. &* §. 1. *Inſt. eod.*

TH. 4. Datur adverſus omnes deceptores, vel doloſè quid petentes, quod exceptione elidi poteſt. l. 2. §. 5. l. 8. *&* 12. ff. h. t. nec excipiuntur furioſus, pupillus, prodigus, ſi fortè pecuniam ſine tutoris, vel curatoris authoritate acceptam, ex qua locupletiores ſunt facti, iterato exigant. *l. apud Celſum*, 4. §. *illa etiam*, 23. *l. ſi debitor*, 16. ff. h. t. quamvis ab initio caruerint dolo, malitioſa tamen petitio, quæ tendit ad iniquum compendium, non eſt extra dolum.

TH. 5. Exceptio doli mali non datur contra parentes vel patronos ob reverentiam, quam illis vivis & mortuis exhibere tenentur. l. 4. §. 16. ff. h. t. hæc enim exiſtimationem & famam atterit. Quapropter ſi liberi, & liberti parentis, aut patroni facto læſi fuerint, utuntur exceptione in factum comparata, omiſsâ doli exceptione, ne ijs iuſta defenſio denegetur.

TH. 6. Vt huic exceptioni ſit locus, requiritur, ut dolus appareat, qui ex facto, hoc eſt ex facti qualitate, ſive ab initio adſit (ut quia dolo quis inductus promiſit) aut etiam ex poſtfacto. e. g. ſi cum decem mihi deberes, pepigero, ne à te viginti petam, in decem prodeſſe tibi pacti conventi, vel doli exceptionem placet. l. 27. §. 10. ff. *de pact.*

TH. 7. Nonnunquam contra doli mali exceptionem datur replicatio doli, ſi nimirum exceptio fuerit injuſta. l. 4. §. 14 ff. h. t. v. c. ſi mutuum ſit acceptum ex conſenſu patris, & deinde velit objicere exceptionem Scti Macedoniani, vel ſi filiusfamilias patremfam. ſimulaverit, &c. l. 1. §. 2. ff. h. t.

TH. 8. Exceptio hæc eſt perpetua, quæ nullo tempore finitur, §. 9. *Inſt. de exception.* contra actio doli non eſt perpetua, ſed biennio finitur. *l. ult. C. de dolo.* ratio diverſitatis in eo eſt, quia in actoris eſt poteſtate, quando iure ſuo uti velit, illi autem, cum quo agitur, non ſit eadem poteſtas, neque ſciat, quando convenietur. l. 5. §. *ult.* ff. h. t. *l. ſi pactum, C. de exception.*

TH. 9. Exceptio hæc habet locum in contractibus, in teſtamentis, & in legibus. l. 1. § *ult.* ff h. t. cum etiam legi fraus fiat. l. 29. *&* 30. ff. *de legib.*

TH. 10. Ad alteram tituli partem refertur exceptio metus, quæ eſt exceptio peremptoria, ei competens, qui metum in negotio eſt paſſus, vel qui metu coactus ſe ad aliquid obligavit. l. *apud Celſum*, 4. §. 33. *& ſeq.* ff. h. t. l. 9. §. 3. ff. *quod met. cauſ.* l. 7. C. *de his quæ met. cauſ.*

TH. 11. Exceptio metus datur contra petentem (a) id, ad quod quis

metu coactus ſe obligavit. d. l. 7. C. *de his, &c.*

(a) Sive ipſe qui metum intulit, petat, ſive eius ſucceſſores, ratio eſt, quoniam hæc exceptio in rem eſt concepta, ſive ſcripta, ut non reſpiciatur, an is agat, qui metum intulit, ſed an metus cauſa omnino factum ſit in hac re à quocumque. l. 4. §. 33. ff. h. t. Excipe, contra patrem non competit, ſi metum inferat filio, tum temporis in poteſtate eius exiſtente, quod parenti liceat filij conditionem reddere deteriorem in rebus peculiaribus, ſed ſi abſtinuerit hereditate paterna, ſuccurrendum ei erit, ut alioquin ſuccurritur metum paſſis. d. l. 4. §. *fin.*

TH. 12. Exceptio doli ab exceptione quod metus cauſa differt, illa enim perſonam complectitur eius. qui dolo fecit, hæc verò rei cohæret, & in rem ſcripta eſt. l. 7. §. 1. ff. *de exceptionib. d. l.* 4. §. *metus cauſa*, 33. ff. h. t.

TITVLVS V.

Quarum rerum actio non datur.

TH. 1. IN hoc titulo tres exceptiones peremptoriæ proponuntur, [1] eſt exceptio iurisjurandi, quod pars parti defert, & præſtatur. §. 4. *Inſt. de exception. l.* 9. *pr ff. de iurejur.*

TH. 2. Exceptio hæc datur debitori, ſi deferente (a) creditore (b) in iudicio, vel extra iuraverit, (c) ſe nihil dare oportere, aut rem actoris non eſſe. d. §. 4. *Inſt.* l. 1. §. 2. ff. h. t.

(a) Quod ſi aliàs iuret reus, creditore, vel actore non deferente iuramentum cenſetur nullum. l. 3. *pr. ff. de iurejur.* ſi enim hoc concederetur, quilibet ad iuramentum confugiens, nemine ſibi deferente, oneribus actionum ſe liberaret.

(b) In quo requiritur, ut adminiſtrationem rerum ſuarum habeat liberam; quare conſtat, iuramentum à pupillo ſine tutoris authoritate delatum, vel à furioſo, vel prodigo, vel minore ſine curatoris conſenſu, eſſe nullius efficaciæ, nec exceptionem iuſtam parere; & ſi talis opponatur, replicatione eliditur. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(c) Iusjurandum enim vicem rei iudicatæ obtinet. l. 2. ff. *de iurejur.* l. 1. ff. h. t. hinc poſt rem jurejurando deciſam Prætor non ſubminiſtrat actionem. l. 7. ff. *de iurejur.* Ratio eſt, ne de perjurio queratur. *l. ult. ff. de in lit. iurand.* §. 4 *Inſt. de except. l.* 21. *& ſeq. ff. de dol. mal.* hinc ſicut poſt rem iudicatam non quæritur, an debeatur, ſed an iudicatum ſit. l. 56 ff. *de re iudic.* ita poſt iusjurandum taliter præſtitum ſaltem quæritur, an iuratum ſit. *l. non erit*, 5. §. 2. ff. *de jurejur.* quo probato abſolvitur reus. l. 34.

§. *cum res*, 9. ff. *eod.* & actori denegatur actio. *l. nam poſtquam*, 9. ff. *de jurejur.* l. 1. *pr.* & §. 3. ff. h. t.

TH. 3. [2] Exceptio peremptoria eſt exonerandæ libertatis cauſa propoſita, ſi patronus à liberto quędam ſtipuletur; eiuſmodi ſtipulatio licet dolo malo, metuve ſit inita, ipſo iure ſtricto valet; unde exceptione propter ęquitatem opus eſt, l. 5. C. *de inutil. ſtipul.* qua patronus agens ex iſta conventione repellitur. l. 1. §. 5. ff. h. t.

TH. 4. Exceptio hæc competit liberto, eiuſque ſucceſſori, l. 1. §. *fin.* ff. h. t. ſi is quid onerandæ libertatis cauſa quicquam promiſerit: quod non ideo fit, ut patronus à liberto exigat, ſed ut libertum eo magis ſibi devinctum habeat, quo plus patronum revereatur & timeat: hinc ſi patronum offenderit libertus, petantur ab eo, ſemperque ſit libertus metu exactionis ei ſubjectus, propter quem metum quodvis potius ſuſtineat patrono præcipiente. l. 1. §. 5. ff. h. t.

TH. 5. Et competit contra patronum, eiuſque heredes l. 1. §. 12. ff. h. t. quibus denegatur actio, l. 1. §. 5. & 6. ff. *eod.*

TH. 6. [3] Exceptio peremptoria eſt de eo, quod alea (a) geſtum; hoc enim à Prætore omninò ratum non habetur, l. 2. §. 1. ff. h. t. e. g. ſi quis in alea rem vendiderit, ut luderet, quæ ſi evincatur, emptori agenti evictionis nomine obſtabit exceptio hæc, quod in alea ſit geſtum. Quod imputare ſibi debet, qui in aleæ luſu legibus vetito rem emerit à luſore, qui pecuniam mox aleæ commiſſurus erat, atque ita perditurus; quo acquiſito rectè dicetur & in alea creditæ pecuniæ efficacem non dari actionem.

(a) Per eam intelligimus omnem luſum, qui magis fortuna aut caſu, quàm arte dirigitur, qualis eſt teſſerarum, chartarum, alearum in ſpecie; cauſa prohibitionis eſt, quia ex iſto luſu proveniunt in Deum blaſphemiæ, lites & pugnæ inter ludentes, ſubſtantiæ evacuatio, quæ facit perdentes ſæpe converti ad latrocinia, furta & alia infinita crimina, l. *ult.* C. *de aleatorib.*

TH. 7. Exceptio hæc quod aleâ geſtum competit colluſori contra colluſorem, ſi colluſor de re in alea vendita, & poſtea evicta conventus fuerit, l. 2. §. 1. ff. h. t. excipiens tamen exceptionem ſuam probare tenetur. l. 19 §. 4. ff. *de probat.*

Titulus VI.

De litigioſis.

Iung. tit. 37. libr. 8. C.

Th. 1. Exceptio litigioſi eſt exceptio peremptoria, quæ objicitur ei, qui rem litigioſam, (a) quam ab eo, cui lis fuit cum altero, acquiſivit, perſequitur, l. 1. §. 2. l. 2. ff. h. t.

(a) Talis fit tantum per litis conteſtationem, l. 2. C. h. t. perinde autem eſt utrum ſit mobilis, aut immobilis, corporalis vel incorporalis.

Th. 2. Ex alienatione rei litigioſæ oritur exceptio litigioſi; ſive alienatio contingat ex cauſa oneroſa, ſive ex lucrativa, l. 2. C. h. t. ſic objicitur creditori, emptori, donatori, ſi rem ab eo acceperint, qui litem cum alio ſuſcepit. l. 1. §. 1. ff. h. t.

Th. 3. Si quis rem litigioſam ſcienter emerit, talis in eum conſtituitur pœna, quod rem, amiſſo pretio pro ea exſoluto, reſtituere cogatur, ſin verò emptor ignorans rem litigioſam emerit, extra pœnam eſt, & pretium repetere iure poteſt. l. *fin.* C. h. t.

Th. 4. Sequentes alienationes rerum litigioſarum ex iuſta cauſa excipiũtur, ſic licita eſt alienatio (1) dotis, (2) donationis propter nuptias, (3) diviſionis, (4) tranſactionis, (5) rerum hereditariarum, (6) legati & fideicommiſſi, l. *ult.* C. h. t. quod confirmatum in *Nov.* 112. his enim in caſibus alienatio non videtur facta adverſarium vexandi cauſa, ſed ex neceſſitate, dum forte non ſuppeteret res alia, quæ ex iſtis cauſis daretur. l. 3. C. h. t. l. 8. ff. *de alienat. iudic. mutand. cauſ.*

Titulus VII.

De obligationibus & actionibus.

Iung. tit. 10. libr. 4. C.

Th. 1. Hactenus vidimus iudicium inefficax, in quo actio per exceptionem eliditur, videndum reſtat iudicium efficax, in quo actio per exceptionem non eliditur.

TH. 2. Rubrica hæc duas in ſe continet partes, [1] de obligationibus in genere, [2] de actionibus agit; hæc duo membra inde cohærent, quod obligatio ſit mater actionis, atque illa hanc parere dicitur. l. 42. §. 2. ff. *de procurator.*

TH. 3. Obligatio (a) eſt iuris vinculum, quo quis neceſſitate adſtringitur alicuius rei ſolvendæ ſecundum noſtra civitatis iura, *pr. Inſt.* h. t.

(a) Vox obligationis, quæ ab obligando vel vinciendo derivatur, (1) latè accipitur pro vinculo iuris, quo quis ex quacunque cauſa adſtringitur ad aliquid alteri præſtandum ſive dandum, ſive reſtituendum, ſive faciendum, §. 5. *Inſtit. de exception.* (2) ſtrictè accipiendo ſumitur pro iuris vinculo, quo quis conventione vel delicto ad aliquid dandum vel faciendum obligatur. §. 2. *Inſt. de obligat.*

TH. 4. Obligatio eſt duplex, naturalis, & civilis.

TH. 5. Obligatio naturalis eſt iuris ſive æquitatis vinculum, quo adſtringimur quidem aliquam rem ſolvere, nulla tamen eo nomine conceſſa actione civili, l. 95. §. 4. ff. *de ſolution.* l. 84. §. 1. ff. *de Reg. iur.* qualem obligationem parit pactum nudum, (2) obligatio mulieris intercedentis, l. 40. ff. *de condict. indebit.* (3) pupillus ſine tutoris autoritate obligatur naturaliter, quatenus locupletior eſt factus, (4) ſervus ex contractu, non tamen civiler. l. *obligari* 43. ff. h. t.

TH. 6 Obligatio civilis iterum dicitur dupliciter, [1] quæ iure civili eſt introducta, ut ſtipulatio, quæ eſt iuris civilis inventum, *de qua tit. ſeq* pacta legitima, l. 6. ff. *de pact.* [2] quæ iure civili comprobata, ut ſunt obligationes gentium iure iuſtitutæ, l. 5. ff. *de iuſt. & iur.* ut emptio, venditio, locatio, conductio, &c.

TH. 7. Obligatio civilis rurſus diſpeſcitur in ſpecialiter civilem, (a) vel Prætoriam. (b)

(a) Illa per leges conſtituitur, aut aliquo iure comprobatur, ut ſtipulatio, emptio, venditio, locatio, &c. l. 52. §. 5. ff. h. t.

(b) Hæc à Prætore ex ſua iuriſdictione ſive edicto inventa, qualis eſt obligatio ex conſtituto, iuramento, &c. d. l. 52. §. 6. ff. h. t.

TH. 8. Ea demum propriè vocatur obligatio, quæ utramque & civilem & naturalem parit obligationem; quia hæc demum eſt efficax, & vinculum iuris habet, cuius in definitione fit mentio.

TH. 9. Cauſa efficiens obligationis eſt duplex, remota vel proxima, illa eſt ipſum ius, hæc eſt contractus vel quaſi, (a) maleficium (b) vel quaſi, l. 1. *pr. & §. ſeqq.* ff. h. t. §. *fin. Inſtit. de obligat.* & quia conſenſu obligatio contrahitur, hinc excluduntur ab obligationis nexu pu-

pillus, furioſus, prodigus, quos conſenſu carere iura dicunt. *arg.* l. 9. §. 7. ff. *de rebus cred.*

(a) Qualis obligatio ex præſumpto conſenſu oritur, ut qui tutelæ iudicio tenentur, non propriè ex contractu obligantur, nullum enim negotium inter tutorem & pupillum contrahitur, ſed quia ſanè nón ex maleficio tenentur, quaſi ex contractu teneri videntur, l. *ſi quis* 5. §. *tutelæ* 1. ff. h. t. *t. t. Inſt. de oblig. quæ quaſi ex contr.*

(b) Vnde qui contra legis prohibitionem quicquam committit, ad pœnam ſe obligare videtur.

TH. 10. Materia ex qua exiſtunt obligationes ſunt facta, præſtationes; materia circa quam res licitæ & poſſibiles; neque enim eſt ulla rerum turpium obligatio. l. 26. ff. *de Verb. obligat.*

TH. 11. Forma obligationis eſt varia pro voluntate contrahentium, quia obligatio vel verbis, ſcriptura, pactis & conventione formatur. l. 4. ff. *de pignor.*

TH. 12. Finis eſt, ut ex obligatione aliquid detur, vel fiat.

TH. 13. Effectus obligationis eſt, ut ad dandum vel faciendum obliget, non verò, ut nobis obligatio ipſo iure aliquid acquirat, l. *obligationum* 3. ff. h. t. vel ut clarius exprimam; obligationis duplex eſt effectus, [1] quod perſonam adſtringat ad præſtandum, [2] quod producat actionem perſonalem, l. *actionum* 25. ff. h. t. Vnde diſtinguitur à iure in re, quod non adſtringit perſonam ad præſtandum, verùm rem ipſam afficit, ita ut ratione eiuſmodi iuris à re aliquid fiat, attamen non abſque perſonæ præſtatione. d. l. 3.

TH. 14. Quæritur, an bruta etiam jure civili propriè obligentur? Reſp. negando, ratio eſt quia τὸ obligari eſt actus imperatus voluntatis & intellectus, in bruta non cadens.

TH. 15. Iam ad alteram rubricæ partem pervenimus, putà actionem, (a) quæ eſt ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur.

(a) Vocabulum actionis eſt ambiguum, plures complectens ſignificationes (1) accipitur latiſſimè pro quolibet iuris remedio, quo ſenſu etiam extraordinarias Prætoris cognitiones, criminales accuſationes, exceptiones, Prætorias ſtipulationes & actus legitimos continet. l. 34. l. 178. §. 2. ff. *de Verbor. Signif.* l. *actionis* 37. ff. h. t. l. 1. C. *quand civil. act. crim. præjud.* (2) latè denotat jus ſive poteſtatem perſequendi in judicio, quod ſibi debetur, quo ſenſu actionem in rem & in perſonam continet, uti hic, l. 25. *pr.* ff h. t. & § 1. *Inſt. de action.* (3) ſtrictè ſignificat actionem ſaltem perſonalem, hoc ſignificatu actioni in rem & extraordinariæ perſecutioni opponitur. l. 178. §. ff *de V. S.* l. 28. ff. h. t.

TH. 16. Summa actionum quibus inter litigantes in iudicio agitur, diviſio eſt, quod ſint vel (1) in perſonam, (2) in rem, & (3) mixta. d. l. 25. ff. h. t. §. 20. *Inſtit. de action.*

TH. 17. Actio in perſonam (a) eſt, qua cum eo agimus, qui nobis obligatus (b) eſt ad faciendum aliquid, vel dandum. d. l. 25 *pr.* ff. h. t.

(a) Cum præſuppoſitam habeat obligationem, ex qua deſcendit.

(b) Talis obligatio oritur (1) ex facto licito, nimirum conventione, quæ vel pactum vel contractus, aut (2) ex delicto.

TH. 18. Actio in rem eſt, qua rem noſtram, quæ ab alio poſſidetur, petimus, d. l. 25. *pr.* ff. h. t. obſervandum, duas eſſe actionis in rem proprietates, (1) quod oriatur ex iure in re, ſecundum quod ius rem noſtram eſſe aſſerimus, & (2) quod detur, contra quemlibet poſſeſſorem, nullo iure nobis obligatum, cui tamen de aliqua re movetur controverſia; ex oppoſito duæ proprietates competunt actioni perſonali, (1) quod deſcendat ex obligatione, ſive ea ſit ex contractu, ſive delicto, (2) quod competat tantum adverſus eum, qui actori facto ſuo eſt obligatus. l. 25. *pr.* ff. h. t.

TH. 19. Actio mixta eſt, quæ & in rem & in perſonam eſt, §. 20. *Inſt. de action.* ut familiæ erciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum.

TH. 20. Actio in perſonam eſt vel bonæ fidei, (a) vel ſtricti iuris, (b) §. 28. *Inſt. de action.*

(a) In actionibus b. fidei iudicis officium eſt latiſſimum ac liberum, ut bono & æquo poſtulante iuxta circumſtantias arbitrari poſſit, etiamſi non ſit actum aut cogitatum: l. 31. ff. *depoſit.* §. 30. *Inſt. de action.*

(b) In actionibus ſtricti iuris iudex id ſaltem ſequitur, quod actum eſt, aut natura exigit, unde dicitur, quod in bonæ fidei iudicijs tantundem valet iudicis arbitrium, quantum in ſtipulationibus expreſſa conventio, l. 7. ff. *de negot. geſt.* unde in actionibus b. fidei debentur uſuræ ex mora per officium iudicis. l. 2. C. *depoſiti* In ſtricti iuris judicijs uſuræ non debentur, niſi per ſtipulationem promiſſæ. l. 3. C. *de uſur.* l. 24. ff. *de Præſc. Verb.*

TH. 21. Actiones bonæ fidei ex b. fidei contractibus proveniunt, quales ſunt (1) omnes contractus conſenſu conſtantes, (2) contractus reales, (3) ex contractibus innominatis permutatio & contractus æſtimatorius, (4) ex quaſi contractibus tutelæ adminiſtratio, negotiorum geſtio, rei communio & hereditatis communio; omnes hæ bonæ fidei actiones *in* §. 28. *Inſt. de action.* enumerantur.

TH. 22. Actio ſtricti iuris ex contractu ſtricti iuris oritur, ubi alter

alteri in id tantum obligatur, quod expreſsè conventum, l. 99. ff. *de verb. obligation.* tales ſtricti iuris contractus ſunt mutuum, ſtipulatio, contractus chirographarius, aditio hereditatis, &c.

TH. 23. Actio eſt civilis (a) vel Prætoria (b) ſive honoraria. l. *actionum* 25. §. *omnes* 2. ff. h. t.

(a) Illa ex lege ſpecialiter ſic dicta, plebiſcito, Scto, Principis conſtitutione, vel prudentum reſponſis deſcendit. §. 3. *Inſt. de action.*

(b) Hæc ex Prætoris edicto provenit, ut actio doli, *arg.* l. 16. l. 26. ff. *de dol. mal.* actio quod metus cauſa, actio in factum de vi & vi armata, &c.

TH. 24. Actiones quædam ſunt vel rei perſequendæ (a) cauſa comparatæ, quædam pœnæ perſequendæ, (b) quædam mixtæ (c) ſunt.

(a) Vt (1) omnes in rem actiones, §. 17. *Inſtit. de action.* quibus res noſtra ab alio detenta vindicatur, (2) actiones ex contractu ortæ, (3) nonnullæ actiones ex delicto, ut actio furti, §. 18. *Inſt. de action.* actio injuriarum, §. 7. *Inſt. de injur.* &c. (4) actiones ex quaſi delicto. *t. t. Inſt. de obligat. ex quaſi delict.*

(b) Quibus ad vindictam agimus & pœnam delicti commiſſi perſequimur, attamen non omnes ſunt pœnales, dantur enim & rei perſecutoriæ.

(c) Quæ tam pœnæ, quam rei perſequendæ cauſa comparatæ, & ob id mixtæ ſunt.

TH. 25. Actiones nonnullæ vel in ſimplum (a) vel in duplum, (b) in triplum, (c) vel in quadruplum (d) concipiuntur, non autem ulterius.

(a) Vt ex ſtipulatione, ex mutui datione, ex empto, vendito, locato conducto, &c. §. *in ſimplum* 22. *Inſt. de action.*

(b) Veluti actio furti non manifeſti, damni, iniuriæ ex L. Aquilia, item actio ſervi corrupti. §. *in duplum* 23. *Inſt. de action.*

(c) Talis datur, cum quidam majorem vera æſtimatione quantitatem in libello conventionis inſerunt. §. 24. *Inſt. eod.*

(d) Nimirum furti manifeſti, item actio quod metus cauſa factum, vel actio de contumelia, ut ſi pecunia daretur, ut accipiens alteri negotium faceret, vel non faceret. §. 25. *Inſt. de action.*

TH. 26. Actiones quædam ſunt civiles, quædam criminales, hæ iterum vel ordinariæ, vel extraordinariæ.

TH. 27. Actiones ſunt vel directæ, (a) vel contrariæ, (b) vel utiles, (c) vel in factum. (d)

(a) Quæ ex verbis legis expreſſis oriuntur. l. 47. §. 1. ff. *de negot. geſt.* l. *actionis* 37. ff. h. t.

(b) Quæ utrinque ſunt directæ; ut actio pro ſocio.

(c) Hæ deficientibus legis verbis ex mente & ſententia legis per interpretationem deſcendunt, l. 5. §. *pen.* ff. *de conſtit. pecun.*

(d) Quales actiones conceduntur, quoties in ſubſidium verbis & mente legis deficientibus actio in factum datur. l. 23. & 24. ff. *de præſcr. verbis.*

TH. 28. Quæritur, an actiones rei perſecutoriæ ex delicto defuncti contra heredem competant? Reſp. quatenus quid ad heredem pervenit, non in amplius (ne quicquam commodi ex alieno delicto percipiat. l. 5. *pr. ff. de calumniat* l. 111. & l. 164. ff. *de R. I.*) Ergo non in ſolidum, l. 4. § 5. ff. *de alienat. judic. mut. cauſ.* l. *toties* 44. ff. *de R. I.* l. *un. C. ex delict. defunct.* Aſt ſi lis cum defuncto fuerit conteſtata, in ſolidum adverſus heredem datur l. *un C. ex delict. defunct. in quant. hered.* quoniam per litis conteſtationem quaſi contrahitur in iudicio, l. 3. §. 11. ff. *de pecul.* proinde ſicut actio ex contractu tranſit in heredes, ita & hoc caſu, novatione facta in heredem tranſit.

TH. 29. Quæritur, utrum contra delinquentis heredem pœnalis actio detur? Reſp. negando, d. l. 38. l. 111. ff *de R. I.* §. *fin. Inſt. de obligat. quæ ex delict.* l. 15. C. *de furt.* ratio eſt quia noxa caput ſequitur, hoc eſt, pœna debet ſuos authores tenere, nec heredes ſunt delictorum ſucceſſores, vel non repræſentant defunctum ratione pœnæ exigendæ, cum delicta perſonæ delinquenti cohæreant, l. 1. §. 2. ff. *de privat. delict.* l. 22. C. *de pœn.* l. 22. ff. *de novi oper. nunciat.*

TH. 30. Quæritur, utrum actiones ſint iuris gentium, an iuris civilis? Reſp. diſting. inter actiones abſolutè & relatè conſideratas. Si abſolutè conſiderentur, ſunt iuris gentium, putà ratione originis. Sin verò relativè perpendantur, ſunt iuris civilis, ratio in eo eſt fundata, quòd Romani actiones omnes auctoritate publica informaverint, pleraſque comprobaverint, & quaſdam introduxerint, nimirum per legem vel edictum.

TH. 31. Eadem eſt cauſa efficiens actionis, quæ eſt obligationis, vide Theſin 9. h. t. actiones enim formam, quæ dat eſſe rei, à iure civili accipiunt. l. 9. §. 3. ff. *ad exhibend.*

TH. 32. Materia circa quam ſive objectum ſunt perſonæ & res, unde in §. 1. *Inſtit. de action.* dicitur, quod omnium actionum, quibus inter aliquos apud iudices, arbitroſve de quacunque re quæritur, ſumma diviſio in duo genera deducatur, aut enim in rem, aut in perſonam ſunt.

TH. 33. Forma actionum olim in impetratione & compoſitione, certiſque verborum formulis conſiſtebat, unde & formulæ ipſæ vocantur actiones, quę lapſu temporis in deſuetudinem abierunt, *t. t.* C. *de form. & impetrat. action. ſublat.* quapropter hodiè ſufficit congruentem & aptam negotio proponere actionem, nullo etiam certo nomine expreſſo. *c. dilecti Extr. de iudic.*

TH. 34. Finis actionum eſt, ut quis ius ſuum legitimè conſequatur; quod ad ſalutem Reipubl. hominumque ſocietatem inter ipſos retinendam omninò eſt neceſſarium.

TH. 35. Effectus actionum eſt varius, [1] quod reus actori inſtituta actione reſpondere teneatur, *auth. offeratur C. de lit. conteſtat.* [2] quod actio intentata præſcriptionem interrumpat, *l. ult. C. de præſcript. 30. annor.* (3) quod iudici, ſi inſtitutam actionem probaverit actor, iuxta eam pronunciare incumbat, ne litem faciat ſuam. l. *ult. C. de fidei-commiſſ. libert.*



DIGESTORVM SEV PANDECTARVM, PARS SEPTIMA.

LIBER QVADRAGESIMVS QVINTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Verborum obligationibus.

Iung. tit. 38. lib. 8. C. *De contrahenda & committenda ſtipulatione.*

TH. I. EXPLICATAM in genere obligationem, quæ ex contractu, (a) vel quaſi, ex delicto vel quaſi, ſpecialiter nunc excipit verborum obligatio.

(a) Qui eſt nominatus vel innominatus, nominatus eſt iterum quadruplex, (1) realis, (2) conſenſualis, (3) literalis, & (4) verbalis; quorum tres præcedentes contractus nominati ſpecies, *tit. de pact. libro* 12. *& ſeqq.* perſpeximus; de quarta veró eiuſdem ſpecie, putà contractu nominato verbali, ſive ſtipulatione hîc tractabitur.

TH. 2. Stipulatio, (a) ſive verborum obligatio eſt contractus nominatus conceptis verbis (b) conſtans, quibus alter præſens interrogat,

& alter quoque præſens, qui interrogatur, daturum ſe, (c) factu-rumve (d) id, quod interrogatus eſt, congruenter & continuò reſpondet.

(a) Deducitur à ſtipulo, hoc eſt firmo, ſtipulum enim veteribus firmum ſignificabat. Vox ſtipulationis eſt ambigua, denotans [1] interrogationem, quo ſignificatu promiſſioni & ſponſioni opponitur, [2] integram verborum conceptionem, quibus is, qui interrogatur daturum, facturum, quod interrogatus eſt, reſpondet. l. 5. ff. h. t. Nota. Stipulatio frequenter ſumitur activè, nonnunquam etiam paſſivè. *l. ſi non ſortem, 26. §. ſi decem, ff. de condict. indebit.*

(b) A quibus omnem ſuam vim mutuatur, neque contrahi poteſt, niſi utroque loquente, & altero alterum intelligente. l. 1. §. *ult.* ff. h. t.

(c) Per hanc particulam ſic intelligitur, ſtipulationem eſſe inutilem, ſi quis promittat, alium daturum facturumve. l. 38. §. 1. ff. h. t.

(d) Quia ſtipulatio eſt, vel dandi, vel faciendi, nam non modo res, ſed & facta, honeſta & poſſibilia. § 23. *Inſt. de inutil. ſtipulat.* in ſtipulationem deduci poſſunt. §. *ult. Inſtit.* h. t. dare eſt dominium, vel aliud ius in re transferre. l. 75. §. *fin.* ff. h. t. facere autem verbo *dare* opponitur, & ſignificat aliud quid facere, quàm quo dominium, aliudve ius in re transferatur, licet verbum *facere* latitudine interdum dationem comprehendat.

TH. 3. Stipulatio eſt contractus iuris civilis, à quo originem trahit. §. 9. *Inſtit. de action.* omnes enim ſtipulationis ſolennitates iure civili ſunt introductæ. §. 5. *Inſt. de inutil. ſtipul.*

TH. 4. Variæ ſunt ſtipulationum diviſiones, ut [1] à cauſa efficiente, ſtipulationes aliæ ſunt iudiciales, (a) aliæ Prætoriæ, (b) aliæ conventionales, (c) aliæ communes. (d)

(a) Quas exigit iudex pedaneus, qui de cauſa cognoſcit.

(b) Illæ Prætoris authoritate conſtituuntur, quæ ſubdividuntur in iudiciales, cautionales & communes, *vide t. ff. de Prætor. ſtipulat.*

(c) Iſtæ ex conventione reorum, hoc eſt, partium fiunt.

(d) Hæ neque ex mero Prætoris, neque ex mero iudicis officio proficiſcuntur, ſed modo à Prætore, modo à judice decerni ſolent. l. 5. ff. h. t.

TH. 5. Verborum obligationem, ſive contractum ſtipulationis ineunt ſtipulans & promiſſor, quos perſonas habiles eſſe oportet, quæ paciſci poſſunt. Vnde [1] furioſus, infans, mutus, & ſurdus ſtipulationem contrahere nequeunt. l. 1. *pr.* ff. h. t. §. 8. §. 9. *Inſt. de inutilib. ſtipulat.* [2] pupillus, ſive infantiæ, ſive pubertati ſit proximus, ſine tutoris authoritate promittere non poteſt, ſtipulari autem, ſive ſtipulando alium obligare poteſt. d. § 9. [3] minores 25. annis ab alijs quidem ſtipulari poſſunt. l. 66. ff. h. t. alijs tamen ſtipulantibus ad dandum

non validè obligantur, niſi curatoris conſenſu promittant. l. 3. C. *de reſtit. in integr.* [4] prodigus ſtipulando ſibi acquirit, promittendo non obligatur. l. 6. ff. h. t.

TH. 6. Si contrahentes in corpore conveniant, inque materia ſaltem error commiſſus, ſtipulationi eſt locus. e. g. ſi æs pro auro ſim ſtipulatus. l. 22. ff. h. t. quod ſi in corpore contrahentes errorem committant, ſtipulatio non obtinet, e. g. ſi Stichum ſtipulatus tu de alio, putà Pamphilo ſentias, nullius eſt efficaciæ. l. 83. §. 1. ff. h. t. *l. in omnibus*, 57. ff. *de obligat. & action.*

TH. 7. Promiſſio dolo malo, metuve adhibito facta, ſubſiſtit quidem, ſed per doli mali exceptionem ſummoveri poteſt. l. 3. *&* 5. C. *de inutil. ſtipulat.* §. 1. *Inſt. de exception.* Idem eſt ſi nullus dolus ſtipulantis interceſſit, ſed ipſe res in ſe dolum habet, cum enim quis petat ex ea ſtipulatione, hoc ipſe dolo facit, quod petit. l. 36. ff. h. t.

TH. 8. Secunda ſtipulationis diviſio à materia deſumitur, (*ut Th. 2. lit. d*, expoſitum,) ſtipulatio, vel in dando, (a) vel in faciendo (b) conſiſtit. l. 2. *pr.* l. 5. §. 1. ff. h. t.

(a) Id eſt, dominium transferendo, quia dare eſt dominium transferre.

(b) Putà monumentum, inſulam, &c. ubi ſub facto omnia complectuntur, quæ non concernunt dominij traditionem, ut ſi ſtipulemur Capitolium aſcendere. l. 27. ff. h. t. vel ſi rem tradi ſtipulemur, non intelligimur proprietatem eius ſtipulatori dari, ſed tantum tradi. l. 28. ff. h. t.

TH. 9. Omnis res, quæ dominio noſtro ſubjicitur, in ſtipulationem deduci poteſt, ſive ſit corporalis, eaque mobilis, vel immobilis. *pr. Inſt. de inutil. ſtipulat.* ſive incorporalis. §. *ult. Inſt. de ſervitut.* l. 5. ff. *de ſervitut.*

TH. 10. Hinc patet ſequentia in ſtipulationem deduci non poſſe, (1) res, quæ neque in rerum natura ſunt, nec futuræ (a) ſperantur, §. 1. *Inſt. de inutilib. ſtipulat.* (2) res nullius, ut res ſacræ & religioſæ, liber homo. §. 2. *Inſt. eod.* l. 83. §. 5. ff. h. t. item (3) res publicæ, ut forum & theatrum. d. §. 2. *&* d. l. 83. §. 5. (4) res hoſtium. l. 103. ff. h. t. (5) res ſua. §. 22. *Inſt. de inutil. ſtipul.*

(a) Vt ſervus mortuus Hyppocentaurus; contra fructus, quos futuros ſperamus, rectè ſtipulantur. *l. interdum*, 73. ff. h. t.

TH. 11. Omne factum proprium, (a) poſſibile & honeſtum (b) in ſtipulationem deduci poteſt.

(a) Non alienum. §. 3. *Inſtit. de inutil. ſtipulat. l. 4. C. eod.* l. 185. ff. *de R. I.* l. 31. ff. *de obligat. & action.*

(b) Si enim ſit turpe & illicitum, ſtipulatio eſt nullius momenti, e. g. ſi quis homicidium, vel ſacrilegium ſe commiſſurum, vel facturum promittat. *l. generaliter*, 26. 27. 35. *&* 61. ff. h. t. l. 15. *ff. de condition. Inſtitut.*

TH. 12. Stipulatio etiam dividitur à qualitate materiæ in ſtipulationem certam, (a) & incertam. (b)

(a) Illa eſt, qua certum quid, quale, & quantum præſtandum venit. e. g. decem aureos dabis? Stichum dabis. l. 74. ff. h. t.

(b) Hæc eſt qua incertum in ſtipulationem eſt deductum, cum non apparet, quid, quale, vel quantum præſtandum venit. v.c. cum quis hominem, vel fundum ſine certa determinatione, aut factum ſtipuletur. l. 75. ff. h. t.

TH. 13. Stipulatio alia eſt dividua, (a) alia individua. (b)

(a) Illa eſt, quæ continet rem, natura, vel iure dividuam, quam pro parte præſtare poſſumus, & pro parte præſtita liberationem parit. l. 4. §. 1. ff. h. t. eiuſmodi res dividuæ ſunt, (1) res fungibiles, quarum pondus, numerus & menſura naturâ, ſive realiter dividi poteſt. l. 2. l. 9. §. 1. l. 29. ff. *de ſolut.* ſicque partes habent pro diviſo, (2) certæ corporum ſpecies, quarum quædam realem admittunt diviſionem, ut fundus: quædam verò, iure, ſive intellectu ſaltem dividi poſſunt, quæ partes habent pro indiviſo. l. 43. ff. *de acquirend. poſſeſſ.* l. 5. ff. *de uſufruct.*

(b) Hæc eſt, quæ continet id, quod naturaliter & civiliter, ſive iure, vel ſolum civiliter, & iure individuum, ſive quod per partes utiliter præſtari nequit. l. 4 §. 1. ff. h. t. ſic natura & iure individuæ ſunt (1) ſervitutes reales. l. 2. §. 2. l. 72 *pr.* ff. h. t. & ex perſonalibus uſus: l. 19. *ff. de uſu & habit.* (2) omne factum nudum, cum nihil in ſe comprehendat, quod dividi queat. l. 2. §. 5. l. 4. l. 52. §. 1. l. 72. *pr.* ff. h. t.

TH. 14. Stipulatio eſt contractus ſtricti iuris. *l. quicquid.* 99. ff. hoc tit.

TH. 15. Stipulationes circa omnes ferè contractus verſantur, adhiberique omnibus iuris gentium conventionibus ſolent, quo caſu naturam earum conventionum ſequuntur. l. 43. ff. *de damn. infect.*

TH. 16. Omnis ſtipulatio, vel purè, (a) vel non purè, nimirum per adjectionem dici, (b) vel ſub conditione (c) formari poteſt.

(a) e. g. decem dare ſpondes? ſpondeo; ex tali ſtipulatione promiſſum ſtatim peti poteſt. l. 41. §. 1. l. 56. §. 4. ff. h. t. quoniam eius dies ſtatim cedit, & venit.

(b) Qui adjicitur, (1) ut terminus à quo, ſive quo extituro res præſtanda eſt vel (2) terminus ad quem, videlicet quid præſtandum ſit, ſive quo uſque peti & exigi poſſit. l. 40. §. 1. ff. h. t. l. 24. ff. *de conſtit. pecun.* priori caſu confeſtim quidem debetur, attamen iure non prius peti, quàm dies venerit poteſt; nam ante diei exiſtentiam & lapſum promiſſor ad ſolutionem eius, quod promiſit, cogi haud poteſt. §. 2. *Inſtit.* h. t. l. 42. ff. h. t. Poſteriori

ſteriori caſu ſtipulatio,& deſcendens inde obligatio videtur purè facta. e.g. ſi quis ita ſtipuletur, decem aureos annuos, quoad vivam, dare ſpondes. Effluxo tamen tempore ad quod uſque ſtipulatio ſe extendit, petens exceptione pacti, vel doli mali repellitur. l. 44. §. 1. ff. h. t. §. 3. *Inſtit.*

(c) §. 4. *Inſtit.* h. t. qua pendente, nihil adhuc debetur, multo minus exigi poteſt. l. 43. §. 9 ff. *de Ædil. edict.* ſed ſpes debiti futuri eſt. e. g ſi Titius Conſul factus fuerit, quinque aureos dare ſpondes, ſi navis ex Aſia venerit, dare ſpondes. l. 25. C. *de teſtam.* §. 13. *Inſtit. de inutil. ſtipulat.* non exiſtente hac conditione contractus declaratur nullus. *l. pecuniam, 36. ff. de. reb. credit.*

TH. 17. Ex ſtipulatione deſcendit verborum obligatio, quæ ſi fuerit dandi, ad dandum præciſè (a) obligamur, ſi faciendi, tunc non præciſè tenetur, ad faciendum, l. 72. *pr. in fin.* ff. h t. ſed in id, quod intereſt. l. 13. ff. *de re iudic.*

(a) Rem promiſſam, ſi promiſſor eam præſtare queat, nec liberatur præſtando intereſſe. l. 75. §. *ult.* ff. h. t. l. 25. *in fin. ff. de contrahend. emption.*

TH. 18. Stipulatio tam pura, quàm non pura ad heredem, (a) & in heredem tranſit. *l. ſi quis*, 57. ff. h. t. §. 4. *Inſtit. eod.*

(a) Excipe, niſi ſit merè perſonalis, & ad ſolum ſtipulatorem expreſsè reſtricta.

TH. 19. In ſtipulatione dandi tenetur promiſſor de damno, dolo culpâ latâ, aut levi dato: culpam hîc intelligimus commiſſionis, non omiſſionis. l. 51. & l. 91. *pr.* ff. h. t. hinc dicitur quoties promiſſoris culpa intervenit, perpetuatur obligatio. d. l. 91. §. 3.

TH. 20. Quod ſi promiſſor rem tradere velit, & ſtipulator eam accipere nolit, tunc promiſſor latam duntaxat culpam præſtat. l. 52. ff. *de ſolution.*

TH. 21. Ratione rei certæ & incertæ ſequentia ſunt obſervanda. Si res certa promiſſa abſque debitoris, vel promiſſoris culpa intereat, debitor regulariter liberatur. l. 33. l. 83. §. 5. l. 91. §. 7. ff. h. t. contrarium ſtatuitur in ſequentibus caſibus, (1) ſi promiſſor præſtationem fortuiti caſus in ſe receperit. l. 6. C. *de pignor. action. l. 9. ff. mandat.* l. 7. §. 15. ff. *de pact. arg.* l. 19. §. 2. ff. *locat. condict.* (2) ſi moram commiſerit. l. 82. §. 1. ff. h. t. vel (3) culpam. l. 91. *pr. &* §. *1.* ff. h. t.

TH. 22. Si res incerta (a) promiſſa, abſque debitoris culpa pereat, caſum fortuitum tamen præſtat debitor; quoniam nulla res perire poteſt, niſi in certa ſpecie & definita quantitate. l. 30. §. 5. ff. *ad L. Falcid.*

(a) Vt quantitatis, & generis, putà vinum, homo, equus; cum genus non pereat.

TH. 23. Cauſas breviter hic repetere placet. Cauſa efficiens ſtipulationum ſunt verba contrahentium, idoneè ſignificantia voluntatem, l. 1. §. 2. ff. h. t. Vnde ſi quis per iocum interroganti reſpondeat ſeriò, non obligatur. *arg. l. 3. in fin. ff. de obligat. & action.*

TH. 24. Materia circa quam ſunt omnes res, in dando faciendove conſiſtentes, quæ natura, vel legibus in ſtipulationem venire non prohibentur; hinc dicimus impoſſibilium nullam eſſe obligationem. l. 29. ff. h. t.

TH. 25. Forma ſtipulationis olim hæc tria deſiderabat, [1] ſolennem & perſonaliter factam interrogationem, [2] ſimilem reſponſionem, [3] ut continuò expediretur: quorum duo priora requiſita hodiè ſunt ſublata; quia non requiritur ſolennis interrogatio & reſponſio, niſi placuerit contrahentibus iſtas adhibere. Sed intelligitur hodie ſtipulatio, ſi præcedente interrogatione, & ſubſecuta reſponſione (licet non ſolenni & imperſonaliter, ut dabis, dabitur, item ſi reſpondeatur ſic vel ita) contrahatur, item ſi ſtipulata manu promittatur.

TH. 26. Finis ſtipulationis eſt, ut verborum vinculo promiſſor obligetur, etiam nulla re interveniente; nam ob hanc neceſſitatem introductæ ſunt iure civili ſtipulationes, quod Reip. valdè utile, cùm contrahentibus non ſemper præ manibus ſint res. Hac ſtipulatione confirmantur [1] pacta nuda, quæ iure civili neminem obligant. l. 45. ff. *de pact.* l. 3. C. *de rer. permutat.* [2] mediante ſtipulatione obligationes ex contractibus deſcendentes fiunt firmiores ac certiores. l. 99. ff. h. t. l. 4. §. *fin.* ff. *de uſur.* l. 3. §. 1. ff. *de act. empt.* [3] ſi ſtipulatio contractibus innominatis apponatur, id operatur, quod pœnitere non liceat. *arg.* l. 4. & 7. C. *de rer. permutat.*

TH. 27. Effectus ſtipulationis eſt, quod ad exigendum duplicem producat actionem; ſi certum in ſtipulationem ſit deductum, actio vocatur condictio certi, ſi incertum, actio in ſpecie vocatur condictio ex ſtipulatu.

TITVLVS II.

De duobus reis conſtituendis.

Iung. tit. 40. libr. 8. C.

TH. I. STIPVLATIO poteſt fieri non ſolum à duobus, ſed & à pluribus reis, (a) & qui debent, ſive obligantur alijs, vocantur rei debendi; ſive promittendi: quibus verò debetur, appellantur rei credendi, ſive ſtipulandi. l. 128. ff. h. t.

(a) Qui non dicuntur à reatu, ut aliàs, ſed tum illi, quibus cum in iudicio experimur, tum quibus aliquid debetur, & qui agunt.

TH. 2. Duo rei ſtipulandi vocantur duo vel plures, (a) qui eandem rem ab eodem ſeparatim (b) in ſolidum ſtipulati ſunt, ea mente, ut quamvis ſolidum ſinguli, una tamen res omnibus debeatur. (c) *l. 3. §. 1. ff. h. t.* §. 1. *Inſt. eod.*

(a) Quia hîc nomine duorum tres, vel plures poſſunt, & debent intelligi.

(b) Quando poſt plurium interrogationem ſeparatim factam promiſſor reſpondet, ſpondeo: e.g. Titi fundum dabis & poſtea ſecundus, Titi, eundem fundum dabis, Titius verò reſpondet, utrique veſtrûm dare ſpondeo. Aſt ſi prius Titio ſtipulanti promittat, poſtea alteri interroganti eandem rem promittat, alia atque alia erit obligatio, nec intelliguntur duo rei ſtipulandi eſſe. *pr. Inſt. h. t.*

(c) Quamvis ratione petitionum & perſonarum plures obligationes videantur. l. 13. ff. h. t. quia verò intuitu rei debitæ una eademque eſt obligatio correorum; hinc uni ex correis credendi, ſivè ſtipulandi, ſi fuerit res ſoluta, perimitur obligatio. l. 2. ff. h. t. cum eadem res ſæpius ſolvi non poſſit. §. *ſic itaque*, 14. *Inſtit. de action.* atque ſic quod ad unum correorum ſtipulandi pervenit, dividatur inter correos. *arg.* l. 32. ff. *de reb. credit.*

TH. 3. Duo pluresve rei promittendi ſunt, quorum ſinguli eandem rem eidem ſtipulanti in ſolidum promittunt, eâ mente, ut licet ſinguli ſolidum, unam tamen rem omnes debeant. (a) Sive qui eiuſdem debiti ſe reos una promiſſione conſtituunt. e.g. Mævi, fundum dabis, Titi, eundem fundum dabis, ſi reſpondeat uterque, dabo, vel dabimus, rectè obligantur. *pr. in fin. Inſt.* h. t. l. 4. ff. *eod.*

(a) Sic ſinguli rei promittendi ad rem totam præſtandam in ſolidum obligantur, conceſsâ creditori electione, à quo ſolidum exigere velit, l. 3. §. 1. ff. h. t. l. 2. C. *eod.* nec locus olim erat exceptioni diviſionis. l. 11. ff. h. t. quod

hodie mutatum, per *Auth. hoc ita*, C. h. t. Excipe, niſi ſpecialiter ita convenerint. Aſt ſi unus ex illis ſolvat, liberantur omnes. *l. cum duo*, 2. ff. h. t.

TH. 4 Quæritur, an mora, vel factum alterius reorum debendi noceat alteri? Reſp. negando, ratio eſt, quoniam iniquum cenſetur, conditionem unius per alterum fieri deteriorem. l. 39. ff. *de negot. geſt.* ideo quilibet ob moram à ſe commiſſam ſaltem tenetur, quod in perſonalibus verum eſt, ſecus eſt in ijs, ad ipſam obligationem ſpectantibus. *l. pen.* ff. h. t.

TH. 5. Finis huius obligationis eſt, ut pluribus quæratur obligatio, facultaſque conveniendi. d. §. 1. *Inſt.* h. t. & ut uterque in ſolidum obligetur. d. l. 3. §. 1. ff. h. t. qua in re cautio ineſt, ut uno facultatibus deficiente, alij conveniri poſſint, ſicut fidejuſſores. §. *exceptiones*, 4. *Inſtit. de replication. l. reos*, 11. ff. h. t.

TITVLVS III.

De ſtipulatione ſervorum.

TH. 1. QVOD ſtipulatio, & liberis perſonis, & ſervis (a) competat, ex præcedenti, & hoc titulo apertè conſtat.

(a) Qui ratione domini caput habere, atque ſtipulari intelliguntur; quod dominus, cui acquiritur, quadam iuris interpretatione per manum ſervi, tanquam inſtrumentum contrahere fingitur. l. 1. *pr.* ff. h. t. aliàs ratione ſuæ perſonæ ſervus ſtipulari nequit, cum non ſit iuris civilis capax.

TH. 2. Si ſervus ſit communis, ſingulis dominis pro dominica portione acquirit; excipe, niſi iuſſu unius alicui dominorum ſtipulatus ſit, quo caſu ei, quem nominavit, ſoli acquirit. *l. ſervus*, 5. ff. h. t. aut (2) nominatim alicui dominorum ſtipulatus ſit. *l. ult. C. per quas perſon. cuique acquir.*

TH. 3. Si ſervus, in quo quis uſumfructum, vel uſum habet, ex re fructuarij, vel uſuarij, vel operis ſuis, vel iuſſu eius ſtipulatus ſit, fructuario, vel uſuario obligationem acquirit; Excipe, niſi nominatim dominum comprehendat. l. 18. §. 3. l. 22. & 23. ff. h. t. l. 28. *pr. l. cum ſervus*, 39. ff. *eod.*

LIBER QVADRAGESIMVS SEXTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De fidejuſſoribus & mandatoribus.

Iung. tit. 41. libr. 8. C. *eod.*

TH. I. AD convenientem materiarum connexionem ſequens ſtipulationis diviſio eſt referenda; quod ſtipulationes ſint vel principales, vel fidejuſſoriæ: ſive quod idem ſtipulationes fiunt, vel noſtro nomine, vel alieno, de illis libro ſuperiori diſſeruimus, de his agendum ſupereſt.

TH. 2. Stipulatio fidejuſſoria (a) eſt ſtipulatio, qua quis id, quod alius debet, interrogatus alium daturum, facturumve promittit, (b) ut creditori diligentius ſit cautum. l.1. §.8. ff. *de obligat. & action.* l. *fidejuſſor.* 16. §. *cum fidejuſſor.* 6. ff. h. t. *pr. & §. ult. Inſtit. eod.*

(a) Vnde fidejuſſor, qui mediante ſtipulatione pro debitore fidem erga creditorem interponit, atque ita alterius principali obligationi accedit in ſecuritatem crediti. *pr. Inſtit.* h. t.

(b) E. non debet in plus, quàm in principali obligatione eſt, obligari. § 5. *Inſt.* h. t. l. *hi qui* 34. & l. *ſi ita* 42. ff. h. t. nec fidejuſſor purè obligari poteſt, ſi principalis obligatio ſub conditione ſit, cum in duriorem cauſam accipi haud poſſit, d. l. 34. l. *Græcè* 8. §. *illud* 7. *in fin.* ff. *eod.* contra in minus poteſt obligari fidejuſſor. §. 5. *Inſt.* h. t. Licet fideiuſſor non poſſit in plus obligari ipſo principali, arctius tamen poteſt; hic enim interdum ſaltem naturaliter obligatur, ille & civiliter & naturaliter. l. 7. ff. *de except.* &c. item fideiuſſor ſub pœna aut iuramento obligari poteſt, quamvis reus ſimpliciter abſque pœna vel iuramento promiſerit. *Perez in Cod.* h. t. *n.* 17. imò quod magis, fidejuſſor non poteſt ſub hypotheca vel pignore obligari ipſo principali non obligato, niſi perſonaliter; quo caſu etiam non in plus, ſed efficacius obligatur, cum non excreſcat ſumma debiti.

TH. 3. Omnes fidejubere poſſunt, qui non prohibentur naturâ, (a) vel lege. (b)

(a) Naturâ prohibentur ſequentes, [1] furioſus & mente captus, l. 1. §. 12. ff. *de obligat. & action.* [2] ebrius, *can. venter* 5. *diſtin.* 35. [3] infans, l. 1. *pr.* ff. *de verbor. obligat.* [4] mutus. d. l. 1. *pr.*

(b) Qualis eſt [1] prodigus, l. 6. ff. *de verb. obl.* [2] mulier, l. 16. §. 1. ff. *ad SCt. Macedon.* [3] pupillus ſine tutoris autoritate, [4] minor curatorem habens, l. 3. C. *de in integr. reſtitut.* l. 8. §. 1. ff. *qui ſatiſdar. cog.* contrarium obtinet in minore curatorem non habente, l. *puberes* 101. ff. *de verb. oblig.* [5] ſervus., l. 20. ff. h. t. [6] Miles, d. l. 8. §. 1. [7] deportatus, l. 47. ff. h. t. (8) clericus. *can.* 29. *can.* 11. q. 1.

TH. 4. Fidejuſſores omnibus obligationibus (a) regulariter (b) adhibere licet.

(a) Ex quibuſcunque ortæ ſunt contractibus, ut re, verbis, literis, conſenſu, &c. imò & criminalibus obligationibus adhiberi poſſunt, ſi civiliter ex ijs agatur, non verò ſi criminaliter, & pœna eſt corporis afflictiva aut capitalis; aliud eſt, ſi pœna ſit pecuniaria, l. 70. §. *fin.* h. t. nam ad corporalem pœnam nemo ſe rectè pro alio obligat, cum non ſit membrorum ſuorum dominus, l. 13. ff. *ad L. Aquil.* l. 56. *in fin.* ff. h. t. ſive autem obligatio principalis ſit civilis, ſive naturalis tantum, nihil obſtat, quoniam & hæc obligationem præſupponit. Sic pro pupillo, qui naturaliter ſaltem obligatur, fidejubens obligatur quoque civiliter, ita ut ne quidem exceptionem pupillo competentem habeat. l. 7. ff. *de exception.*

(b) Excipiuntur ſequentes caſus, (1) fidejuſſio pro dote reſtituenda, *t. t. C. ne fidejuſſ. vel mand. doti. dent.* (2) rei turpis vel impoſſibilis fidejuſſio prohibetur, l. *ſi ſub* 29. ff. h. t. l. *ſi à reo* 70. §. *id quod* ff. *eod.* denique (3) fidejuſſio pro eo, qui præſcriptione liberatus eſt. l. *ſi quis* 37. ff. h. t. l. 3. l. 4. & 7. C. *de præſcript. long. temp.*

TH. 5. Fideiuſſio purè, vel ex die, vel ad diem, vel ſub conditione contrahi poteſt. l. *ſtipulatus* 6. §. 1. l. *fidejuſſor* 16. §. 5. ff. h. t. l. *ſi plures* 27. *pr.* l. *ſi à reo* 70. *pr.* ff. *eod.*

TH. 6. Fidejuſſor non minus, ac ipſe debitor principalis ex ſua promiſſione obligatur; obligantur, & eius heredes. l. 4. §. 1. ff. h. t.

TH. 7. Obligatur ad id, quod tempore fidejuſſionis erat in obligatione principali, §. 4. *Inſtit.* & l. 10. C. h. t. ut ſors, uſura l. 2. §. 12. ff. *ad adminiſtr. rer. ad civit. pertin.* l. 68. §. 1. ff. h. t. Interim non obligatur ad id, quod ex culpa aut mora debitoris principalis extrinſecus acceſſit, l. *ult.* ff. h. t. l. 8. ff. *de eo quod cert. loc.* excipe, niſi fideiuſſor ad omnem cauſam ſe expreſſe obligaverit, l. *quæro an* 54. *pr.* ff. *locat. conduct.* l. 10. ff. *rem pupil. ſalv. for.*

TH. 8. Si plures ſint fideiuſſores, quotquot erunt numero, ſinguli regulariter in ſolidum (a) tenentur, §. 4. *Inſtit.* h. t. itaque liberum olim erat creditori, à quo velit ſolidum petere; quod poſtea epiſtola D. Adriani fuit correctum, ubi creditor à ſingulis, qui modò ſolvendo ſint, partes petere. d. §. 4.

(a) Excipe (1) niſi ad certam ſaltem ſummam ſe pro alio aſtrinxerit, l. 22. C. h. t. (2) ſi fidejuſſores à creditore conventi utantur beneficio epiſtolæ D. Adriani.

TH. 9. Creditoribus olim permiſſum fuit, fidejuſſores actione ex ſtipulatu convenire, debitore principali non convento, licet is ſolvendo eſſet, l. 2. 16. 17. & 23. C. h. t. quod hodiè mutatum, ubi creditores coguntur prius debitorem principalem excutere, quo excuſſo demum ad fidejuſſores conveniendos admittuntur. *Nov.* 4. c. 1.

TH. 10. Fideiuſſori competunt ſequentia tria beneficia, (1) beneficium ordinis ſive excuſſionis, (2) beneficium diviſionis quod epiſtola divi Adriani conceſſum, & (3) beneficium cedendarum actionum.

TH. 11. Beneficium excuſſionis eſt exceptio, qua fidejuſſor contra creditorem ſe defendit, ne conveniatur prius, quàm principalis debitor ita ſit excuſſus, ut ei non remaneat, quo letrantem ſtomachum exſaturet, l. 3. C. h. t. *Novel.* 4. c. 1. Huic beneficio nullus datur locus, (1) ſi fideiuſſor ei renunciaverit, ſe eo non uſurum, *Nov.* 136. c. 2. quia cuilibet licet favori pro ſe introducto renunciare, l. *pen.* C. *de pactis*, (2) ſi notorium ſit, principalem debitorem non eſſe ſolvendo, quæ enim ſunt certa, non amplius ſunt certioranda, (3) ſi reus ſit abſens, fidejuſſor autem præſens, d. *Novel.* 4. c. 1. Nota; hæc exceptio uſque ad litis conteſtationem opponi poteſt, quia eſt exceptio dilatoria litis ingreſſum impediens.

TH. 12. Beneficium diviſionis eſt exceptio, quam fidejuſſores creditori opponere poſſunt, ſi ab eo in ſolidum conveniantur, ut in viriles tantum partes obligentur, licet in ſolidum ſint obligati, l. 3. C. h. t. beneficium hoc ceſſat, ſi fidejuſſor cum muliere fidejubet, ratio eſt, quod mulier cum effectu non interveniat, & fidejuſſor ſcire potuit, aut ignorare non debuit, mulieri per SCtum Vellejanum ſuccurri. l. 48. *pr.* ff. h. t. Nota; hæc diviſionis exceptio uſque ad ſententiam opponi poteſt, non poſtea, cum naturam peremptoriarum exceptionum ſapere videatur. l. 10. C. h. t.

TH. 13. Beneficium cedendarum actionum eſt exceptio, quam fideiuſſor creditori agenti rectè objicit, quæ ita iuſta eſt, ut ſi ceder

recuſet creditor, ab actione repellatur; & uſuras lapſi interim temporis ſolvere non teneatur, l. 21. ff. *de uſur.* hoc beneficium datur fidejuſſori, qui pro alijs ſolvere paratus eſt, l. 10. 13. 17. 36. & 41. §. 1. ff. h. t. adverſus creditorem, ut ſibi actiones contra debitorem principalem, d. l. 36. ff. h. t. & confidejuſſores cedat, d. l. 17. 36. & 41. l. 14. ff. *mandat.*

TH. 14. Si fidejuſſor quicquam pro debitore principali ſolvat, datur ei actio mandati, (a) vel actio negotiorum geſtorum, (b) contra reum, ad illud, quod pro reo ſolvit, recuperandum. (c)

(a) Si mandato debitoris, vel eo præſente fidejuſſerit. l. 4. ff. h. t. §. 6. *Inſt. eod. l. ex mandato*, 20. §. 1. ff. *mandat.* l. 6. C *eod.*

(b) Si pro abſente fideiuſſerit. d. l. 20. §. 1. l. 4. & 5. ff. *de negot. geſt.*

(c) Excipe, niſi fideiuſſor pro invito & prohibente interceſſerit, vel ſi fideiuſſor condemnatus non provocaverit. l. 10. §. 12. ff. *mandat.*

TH. 15. Si plures ſint fideiuſſores, & unus eorum conventus ſolvat, reliqui liberantur; poteſt tamen à creditore petere ceſſionem (a) actionum, quibus contra reliquos fideiuſſores, ſolvendo exiſtentes agat, ut viriles portiones præſtent. *l. ſi fideiuſſor.* 41. §. 1. & l. 36. ff. h. t.

(a) Quam ante debiti ſolutionem expetere debet, ne ſublatâ per ſolutionem omni obligatione atque actione nihil ſuperſit poſtea, quod cedi poſsit. l. 76. ff. *de ſolution.*

TH. 16. Quæritur, an fidejuſſio planè non ſubſiſtat, ſi fidejuſſor ſe ad majorem ſummam obligaverit, quam debet principalis? Reſp. negando, quia ad concurrentem debiti ſummam valet, e. g. ſi quis 10. debeat, & ad 20. ſe obligaverit, ad 10. ſolvendos tenetur. *arg.* l. 1. §. 4. ff. *de verb. obligat.* l. 11. §. 1. ff. *de conſtit. pecun.* l. 27. §. 5. ff. *de pact.*

TH. 17. Cauſa efficiens fidejuſſionis eſt voluntas perſonæ idoneæ fidejubentis.

TH. 18. Materia circa quam & cui fidejuſſor accedere poteſt, ſunt omnes omnino obligationes. *vide Theſin* 4.

TH. 19. Forma fidejuſſionis in ſtipulatione conſiſtit, quæ ſemper interveniſſe præſumitur. l. 12. C. h. t. quemadmodum enim reus principalis non obligatur, niſi de ſe promittat. l. 38. §. 1. ff. *de verb. obligat.* ita fidejuſſores non aliter creditori tenentur, quam ſi quid daturos, vel facturos ſe promittunt. l. 66. ff. h. t.

TH. 20. Finis fideiuſſionis eſt, ut creditori caveatur. §. 4. *Inſtit. de replicat.*

replicat. cum inductæ ſint fideiuſſiones ex principijs cautionalibus ob diffidentiam & malitiam hominum, dum alter alteri non credit, ſed creditor prædijs aut prædibus ſibi vult caveri. Cavemus namque, ut tutior nobis ſit obligatio; præcipuè duobus modis, [1] rebus per oppignorationem, de qua ſuprà libr. 20. egimus, [2] perſonis per obligationis confirmationem & validius robur.

TH. 21. Contraria fideiuſſioni, qtibus ea tollitur, ſunt ſequentia, (1) debiti ſolutio, l. 49. ff. *de ſolution.* (2) novatio, per quam extinguitur obligatio prior, atque nova ponitur, pro qua non eſt interventum, l. 8. §. *fin.* ff. *de acceptil.* (3) confuſione, ubi debitor ſuccedit creditori vel vice verſâ, l. *ſi duo* 93. §. *ult.* ff. *de ſolution.* ratio eſt, quia pro eodem apud eundem non interceditur, (4) præſcriptione longiſſimi temporis, h. e. 30. annorum lapſu; ſi enim fidejuſſor inter hoc temporis intervallum non interpelletur, præſcriptionem longiſſimi temporis allegare licitè poteſt. *arg.* l. *fin.* C. *de duob. reis ſtipul. & prom.*

TITVLVS II.

De novationibus & delegationibus.

Iung. tit. 42. libr. 8. C.

TH. 1. QVIBVS modis ſtipulationes contrahantur & confirmentur in ſuperioribus vidimus. Supereſt conſiderare, qua ratione diſtrahantur & diſſolvantur, quod accidit vel ipſo iure, vel ope exceptionis; utriuſque idem eſt effectus, aſt modus eſt diverſus; nam priori caſu actio tollitur, poſteriori autem ſaltem impeditur, cuius libr. 44. mentionem fecimus.

TH. 2. Tres præprimis dantur modi, quibus ipſo iure tollitur obligatio, ut Novatio, ſolutio, acceptilatio. De illa, h. t. de iſta & hac ſequentibus titulis dicetur.

TH. 3. Novatio (a) eſt prioris debiti (b) in aliam novam obligationem (c) transfuſio atque tranſlatio, l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) Quæ nomen ſortita eſt à novo ſeu novando & nova obligatione.

(b) Si enim aliud debitum in obligationem deducatur, non erit novatio, ſed alia ſeparata obligatio, l. 26. §. 4. ff *de condict. indebit.*

(c) Perinde eſt utrum naturalis vel civilis, vel honoraria, obligatio præ-

SSSſſ

ceſſerit, utrum verbis, an re, ac conſenſu fuerit conſtituta, ſi modò obligatio naturaliter, vel civiliter teneat. l. 8. §. 1. ff. *de fidejuſſor.*

TH. 4. Novatio eſt duplex, voluntaria & neceſſaria.

TH. 5. Novatio voluntaria eſt vel novatio in ſpecie & propriè ſic dicta, (a) vel delegatio, de qua infra egemus.

(a) Illa fit per ſolam ſtipulationem, l. 2. l. 5. *& ſeqq.* ff. h. t. cum prior obligatio manente eodem creditore & debitore animo novandi verbis expreſſo mutatur. l. 11. §. 1. ff. h. t. §. 3. *Inſtit. quib. mod. toll. obligat.* non verò per nudum pactum. hodie tamen pacto nudo ea ineſt vis, ut obligatio novari queat. *Carpz.* p. 2. *conſt.* 19. *def.* 17.

TH. 6. Novatio neceſſaria (a) fit per litis conteſtationem, quam ſubſequitur ſententia, qua reus etiam invitus condemnatur, l. 29. ff. h. t. l. 1. §. 1. ff. *eod.*

(6) Ita novatur, quia nolens volens debitor ad eam compellitur, ſicque iudicium in invitum redditur. l. *inter ſtipulantem* 83. §. *ſi Stichum* 1. ff. *de verb. obligat.*

TH. 7. Cauſa efficiens novationis eſt voluntas contrahentium nimirũ creditoris & debitoris, verbis expreſſa; requiritur tamen in contrahentibus habilitas, ut ſint adultæ, & ſui iuris, &c. Hinc in aliena poteſtate ſive patria, ſive dominica exiſtentibus novare non licet, ut pupillis ſine tutoris autoritate, & minoribus, ſine curatoris conſenſu, l. 20. §. 1. ff. h. t. excipe, niſi conditionem novando faciant meliorem, d. l. item filijsfam. l. 23. ff. h. t. prodigis, l. 3. ff. h. t. & ſervis. l. 16. *&* l. *ult.* ff. h. t.

TH. 8. Materia novationis ſunt omnes obligationes quolibet modo contractæ. l. *omnes* 2. ff. h. t.

TH. 9. Ad formam ſpectant ſequentia; [1] quod novatio ineatur à creditore, qui vel per ſe ſtipulatur, vel eius iuſſu alius novat, & à debitore, qui denuo promittit *(a)* [2] quod novatio fiat vel purè, vel in diem, (b) vel ſub conditione; quæ tamen ante conditionis exiſtentiam non eſt perfecta; unde ſi conditio non exiſtat, novatio non valet, ſed prior obligatio durat, l. 8. §. 1. l. 14. l. 24. ff. h. t. l. 31. ff. *eod.*

(a) l. *cui rectè* 10. l. 4. ff. h. t.

(b) Eiuſmodi novatio eſt pura, prius tamen exigi non poteſt, quam dies venerit. l. *in diem* 5. ff. h. t.

TH. 10. Finis & effectus novationis eſt, priſtinâ ſive priori obligatione ſublatâ, unà cum acceſſorijs, (putà pignoribus & fidejuſſoribus,

inhibitoque uſurarum curſu) novam inducere, ex qua is, qui eam induxit, obligatur. l. 18. ff. h. t. l. 4. ff. *de fideiuſſor.*

TH. 11. Perſpectâ primâ rubricæ parte, ad alteram, videlicet delegationem progrediamur. Hæc fit interventu novæ perſonæ, quæ debitum ſuſcipit; ſive delegatio (*Germanicè die uberveiſung*) (a) eſt, quâ debitor vice ſua alium reum volenti creditori ſubſtituit. l. 11. ff. h. t.

(a) Delegare nihil aliud eſt quam mandare. l. 12. ff. h. t.

TH. 12. Delegatione factâ vetus obligatio cum acceſſoriis perimitur, (a) & nova obligatio conſtituitur, §. 3. *Inſt. quib. mod. oblig. toll.*

(a) Inter delegantem & delegatum; quia delegatio habetur pro iuſta præſtatione, l. 51. ff. *de pecul.* & ſolutionis vicem obtinet, l. 8. §. 3. ff. *ad SCt. Vellej.*

TH. 13. Delegatio opponitur novationi in ſpecie, ratio eſt, quia hæc fit manente debitoris perſona, delegatio verò perſona debitoris mutata, *arg.* §. 3. *Inſt. quib. mod. toll. obligat.*

TH. 14. In delegatione duo interveniunt actus, [1] qui eſt inter delegantem & delegatum, [2] qui inter delegatum, & eum, cui fit delegatio. Prior ſtipulationem non requirit, ſed nudo conſenſu perficitur per mandatum delegantis qui iubet delegatum alteri ſolvere. Poſterior actus ſtipulationem poſtulat. l. 11. C. h. t.

TH. 15. Differentia inter delegationem & ceſſionem eſt, [1] ceſſio fit etiam debitore invito & ignorante, delegatio non niſi debitore conſentiente, l. 1. C. h. t. [2] qui delegat debitorem actionem omnino amittit, quod novetur ita contractus, & delegatus à priori creditore liberetur, unde etiam *in* d. l. 8. §. 3. ff. *ad SCt. Vellei.* dicitur, delegationem ſolutionis vicem obtinere; ex oppoſito actionem cedens, eam non planè amittit, ſicut nec debitum, l. 3. C. h. t. cum cedere non ſit ſolvere; ideò actio directa cedenti adverſus debitorem manet ſalva, qua debitorem ad ſolutionem compellere poteſt; actio tamen utilis ad ceſſionarium tranſit. d. l. 3.

TITVLVS III.

De ſolutionibus & liberationibus.
Iung. tit. 43. libr. 8. C.

TH. 1. IMPRIMIS ſolutione tollitur ipſo iure obligatio, quod *theſi 2. tit. præced.* innuimus.

TH. 2. Solutio (a) eſt actus, quo id, quod alteri debetur, naturaliter præſtatur, l. 49. ff. h. t. l. 47. ff. *de obl. & act.*

(a) Vox ſolutionis dupliciter accipitur (1) latè & impropriè pro quolibet liberatione, quo ſenſu compenſationem, acceptilationem & aliam ſatisfactionem comprehendit, l. 52. *&* 54. ff. h. t. l. 176. ff. *de verbor. ſignific.* (2) ſtrictè & propriè, pro eius rei, quæ debetur, exſolutione, ut *t. t.* ff. h. t. quæ ſit pecunia. l. *ſolutam* 49. ff. h. t.

TH. 3. Illi debitores debitum rectè ſolvunt, (a) qui ſunt ſui iuris, majores 25. annis liberamque rerum ſuaru mhabēt adminiſtrationem. Hinc pupillis, minoribus & prodigis abſque curatorum vel tutorum interventu debitum ſolvere non eſt permiſſum, l. *jusjurandum* 17. §. 1. ff *de iurejur.* quare ſi contra legis prohibitionem faciant, nummos in accipientem non transferunt, l. 14. §. *ult.* ff. h. t. l. *fin. Inſt. quib. alien. &c.*

(e) Sive per ſe, ſive per procuratorem, *pr. Inſt. quib. mod. obl. toll.* & quibus libera rerum ſuarum adminiſtratio non eſt conceſſa per curatorem, l. 68. *&* 95. §. 7. ff. h. t. vel tutorem. l. 8. C. *qui dar. tut. poſſ.*

TH. 4. Alius pro alio ſolvere poteſt, etiam ignoranti, (a) & invito. (b)

(a) A quo ſolvens ſolutum repetere poteſt actione negotiorum geſtorum, intellige, ſi utiliter ſolvit. l. 43. *&* l. *fin.* ff. *de negot. geſt.*

(b) Ab hoc ſolvens nihil repetere poteſt, ſed omnis actio ei planè denegatur. l. *ult.* C. *de negot. geſt.*

TH. 5. Debitum rectè ſolvitur creditoribus (a) legitimam rerum ſuarum adminiſtrationem habentibus. E. ſolvi non poteſt (1) pupillis, ſine tutoris autoritate, §. *ult. Inſt. quib. alien. lic.* l. 75. *&* 68. ff. h. t. (2) minoribus, l. 1. §. *fin.* l. 7. ff. *de minor.* d. §. *ult. Inſt.* (3) furioſo & prodigo, &c. l. 68. ff. h. t.

(a) Vel (1) ipſis, vel (2) eorum heredibus, vel (3) eis, quibus creditor ſolvi voluit ut procuratoribus. *l. ſi hominum*, *34*. §. *ſi Titium*, 3. ff. h. t. ſolutio etiam valet creditoris creditori abſque eius mandato facta, ſi modò in rem eius ſit verſa. l. *6*. ff. *de doli mal. except.* vel (4) tutoribus. *l. quod ſi*, 14 § 1. ff. h. t. tutius tamen eſt ſi decretum Magiſtratus ſolutionem hunc antecedat. l. 25. C. *de adminiſtrat. tut.*

TH. *6*. Poteſt & reo criminis ante condemnationem debitum ſolvi. l. 41. ff. h. t. quia reatus bonorum adminiſtrationem accuſato non adimit. l. *46*. §. *6*. ff. *de iur. fiſc.* Excipe reum Majeſtatis. *l. fin. pr. C. ad L. Iul. Majeſt. l. ult. ff. de bon. damnat.* quod fit ob criminis atrocitatem.

TH. 7. Omne, quod debetur, creditori in ſolidum eſt ſolvendum; Hinc patet debiti ſolutionem quæ fit per partes iure non eſſe permiſſam, ſi creditor contradicat, quoniam particularis ſolutio multa in ſe habet incommoda. l. 41. §. 1. ff. *de uſur.* l. 3. ff. *famil. erciſcund.* l. 9. C. h. t. Excipe, [1] niſi creditore conſentiente, eiuſmodi particularis ſolutio fiat, [2] hodie propter belli calamitates conſtitutionibus imperij valet *de anno 1654*. §. *nach dem auch.*

TH. 8. Non debet aliud pro alio ſolvi, niſi creditor in id conſentiat. l. 2. §. 1. ff. *de reb. credit.* contrarium tamen ſtatuitur, ſi res non exſtet, aut præſtari nequeat quo caſu neceſſitas facit, ut aliud pro alio ſolvatur, ſi creditor aliàs ſibi ſolvi deſideret. l. 8. *pr. ff. de condict. furt. Nov.* 4. §. *fin.* ex qua deſumpta eſt *Auth. hoc niſi*, C. h. t.

TH. 9. Quæritur, utrum alterius generis nummi, quam nominatim promiſſi ſolvi poſſint, ut ſi quis thaleros, vel ducatos creditori promittat, poſtea in minoribus nummis ſolvere velit? Reſp. negando, cum illud quod in obligationem ſit deductum, deduci quoque in ſolutionem debeat; aliàs enim aliud pro alio ſolveretur: Excipe, ſi creditoris nihil interſit, tunc in alia moneta ſolvi poteſt. l. 99. ff. h. t.

TH. 10. Si quis ex pluribus cauſis creditori ſit obſtrictus, à debitoris arbitrio permittitur exprimere, in quam cauſam ſolutum velit. l. 1. l. 101. *& ſeqq.* ff. h. t. quod ſi debitor nihil dixerit, creditori electio conceditur, ſi plura ſint debita liquida. l. 1. C. h. t. invito etiam debitore, quo tamen caſu creditoris eſt, officium boni viri agere, inque illud debitum imputare, in quod ipſe, ſi deberet, eſſet ſoluturus, nimirum in cauſam duriorem. d. l. 1. C. h. t.

TH. 11. Aſt ſi neque debitor expreſſerit in quam cauſam ſolutum velit, neque creditor elegerit, illud debitum intelligitur ſolutum, quod liquidum, & præſenti die debetur, vel quod antiquius & gravius. l. 1.

l.3. *& ſeqq.* ff. h. t. *l cum ex pluribus*, 97. ff. *eod.*

TH. 12. Quod ſi pecunia ſimpliciter ſolvatur, in uſuram potius, quam in ſortem eſt imputanda. l. 5. §. 2. ff. h. t.

TH. 13. Solutio commodo loco, (a) & opportuno tempore (b) eſt facienda. l. 39. ff. h. t.

(a) Qui ſi ſit expreſſus, non debet alio loco fieri. l. 8. C. h. t. cum creditoris conditio ſolvendo deterior fieri non debeat: ſi verò non exprimatur, creditoris domum adire oportet debitorem, per hanc enim hoc in caſu intelligimus commodum locum. l. 3. ff. *de indicijs.*

(b) l. 122. *pr. ff. de verb. oblig.* l. 39. ff. h. t. ſic ante tempus præfinitum exigi non poteſt debitum. §. *fin. Inſtit. de inutil. ſtipul. l. qui hoc*, 42. *ff. de verb. obligat.*

TH. 14. Quæritur, utrum quis ante diem rectè ſolvere queat? Reſp. diſting. vel dies in gratiam debitoris eſt adjectus, vel in gratiam creditoris; illo modo debitum legitimè ſolvitur. l. 70. ff. h. t. quod cuilibet integrum ſit, favori pro ſe introducto renunciare. l. 137. §. 2. ff. *de verb. obligat. l. cum tempus*, 17. *ff. de reg. iur.* Hoc modo non rectè ſolvitur, unde ſolutio invito oblata offerentem non liberat. *l. ſi ita relictum*, 43. §. *Pegaſus*, 2. *ff. de legat. 2. l.* 17. *ff. de ann. legat.* quoniam nulli jus ſuum, aut commoditas eſt diminuenda.

TH. 15. Si ſolutionem factam creditor neget, eam probare tenetur debitor, cum ſit facti. Probatio hæc fit modis ſequentibus, [1] per teſtes, [2] per inſtrumentum, putà apocham, ſive quitantiam, [3] per præſumptiones. e. g. ſi chirographum apud debitorem inveniatur, item ſi creditor per plures annos debitum non exegerit, &c. *Carpzov. p.* 2. *conſt.* 29. *def.* 11. [4] per iuramentum. *l.* 27. *ff. de iureiur.*

TH. 16. Dantur nonnulla ſolutioni paria, ut (1) oblatio realis rei debitæ (2) ſatisfactio quævis, (a) & (3) confuſio obligationum, quod fit, ubi debitor creditori & vice verſa ſuccedit. l. 95. §. 2. ff. h. t. hæc eſt ſolutio civilis. l. 21. §. 1. ff. *de lib. legat.*

(a) Quoties alio modo ſatisfit creditori volenti, quàm de quo conventum eſt. e. g. pignoribus, novatione, delegatione. l. 52. ff. h. t. l. 9. §. 3. ff. *de pignor. action.*

TH. 17. Oblatio realis eſt duplex, (1) nuda & (2) ſolennis.

TH. 18. Oblatio nuda eſt, quando debitum creditori offertur, [1] in iuſta ſumma una cum uſuris, (a) [2] teſtibus adhibitis, (b) [3] loco & tempore opportuno.

(a) *l. acceptam*, 19. *C. de uſur.* l. 9. C. h. t. l. 2. C. *debitor. vendit. pignor. imped. non poſſ.*

(b) Quod fit in debitoris gratiam, ut oblationem eo melius probare queat. d. l. 19. C. *de uſur.*

TH. 19. Oblatio ſolennis ritus habet ſolennes, hæc fit, quando creditor opportuno loco & tempore debitum totum oblatum recuſavit; huius tres ſunt partes, oblatio, (a) conſignatio, (b) & depoſitio. (c)

(a) Quæ ad illam requirantur Theſi 18. explicavimus.

(b) Iſtius forma in eo conſiſtit, quod pecunia ſacculo incluſa obſignetur annulo, aut ſigno. l. 1. §. 24. *ff. depoſit.*

(c) Huius forma deſiderat, ut in publico loco deponatur, aut in æde ſacra, aut ibi ubi iudex deponi iuſſerit; & quidem tota ſumma pecuniæ debitæ cum uſuris in eadem qualitate, ſeu bonitate, quæ fuit tempore contractus, l. 3. C. *de reb. credit.* l. 69. *de contrah. empt.*

TH. 20. Oblationis nudæ effectus eſt, (1) quod moram purget. l 33. §. *ult. ff. de verb. oblig.* (2) periculum oblatæ pecuniæ in creditorem transferat. l. 72. ff. h. t. l. 17. ff. *de pericul. & comm. rei vend.* (3) liberet à publicis penſitationibus & tributis. l. 1. C. *de ſuſceptor. præpoſ.* (4) in bonæ fidei iudicijs ab obligatione ipſo iure liberet, contra in ſtricti iuris iudicijs ope exceptionis. d. l. 72. quia eiuſmodi exceptiones inſunt his contractibus. l. 3. C. *de reſcind. vendit.*

TH. 21. Oblationis ſolennis effectus eſt, (1) quod ipſo iure tollatur obligatio, ſine periculo & indiſtinctè, tam in bonæ fidei, quàm ſtricti iuris iudicijs. (2) quod pignora liberentur. l. 10. C. *de pignor.* ut & aliæ acceſſiones, nimirum fidejuſſores & mandatores. *arg.* l. 43. ff. h. t. (3) uſurarum obligatio tollatur & pœna. l. 72. ff. h. t. (4) purgetur mora, &c.

TITVLVS IV.

De acceptilationibus.

Iung. tit. 44. libr. 8. C.

TH. 1. ACCEPTILATIONE (Germanicè *ein ſcheinzahlung*) tollitur quoque ipſo iure obligatio. Acceptilatio (a) eſt ſolutio imaginaria, (b) ſive liberatio civilis, quæ fit, quando creditor ad interrogationem debitoris, num acceptum habeat debitum, reſpondet, ſe acceptum habere, ferre liberandi cauſa. §. 2. *Inſt. quib. mod. toll. obligat.* e. g. ſi quis creditori ſuo dicat, decem, quæ promiſi, ac-

cepta habes, & creditor reſpondet, habeo.

(a) Quam derivant ab acceptum ferendo; acceptum autem ferre nihil aliud eſt, quam fateri, ſe ab aliquo accepiſſe. l. 89. *ff. de ſolution.*

(b) Sicut ſolutio eſt naturalis, ita acceptilatio eſt civile inventum.

TH. 2. Acceptilatio fit duplici modo, (1) ſimplici ſtipulatione, (a) vel (2) Aquiliana ſtipulatione, (b) à Gallo Aquilio Icto ſic nominata.

(a) Per illam ſimplicem ſtipulationem ſola verborum obligatio tollitur, §. 2. *Inſt. quib. mod. toll. obligat.* quia verbis tolli non poteſt, quod verbis non eſt contractum. *l. an inutilis, 8. § acceptum,* 3 ff. h. t.

(b) Per hanc quævis obligatio, petitio & perſecutio, adeoque & actio in rem priùs in verborum obligationem transfertur, & poſtea tollitur; ſtipulatio enim Aquiliana omnes obligationes revocat, d. §. 2. *Inſt. quib. mod. toll. obligat.* l. 1. ff. h. t. l. 18. ff. *eod.* l. 15. C. *de tranſaction.*

TH. 3. Sciendum eſt, eum ſolummodò acceptum rogare poſſe, qui debet, (a) & acceptum facere, cui debetur, ut creditor: quia acceptilatio eſt actus legitimus, qui per alium pro alio expediri nequit, l. 77. ff. *de regul. iur.*

(a) Idcirco, tutor, curator, filius, pater, ſervus, procurator non rectè alieno nomine acceptum rogant, l. 8. §. *fin. l. & per jusjur.* 13. §. *tutor,* 10. ff. h. t. ratio in eo fundata; quia acceptilatio fit verbis per ſtipulationem, aſt nemo alteri ſtipulari rectè & validè poteſt, inventæ enim ſunt eiuſmodi obligationes ad hoc, ut quilibet ſibi acquirat, quo ſua intereſt, cæterum ut alij detur, nihil intereſt mea, ſervus tamen domino, & filius patri ſtipulari poſſunt. *l. ſi ſtipulatio,* 38. §. *alteri,* 17. ff. *de verbor. obligat.*

TH. 4. Acceptilatio purè duntaxat eſt facienda, ut pariat liberationem; nam diem & conditionem reſpuit. l. 4. & 5. ff. h. t. Interim tamen debitum in diem, vel ſub conditione per acceptilationem tolli poteſt. l. 12. & 21. ff. h. t.

TH. 5. Acceptilatio fit verbis ſolennibus. *l. an inutilis,* 8. §. *acceptum,* 3. ff. h. t. quod hodie non obſervatur, ubi nec ſtipulatio, nec acceptilatio ſolennia interrogationis & reſponſionis neceſſario obſervant. Secundùm conſuetudinem modernam, & ratione effectus nihil intereſt, utrum quis ſtipulationem ut ſtipulationem, an ut pactum nudum valere velit; quia moribus noſtris, & iure canonico æquè valida ex pacto nudo, quam ex ſtipulatione detur actio.

TH. 6. Cauſa efficiens acceptilationis eſt voluntas benigna creditoris, acceptum ferentis; hanc voluntatem leges approbant, liberationibus favendo. l. 47. ff. *de obligat. & action.*

TH. 7.

TH. 7. Materia, circa quam acceptilatio verſatur, eſt verborum obligatio, cum nihil acceptum ferri queat, niſi quod verbis contractum; unumquodque enim tali modo eſt diſſolvendum, quo eſt colligatum. l. 56. ff. *de reg. iur.* formam ex Theſi prima percipies.

TH. 8. Finis & effectus acceptilationis eſt, ut quaſi ſolutione facta per acceptilationem tollatur obligatio, & inde deſcendens actio.

TITVLVS V.

De Prætorijs ſtipulationibus.

TH. 1. PERSPECTIS in genere ſtipulationibus, (a) & ſtipulatione liberatoria conſiderata; ſubjicitur nunc ſtipulatio confirmatoria, quæ obligationem, vel iudicium confirmat. l. 5. *pr. ff. de verb. obligat. l.* 1 *& t. t. ff. de Prætor. ſtipul. l.* 2. *& ſeqq. ff. qui ſatisdar. cogunt.*

(a) Quæ quomodo dividantur, *Theſi 4. ff. de V. O.* declaravimus, videlicet, quod ſint Iudiciales, Prætoriæ, Conventionales, & Communes. De Prætorijs, ſive honorarijs ſtipulationibus hîc exponetur.

TH. 2. Stipulatio Prætoria (a) à mero Prætoris officio proficiſcitur.

(a) Ita dicitur cum à Prætore, ſeu ſecundo Legiſlatore primum fuit introducta, ac certis formulis comprehenſa. Vnde differt à iudiciali ſtipulatione, quæ à mero iudicis pedanei officio proficiſcitur.

TH. 3. Prætoria, ſive honoraria ſtipulatio tres ſub ſe comprehendit ſpecies, eſtque [1] iudicialis, [2] cautionalis, & [3] communis. Hæc diviſio eſt ratione finis.

TH. 4. Stipulatio iudicialis eſt honoraria, quæ propter iudicium interponitur, ut quod in illud eſt deductum, firmum, ratumque ſit. e. g. iudicatum ſolvi, & ex novi operis nunciatione. l. 1. §. 1. ff. h. t. ab hac judiciali ſtipulatione diſcrepat alia iudicialis ſtipulatio, cuius *Theſi* 4. ff. *de V. O. & Theſi 1. litt. a*, fecimus mentionem. l. 51. ff. *de V. O.* hanc enim ideo Interpretes vocant iudicialem, quia introducta legibus, aut conſtitutionibus, mero iudicis pedanei officio exigitur, ut cautio de dolo malo, &c. non verò quod ad iudicium directò pertineat. Ex di-

TTTtt

ctis liquet, judicialem ſtipulationem (intellige Prætoriam) non à judice, verùm à judicio, quod firmari ſtudet Prætor, denominari.

TH. 5. Stipulatio cautionalis, (a) eſt Prætoria quæ ipſam rem cautiorem reddit, non verò iudicium, eſtque inſtar actionis. l. 1 §. 2. ff. h. t. & quaſi novum remedium ad veterem aliam actionem accedit. Sic [1] ſtipulatio de legatis & fideicommiſſis interpoſita novat actionem ex teſtamento, ut qui legatum ſibi relictum ſtipulatus eſt, amplius ex teſtamento non agat. l. 21. ff. *de acceptil.* [2] ſtipulatio damni infecti novat actionem, ſi quæ de damno competere poſſet. l. 18. ff. *de S. V. Præd.* [3] ſtipulatio rem pupilli ſalvam fore, novat tutelæ actionem. l. 9. ff. *de novation.*

(a) Vox hæc latè, & ſtrictè accipitur, ſi latè ſumatur, omnes ſtipulationes latitudine ſuâ comprehendit, quia omnium ſtipulatio eſt natura, ut ideo interponantur, quo ſtipulans fiat cautior & ſecurior. l. 1. §. 4 ff. h. t. ſin ſtrictè, à reliquis ſtipulationum ſpeciebus diſtinguitur, ut ex eius definitione haud obſcurè conſtat.

TH. 6. Stipulatio communis (a) eſt Prætoria, quæ fit iudicio ſiſtendi cauſa. l. 1. §. 3. ff. h. t. ſpectans ad præparandum iudicium.

(a) Sic appellatur, quod mixtam habeat naturam, quæ partim propter judicium, partim propter rem ipſam fieri ſolet. l. 10. §. 2. ff *ſi quis caut. iudic. ſiſt.* quapropter non planè iudicialis eſt, nec omninò cautionalis. Non illa, quoniam non ideo præprimis proponitur, ut iudicium ſit firmius, ſed ne fruſtra dies agendi præſtituatur, non hæc, cum quodammodo ad iudicij firmitatem ſpectet.

TH. 7. Cauſa efficiens huius ſtipulationis eſt Prætor, à quo introducta eſt. Materia, circa quam verſatur, patet ex adductis *Theſi* 4. *&* 5. exemplis. Forma, ut mediantibus his ſtipulationibus quid fieri conveniat. l. 6. ff. h. t. eoque nomine fidejuſſores dentur. Finis huius ſtipulationis eſt, ut res, de qua agitur, cautior ſit ſtipulatori, interpoſitâ verborum obligatione.

TH. 8. Effectus harum ſtipulationum eſt, ut niſi illud, de quo contrahentes convenerunt, ſit factum, agatur ex ſtipulatione contra debitorem principalem, & eius fidejuſſores. l. 4. §. 1. ff. h. t. in id, quanti ea res eſt, hoc eſt, quanti intereſt, factum eſſe, aut ad pœnam, ſi quæ verbis ſit comprehenſa. *l. in omnibus*, 6. ff. h. t.

TITULUS VI.

Rem pupilli, vel adoleſcentis ſalvam fore.

TH. I. POSTQUAM pleraſque Prætoriarum ſtipulationum ſpecies varijs locis. e. g. de novi operis nunciatione, ff. *eod.* de damno infecto, ff. *ibidem*, *&c.* iuxta digeſtorum methodum expoſuimus; Subjunguntur nunc tres reliquæ ſtipulationum Prætoriarum ſpecies; [1] rem pupilli, vel adoleſcentis, &c *de qua*, *h. t.* [2] iudicatum ſolvi, *tit. ſeq.* 7. & tandem [3] rem ratam haberi. *tit.* 8.

TH. 2. Stipulatio rem pupilli, vel adoleſcentis ſalvam fore eſt Prætoria, qua tutor, (a) vel curator datis fideiuſſoribus rem pupilli, vel adoleſcentis ſalvam fore promittit. (b) l. 4. §. 2. l. 9. ff. h. t.

(a) Lege, vel ſine inquiſitione datus. *pr. Inſt. de ſatisdat.* ſtipulationem autem hanc non præſtant ex inquiſitione dati. l. 2. ff. *de confirmat. tutor.* neque teſtamentarij. *d. pr. Inſt.*

(b) Hæc promiſſio & cautio præſtatur ipſi pupillo, ſi ſit præſens & fari queat, etiamſi eius ætatis ſit, ut non intelligat, quid agatur, tamen propter utilitatem receptum eſt, rectè eum ſtipulari & agere: Aſt ſi abſit, vel fari nequeat, ſervus eius ſtipulabitur, aut Prætor aliquem dabit, qui pupillo ſtipuletur, eique acquirat utilem actionem. l. 2. *& ſeqq.* ff. h. t. non directam, quia nemo alteri ſtipulatur. l. 38. §. 17. ff. *de verbor. obligat.*

TH. 3. Actio ex ſtipulatione deſcendens eo modo, quo tutelæ actio competit, exque illa tum demum agi poteſt, cum ex tutela. l. 1. ff. h. t. putà eâ finitâ. l. 4 §. 4. ff. h. t. antequam enim tutela eſt finita, agi haud poteſt. Quoniam nihil legibus videtur inconvenientius, aliquem cogi ad rationem adminiſtrationis reddendam, in qua perſeveraverit. l. 9. §. 4. ff. *de tutel. & ration. diſtrah.*

TH. 4. Ex ſtipulatione hac competit actio pupillo, minori contra tutores, curatores, eorumque fideiuſſores, (a) ad id, ut damnum ratione geſtæ tutelæ illatum reſarciatur, & ut fructus uſuraque præſtentur. l. 9. & 10. ff. h. t.

(a) *l. non quaſi*, 4. §. *illud*, 2. & §. *ſi autem*, 7. ff. h. t. l. 6. ff. *eod.*

TH. 5. Fidejuſſoribus tutorum beneficium diviſionis non competit, ſed omnes in ſolidum tenentur. *l. ult.* ff. h. t. Hæc hodie nullam fermè habent utilitatem; quia tutores bonis ſuis, & non fidejuſſoribus cautionem præſtare ſolent.

TITVLVS VII.

Iudicatum ſolvi.

TH. I. STIPVLATIO iudicatum ſolvi eſt Prætoria, qua quis ſtipulatur, (a) ut ſibi ſatisdetur de ſolvendo, quod iudicatum fuerit.

(a) Quod fit ſi reus per procuratorem, vel tutorem & curatorem defendatur. l. 3. §. 2. ff. h. t. cum nemo alienæ rei, ſive in perſonali, ſive in reali actione idoneus defenſor ſine ſatisdatione cenſeatur, ne iudicia reddantur eluſoria, l. 10. ff. h. t. §. 4. *Inſtit. de ſatisdat.*

TH. 2. Stipulatio hæc tres clauſulas in unum collectas habet, [1] eſt de re iudicata, hoc eſt ſolutum iri, quantum iudex deberi pronunciaverit. l. 9. ff. h.t. quod intelligendum ratione cauſæ principalis; ſi enim quid rei iudicatæ acceſſerit per moram, aut contumaciam, ſive delictum, ad hoc fideiuſſores non obligantur. *l. ult. C. de fideiuſſ.* [2] eſt de re, h. e. cauſa rectè defendenda, unde ſi viri boni arbitratu non defendatur reus, tunc actor à reo, eiuſque fidejuſſoribus petit, quanti eius hoc nomine intereſt. l. 9. *&* 13. ff. h. t. [3] dolum malum abeſſe & abfuturum. l. 6. ff. h. t. l. 19. ff. *eod.*

TH. 3. Satiſdationem hanc præſtat, qui alieno nomine (pro reo) actionem ſuſcipit, & quidem in ipſo litis initio. *l. un. C. de ſatiſdat.*

TH. 4. Stipulatio iudicatum ſolvi ex una clauſula commiſſa in ſolidum commiſſa cenſetur, nec ex alijs clauſulis in eadem perſona, (a) amplius committi poteſt. l. 5. §. 2. ff. h. t. quia hæ ſtipulationes una verborum complexione continentur.

(a) Quod ſi diverſæ ſint perſonæ. e. g. ſi promittendi reus duos heredes reliquerit, quorum alter defendit, alter non, ille ob rem judicatam, hic ob rem non defenſam convenientur. l. *ult.* ff. h. t.

TH. 5. Poſt rem iudicatam ſtipulatio & dies ſtatim cedit, attamen dies non venit; hoc eſt, exactio differtur ad tempus, quod reo damnato indulgetur. l. 1. ff. h. t.

TITVLVS VIII.

Rem ratam haberi, & de ratihabitione.

TH. I. STIPVLATIO rem ratam haberi, (a) eſt Prætoria, qua quis ſtipulatur, ut datis fideiuſſoribus ſibi ab actoris procuratore (b) promittatur, (c) fore, actorem ut dominum ad quem res ſpectat, ratum habiturum quod eius nomine à procuratore actum. l. 10. *& ſeqq.* l. 22. *pr. &* §. 6. l. *ult.* §. 1. ff. h. t.

(a) Ratihabitio eſt eius, quod nomine meo ab alio geſtum, approbatio, l. *ult.* C. *ad SCt. Macedon.* l. 9. ff *de negot. geſt.*

(b) Hîc regulariter de rato cavet, ne fruſtrà cum eo iudicium ſuſcipiatur; contrà procurator ſiue defenſor rei de rato non cavet, quia is non agit, ſed excipit, & ab alio inſtitutam ſuſcipit actionem. l. 45. §. *ult.* ff. *de procurat.*

(c) Eiuſmodi ſtipulationes fieri ſolent, ſi de procuratoris mandato dubitetur. §. 3. *inſtit. de ſatiſdat.* l. 21. ff h. t. unde ab initio litis pręſtatur ſatisdatio, l. *Pomponius* 40. §. *ratihabitionis* 3. ff. *de procurat.* cum ad dilatoriam exceptionem referatur.

TH. 2. Huius ſtipulationis de rato effectus eſt, ut ſi ratum non habuerit (a) dominus, ea committatur, & agatur ex hac ſtipulatione contra promiſſorem, eiuſque fideiuſſores & ſucceſſores, l. 22. ff. h. t. in id quod intereſt ſtipulatoris, rem à domino vel alio, ad quem res pertinet, ratam fuiſſe habitam, ratione damni emergentis & lucri ceſſantis, l. 13. *&* 19. ff. h. t.

(a) Si neque expreſſe approbet quod geſtum, l. 12. §. 1. ff. h. t. neque tacitè, l. 5. ff. h. t.

TH. 3. Stipulatio hæc ideo fit ut tutiori loco ſit is, cum quo alieno nomine quid geritur, l. 12 *pr.* ff. h. t. ne impunè quis ſæpius pro arbitrio alium conuenire queat, l. 8. §. *fin.* ff. h. t.

LIBER QVADRAGESIMVS SEPTIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

De privatis delictis.

TH. I. POSTQVAM iudicia ciuilia & Prætoria ſecundum digeſtorum ſeriem perſpeximus; progrediendum eſt ad iudicia criminalia, quæ ſunt privata & publica; de illis hoc libro, de his autem ſequenti tractabitur.

TH. 2. Privata (a) delicta ſunt, in quibus iniuria privato illata à Magiſtratu vindicatur.

(a) Ita vocantur, quia lex non fecit illa publica, *arg.* l. 1. ff. *de publ. iudic.*

TH. 3. Delictum ſive crimen (a) eſt factum (b) in ſe illicitum, immediatè contra legum (c) prohibitionem ſpontè commiſſum, (d) quo ad præſtandum quid paciendumve quis ſe obligat. (e) l.4 ff. *de obligat. & act.*

(a) Hæ duæ voces latè ſumptæ ſunt ſynonima, l. 1. *&* 2. ff. *de legib.* l. 1. *&* l. 5. §. *ult.* ff. *de pœn.* ſtrictè verò differunt. l. 2. §. 18. C. *de veter. jur. enucl.*

(b) Denotans actum hominis externum, quod etiam conatum in ſe comprehendit, l. 5. ff. *ad L. Iul. Majeſt.* l. 1. *pr.* ff. *ad L. Cornel. de ſicc.* l. 21. §. 7. ff. *de furt.* l. *un.* C. *de rapt. virg. Conſtit. crimin. Carol.* 5 *art.* 178. Hinc excluditur nuda cogitatio, l. 18. ff. *de pœn.* quia in foro civili cogitationis pœnam nemo patitur.

(c) Leges nihil aliud ſunt, quam virtutes imperatæ, l. 1 §. 1. ff. *de juſt. & jur.* proinde tot modis contra leges agitur, quot modis contra virtutes peccatur. Omnes autem virtutes morales ſunt vel ad Deum, vel ad alterum hominem, vel ad ſeipſum relatæ.

(d) Atque ſic excluditur à delicto damnum caſu fortuito datum, l. 11. §. 2. ff. *de pœn.* l. 1. §. 5. ff. *ad L. Corn. de ſicc.* l. *ſi putator* 31. ff. *ad L. Aquil.*

niſi culpa caſum præceſſerit. l. 5. §. *fin.* ff. *de pœn.*

(e) Delinquens enim perinde ut in contractibus, voluntate & facto ſuo ſe obligare ad pœnam videtur, cum omne crimen ſit punibile; hinc quam optimè talis formatur conſequentia; qui directè vult delinquere, is per conſequentiam mereri vult & pœnam. l. 34. ff. *de jur. fiſc.* Obſerva. Ariſtoteles delicta vocat. συναλλάγματα ἀκούσια, hoc eſt negotia invita, ſive involuntaria, quæ ita appellantur non ratione agentis, hic enim ſponte patrat crimen, unde obligatur. Sed ratione patientis, quo invito illud committitur; & vel ignoranti clandeſtinè, vel ſcienti per vim infertur. 5. *Eth.* 7.

TH. 4. Qui velle non poteſt, hoc eſt, qui uſu rationis caret, delinquere propriè non dicitur; ob illud nec doli, nec culpæ argui poteſt. Hinc infans, furioſus (a) & mente captus delictum non committunt. l. 3. §. 1. ff. *de iniur.* l. 12. ff. *ad L. Cornel. de ſic.* §. 9. *Inſt. de inutil. ſtipulat.*

(a) Niſi diludica habeat intervalla, quibus ſapit, quo caſu delinquit. l. 14. ff. *de offic. Præſid.*

TH. 5. Prodigi, ſi delictum committant, ordinaria pœna ſunt afficiendi, quia perfectum intellectum habent, *arg.* l. *pen.* ff. *de incend. ruin. naufrag.* l. 23. §. 2. ff. *de AEdilit. edict.*

TH. 6. Minores ob delictum commiſſum ordinaria quoque pœna regulariter ſunt afficiendi, l. 7. C. *de pœn.* l. 57. §. 1. ff. *de minorib. Carpzov.* 3. *q.* 147.

TH. 7. Delinquit non modò is, qui ipſe delictum committit, verumetiam, qui alteri mandat, (a) vel ſcienter auxilium, (b) vel conſilium (c) præbet, vel permittit, cum prohibere poſſet & deberet, & non prohibuit, l. 9. §. 1. ff. *ad L. Cornel. de falſ.* l. 6. ff. *ad L. Iul. Maieſt.* l. *un.* C. *de rapt. virg.* l. 6. ff. *ad L. Pomp. de parricid.*

(a) Vt cum quis per alium exſequitur delictum, quod in effectum deducere cupit, quo caſu & mandans & mandatarius ordinariam pœnam ſuſtinere debent. l. 11. §. 3. ff. *de iniur.* l. 5. C. *de accuſat.* l. 15. C. *de ſic.*

(b) Quod ad ipſum crimen perpetrandum ſpectat. *Ordin. crim. art.* 177. l. 54. §. 4. ff. *de furt.* l. 14. C. *eod.*

(c) Si delictum ſubſequatur, aliàs enim eiuſmodi malignum conſilium haud nocet, l. *ſæpe* 55. §. 1. ff. *de verb. ſignif.* l. 11. §. *fin.* ff. *de iniur.* l. 4. §. 5. ff. *de vi bonor. raptor.*

TH. 8. Tam fœminæ, quam mares abſque diſcrimine delictum committere poſſunt. l. 2. l. 9. ff. *ad L. Aquil.* l. 7. §. 1. ff. *de iuriſdict.*

TH. 9. Delinquit quis vel in Deum, vel in alterum, vel ſemetipſum.

TH. 10. In Deum delinquit quis hereſi, blaſphemia, ſortilegio, perjurio, violatione templorum, turbatione ſacrorum, &c.

TH. 11. In alterum delinquit contra iuſtitiam particularem præprimis commutativam, nocendo bonis alterius, quæ ſunt triplicia, corporis, (a) fortunæ, (b) & animi (c) *Ariſtot. 7. Polit. 1. & 1. Eth. 8.*

(a) Quoad corporis bona nocetur homicidio & alia quavis corporis læſione.

(b) Bona fortunæ vel ad divitias ſpectant, vel ad famam & honorem. Ratione illarum iniuria infertur [1] rerum ſubtractione ut furto, [2] diminutione ſeu læſione, quod nobis communiter damnum dicitur, reſpectu huius iniuria propriè dicta infertur; huc refertur diffamatio, violatio, ſive ſtupratio virginum ſanguine iunctarum. *arg.* l. 1. §. 3. ff. *ad L. Iul. de adult.*

(c) Bonis animi infertur damnum, corruptione filijfam. vel alterius ut ſervi.

TH. 12. In ſeipſum quis delinquit ebrietate, delicto carnis, occiſione ſive læſione ſui ipſius.

TH. 13. Delictum varijs modis committi poteſt, [1] dicto, e.g. convitio & infida advocatione, l. 16. *pr.* ff. *de pœn.* prævaricatione, teſtimonio, *arg.* l. 1. ff. *ad L. Corn. de falſ.* [2] ſcripto, ut famoſo libello, l. 5. §. *pen.* ff. *de injur.* d. l. 16. & [3] facto, putà furto, cæde, corporis violatione, vel membri mutilatione, &c. d. l. 16.

TH. 14. Delictum committitur, vel [1] ob proprium commodum v. c. rapinam, furtum, l. 1. §. 3. ff. *de furt.* vel [2] ob iram, d. l. 16. §. 2. vel [3] libidinem explendam. l. 39. ff. *de furt.*

TH. 15. Iudicia ex privatis delictis ſunt vel ordinaria, vel extraordinaria: quæ diviſio obtinet [1] ratione pœnæ. Ordinaria iudicia ſunt, in quibus certa pœna præſtituta eſt, certaque & civilis petendi & iudicandi forma ſervatur, l. *ult.* ff. h. t. qualia ſunt furti, injuriæ, rapinæ, damni iniuria dati. Extraordinaria ſunt, in quibus nulla certa pœna præſtituta eſt, & in quibus ad certam pœnam ſolenni modo, certaque petitione non agitur, ſed petitur pro arbitrio iudicis, proque qualitate commiſſi pœna imponi poteſt; circumſtantiæ enim ſæpe aggravant delictum, ut pœna graviori, quam ordinaria ſit, videatur puniendum. e. g. ſepulchri violati, concuſſionis, abigiatus, prævaricationis receptatorum, furum balneariorum, effractorum & expilatorum, ſtellionatus, & termini moti. [2] ratione intentionis ſive accuſationis, *arg.* l. *ult.* ff. *de injur.* l. *fin.* ff. *de furt.* l. *ult.* ff. h. t. unde ordinarium iudicium dicitur, in quo civiliter agitur, extraordinarium verò, ubi criminaliter, ad pœnam corporis afflictivam, aut mulctam fiſco inferendam.

rendam. §. *in ſumma* 10. *Inſtit. de injur.* l. *ult.* ff. h. t.

TH. 16. Quæritur, utrum actiones ex maleficio, ſive delicto in heredes tranſeant? Reſp. diſting. vel activè, vel paſſivè hoc intelligitur. Si activè intelligatur, in heredes tranſeunt; exceptâ iniuriarum actione, & cæteris vindictam ſapientibus, §. 1. *Inſtit. de perpet. & tempor. action.* idem ſtatuitur de actionibus ex delicto privato criminaliter inſtitutis. Sin paſſivè intelligatur, iterum diſtinguendum eſt, an actiones tales ſint merè pœnales, vel rei perſecutoriæ, vel mixtæ. Illæ videlicet merè pœnales in heredes Rei non tranſeunt, hoc eſt adverſus eos non dantur, l. 1. *pr.* ff. h. t. d. §. 1. l. 111. ff. *de R. I.* ubi obſervandum. Si fuerint pecuniariæ non dantur in heredem, niſi lis cum defuncto fuerit conteſtata, l. *ult. C. ſi reus vel accuſ. mort. fuer.* ut actio furti, ſive dupli, ſive quadrupli, l. 7. §. 1. ff. *de condict. furtiv.* l. 54. §. 3. ff. *de furt.* Si verò fuerint pœnæ corporales, in heredes non dantur, quamvis lis cum defuncto fuerit conteſtata, çum crimen morte in perſona delinquentis extinguatur, l. 6. ff. *de publ iudic.* quod actionem rei perſecutoriæ, qua ſimplum eius, quod nobis ex delicto abeſt, perſequimur, attinet, in heredes non datur, niſi quatenus ad heredes pervenit, vel lis cum defuncto ſit conteſtata, l. *un.* C. *ex delict. defunct. in quant. hered. conveni.* l. 4. §. *ult.* l. 5. & 6. ff. *de alien. iudic. mut. cauſ. fact.* l. *ſi plures* 17. §. 1. ff. *de dol. mal.* Tandem de mixta actione ex delicto competente affirmatur quoque, eandem contra heredes non dari, excipe, niſi defunctus litem conteſtatus ſit; vel quatenus ad heredes pervenit, l. 23. §. 8. ff. *ad L. Aquil.* l. 111. §. 1. ff. *de R. I.* l. 7. §. 6. l. 8. ff. *de arbor. furt. cæſ.* l. 13. ff. *de ſerv. corrupt.* §. 20. *Inſt. de action.*

TH. 17. Actio ex delicto non competit (1) contra delinquentis patrem, l. 58. ff. de *R. I.* (2) nec contra filium, *t. t. C. ne fil. pro patr.* nec (3) aduerſus vxorem, *t. t. C. ne uxor pro marit. vel marit. pro uxor.* nec (4) aduerſus maritum. l. 3. *C. d. t.*

TH. 18. Delicta plura (a) concurrentia nunquam faciunt, ut illius impunitas concedatur, quin potius unum prægravet alterum. Qui igitur hominem ſurripuit & occidit, quia ſurripuit furti, quia occidit aquilia tenetur, neque altera harum actionum alteram conſumit. l. 2. ff. *h. t.*

(a) Quæ diuerſimodè conſiderantur, vel (1) ab uno ſunt perpetrata, l. 5. 6. ff. *de furt.* perinde eſt an ſint eiuſdem generis, l. 48. ff. *ad L. Aquil.* an diverſi, l. 32. § 1. ff. *eod* vel (2) à pluribus perſonis commiſſa ſunt, quarum ſingulæ in ſolidum obligantur, nec una ſolutione reliqui liberantur, l.

7. & 8. ff. *de juriſdict.* l. 34. ff. *de iniur.* l. 11. §. 2. ff. *ad L. Aquil.* l. 15. §. 2. ff. *quod vi aut clam.*

TH. 19. Quoties de re familiari, ſeu eo, quod nobis abeſt, ciuilis & criminalis actio competit, toties altera alteram non conſumit, ſed utraque experiri poſſumus, l. *un. C. quand. civil. act. crim. non præiud.*

TH. 20. Quod ſi ciuilis & criminalis actio ad meram vindictam tendat, altera alteram conſumit, idcirco alterâ intentatâ, perit altera, l. 5. 6. §. 1. ff. *de furt. arg.* l. 2. §. 1. *de vi bonor. rapt.*

TH. 21. Si ex eadem cauſa actio criminalis & ciuilis cumuletur, quo caſu non utraque æquè principaliter inſtitui poteſt, ſed una principaliter, altera incidenter, *arg.* l. *pen.* C. *de ord. iudic.* ſic actio iniuriarum cum L. Aquilia cumulari. Et propter fractam pacem ſimul agi poteſt; ad pœnam banni & damni reſtitutionem, *Gail. 1. obſ.* 63. *Mynſing. 1. obſ.* 25. Item cui res ſurrepta, rectè accuſat furem criminaliter ex conſtitutione Carolina, & ſimul (incidenter) implorat officium iudicis, ut & res ablatæ ſibi reſtituantur, l. 56. §. 1. ff. *de furt.* vel contra, ubi principaliter agere licet ad reſtitutionem rei clam, vel vi ereptæ, & ſimul incidenter pœnam iudicis arbitrio infligendam committere. Aſt ſi quis æquè principaliter cumulare velit accuſationem & actionem furti pœnalem, non poteſt, cum utraque ad vindictam tendant, proinde una alteram conſumit.

TH. 22. Delicta privata eſſe quatuor, jam ex ſuperioribus patet. Committuntur namque hæc ſequentibus modis, [1] rem alteri clam animo lucrandi auferendi, quod vocatur furtum, vel [2] per vim apertam, & dicitur rapina, vel [3] in perſonæ contemptum, quod eſt injurioſum factum, & vocatur injuria, vel [4] quod non directo in alicuius contemptum, vel nullius lucri cauſa, ſed libidinis exercendæ, aut vindictæ gratia damnum iniuria datum, quod vindicatur L. Aquilia. De tribus præcedentibus delictis privatis in ſequentibus tractabitur, de ultimo autem ſupra inter actiones reales eſt actum, propter vicinitatem, quam cum ijs habet.

TITVLVS II.

De furtis.

Iung. tit. 2. libr. 6. C.

TH. 1. INTER privata delicta frequentiſſimum eſt furtum, cui coërcendo, vel è medio tollendo, ut eo placabilius & quietius in Repub. homines vivant, nullæ hodiè cruces, nulla tormenta ſufficiunt, tanta eſt in pleriſque aliena habendi, rapiendique libido.

TH. 2. Furtum eſt contrectatio (a) frauduloſa lucri faciendi cauſa, vel ipſius rei, (b) vel etiam uſus eius, poſſeſſioniſve, l. 1. §. 3. ff. h. t. §. 1. *Inſtit. de obligat. quæ ex delict. naſc.*

(a) Quæ fit duplici modo, immediatè & mediatè. Immediatè fit ab ipſo fure, rem animo intervertendi contrectante. Mediatè, ubi quis furem conſilio & auxilio adjuvat, l. 53. §. 1. ff. *de verb. ſignif.* Hic tamen mitius punitur ipſo fure; niſi in ipſo furandi actu auxilium fuerit præſtitum, quo caſu auxiliator cum principali eadem pœna afficitur.

(b) Mobilis, immobilia enim auferri, aut contrectari ad defraudandum dominum nequeunt, l. 25. ff. h. t. nec incorporalium rerum furtum fit, quia nec tangi, nec contrectari poſſunt. l. 43. §. 1. ff. *de acquir. rer. domin.*

TH. 3. Ad furtum committendum quatuor requiſita ſunt neceſſaria, (1) ut res, quæ contrectatur ſit aliena, vel alius in ea ius habeat, e. g. ſi ſit oppignorata, l. 19. §. *ult.* ff. h. t. (2) ut contrectans ſciat, rem eſſe alienam; nam ſi putet ſuam, abeſt furandi affectus, §. 7. *Inſt. de oblig. quæ ex delict.* (3) ut contrectatio fiat invito domino, quoniam eo conſentiente & volente non committitur furtum, l. 46. §. 8. ff. h. t. l. 48. §. 2. ff. *eod.* (4) ut contrectans intelligat, ſe invito domino id facere: ſi enim putet ſe voluntate domini rem attingere ſive contrectare, furtum non committit. Ita nec infans, nec furioſus, aut mente captus ob intellectus defectum furtum faciunt.

TH. 4. Quæritur, utrum furtum ſit contra ius naturæ? Reſp. affirm. eſt namque contra regulas naturâ nobis notas, quod tibi non vis fieri, alteri ne facias, neminem debere cum alterius damno locupletari, (2) quamvis res initio fuerint communes, attamen nec tunc tem-

poris licebat rem ei, qui eam ex uſu poſſidebat, invito, & per fraudem auferre. Nec obſtat, Ægyptijs & Lacedæmonijs furta fuiſſe impunita, quibus exercitio & diſciplinæ fuere; quia inordinata & ſegniora aliquarum gentium facta non poſſunt quicquam ex divina omnium conſenſione pervertere; aliàs à parentum concubitu abſtinere turpe non eſſet, quia Perſis cum illis rem habere, non videtur turpe.

TH. 5. Furtorum duo ſunt genera, ut furtum manifeſtum, & nec manifeſtum. l. 2. ff. h. t.

TH. 6. Furtum manifeſtum eſt, quod manifeſtatur, cum quis in loco furti vel extra eum una cum re furtiva, antequam ad deſtinatum locum perveniat, viſus & deprehenſus fuerit, l. 3. *& ſeqq.* ff. h. t. §. 3. *Inſt. de obligat. quæ ex delict.* iure noviſſimo Carolino furem quoque manifeſtum reddit acclamatio, ſi apprehendi non poſſit. *Ordin. crim. art.* 158. quem enim manibus apprehendere non licet, eum apprehendamus viſu & voce.

TH. 7. Furtum nec manifeſtum eſt; cum fur non deprehenditur in actu furandi, vel in loco, ubi furtum commiſſum, aut extra eum locum, dum rem transfert in locum, quo ſe recipere deſtinavit. l. 8. ff. h. t. d. §. 3. *Inſt.*

TH. 8. Quæritur, an rem inventam detinens teneatur actione furti? Reſp. diſting. inter res, (1) quæ paulò ante certum dominum habuerunt & revera etiamnum habent, vel (2) quæ multo tempore amiſſæ, vel derelictæ, ut theſauri, & (3) quæ nullum certum dominum habuerunt, ut gemmæ & lapilli in littore maris inventi. Priori caſu, ſi res probabiliter ſit alicuius, & inventor non inquirat de domino per ſcedulam, publicè affixam, cum non ſaltem furtum committatur injuſta acceptione, ſed & detentione, quam hic iniuſtam facit affectata ignorantia, l. 43. §. 4. h. t. quod ſi ſufficienter inquiſierit inventor, nec compareat dominus, furtum committere non videtur, rem inventam detinendo, præprimis ſi ſit pauper; ut ſi marſupium, vel res alia reperta in itinere, vel merces ad littus maris jactæ, &c. de iſtis & his negatur actionem furti competere, ſed ſtatim occupanti cedere, §. 39. *Inſt. de R. D.* §. 18. *Inſt. eod.*

TH. 9. Furtum aliud eſt nocturnum, aliud diurnum. l. 4. ff. *ad L. Aquil.*

TH. 10. Receptator rei furtivæ furtum committere intelligitur, l. 14. C. h. t. item nuncius, qui pecuniam ſibi creditam conſumpſit. l. *ſi quis* 52. §. *Iulianus* l. 6. ff. h. t.

TH. 11. Ex commiſſo furto deſcendunt actiones civiles & criminales; unde rei furto ablatæ domino quatuor in furum odium ſubminiſtrantur actiones,[1] actio ad exhibendum, l.1.*pr.* ff. *de privat.delict.* l. 8. *&* 12. C. h. t. [2] rei vindicatio adverſus poſſeſſorem, ſive ipſe fur poſſideat, ſive quivis alius, §. *ult. Inſt. de oblig. quæ ex delict. naſc.* quia per furtum verus dominus rei dominium non amittit, [3] condictio furtiva contra furem ipſum, eiuſque heredem, ut ablatum reſtituatur, etiamſi non poſſideant, d. §. *ult. Inſt.* (4) actio furti, quæ eſt merè pœnalis, §. 18. *Inſt. de action.* & infamat, priores verò tres ſunt rei perſecutoriæ.

TH. 12. Actio furti competit ei, cui furto quid ablatum, vel cuius intereſt, non auferri (a) adverſus furem; & ſi furtum ſit manifeſtum, in pœnam quadrupli, ſin verò nec manifeſtum in pœnam dupli. (b)

(a) Sic datur actio furti creditori ex ſurrepto pignore, commodatario ex re commodata fulloni, qui veſtem polliendam accepit, l. 10. *& ſeqq.* ff. h. t. §. 13. *Inſt. de oblig. quæ ex delict. naſc.*

(b) In hac furti actione non quadruplabitur, vel duplabitur id, quod intereſt, ſed verum rei pretium. l. 50. *pr.* ff. h. t. nec in hoc quadruplo, aut duplo continetur ſimplum, hoc eſt rei perſecutio. *pr. Inſt. de vi bonor. raptor.* Nota. Si plures ſint delinquentes, omnes ratione pœnæ ſuſtinendæ in ſolidum obligantur; quot enim ſunt delinquentium perſonæ, tot cenſentur delicta, quæ à ſingulis luenda, nec unius ſolutio alterum, vel reliquos liberat. l. 1. C. *de condict. furtiv.* Ratione verò vindicationis & condictionis ſi unus ſolvat, cæteri his actionibus amplius conveniri nequeunt.

TH. 13. Quæritur, an hodie ſecundùm ius noviſſimum quis actionem furti ad pœnam dupli, aut quadrupli inſtituere poſſit, una cum criminali actione? Reſp. negando, quoniam ratio non fert, ut fur bis puniatur, quod in tali caſu accideret. *l. fin.* ff. h. t. electio tamen actori competit, utrum civiliter, an criminaliter agere velit.

TH. 14. Quæritur, utrum actio furti competat domino contra ſervum, vel patri contra filium? Reſp. negando, quia pro una, eademque perſona habentur. l. 4. ff. *de iudic.* l. 26. *&* l. 17. ff. h. t. Aſt ſi filiusfam. habeat peculium caſtrenſe, actione utili adverſus eum agere poteſt. l. 52. §. 5. ff. h. t.

TH. 15. Quæritur, an actio furti inter maritum & uxorem inſtitui poſſit? Reſp. neg. quod fit ob honorem matrimonij, turpem actionem non admittentis. l. 52. §. 1. *&* 2. ff. h. t. conceditur tamen actio rerum amotarum, ne rebus ſuis furto ſublatis carere cogantur. *l. 2. ff. de action.*

rer. amotar. vide Dn. Carpzov. p. 2. conſt. 38. defin. 3. Prax. crim. p. 2. quæſt. 82.

TH. 16. Poſtquam Imperator Carolus V. vidit, furti pœnam (cuius mentionem fecimus ſuprà, Theſi 12.) creſcente hoc in dies delicto, ob hominum abominandam malitiam, pœnam criminalem enormioribus furibus conſtituit; imò ipſe Deus in Politia Moſaïca oſtendit, pœnas furti, pro circumſtantijs rerum ablatarum mitigari, vel exaſperari, ut alij quadruplum, alij quintuplum reddant; nonnulli venundentur, quidam morte afficiantur. *Carpz. prax. crim. p. 2. qu.* 77. Proinde hodie diſtingui ſolet, [1] inter furtum ſimplex & violentum, illud eſt, quod cum vi non eſt conjunctum. Hoc eſt, quod cum vi eſt conjunctum, & per ſe eſt capitale, *art. 159. Exod. 22. verſ. 2.* [2] ſi furtum ſit ſimplex, diſtinguitur iterum inter quantitatem rei ablatæ, an videlicet ratione eius furtum ſit parvum, vel magnum, [3] an modo dictum ſimplex furtum ſit primum, vel reïteratum, h. e. prima, ſecunda, vel tertia vice commiſſum.

TH. 17. Si fur manifeſtus furtum ſimplex primum parvumque fecit, quod nimirum quinque ſolidos Hungaricos non excedit, tunc fur cogitur rem furto ablatam reſtituere, & pœnam fuſtigationis & relegationis perpetuæ ſuſtinere, putà ſi fur ſit vilioris conditionis; nam ſi honeſto loco ſit natus & ſpes emendationis adſit, & ſolvendo fuerit, pœnam ſequentem ſuſtinet, ſcilicet, ut cum conſenſu Magiſtratus civiliter, ut fur manifeſtus mulctetur, h. e. ut quadruplum reſtituat, aut ſi ſolvendo non ſit, puniatur ut fur non manifeſtus, reſtitutione dupli, vel ſimpli cum carceris pœna. *Ordin. crimin. art.* 138. *&* 157.

TH. 18. Si fur non manifeſtus primum ſimplex parvumque furtum fecit, duplum reſtituere cogitur, ſolvendo exiſtens, ſin minus, carceris pœnam cum ſimpli reſtitutione ſubire tenetur. *d. art.* 157.

TH. 19. Furtum ſimplex primum magnum, quod valorem quinque ſolidorum Hungaricorum excedit, pœnam habet arbitrariam. Vnde furtum primum magnum per ſe non eſt capitale, ut fur laqueo ſit ſuſpendendus. *art. 160. d. ordin. crimin.*

TH. 20. Furtum ſimplex ſecundum, ſed parvum, ſive manifeſtum, ſive non manifeſtum, fuſtigatione & relegatione in perpetuum punitur. *art.* 161.

TH. 21. Furtum ſimplex ſecundum magnum pœnam habet arbitrariam, h. e. arbitrio iudicis definitur pœna.

TH. 22. Furtum ſimplex tertium, (a) regulariter pœnam ſuſpendij complectitur, ratio eſt, quia is fur cenſetur inemendabilis, quem pœna

bis inflicta non correxit, & ad meliorem frugem reduxit.

(a) Tria furta intelliguntur diverſis planè temporibus in diverſis rebus commiſſa. Hinc liquet, tria furta non eſſe perpetrata, ſi fur in auferendis ſingulis ex aliquo conclavi ſæpius iverit, & redierit. *art.* 159. *& ſeqq.*

TH. 23. Accuratè attendendum eſt, quod in pœnarum inflictione proportio ſit obſervanda, non quidem inter rem & pœnam; verùm inter pœnam & delictum. Sic in pœna ſacrilegij & incendij non eſt proportio ratione rei, cum utrumque delictum tantum bona aufert, ſed tamen æqualitas, ſive proportio datur inter pœnam & delicti qualitatem, videlicet an Rempubl. ac ſalutem communem lædat, ad cujus conſervationem omnes leges ſunt referendæ. Salus n. populi ſuprema lex eſto, quapropter pœna utriuſque delicti eſt ignicremium. *ordin. crim. art.* 172. *&* 125.

TH. 24. Quæritur, an hereditatis iacentis furtum propriè committatur? Reſp. negando, per l. 68. ff. h. t. actioni tamen expilatæ hereditatis eſt locus. l. 1. §. 2. ff. *expilat. heredit.* Excipe, niſi res hereditarias defunctus alij commodaverit, pignori dederit, aut ſit res, in qua uſusfructus eſt alienus.

(a) Illa à nemine propriè poſſidetur; unde nullius in bonis cenſentur, priuſquam aliquis exiſtat heres. l. 1. *pr. ff. de rer. diviſ.*

TH. 25. Quæritur, an impubes pubertati proximus, pœna ſuſpendij affici queat? Reſp. negando; ob iudicij defectum; arbitrio tamen iudicis, fuſtigatione, relegatione, vel incarceratione gravari poteſt. *ordin. crimin. art.* 164. In fuſtigationis locum ſurrogari ſolet caſtigatio, quæ fit à miniſtris publicis, non autem à carnifice, ut eorum famæ parcatur. Quod minores concernit, ordinaria pœna ſunt mulctandi.

TH. 26. Cauſa efficiens furti eſt frauduloſa voluntas. Cauſa impulſiva eſt opportunitas temporis, loci, rerum, ſpes lucri & occultationis.

TH. 27. Materia circa quam furtum verſatur, ſunt omnes res mobiles & regulariter alienæ. l. 59. ff. h. t.

TH. 28. Formam ex furti definitione diſces, quod nimirum ſit frauduloſa rei contrectatio, ſine qua non ſubſiſtit. l. 1. §. 2. ff. h. t. l. 67. *pr.* ff. *eod.*

TH. 29. Finis furti eſt lucrum, adeo ut abſque intentione lucri percipiendi furtum non fiat.

TITVLVS III.

De tigno iuncto.

TH. I. CONSIDERATO in genere furto perveniendum eſt ad actiones quaſdam ſpeciales, furto annumerandas, qualis eſt actio de tigno (a) juncto, quæ eſt actio in perſonam, debitum ex delicto tigni alienis ædibus, vel vineæ iuncti perſequens.

(a) Nomine tigni venit omnis materia, ex qua ædificium conſtat. §. 29. *Inſt. de rer. diviſ.* vel vineæ eſt neceſſaria, ut lapis, tegula, calx, ferrum. l. 1. §. 1. ff. h. t. l. 62. ff. *de verb. ſignific.*

TH. 2. Tignum iunctum vindicari nequit, (a) neque ad exhibendum agi. Si tamen ſeparetur, actio ad exhibendum intentari poteſt.

(a) Ne ædificia diruantur, & aſpectus civitatis deformetur, vel vinearum cultus deſeratur. l. 1. ff. h. t. ob id eiuſmodi tignum habetur pro extincto; vindicatio verò eſt rei ſaltem extantis.

TH. 3. Actio de tigno iuncto eſt civilis. l. 12. Tabb. introducta. d. l. 1. *pr.* l. 23. §. 6. ff. *de rei vindic.* l. 7. ff. *ad exhib.*

TH. 4. Actio hæc datur tigni domino, eiuſque heredibus. d. l. 1. ff. h. t. adverſus illum, qui tignum alienum iunxiſſe, ſive incluſiſſe convictus eſt. l. 1. *pr. in fin. &* §. 2. ff. h. t. ad id, ut duplum præſtetur. d. l. 1. ff. h. t. *l. in rem,* 23. §. *tignum,* 6. ff. *de rei vind.* § 29. *Inſt. de rer. diviſ.*

TH. 5. Tignum ædibus alienis iungitur, vel domino eius ſciente, vel ignorante. Priori caſu ædificator in ſimplum tenetur. l. 63. ff. *de donat. inter vir. & uxor.* Poſteriori caſu iterum diſtinguitur inter ædificantem bonæ fidei poſſeſſorem, & malæ fidei poſſeſſorem. Ille ſcilicet b. fidei poſſeſſor, quamvis actione furti non teneatur, meritò tamen eius negligentia eſt punienda, quod alienum iunxerit, nec ſatis diligens fuerit in inveſtigando rei qualitatem, ob id actione de tigno iuncto conveniri poteſt, & duplum præſtare cogitur. l. 23. §. 6. ff. *de R. V.* l. 43. *&* 44. ff. *de action. empt.* Hic nimirum malæ fidei poſſeſſor, ſequentibus actionibus conveniri poteſt, [1] actione de tigno iuncto, & [2] actione furti, cum ſciens tignum alienum ædibus iungendo furtum commit-

committat. [3] actione ad exhibendum, & [4] rei vindicatio, non ea intentione, ut tignum ſolvatur, quod eſt contra legis prohibitionem, ſed ad æſtimationem, quatenus videlicet iungens habetur pro eo, qui dolo malo poſſidere deſijt. l. 36. ff. *de rei vindic.* diruto autem ædificio contra m. fidei poſſeſſorem actio ad exhibendum, & rei vindicatio inſtitui iure poſſunt.

TH. 6. Actio hæc de tigno iuncto introducta eſt in locum rei vindicationis. d. l. 23. §. 6. ff. *de rei vindic.* ne tigni dominus ob actionum defectum re ſua invitus contra æquitatem privetur.

TH. 7. Huic actioni hodie non eſt locus, ſed datur domino actio ad conſequendum tigni pretium, & id, quod intereſt.

TITVLVS IV.

Si quis teſtamento liber eſſe iuſſus fuerit, poſt mortem domini ante aditam hereditatem quid ſurripuiſſe, aut corrupiſſe dicitur.

TH. I. ACTIO ſi is qui teſtamento liber, &c. eſt actio in perſonam. l. 1. §. 1. ff. h. t. perſequens debitum ex delicto (a) eius, qui teſtamento liber iuſſus poſt mortem domini, (b) ante aditam hereditatem quid ſurripuit.

(a) Cum ex dolo ſervi deſcendat.

(b) Contrà, vivo domino ceſſat hæc actio ob poteſtatem.

TH. 2. Actio hæc eſt Prætoria, qua Prætor edicto ſuo coërcet protervitatem & calliditatem eorum, qui propter defectum (a) civilis actionis hereditates depopulantur.

(a) Hi enim non ut liberi damnari poſſunt, niſi poſtea eam rem quoque contrectaverint. l. 17 ff. *de furt.* neque ut ſervi ob ſpem libertatis proximam. l 1. §. 1. & §. 15. ff. h. t. Porrò rerum hereditariarum furtum non fit, unde nec actio furti heredi datur. l. 33. ff. *de acq. rer. dom.* quoniam nemo eas adhuc poſſidet, quod autem non poſſidetur, eius furtum fieri nequit.

TH. 3. Vt autem ſervorum dolo & calliditati occurratur, Prætor dat hæredi actionem utilem. l. 1. §. 18. ff. h. t. contra ſervum, qui ex teſtamento libertatem accipere iuſſus eſt, & ante aditionem heredita-

tis ex ea quid ſurripuit. l. 1. §. 10. *& ſeqq.* ff. h. t.

TH. 4. Actio hæc eſt annalis, & d. l. 1. *pr.* datur in duplum eius, quod intereſt. l. 1. §. 16. ff. h. t.

TH. 5. Si plures ex hereditate quid ſurripuere, ſinguli in ſolidum conveniuntur in duplum, quod ſinguli deliquerint, nec unius pœna reliquos impunes reddit. l. 1. *in fin.* ff. h. t.

TH. 6. Huius tituli nulla planè hodie eſt utilitas, quia ſervos propriè dictos non habemus.

TITVLVS V.

Furti adverſus nautas, caupones, ſtabularios ſcilicet quomodo agatur.

TH. 1. ACTIO furti adverſus nautas, caupones, &c. eſt actio in perſonam, debitum ex furto in navi, caupona, aut ſtabulo facto perſequens. *l. un. pr.* ff. h. t. ut ſi à quopiam eorum, illi ibi habent, furtum factum eſſe dicatur. d. l. 1. §. 2. ff. h. t.

TH. 2. Actio hæc eſt Prætoria ei competens, cui res eſt ſurrepta. *l. un.* §. 3. ff. h. t. & datur adverſus nautas, caupones, & ſtabularios, ad id, ut duplum præſtent, *d. l. un.* §. 2. ff. h. t.

TH. 3. Liberum eſt ei, cui res furto ablata eſt, utrum cum exercitore, hanc actionem inſtituere malit iure honorario, an cum fure iure civili. d. l. *un.* §. 3. ff. h. t.

TH. 4. Si dominus ſervi nomine conveniatur, exercitor eum noxæ dedendo liberatur. d. l. *un.* §. 5. ff. h. t.

TH. 5. Actio hæc ſeparata eſt ab actione de recepto, quia hæc actio hic ſpecialiter deſcendit ex quaſi delicto exercitoris, in cuius navi, caupona, vel ſtabulo furtum ab ijs eſt commiſſum, quorum opera utitur. l. 1. §. 3. ff. h. t. Ergo vectorum culpam non præſtat, ut nec caupo viatorum; cum repellere non poſſit ingredientes, vel iter facientes, & probabiliter eorum ingenia, atque mores ignorat.

TITULUS VI.

Si familia furtum feciſſe dicatur.

TH. I. ACTIO ſi familiæ furtum feciſſe, &c. eſt actio in perſonam debitum ex furto familia (a) perſequens. l. 1. *pr.* & §. 1. ff. h. t.

(a) Per eam intelligimus plures ſervos unius domini. d. l. 1. *pr.* & §. *fin.* ff. h. t.

TH. 2. Actionem hanc Prætor æquitate motus in dominorum favorem edicto ſuo propoſuit contra ſervorum maleficia, ne, cum plures furtum admittunt, evertant domini patrimonium, ſi omnes dedere, aut pro ſingulis æſtimationem litis offerre cogatur. l. 1. *pr.* ff. h. t. aliàs enim ſi delinquentes, vel injuriam inferentes ſunt homines liberi, hæc obſervatur regula, ut tot naſcantur obligationes, indéque deſcendentes actiones, quot ſunt perſonæ delinquentes, quarum ſingulæ obligantur in ſolidum. l. 9. ff. *de iuriſdict.* d. l. 34.

TH. 3. Actio ea eſt Prætoria. l. 1. *pr.* ff. h. t. ei, cui plures eiuſdem familiæ furtum fecêre, competens, datur & eius heredibus. l. 4. ff. hoc tit.

TH. 4. Competit adverſus dominum familiæ eius, quæ furtum fecit. l. 1. §. 1. ff. h. t. ad id, ut dominus aut dedat ſervos omnes noxæ, aut ſi maluerit, æſtimationem pro omnibus offerat, quod eſt tantum, quantum ſi unus liber furtum feciſſet. Hæc electio tunc demum domino conceditur, ſi eo ignorante furtum à ſervis ſuis commiſſum; contra eo ſciente ceſſat. Ideo tali in caſu ſingulorum nomine convenitur, nec una æſtimatione delinquentes liberat. d. l. 1. §. 1. ff. hoc tit.

TITVLVS VII.

Arborum furtim cæſarum, (ſcilicet nomine quomodo agatur.)

TH. I. **A**CTIO arborum furtim cæſarum eſt actio in perſonam, debitum ex ſucciſione arborum (a) perſequens. l. 2. ff. h. t.

(a) Nomine arboris comprehenduntur etiam vites, hederæ, arundines. l. 2. ff. h. t.

TH. 2. Arbores furtim cædi videntur, quæ ignorante domino celandi eius cauſa cæduntur. *l. furtim,* 7. *&* 8. §. 1. ff. h. t. unde colligi poteſt actionem furti ab hac actione eſſe diverſam, quia arbores furtim cædi poſſunt abſque intentione lucri faciendi. d. l. 7. *pr. &* §. 1. ff. h. t. quod ſi eas quis cæciderit, ut lucrum inde capiat, furti reus eſt. l. 8. §. 2. ff. h. t.

TH. 3. Actio hæc eſt civilis. l. 1. ff. h. t. competens domino, ſive directo, ſive utili, (a) cuius arbores furtim ſunt cæſæ. (b) l. 8. *pr.* l. 5. §. *ult.* ff. h. t.

(a) Non autem colono, aut uſufructuario. l. 5. §. 2. ff. h. t.

(b) Quo refertur etiam cingere arbores, quod eſt deglabrare amputatis ramis, aut abſtracto cortice glabras facere.

TH. 4. Datur contra eum, qui arborem furtim cædit, ſive ipſe fecit, ſive per alium, cui mandavit. l. 7. §. 4. ff. h. t. l. 9. ff. *eod.* quod ſi plures cæciderint, ſinguli in ſolidum obligantur. l. 6. *pr.* ff. h. t.

TH. 5. Actio hæc non datur contra heredem, quia eſt pœnalis. l. 7. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 6. Datur in duplum, cui ineſt æſtimatio arboris cæſæ. l. 8. ff. h. t.

TH. 7. Si quis hodie arborem furtim, ſive clàm cædat, non tantum ad damni reſtitutionem tenetur, ſed & pœna arbitraria in eum conſtituitur. *ordin. crimin. art.* 168.

TITVLVS VIII.

Vi bonorum raptorum & de turba.

TH. I. TRACTATVM de furto in genere & ſpecie conſideratum excipit rapina, (a) quæ eſt delictum privatum, quo quis vi, doloque malo rem alienam mobilem (b) lucrifaciendi gratia aufert. §. 1. *Inſt.* h. t.

(a) Hæc latè ſumpta contingit vel (1) circa perſonas, & talis rapina propriè dicitur raptus, §. 8. *Inſt. de publ. iudic.* vel (2) circa res, eaſque vel Eccleſiaſticas, & vocatur ſacrilegium, §. 9. *Inſt. eod.* vel (3) circa alias res, de quibus h. t. agitur.

(b) Quod ſi quis rem immobilem invadat, vique legitimo poſſeſſori extorqueat, hæc actio non competit, ſed interdictum de vi, &c.

TH. 2. Rapina non multum à furto differt, niſi quod illud palam & vi, hoc verò clam committatur, ideo etiam atrocius cenſetur delictum & furto gravius.

TH. 3. Ex rapina oritur actio vi bonorum raptorum. l. *Prætor 2.* §. *hæc actio* 17. ff. h. t.

TH. 4. Actio hæc non datur ſaltem domino rei per vim ablatæ, eiuſque heredibus, verumetiam ei, cuius intereſt, (a) rem non eſſe raptam.

(a) Vt bonæ fidei poſſeſſori, fructuario, commodatario, conductori, creditori actio hæc competit ob rem commodatam, locatam, pignori datam, d. l. 2. §. 22. *& ſeqq.* ff. h. t. §. *ult. Inſtit. eod.*

TH. 5. Datur contra eum, qui rem mobilem vi, doloque (a) ſurripuit, vel rapi curavit. d. l. 2. §. 8. h. t.

(a) Cum vis ſit de genere illicitorum, quæ ſemper præſumuntur dolo malo fieri. l. 5. C. *de injur.* l. 1. C. *ad L. Iul. de ſicc.*

TH. 6. Datur intra annum utilem in quadruplum, (a) poſt annum autem in ſimplum.

(a) In quo triplum ſaltem eſt pœna, unde & rei perſecutio in hoc quadruplo complectitur, §. 19. *Inſt. de action.* l. 52. §. *ult.* ff. *de furt.* hinc conſtat rapinam mitius puniri furto manifeſto, cuius pœna eſt quadruplum, §. *ult.*

Inſtit. de perpet. & tempor. action. Si quis hodie in vijs publicis vel itinere quid rapit, pœna eſt capitalis. *ordin. crimin. art.* 126.

TH. 7. Raptor non modo actione hoc de vi bonorum raptorum conveniri poteſt, ſed & alijs actionibus civilibus (a) & criminalibus. *t. t. ff. & C. ad L. Iul. de vi privat. & ad L. Iul. de vi publ. l. un. C. de raptoribus virgin.*

(a) Quales ſunt lex Aquilia, condictio furtiva, rei vindicatio, aliæque condictiones. l. *Prætor* 2. §. *rerum* 26. ff. h. t.

TH. 8. Explicatâ primâ rubricæ parte, putà de vi bonorum raptorum, alteram, quæ eſt de turba (a) breviter videamus.

(a) Per eam intelligimus damnum in turba datum, quod 10. vel 15. hominibus coactis factum. l. 4. §. 3. ff. h. t.

TH. 9. Actio hæc eſt Prætoria, l. 4. *pr.* ff. h. t. ei, cui damnum datum eſt, eiuſque heredibus competens contra illum, qui tale damnum, vel ipſe vel per alios dolo malo intulit, l. 4. §. 4. & 5. ff. h. t. contra eius heredes non datur, niſi quatenus quid ad eos pervenit. l. 2. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 10. Datur intra annum in duplum, poſt annum in ſimplum. l. 4. *pr.* & §. 11. ff. h. t.

TITVLVS IX.

De incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata.

TH. 1. SI quis occaſione incendij, ruinæ, naufragij, ratis & navis expugnatæ quid rapuit, abſtulit, amovit, vel damnum dedit, vel recepit, actione de vi bonorum raptorum conveniri poteſt. l. 3. §. 3. ff. h. t.

TH. 2. Actio hæc eſt Prætoria, quam Prętor ob æquitatem ideo propoſuit, ne quid in tali tumultu rapiatur, vel clàm amoueatur, quia in eiuſmodi caſibus res per tumultum incuſtoditæ multorum injurijs ſunt obnoxiæ, l. 1. §. 3. §. 5. ff. h. t.

TH. 3. Actio hæc datur heredibus, aſt in heredes non datur, niſi quatenus ad eos aliquid pervenit, l. 4. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 4. Datur intra annum utilem in quadruplum, (a) poſt annum in ſimplum, l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) Ita tamen vt illud rei perſecutionem contineat

Titvlvs X.

De injurijs & famoſis libellis.

Iung. tit. 35. lib. 9. C.

Th. 1. Iam ad tertiam delicti privati ſpeciem deſcendimus, videlicet injuriam, (a) quæ eſt delictum privatum in contemptum (b) alterius admiſſum. l. 15. § 2. & 3. l. 16. §. 13. ff. h. t.

(a) Vocabulum injuriæ accipitur dupliciter latè, & ſtrictè. Latè; pro omni re, ſive facto, quod non fit jure, l. 1. *pr.* ff. h. t. unde in iudicijs pro injuſtitia accipitur, e.g. ſi quis dicat, ſententiam per injuriam eſſe latam, cum iure vacet; ſic in L. Aquilia pro damno dato culpa, ſive dolo, l. 5. §. 1. ff. *ad L. Aquil.* Strictè, uti hîc denotat contumeliam.

(b) Vt injuria verè committatur, requiritur animus injuriandi, qui in furioſo, mente capto, impubere, &c. ob iudicij defectum adeſſe non præſumitur. l. *illud* 3. §. *ſanè.* 1. ff. *de injur.*

Th. 2. Injuria tribus modis accidit, vel re, vel verbis, vel ſcriptura, hinc alia eſt realis, alia verbalis, alia quæ ſcripturâ, quam etiam verbalem dicere poſſumus. l. 1. §. 1. ff. h. t.

Th. 3. Injuria realis eſt, quæ facto contingit, ut verberando, pulſando, cædendo. l. 5. *pr.* ff. h. t.

Th. 4. Injuria verbalis, quæ fit verbis ore prolatis. d. l. 1. §. 1.

Th. 5. Injuria, quæ fit ſcriptura, vocatur famoſus libellus. l. 15. §. 27. ff. h. t.

Th. 6. Quæritur, utrum animus injuriandi præſumatur? Reſp. affirm. ſi verba, aut facta ſint per ſe & ſui naturâ iniurioſa, quia in malis præſumitur malus animus, quapropter iniuriam proferenti incumbit probatio, ſe non animo iniuriandi dixiſſe, vel feciſſe, l. 5. C. h. t. *Dn. Carpz. prax. crim.* 2. q. 97. quod ſi verba naturâ non ſint injurioſa, actoris eſt, probare animum injuriandi, qua probatione deficiente abſolvitur reus. l. 42. *in fin.* ff. *de reg. iur.*

Th. 7. Quæritur, num veritas convitij excuſet à pœna iniuriæ, e.g. vocando virum aliquem ſcurram, nebulonem, ſpurium, &c. vel mulierem aliquam meretricem, licet talis exiſtat? Reſp. neg. ſi animus

injuriandi ex ipſis circumſtantijs appareat, d. l. 5. C. h. t. attamen convitij veritas excuſatur in ſequentibus caſibus, [1] ſi interſit Reip. crimen fieri notorium, [2] ſi id debito modo objiciatur, nimirum per viam accuſationis, denunciationis in interrogatorijs ad reprobandos teſtes, objiciendo teſtibus, illos eſſe infames, nec teſtimonij jus illis competere. d. l. 5. C. *Gail.* 2. *obſ.* 79.

TH. 8. Quæritur, an præfatio honoris ab injuria excuſationem mercatur, e. g. ſi quis dicat ſalvâ reverentiâ, mentiris, calumniaris, &c.? Reſp. negando, quia [1] eiuſmodi verba principaliter in alterius contemptum vergunt, [2] quia talis proteſtatio facto contraria nihil operatur, facta enim potentius operantur, quam verba. c. 1. *Extr. de præſumpt.*

TH. 9. Quæritur, utrum Clerici & Preſbyteri injuriarum fiant rei, ex eo, quod in alterius contemptum fortè ex ſuggeſtu publico, vel alibi locorum dixerunt, arguendo videlicet certam perſonam alicuius criminis? Reſp. affirm. (1) *per* l. *item apud* 15. §. *ait Prætor* 2. ff. h. t. (2) *per Receſſ. imper. de anno* 1530. §. *haben wir* (3) *per* l. 32. ff. h. t. ubi dicitur Magiſtratum iniuriarum teneri, ut privatum. Ergo multò magis ſacerdotem, qui ipſo Magiſtratu minor.

TH. 10. Injuriam inferunt homines ſanæ mentis doli capaces, (a) & contumeliæ animo quid committentes. (b) l. 3. §. 1. ff. h. t. l. 5. C. h. t.

(a) Sic excluduntur furioſus, mente captus, impubes, & bruta animalia, quæ etiamſi quid committant, injuriarum non tenentur, cum dolo careant. l. 1. ff. *ſi quadrup. paup. fec. dic.*

(b) Non modò qui ipſi per ſe injuriam inferunt, ſed & qui per alios eam in effectum deducunt, ut ſi quis mandet, iubeat, curet eam inferri. l. *pr.* & §. 3. ff. h. t. §. 11. *Inſtit. eod.*

TH. 11. Injuriam quis patitur duplici modo, (1) immediatè ſive directò, (a) & (2) mediatè ſive per conſequentiam. (b)

(a) Cum quis per ſemetipſum iniuriam patitur, e. g. ſi quis verbis contumelioſis aut verberibus afficiatur.

(b) Vt ſi directò in filiumfam. vel uxorem injuria ſit commiſſa, tunc per conſequentiam in patrefam. & maritum perpetrata intelligitur, l. 2. ff. h. t. §. 2. *Inſt. eod.* contrà ſi marito injuria illata, uxor iniuriarum agere nequit; defendi enim uxores à viris, non viros ab uxoribus, æquum eſt, d. §. 2. infertur nobis etiam injuria per ſponſam, l. *item apud* 15. §. *ſponſum* 24. ff. h. t. imò & per ſervum, l. 1. §. 3. ff. h. t. quod ſi fratri vel alteri ex collateralibus iniuria ſit illata, toti familiæ non videtur illata, nec ſingulis agere licet; cùm hoc in legibus non habeat fundamentum; quod enim leges non dicunt, nec nos dicere debemus. l. 1. §. 3. ff. h. t.

TH. 12. Actio

alere coguntur, niſi ſint inopes, quibus ſuccurrit accuſator vel Magiſtratus, ne fame planè pereant. *Conſtit. crimin. art. 166.*

TITVLVS XIV.

De abigeis.

TH. I. ABIGEI ſunt, qui pecora (a) ex ſtabulo, paſcuis vel armentis (b) dolo malo ſubtrahunt, & quodammodo deprædantur, & ſtudium abigendi quaſi artem exercent. l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. ff. h. t.

(a) Non homines, in ijs enim plagium committitur. Nota, per pecora hic intelligimus, oves, capras, boves, equos, aſinos, ſues, l. 2. ff. *ad L. Aquil.*

(b) Vnde qui bovem errantem, aut equos in ſolitudine relictos abducit, ut fur ſaltem punitur. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 2. Crimen abigeatus committitur, quando oves vel capræ decem, ſues quinque vel quatuor, bos vel equus unus ſubducitur. l. 3. ff. h. t.

TH. 3. Pœna huius criminis ratione delicti admiſſi eſt extraordinaria & varia; ſi cum armis abigerunt, vel ubi frequentius hoc delictum eſt, ultimo ſupplicio afficiuntur, l. 1. *pr.* ff. h. t. item qui majora animalia abigunt, qui verò minora ſubducunt, non æquè graviter puniendi ſunt, ut relegatione, ordinis ademptione, &c. l. 1. §. 3. ff. h. t. Abigei hodiè ſicuti fures, vel raptores ultimo ſupplicio puniuntur. *arg. conſtit. crimin. art.* 126. *Carpzov.* 2. *prax. crimin.*

TITVLVS XV.

De prævaricatione.

TH. I. PRÆVARICATIO (a) eſt colluſio accuſatoris cum reo, ut abſolvatur.

(a) A varicando denominatur, varicari verò in tranſverſum ire ſignificat.

TH. 2. Prævaricator eſt, qui diverſam partem adjuvat, prodita ſuâ clientis (a) causâ, l. 1. *pr.* ff. h. t. quod fit, dum veras probationes à ſe

faciendas diſſimulat, contrà, falſas rei excuſationes admittit. l. 1. §. 1. & 6. ff. *ad SCt. Turpill.*

(a) Qui enim prævaricatur, ex utraque parte conſiſtit; magis tamen ex ea, cui ſe adverſarium ſimulavit.

TH. 3. Iudicium hoc prævaricationis eſt duplex, publicum (a) & privatum. (b)

(a) Illud in accuſatorem exercetur, qui in publico iudicio accuſationem non dextrè, & ex animo egit; proinde eadem pœna, qua reus afficiendus eſſet, niſi per prævaricationem abſolutus fuiſſet, puniri debet. l. 6. ff. h. t. fit quoque infamis. l. 1 *pr.* & l. 2. ff. *de his, qui not. infam.* l. 4. ff. h. t.

(b) Hoc in Advocatum, qui, dum accuſatori aſſiſtit, eſt prævaricatus, h. e. crimen extraordinarium donavit adverſario, l. 1. *in fin.* l. 3. *pr.* ff. h. t. hic non notatur infamia, ſed extra ordinem punitur. l. 1. *in fin.* ff. h. t. l. *infamem* 7. ff. *de publ. iudic.*

TH. 4. Sententia per prævaricationem facta declaratur nulla, qua reus contra ius abſolvitur. Ideo reum ex integro accuſare permittitur; hîc tamen requiritur, ut prævaricatio prioris accuſatoris dilucidè probetur. l. 3. §. 1. ff. h. t. l. 11. C. *de accuſat.*

TH. 5. Prævaricationis crimen etiam committunt, chirurgi, caupones, ſi ſecundum ſtatuta, vulnera huic vel illi in arenam deſcendenti & digladianti inflicta Magiſtratui non detegant; item Advocatus fiſci, colludendo cum reis. l. 3. C. *de Advocat. fiſc.*

TITVLVS XVI.

De Receptatoribus.

Iung. tit. 39. libr. 9. C. *De his, qui latrones vel alijs criminibus reos occultaverunt.*

TH. 1. RECEPTATOR eſt, qui maleficum ſciens (a) in ſuo vel alieno receptat, præſtans ei cauſam occultandi. l. 1. §. 2. ff. *de ſerv. corrupt.*

(a) Ergo receptatorum pœna extraordinaria non tenetur, qui ignarus eſt maleficij. l. 1. C. *de his, qui latron.*

TH. 2. Receptatores ſunt duplicis generis, (1) rerum, (a) (2) perſonarum. (b)

(a) Illi ſunt qui res furto ablatas ſuſcipiunt, qui etiam pœna furti tenentur. l. 14. C. *de furt.*

(b) Hi

Th. 12. Ex his extraordinarijs delictis, illi ſaltem ius accuſandi habent, ad quos ea res ſpectat, *l. 2 ff. de concuſſ. l. 3. ff. de prævaric.* unde & privata crimina vocantur, l. 1. §. *fin. ff. de pœn.* nam propter publicum cuivis de populo accuſatio eſt permiſſa, l. 16. *ff. de accuſat.*

Titvlvs XII.

De ſepulchro violato.

Iung. libr. 9. tit. 19. C.

Th. 1. Poſtquàm expoſuimus de extraordinarijs criminibus in genere, in ſpecie ad quædam delicta extraordinaria eſt perveniendū, & primò de ſepulchri ceu rei religioſæ violatione dicendum.

Th. 2. Qui ſepulchrum (a) dolo malo violat, extra ordinem punitur, l. 3. §. 7. l. 11. ff. *h. t.* l. 4. & 5. *C eod.*

(a) Quod eſt quaſi domus defunctorum.

Th. 3. Eiuſmodi violatio committitur vel ratione ipſius ſepulchri, ſive monumenti, (a) vel ratione corporis ſepulti. (b)

(a) *(1)* Si quis ſepulchrum inhabitet, l. *3.* ff. h. t. *(2)* Si quis iniuſtè in ſepulchrum inferat, l. 3. §. 3. ff. h. t. (3) ſi quis ſepulchrum diruat, l. 2. ff. h. t. Saxa, marmora ſepulturę, columnas auferat, vel monumentum aut inſignia vel imagines ſepulchro infixas deſtruat, &c. Talis delinquens punitur mulcta decem librarum auri fiſco inferendarum, l. 4. C. h. t.

(b) (1) Si quis mortuum ſpoliet, vexetque, l. 3. §. 7. ff. h. t. *(2)* ſi ipſum cadaver extrahat, vel oſſa eruat, l. 11. ff. h. t. hic capite plectitur, l. *3.* §. 7. ff. h. t. vel cadaver ſive Principis aut Pontificis permiſſu transfert, l. *3.* §. 4. ff. h. t. l. 39. ff. *de religioſ.* *(3)* ſi demortuorum cadavera mutilet, oſſa ſumendo, ſicuti Magici facere ſolent, ijſque in rem malam abutendo, l. *5.* C. h. t. horum pœna eſt ultimum ſupplicium, l. *ult.* ff. h. t.

Th. 4. Actio hæc datur ei, ad quem ſepulchrum ſpectat, & ſi is agegere nolit, vel non adſit, tunc datur actio popularis cuilibet ad ducentos annos, actori dandos, l. 3. ff. h. t.

Th. 5. Qui defunctorum corpora ob debitum ſolvendum detinent, vel impedimento ſunt, ne ſepeliantur, pœnam 50. librarum auri ſubeunt, l. *ult.* C h. t. qui verò tantùm non habent in ære, luant in corpore, iure novo cadunt debito.

TH. 6. Actio ex hoc edicto infamiam irrogat, l. *1.* ff. h. t.

TH. 7. Arbitraria hodie pœna afficiuntur, qui defunctorum cadavera è ſepulchris effodiunt, denudant, veſteſque eis auferunt. *Carpz. prax. crim.* p. 2. q. 3.

TH. 8. Pœna quoque extraordinaria manet [1] illos, qui tempore peſtis, vel alterius graſſantis morbi ſemimortuos necant, aut deſerunt ſibi commiſſos, ut inedia, vel ſimili caſu citiori morbo perire cogantur; [2] medicos & ſtudioſos, cadavera extrahentes, ut anatomiæ excolendæ gratia in minutiſſimas partes ſecentur.

TITVLVS XIII.

De Concuſſione.

TH. 1. CONCVSSIO (a) eſt terroris iniectio ad faciendum aliquid vel non, pecuniæ vel alterius rei extorquendæ cauſa, l. *6.* §. 3. ff. *de offic. Præſid. l.* 4. *C. ad L. Iul. repet.*

(a) Concutere eſt perturbare aliquem injecto terrore. Sic eiuſmodi extraordinarium crimen perpetratur, e. g. ſi quis pecuniæ vel rei extorquendæ cauſa accuſationem, aut teſtimonij dictionem cominatus eſt, l. 2. ff. h. t. ſic etiam Magiſtratus & milites terrore Magiſtratus concutiunt, l. 1. ff. h. t. *C. militare*, 23. q. 1.

TH. 2. Concuſſionis crimen extra ordinem punitur, l. 1. *&* 3. *C. de condict. ob turp. cauſ.* cum hoc tamen extraordinario iudicio concurrunt aliæ actiones, quibus contra delinquentes agi poteſt, ut [1] actio ad pœnam quadrupli, l. 1. *C. ad L. Iul. repet.* [2] actio ex edicto de calumniatoribus, ut ſi quis pecuniam accepit, ut alicui negotium faceret, l. 1. *de calumniat.* (3) accuſatio ex L. Cornelia de falſis contra eos, qui ad accuſationem innocentium coïerunt, l. 1. § 1. ff. *ad L. Cornel. de falſ.*

TH. 3. Huic crimini affinis eſt diffidatio, quæ eſt hoſtilis minitatio, (a) quâ inimico per literas, ſignum, aliudve factum, extremum vitæ, aut perſecutio bonorum minitatur, cuius pœna eſt ultimum ſupplicium. *Conſt. crim. art.* 129.

(a) Pœna minitantium regulariter eſt cautio de non offendendo, pignoribus vel fideiuſſoribus præſtita; qui verò hanc cautionem præſtare haud poſſunt, tamdiù in carcere detinendi ſunt, donec eam præſtant; interim ſemetipſos

(b) Vt ſi alterum homicidij reum facere velit, ultimo ſupplicio libelli author afficitur.

TH. 24. Famoſus libellus eſt ſcriptura, crimen famoſum continens, qui occulto authoris nomine ad alicuius infamiam in vulgus ſpargitur, vel affigitur, *d. art.* 110.

TH. 25. Qui libellum famoſum compoſuit, & condemnatus eſt, infamis & deteſtabilis cenſetur, unde nec teſtamentum condere, nec in aliûs teſtamento idoneus poteſt eſſe teſtis, l. 5. §. 9. l. 6. ff. h. t.

TH. 26. Actio ex libello famoſo oriens non eſt annalis, verùm perpetua, 20. annos durans: quia ſcriptura perpetuò durare intelligitur, *Gail. 2. obſ.* 104.

TH. 27. Iniuria & famoſus libellus inter ſe diſtinguuntur, ut genus & ſpecies, cum omnis famoſus libello ſit iniuria ſcripto illata, pariatque iniuriarum actionem; aſt non contra omnis iniuria eſt famoſus libellus, paritque actionem famoſi libelli.

TH. 28. Cauſam efficientem iniuriæ ex theſi 10. percipies.

TH. 29. Forma, omnis iniuria aut in corpus infertur, aut ad dignitatem vel infamiam ſpectat; in corpus, cum quis pulſatur; ad dignitatem cum comes matronæ abducitur; ad infamiam, cum pudicitia attentatur, l. 1. §. 2. ff. h. t.

TH. 30. Finis iniuriæ eſt, ut contumelia alicui fiat, quia ſine hac intentione iniuria non committitur, l. *qui ſervum* 34. *ff. de oblig. & action.*

TITVLVS XI.

De extraordinarijs criminibus.

TH. 1. HACTENVS de ordinarijs delictorum privatorum iudicijs quæ certam & ordinariam pœnam dictitant, diſſeruimus. Progrediamur nunc ad ea, quæ extra ordinem proponuntur, quorum pœná legibus non eſt expreſſa, ſed iudicis arbitrio committuntur, pro modo admiſſi, quatenus delictum eſt grave, vel leve, l. 13. ff. *de pœn.* l. 1. ff. *de effractor.*

TH. 2. Eiuſmodi iudicia extraordinaria in ſequentes delinquentes exercentur, (1) in ſollicitatores alienarum nuptiarum, qui pudicitiam alienæ uxoris appellant; quamvis hi effectu non potiantur, conatus tamen eorum illicitus eſt puniendus. l. 1. *pr.* ff. h. t.

TH. 3. (2) Si quis fimo corrupto aliquem perfundat, cœno luto oblinuerit, aut aquas ſpurcaverit, h. e. inquinaverit, ſive fiſtulas aquarum inquinaverit; extra ordinem in eum animadvertitur. l. 1. §. 1. h. t.

TH. 4. (3) Si quis puerum, puellamve de ſtupro interpellet; vel alicui, ſub cuius cuſtodia & inſpectione ſunt, (a) quid dederit, vel promiſerit, quo ei perſuadeat conſentire ad hunc deteſtandum actum committendum; unde perfecto flagitio pœna eſt capitalis; imperfecto autem in inſulam deportatur. l. 1. §. *ult.* ff. h. t.

(a) Quapropter corrupti comites puerorum ultimo ſupplicio afficiuntur. d. l. 1. §. *ult.*

TH. 5. (4) Qui illicitos cœtus habent. l. 2. ff. h. t.

TH. 6. (5) Mulieres datâ operâ partum abigentes, l. 4. ff. h. t. ubi ratione pœnæ diſtingui ſolet inter partum animatum, (a) & nondum animatum. Si partum animatum abigat, pœnâ ordinariâ L. Cornel. de ſiccarijs afficitur, ſin hunc, extraordinaria pœna afficitur, videlicet fuſtigatione, relegatione. l. 38. ff. *de pœn. conſtit. crimin. art.* 133. l. 4. ff. h. t. l. 8. ff. *ad L. Cornel. de ſic.*

(a) Qui eſt quadraginta dierum, quo tempore viuere præſumitur, ante hoc tempus jure non intelligitur vitalis.

TH. 7. (6) In Dardanarios, (a) qui annonam attentant & vexant, merces coëmptas ſupprimentes, aut fructus ſuos æquis pretijs vendere nolentes, (b) dum minus uberes proventus expectant, l. 6. *pr.* h. t.

(a) Ita appellati ſunt à Dardano quodam mago, unde artes Dardanicæ pro magicis ſumuntur.

(b) Quibus accenſentur in foro plus æquo offerentes, ea intentione, ut alijs merces præripiant, vel ut alij carius emere cogantur.

TH. 8. (7) In eos, qui adulterinâ ſtaterâ utuntur pœna L. Corneliæ eſt ſtatuta, & qui falſas menſuras habent, relegari poſſunt, l. 6. §. 1. & 2. ff. h. t. *conſtit. crimin. art.* 113.

TH. 9. (8) In eos, qui choma, h. eſt aggeres Nili in Ægypto rumpit, l. 10. h. t.

TH. 10. (9) Si quis ſcopeliſmum facit, in eum pœna capitalis eſt conſtituta. Scopeliſmus eſt lapidum poſitio in agro alieno ab inimicis facta hoc indicio, ut ſi quis agrum hunc coluiſſet, malo letho ſe periturum ſciret, inſidijs eorum qui lapides poſuerunt, l. 9. ff. h. t.

TH. 11. Sciendum, quod omnis generis delicta, quæ nulla certa lege vindicantur, extra ordinem coërceri ſoleant, l. 6. & l. 10. ff. h. t.

TH. 12. Actio iniuriarum deſcendit vel ex lege 12. Tabb. (a) vel à Prætore, (b) vel ex lege Cornelia; uti quis ſe pulſatum, verberatumve, vel domum ſuam vi introitam eſſe dixit. §. 8. *Inſt.* h. t.

(a) In qua ob membrum ruptum talio, ob os fractum pecuniaria pœna erat conſtituta, §. 7. *Inſtit.* h. t. quæ pœna poſtea in deſuetudinem abijt.

(b) Quæ in iudicijs adhuc frequentatur, ubi actor iniuriam ſuam iurejurando ex credulitate & affectu æſtimat; nam ſecundum gradum dignitatis, vitæque honeſtatem creſcit, aut minuitur iniuriæ æſtimatio. d. §. 7. *Inſt.* h. t.

TH. 13. Injuriam paſſus civiliter & criminaliter adverſus inferentem agere poteſt, §. 10. *Inſtit.* h. t. quarum utraque actio eſt pœnalis, vindictam perſequens, ut una alteram conſumat; nec idem bis exigere licet. l. 6. h. t.

TH. 14. Actio iniuriarum civilis competit iniuriam paſſo, ſive mediatè, ſive immediatè, contra eum, qui injuriam intulit (a) ad æſtimationem (b) injuriæ. d. §. 10. *Inst.* h. t.

(a) l. 11. *pr.* ff. h. t. Quod ſi plures fuerint, adverſus ſingulos in ſolidum datur, tot enim ſunt injuriæ, quot perſonæ. l. 34. ff. h. t.

(b) Iniuriam paſſus æſtimat eam certa pecuniæ ſumma quatenus iniuriam gravem, vel levem putat, §. 9. *Inſt. eod.* hanc ſummam moderatur poſtea iudex, atque actori adjudicat §. 7. *Inſtit. ibd.*

TH. 15. Actio injuriarum criminalis tendit ad pœnam extraordinariam reo irrogandam, ideo non opus eſt certam pœnam peti, ſed ea arbitrio iudicis relinquitur, qui eam pro facti circumſtantijs, & perſonarum qualitate modò corporalem, (a) modò pecuniariam dictitat, quæ fiſco infertur. l. *fin.* ff. h. t.

(a) Quæ eſt varia, ut incarceratio, relegatio, fuſtigatio, manus amputatio nonnunquam ultimum ſupplicium.

TH. 16. In poteſtate eius, cui injuria illata eſt, utrum civiliter, an criminaliter agere velit, §. 10. *Inſt.* h. t. altera tamen electa, altera tollitur, cum utraque ad vindictam tendat.

TH. 17. Duo decantata moribus introducta ſunt remedia contra injuriantes, (1) retorſio & (2) palinodia, quarum illud eſt remedium extraiudiciale, hoc raro eſt iudiciale.

TH. 18. Retorſio eſt propulſatio iniuriæ verbalis in ipſummet iniuriantem honoris defendendi cauſa in continenti facta.

TH. 19. Palinodia (*Germanicè ein widerruff*) eſt recantatio verborum injurioſorum, vbi recantator qui iniuriam intulit, iuxta perverſam (a) hominum opinionem læſo famam quaſi reſtituere, ſeque

publicè mendacij arguere cogitur, confitendo falſa eſſe, quæ in actorem dixit, atque ſic iniuriam ei feciſſe.

(a) Aliàs enim fundamentum famæ in honeſtate morum, vitæque probitate, alijſque qualitatibus poſitum nequidem atrociſſimis privatorum injuriis everti vel maculari poteſt: quoniam lex, & turpe factum ſaltem infamant.

TH. 20. Actio injuriarum exſpirat ſequentibus modis, [1] morte tam actoris, quàm rei, (a) [2] diſſimulatione, (b) [3] pacto, tranſactione, iurejurando, (c) & [4] tempore; purà ſi injuriam paſſus per totum annum utilem ſileat, qui à die ſcientiæ computandus: quoties hæc actio eſt Prætoria, quæ ultra annum ſe non extendit; aſt ſi ex L. Cornelia competat, eſt perpetua, ut reliquæ actiones civiles, & durat 20. annos, *pr. Inſt. & temp. action.*

(a) Adeo ut nec in heredem detur, neque heredi competat, §. 1. *Inſt. de perpet. & temp. act.* quia eſt pœnalis; niſi à defuncto lis fuerit conteſtata, l. 13. *ff. h. t.* quia ad vindictam ſaltem tendit. Hæc actio l. 2. §. 4. *ff. de collat.* neque in bonis habetur priùs quàm lis conteſtatur, l. 28. *ff h. t.* proinde ante litis conteſtationem ad heredes transmitti haud poteſt; nam quod non eſt in bonis, ad heredem transmitti nequit.

(b) l. 11. §. 1. ff. *h. t.* §. *ult. Inſt. h. t.* Quod ſi iniuriam paſſus eam non ſtatim ad animum revocauerit, poſtea ex pœnitentia remiſſam injuriam non poterit recolere.

(c) l. *Si tibi* 17. §. *quædam* 1. *ff. de pact.* l. 27. §. 4. ff. *eod. d.* l. 11. §. 1. *ff. h. t.* l. 6. §. 3. ff. *de his qui not. infam.*

TH. 21. Quæritur an petitio palinodiæ & actio injuriarum hodie iungi ſive cumulari queant? Reſp. affirm. quia illa tendit ad famæ perſecutionem, eſtque quaſi rei perſecutoria; hæc verò ad vindictam, *Mynſing 2. obſ.* 98. *& Gail. 1. obſ.* 65. Quapropter reus non modo ad recantationem, ſed & ad certam pecuniæ ſummam condemnari poteſt. Nota; actio ad palinodiam non ex jure civili deſcendit, verùm ex conſuetudine & moribus.

TH. 22. Secunda rubricæ pars de famoſis libellis tractat.

TH. 23. Si quis famoſum libellum ad alicuius infamiam ſcripſerit, vel componi curaverit, ad talem pœnam ſe obligat, (a) quam delictum in eo alteri imputatum importat. (b)

(a) Non modò ipſe Author, ſed & [1] Typographus, ſi eiuſmodi famoſum ſcriptum Typis mandauerit. *Ord. polit. de anno.* 1577. *tit.* 35. *von buchdrucKern.* [2] divulgator qui inventum, vel ab alijs acceptum ejuſmodi libellum non dilacerat, vel comburit. *Carpz. prax. crim. p. 2. q. 98. Conſtit. crim. art.* 110. *l. un. C. de famoſ. libell.*

(b) Hi poſt delictum commiſſum delinquentem occultant, tuentur, cuſtodiunt, vel prohibent, ne reus capiatur; ſi enim receptatores non eſſent, rei alicuius criminis diu latere non poſſent, unde etiam æqualis eos manet pœna, cum ob dolum in pari ſunt culpa. l. 1. ff. h. t. l. 5. §. 12. ff. *ad SCt. Sillan.* & publicè interſit, delicta non manere impunita. l. 1. *&* 2. C. h. t.

TH. 3. Quod ſi cognatus, vel affinis criminis reum conſervet, ob cognationem, vel affinitatem à pœna non eſt immunis, mitius tamen alijs punitur, (a) quoniam eiuſmodi receptatores, non tam dolo, quàm amore & pietate, quàm erga eum fovent, hoc fecerunt. l. 2. ff. h. t. multò magis veniam merentur parentes & conjuges, ſi enim ſanguinem ſuum quovis modo redimere licet. l. 1. ff. *de bon. eor. qui mort. ſibi conſciv.* quidni & ſuos conſervare, cum parentes magis ſolliciti ſint de liberis ſuis, quàm de ſeipſis. l. 8. §. 3. ff. *de eo quod met. cauſ.*

(a) Mulcta ſcilicet pecuniaria ijs pro modo delicti & facultatum imponitur. l. 4. C. h. t. contrarium ſtatuitur, ſi criminis quoque ſint participes. *l. vim paſſum, 39. mulierem, 4. ff. ad L. Iul. de adult.*

TITVLVS XVII.

De furibus balnearijs.

TH. 1. FVR balnearius eſt, qui ſurripit in balneis veſtes eorum, qui nudi lavandi gratia balnea ſunt ingreſſi.

TH. 2. Et quia eiuſmodi furtum facilè perpetrari poteſt, ideo extra ordinem gravius punitur. Sic etiam nocturnum furtum diurno grauius punitur, cum tenebræ ad furtum faciendum ſint opportunæ; quo enim occultius & impunitius committi poteſt delictum, eo acerbius illud eſt puniendum, ſi deprehendatur. *l.* 8. *C. de Epiſcop. & Cler.* Hodie tales fures balnearij ordinaria furti pœna ſunt affligendi. *Conſtit. crimin. art.* 159. *& ſeq.*

TH. 3. Committit quis hoc crimen in ſeqq. caſibus, [1] ſi quis fortè rem alij obligatam, diſſimulata obligatione per calliditatem alij diſtraxerit, vel permutaverit, vel in ſolutum dederit. l. 3. ff. h. t. [2] ſi quis merces ſuppoſuerit, ut æs pro auro, gemmam vitream pro adamante, vel merces averterit. [3] ſi colluſionem in necem, vel in fraudem & damnum alterius fecerit. d. l. 3. §. 1.

TH. 4. Stellionatus crimen interdum infamiam irrogat, interdum non: quoties ex cauſa famoſa videlicet dolo deſcendit, infamiam irrogat. l. 13. §. *ult.* ff. *de his qui not. infam.* cum verò, non ex cauſa famoſa, e. g. ex pignore deſcendit, talis non eſt. l. 2. ff. h. t. uti patet quoque ex l. 7. ff. *de publ. iudic.*

TITVLVS XXI.

De termino moto.

TH. 1. QVI terminum mutat, extra ordinem pœna affici poteſt.

TH. 2. Terminus eſt ſignum ex lapide, vel alia materia in limite poſitum ad diſtinguendum cujuſlibet dominium, ſive eſt finis, vel limes agrorum confinia diſcernens, quem moventes, aut transferentes etiam iuxta legem Moſaïcam coërcentur. *Deuter. c.* 27. *l.* 2. ff. h. t.

TH. 3. Qui agrorum terminos, ſive limites mutat, evertit, effodit, exarat, tranſponit, ejicit, & quidem dolo, h. e. finium obſcurandorum cauſa. l. 1. *& ſeqq.* ff. h. t. pœna arbitraria, carceris ſcilicet, mulctæ, relegationis, & fuſtigationis pro modo admiſſi punitur. d. l. 1. *&* 2. ff. h. t.

TITVLVS XXII.

De collegijs & corporibus.

TH. 1. COLLEGIA ſunt cœtus, ſive coïtiones ſodalium. l. 1. *pr.* §. 1. l. 4. ff. h. t. plurium, quam duorum, quia tres ad minimum faciunt collegium. l. 85. ff. *de verb. ſignif.*

TH. 2. Collegia (a) ſunt duplicia, licita (b) & illicita. Hîc agitur de collegijs illicitis, (c) quæ ad pœnam extraordinariam obligant, ut ſunt, quæ Principis authoritate & permiſſu non ſunt firmata. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(a) Inde collegæ, qui ſunt una lecti ad idem videlicet munus, eandemque poteſtatem quaſi collecti. l. 173. ff. *de V. S.*

(b) Vt collegia textorum, fabrorum, piſtorum. l. 1. §. 1. ff. h. t. l. 6. C. *de profeſſ. & medic.* l. 2. §. 9. ff. *de orig. iur.*

(c) Eiuſmodi conventus, & ſodalitia Senatusconſulto ſunt prohibita; nihil enim Reipublicæ poteſt eſſe noxius, cum ex ijs conjurationes in Rempubl. ſeditiones, & alia ſexcenta oriantur.

TH. 3. Ad crimina extraordinaria referuntur & ſequentia, [1] imperitia & negligentia Medici. *Conſtitut. criminal. art.* 134. [2] improba mendicitas. *Ordin. Polit. tit.* 17. *Reformation guter Policap. ordnung. Zu Augsburg, de anno* 1530. *tit.* 34. §. 1. *arg. Novel.* 80. *c.* 5. [3] expoſitio infantis. l. 2. C. *de infant. expoſit. l. pen. C. de patr. poteſt.* ubi ratione iuris hodierni, ſive Carolini hæc obſervatur diſtinctio, vel infans expoſitus reperitur vivus & incolumis, vel mortuus; priori caſu arbitrarie punitur infantem exponens; poſterior autem pœna eſt ultimum ſupplicium. *Conſtit. Carol. art.* 132.

TITVLVS XXIII.

De popularibus actionibus.

TH. 1. DANTVR nonnulla crimina extraordinaria, quæ popularibus actionibus vindicantur. l. 3. *pr. ff. de termin. mot. arg.* l. 3. §. *fin. ff. de ſepulchr. violat.*

TH. 2. Popularis actio eſt, quæ ius publicum (a) populo tuetur. l. 1. ff. h. t. cuilibet de populo competens, intellige, ſi ſint integræ exiſtimationis, cui per edictum poſtulare licet. l. 4. ff. h. t.

(a) Vnde & actio publica appellatur. l. 30. §. 3. ff. *de jurejurand.* ubi accuratè diſtinguendum eſt inter publica iudicia, & popularia, illa propria ſunt, quæ veniunt ex lege publicorum iudiciorum; hæc, quæ cuivis de populo dantur: quamvis hoc pleriſque iudicijs publicis ſit commune, attamen non omnibus, ut [1] adulterium. l. 36. C. *ad L. Iul. de adult.* quod eſt iudicium publicum cuilibet de populo haud competens. [2] crimen ſuppoſiti

TITVLVS XVIII.

De effractoribus & expilatoribus.

TH. I. CONTRA effractores & expilatores extra ordinem agi poteſt. l. 1. *pr. &* §. 1. l. 2. ff. h. t.

TH. 2. Effractores ſunt qui vi effringunt fores carceris, vel domorum, vel perfodiunt parietes alienarum ædium ad furandum. l. 1. §. 1. l. 2. ff. h. t.

TH. 3. Expilatores ſunt prædones, qui alienas ædes, vel villas, vel homines ſpoliant, & nequidem pilum relinquunt. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 4. Qui carcerem ſummi Principis effringunt, ſummo ſupplicio afficiuntur, quia propter violatam Principis cuſtodiam crimen læſæ Majeſtatis committitur. l. 1. *pr.* ff. h. t. l. 4. §. *ult.* ff. *ad L. Iul. Majeſt.* etiamſi innocentes in carcerem detruſi poſtea inveniantur, quia tali in caſu non ad eorum innocentiam, ſed ad effractionem & contemptum Principis reſpectus habetur. l. 13. ff. *de cuſtod. reor.*

TH. 5. Aſt ſi cuſtodum negligentiâ carceri incluſus abſque effractione evaſerit, mitius puniri debet. l. 1. ff. h. t.

TH. 6. Expilatores ſunt, vel nocturni, vel diurni, illi gravius puniuntur, nam fuſtibus cęſi in metallum dari ſolent, hi verò fuſtibus quidem caſtigantur, in opus perpetuum, vel temporarium dantur. *l. ult.* ff. hoc tit.

TH. 7. Quòd ſi cuſtodes carceris reos criminis capitalis ſcientes dimiſerint, eidem pœnæ, quæ de reis erat ſumenda, illi ſubjacent. l. 4. C. *de cuſtod. reor. Conſtit. Carol. art.* 180.

TITVLVS XIX.

Expilatæ hereditatis.

Iung. tit. 32. lib. 9. C. *De crimine expilatæ hereditatis.*

TH. I. CRIMEN expilatæ hereditatis committit, qui res hereditarias mobiles ante aditam hereditatem dolo ſubtrahit.

arg. l. 6. ff. h. t. l. 1. & 4. ff. *eod.* quia eiuſmodi doloſa ſubſtractio in furti crimen non cadit, nam res hereditariæ iacentes in nullius bonis cenſentur; non in defuncti bonis, cum amplius vivere deſinat, non entis nullæ ſunt qualitates; neque in heredis bonis, qui poſſeſſionem nondum apprehendit. l. 13. ff. *de acquir. poſſeſſ.*

TH. 2. Quapropter in locum deficientis actionis furti conceditur hæc actio extraordinaria. *l. fin.* C. h. t. competens illis, quorum intereſt. l. 4. ff. h. t. contra ſurripientem, quamvis ſit noverca, (a) vel vitricus. l. 2. & 3. C. h. t.

(a) Ratione hereditatis avi, non verò patris defuncti, ubi ſicut uxor rerum amotarum tenetur, non furti ob reverentiam. *l. pen.* ff. h. t.

TH. 3. Quæritur, an & liberis defuncti inter ſe competat? Reſp. negando, ratio in eo eſt fundata, quia hæc actio, ſive accuſatio eos ſolummodo coërcet, aliam hereditatem expilantes, aſt liberi alienam hereditatem non expilant. E. non competit. l. 1. ff. h. t.

TH. 4. Pœna hujus criminis perpetrati eſt extraordinaria, ſive arbitraria, quæ pro modo admiſſi infligi poteſt, hoc eſt carceri mulcta, relegatio.

TITVLVS XX.

Stellionatus.

Iung. tit. 34. libr. 9. C. *De crimine ſtellionatus.*

TH. I. QVI ſtellionatus (a) crimen perpetrat extra ordinem punitur.

(a) Quod nomen deſumptum eſt ab animali ſtellione (varijs coloribus quaſi ſtellato) verſutiſſimo, lacertæ ſimili quo nullum fraudulentius homini invidet.

TH. 2. Hoc crimen tunc præprimis committitur, ubi alia actio ad pœnam perſequendam non competit, ne quis planè deſtituatur actione: ſi verò alia fuerit, huic non eſt locus ad inſtar actionis de dolo. l. 3. §. 1. ff. h t. ſicut enim in civilibus iudicijs datur generalis actio de dolo, ita in criminalibus hæc accuſatio. l. 1. §. 1. ff. h. t. Hinc dicimus, quoties titulus criminis deficit, toties ſtellionatus crimen objicimus. d. l. 3.

TH. 3. Committit quis hoc crimen in ſeqq. caſibus, [1] ſi quis fortè rem alij obligatam, diſſimulata obligatione per calliditatem alij diſtraxerit, vel permutaverit, vel in ſolutum dederit. l. 3. ff. h. t. [2] ſi quis merces ſuppoſuerit, ut æs pro auro, gemmam vitream pro adamante, vel merces averterit. [3] ſi colluſionem in necem, vel in fraudem & damnum alterius fecerit. d. l. 3. §. 1.

TH. 4. Stellionatus crimen interdum infamiam irrogat, interdum non: quoties ex cauſa famoſa videlicet dolo deſcendit, infamiam irrogat. l. 13. §. *ult.* ff. *de his qui not. infam.* cum verò, non ex cauſa famoſa, e. g. ex pignore deſcendit, talis non eſt. l. 2. ff. h. t. uti patet quoque ex l. 7. ff. *de publ. iudic.*

TITVLVS XXI.

De termino moto.

TH. 1. QVI terminum mutat, extra ordinem pœna affici poteſt.

TH. 2. Terminus eſt ſignum ex lapide, vel alia materia in limite poſitum ad diſtinguendum cujuſlibet dominium, ſive eſt finis, vel limes agrorum confinia diſcernens, quem moventes, aut transferentes etiam iuxta legem Moſaïcam coërcentur. *Deuter. c.* 27. *l.* 2. ff. h. t.

TH. 3. Qui agrorum terminos, ſive limites mutat, evertit, effodit, exarat, tranſponit, ejicit, & quidem dolo, h. e. finium obſcurandorum cauſa. l. 1. *& ſeqq.* ff. h. t. pœna arbitraria, carceris ſcilicet, mulctæ, relegationis, & fuſtigationis pro modo admiſſi punitur. d. l. 1. *&* 2. ff. h. t.

TITVLVS XXII.

De collegijs & corporibus.

TH. 1. COLLEGIA ſunt cœtus, ſive coïtiones ſodalium. l. 1. *pr.* §. 1. l. 4. ff. h. t. plurium, quam duorum, quia tres ad minimum faciunt collegium. l. 85. ff. *de verb. ſignif.*

TH. 2. Collegia (a) ſunt duplicia, licita (b) & illicita. Hîc agitur de collegijs illicitis, (c) quæ ad pœnam extraordinariam obligant, ut ſunt, quæ Principis authoritate & permiſſu non ſunt firmata. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(a) Inde collegæ, qui ſunt una lecti ad idem videlicet munus, eandemque poteſtatem quaſi collecti. l. 173. ff. *de V. S.*

(b) Vt collegia textorum, fabrorum, piſtorum. l. 1. §. 1. ff. h. t. l. 6. C. *de profeſſ. & medic.* l. 2. §. 9. ff. *de orig. iur.*

(c) Eiuſmodi conventus, & ſodalitia Senatusconſulto ſunt prohibita; nihil enim Reipublicæ poteſt eſſe noxius, cum ex ijs conjurationes in Rempubl. ſeditiones, & alia ſexcenta oriantur.

TH. 3. Ad crimina extraordinaria referuntur & ſequentia, [1] imperitia & negligentia Medici. *Conſtitut. criminal. art.* 134. [2] improba mendicitas. *Ordin. Polit. tit.* 17. *Reformation guter Policap. ordnung. Zu Augsburg, de anno* 1530. *tit.* 34. §. 1. *arg. Novel.* 80. *c.* 5. [3] expoſitio infantis. l. 2. C. *de infant. expoſit. l. pen. C. de patr. poteſt.* ubi ratione iuris hodierni, ſive Carolini hæc obſervatur diſtinctio, vel infans expoſitus reperitur vivus & incolumis, vel mortuus; priori caſu arbitrarie punitur infantem exponens; poſterior autem pœna eſt ultimum ſupplicium. *Conſtit. Carol. art.* 132.

TITVLVS XXIII.

De popularibus actionibus.

TH. 1. DANTVR nonnulla crimina extraordinaria, quæ popularibus actionibus vindicantur. l. 3. *pr. ff. de termin. mot. arg.* l. 3. §. *fin. ff. de ſepulchr. violat.*

TH. 2. Popularis actio eſt, quæ ius publicum (a) populo tuetur. l. 1. ff. h. t. cuilibet de populo competens, intellige, ſi ſint integræ exiſtimationis, cui per edictum poſtulare licet. l. 4. ff. h. t.

(a) Vnde & actio publica appellatur. l. 30. §. 3. ff. *de jurejurand.* ubi accuratè diſtinguendum eſt inter publica iudicia, & popularia, illa propria ſunt, quæ veniunt ex lege publicorum iudiciorum; hæc, quæ cuivis de populo dantur: quamvis hoc pleriſque iudicijs publicis ſit commune, attamen non omnibus, ut [1] adulterium. l. 36. C. *ad L. Iul. de adult.* quod eſt iudicium publicum cuilibet de populo haud competens. [2] crimen ſuppoſiti

illis procurator non admittitur, niſi ſaltem rei abſentiam excuſare, vel abſentiæ cauſas allegare velit. l. 13. §. 1. ff. h. t. l. 10. ff. *eod.* ad differendam iudicis ſententiam. l. 71. ff. *de procurat.* non verò ad id, ut abſolvatur, vel condemnetur abſens. l. 5. ff. *de pœn.* quod cauſas non capitales concernit, iterum diſtinguitur an cauſæ ſint tales, ex quibus abſens condemnari legitimè poſſit, an verò non, hoc eſt, an pœnam habeant pecuniariam, vel relegatione minorem, an verò maiorem. l. 33. §. 2. ff. *de procurator.* in illis, quæ pœnam habent pecuniariam, vel relegatione minorem, procurator admittitur ad innocentiam allegandam, & ad cauſæ merita proponenda; in his quæ pœnam relegatione majorem habent, non item, ut corporis afflictiuam; ne iudicia reddantur eluſoria, cum contra abſentes non ſit prompta executio, quando damnati non comparent. Nota; delicti capitalis reus abſens accuſari non poteſt, multo minus damnari, quamvis contumaciter abſit. l. 5. ff. *de pœn.* aſt bona eius annotari, & poſt annum ob eius contumaciam publicari poſſunt. l. 1. *&* 2. C. *de requir. re.* prius tamen citandi ſunt, ne innocentes & inauditi damnentur.

TH. 6. Cauſa efficiens publicorum iudiciorum eſt certa, & ſpecialis aliqua lex. d. l. 1. ff. h. t.

TH. 7. Materia, circa quam verſantur iudicia publica, ſunt graviora & atraciora delicta Rempubl. offendentia.

TH. 8. Forma exercendorum iudiciorum publicorum olim erat ſolennis. Primum enim accuſaturus ad quæſitorem nomen rei deferebat, idque recipi poſtulabat, profeſſus qua lege eum reum faceret. Negante reo factum, dies inquirendi criminis petebatur, atque ab eo tempore reus in reatu agere dicebatur. l. 25. ff. *de pœn.* qui procedendi ordo in uſu hodie eſſe deſijt, durante tamen legum pœnâ, cum extra ordinem & ſolennitatem antiqui iuris crimina probentur. l. 8. ff. h. t. l. *fin. ff. ad L. Fab. de plag.* imprimis tamen hæc duo adhuc hodie ad formam ſpectant, [1] procuratorem in eiuſmodi iudicijs neutra ex parte ad defendendum admitti. l. *pen.* §. 1. ff. h. t. [2] accuſationem, totumque proceſſum criminalem uſitato & ſolenni more eſſe conficiendum, *de quo tit. ſeq.*

TH. 9. Finis eſt, ut delicta ſontium puniantur, nec impunita maneant, quod fit ad Reipubl. tranquillitatem conſervandam: quod ſi accuſatus ſit innocens, ut eius innocentia abſolvatur.

TH. 10. Effectus publicorum iudiciorum eſt, præter ordinariam pœnam infamiam reo irrogare. l. 7. ff. h. t. quia infamia iuris ad pœnam ſpectat, quæ non niſi ſententiâ infertur.

TITVLVS II.

De accuſationibus & inſcriptionibus.
Iung. tit. 2. libr. 9. C.

TH. I. DESCRIPTA generaliter publicorum iudiciorum naturâ, ad ſpeciales eorum partes explicandas pervenire oportet; imprimis autem, quibus modis conſtituantur, (a) quotque eorum genera; tandem quomodo peragantur, & ad executionem perveniant, attendendum.

(a) Ratione publicorum iudiciorum conſtitutionis, præ cæteris de accuſatore & accuſatione quæritur; nam ſine accuſatore iudicium criminale non procedit, l. 19. C. *de adult.* l. 7. ff. h. t. ſicuti nec civile ſine actore. l. 62. ff. *de iudic.*

TH. 2. Accuſatio eſt, qua criminis reus ad iudicem competentem (a) publicæ vindictæ cauſa defertur.

(a) Qui imperium merum habet, l. 3. ff. *de offic. præſid.* & quidem ibi, ubi reus domicilium vel forum habet, l. 2. C. *de juriſdict.* vel crimen eſt commiſſum, vel reus deprehenditur. *t. t. & Auth. qua in Provincia C. ubi de crimin. agi oporteat.*

TH. 3. Omnes regulariter (a) accuſari poſſunt, tam mares, quàm fœminæ; tam puberes, quam impuberes, (b) tam ſervi, quam liberi.

(a) Ab hac regula excipe quoſdam (1) ob dignitatem & officium, l. 12. ff. h. t. (2) ob defectum mentis, l. 12. ff. *ad L. Cornel. de ſic.* (3) ob accuſationem antea ſuſtentam, qui enim ſemel accuſatus & abſolutus eſt, is de eodem crimine ab alio non poteſt amplius accuſari. l. 7. §. 2. ff. h. t. l. 9. C. h. t.

(b) Pubertati proximos, qui & furandi & injuriæ faciendæ habentur capaces. l. 111. *pr.* ff. *de reg. jur.* l. 37. §. 1. ff. *de minorib*

TH. 4. Contra, omnes accuſare licitè poſſunt, qui iure non prohibentur.

TH. 5. Sequentes autem accuſare prohibentur, [1] propter ætatem, ut pupillus, l. 8. ff. h. t. [2] propter ſexum, ut mulier, d. l. 8. [3] ob mentis defectum, uti furioſus, [4] ob delictum e.g. infames, l. 4. & 8. ff. h.t. [5] propter dignitatem, e. g. Magiſtratus majores, d. l. 8. qui impunè in ius vocari nequeunt durante Magiſtratu, l. 2. ff. *de in jus voc.* l. 32. ff. *de iurej.* [6] ob ſacramentum, ut qui ſtipendia merent,

d. l. 8. nam nec Procuratores privatarum rerum eſſe poſſunt. E. multo minus Reipublicæ, l. 7. C. *de Procurat.* [7] ob paupertatem, e. g. qui minus quam quinquaginta aureos habent, l. 10. ff. h. t. [8] ob ſuſpicionem, ut qui falſum teſtimonium ſubornati dixerunt, l. 9. ff. h. t. [9] ob conditionem vt ſervi contra dominos, l. 53. ff. *de iudic.* liberti adverſus patronos, d. l. 8. filij contra parentes; reverentia enim hos ab accuſatione removet; excipe crimen læſæ Maieſtatis, cum Reipublicæ ſalus ſit præferenda ſaluti parentum & patronorum. l. *pen.* C. h. t. [10] ob conſanguinitatem, ſic de enormi delicto conſanguineum accuſare non licet. l. 13. l. 14. & l. 18. C. *de his qui accuſar.*

TH. 6. Hi omnes Theſi præcedenti recitati accuſare non prohibentur, quatenus ſuam ſuorumque injuriam tuentur, l. 11. *pr.* ff. h. t. l. 19. C. *de his qui accuſ. non poſſ.*

TH. 7. Quæritur, utrum quis ad accuſationem cogatur? Reſp. negando, l. *un* C. *ut nemo invitus agere vel accuſ. cog.* excipe, niſi gravitas ſive atrocitas criminis contrarium exigat, ut crimen læſæ Majeſtatis ob commodum publicum, quo & conſcius non patefaciens eius criminis cenſetur reus; ſicque ſilentij ſui pœnas haud iniquè luit, intellige ſi hoc ſufficienter demonſtrare poſſit & non facit. *Mynſ. 5. obſ. 40.*

TH. 8. Accuſatio duplici modo inſtitui poteſt, (1) per libellum in delictis ſcilicet gravioribus, l. 3. ff. h. t. l. 3. & 10. C. *qui accuſar. non poſſ.* vel (2) oretenus & ſummariè, in delictis levioribus. l. 6. ff. h. t.

TH. 9. Qui olim accuſaturus erat, nomen rei deferebat, poſtulans, ut inter reos reciperetur, l. 3. ff. h. t. & accuſator ipſe nomen ſuum inſcribebat, ſeque obligabat ad pœnam ſimilis ſupplicij, cuius alterum accuſabat, ſi in probatione defecerit, & calumniæ convictus fuerit, l. 7. *pr.* & §. 2. ff. h. t. quod ideo ſic conſtitutum, ne innocentia cuiuſquam temere vim calumniæ patiatur, & ne impunita maneat proterva & deteſtanda mentiendi licentia.

TH. 10. Hodie iuxta conſtitutiones criminales accuſator in crimen ſe non inſcribit, (a) ſed ſaltem cautionem idoneam fidejuſſoribus aut pignoribus præſtare tenetur, vel detinendus eſt tamdiu in carcere, donec caveat de expenſis in caſum ſuccumbentiæ, item ratione iniuriarum & intereſſe; ne impunè ferat calumniam, ſi doloſè accuſaverit, *conſtit. crim. art.* 12. & 14.

(a) Et quidem hanc ob rationem, ne multi perditiſſimum & ſceleratiſſimum quemque accuſare abſterreantur, hoc enim antiquo iuris rigore obſervato, quilibet ſibi conſultius ducit, propriæ ſaluti conſulere, quam cum ſuæ vitæ iacturâ accuſatione ſua forſan temeraria alterius vitam velle eripere.

TH. 11. Sciant cuncti accuſatores, eam ſe rem in publicam notionem debere deferre, quæ munita ſit idoneis teſtibus, vel inſtructa apertiſſimis documentis, vel indicijs ad approbationem indubitatis, & luce meridiana clarioribus expedita, l. *fin. C. de probat.* unde conſtat præſumptiones non eſſe ſufficientes ad condemnandum, l. *abſen-tem ff. de pœn.* ſed tantum ad abſolvendum.

TH. 12. Defenſio reo eſt concedenda, etiamſi appareat iuſtam non eſſe, (a) quod non modo verum eſt, ſi ante concluſionem defendere ſe conetur, verùm & poſt concluſionem, imo & poſt ſententiam; licet iudex ſententiam à ſe latam retractare non poſſit, l. 14. l. 45. §. 1. l. 55. *&* l. 62. ff. *de re judic.* attamen ad Principem eam referre poteſt, ut eam mutet. l. 1. §. 27. ff. *de quæstion.* l. 27. ff. *de pœn.*

(a) Quod fit ob commiſerationem, & ut circumſpectè agat iudex in re tam ardua, ne quis innocens damnetur, l. 3. §. 7. ff. *de re milit.*

TH. 13. Quod ſi reus defenſionem negligat, eamque ſuſcipere nolit, iudici permittitur ex officio defenſiones rei quærere, & proſequi, *arg.* l. 19. ff. *de pœn. conſtit. crim. art.* 47. quod ideo fit, quia multi ſimplicitate vel metu ſe defendere, ſuamque innocentiam non ſatis declarare ſciunt.

TH. 14. Olim finiendis cauſis criminalibus anni ſpatium erat præſtitutum, l. 2. C. *ut intra cert. temp. crimin. quæst. termin* poſtea datum biennium, l. *fin.* C. *eod.* ne reus diutina cuſtodia affligatur, l. 1. *& t. t.* C. *de cuſtod. reor.* nec ulla unquam de morte hominis cunctatio debet eſſe longa. Hoc tamen iure noviſſimo non obſervatur.

TH. 15. Cauſa efficiens accuſationis, quod ex lege aliqua publica conſtituatur, l. 1. ff. *de publ. iudic.* l. 3. ff. *de prævaric.*

TH. 16. Materia circa quam accuſationes verſantur, ſunt delicta, non quidem omnia, ſed quæ publica & ſpeciali aliqua lege vindicantur.

TH. 17. Forma accuſationis ex Theſi 7. 8. *&* 9. quodammodo patet, crimen intendens alicui, in iudicium venire debet, libellum accuſationis proponere, qui nomen iudicis contineat, ut ſciatur, an competens ſit, nec ne; item nomen accuſatoris & rei; continere quoque debet crimen, locum, annum, menſem commiſſi criminis l. 3. ff. h. t. diem & horam addere non cogitur. Libellorum inſcriptionis conceptio eſt talis Coſ. & dies apud illum Prætorem (ſi nimirum in urbe fiat) vel Proconſulem (ſi in provincia) Lucius Titius profeſſus eſt, ſe Mæviam lege Iulia de adulterijs ream deferre, quod dicat eam cum C. Sejo in ci-

vitate illa, domo illius, menſe illo, Coſſ. illis adulterium commiſiſſe, &c.

TH. 18. Finis accuſationum idem eſt, qui publicorum iudiciorum, ut nimirum delicta puniantur, Reipubl. enim intereſt, ne ea maneant impunita, ob tranquillitatem in ea conſervandam.

TH. 19. Effectus eſt, ut accuſatione impletâ & perfectâ, reus pœna à legibus conſtituta per iudicis ſententiam afficiatur, l. 5. ff. h. t. ea verò non impletâ, aut ab accuſatore derelictâ, reus abſolvitur, & accuſator pœnam talionis ſubit.

TITVLVS III.

De custodia & exhibitione reorum.

Iung. tit. 3. lib. 9. C. *De exhibendis & tranſmitt. reis.*

TH. I. POST accuſationem & inquiſitionem (a) inſtitutam, Magiſtratus eſt, æſtimare, an reus in vincula ſive carcerem ſit conjiciendus, (b) ne elabi queat, l. *ult.* C. *de accuſat.* an militibus tradendus, vel fidejuſſoribus (c) aut ſibi committendus. l. 1. ff. h. t.

(a) Inquiſitio eſt duplex, generalis & ſpecialis; illa eſt, ubi iudex generaliter inquirit, an revera delictum ſit perpetratum, & à quo, l. 13. ff. *de offic. præſid.* c. *ſicut olim. extr. de accuſat.* Hæc eſt, qua in delicti autorem, de quo apparuit per generalem inquiſitionem ex iudicijs contra ipſum ortis inquiritur, l. 2. §. 5. ff. *ad L. Iul. de adult.* c. *qualiter & quando Extr. de accuſat.* huic ſpeciali inquiſitioni non eſt locus, niſi in delictis gravioribus, & ubi reus præſens eſt.

(b) Quod tum demum ſit, ubi de graviſſimo aliquo crimine agitur, & aliquatenus conſtat, accuſatum iſtius criminis eſſe reum; tunc fideiuſſoribus committi nequit, l. 3. & 9. ff. h. t. aut notorium vel confeſſum eſt crimen. d. l. 3. & 5. ff. h. t.

(c) Qui ſe pro reo obligat ad pœnam pecuniariam, ſi ſe reus non ſiſtat: non verò ad pœnam corporalem, quia nemo membrorum ſuorum eſt dominus. l. 14. ff. *ad L. Aquil.*

TH. 2. Nullus reus, etiamſi atrociſſimum delictum perpetraverit, carceri includi poteſt abſque iuſſione magnorum Magiſtratuum, aut locorum defenſorum. l. *ult.* C. h. t.

TH. 3. Si reus criminis alicuius incuſatus fuga ſibi conſulat ad evitandam carceris moleſtiam & futuram damnationem, ſolet Magiſtratus loci, ubi delictum eſt commiſſum ad Iudicem loci, ubi reus latitat, vel verſatur ſcribere, ut reum comprehendat, eumque ad locum delicti tranſmittat, l. 7. l. 11. §. 1. ff. h. t. l. 1. C. *eod.* quia in ea Provincia agebatur cauſa, inqua delictum perpetratum. Hæc reorum tranſmiſſio tempore Imp. Iuſtiniani erat neceſſaria, *Nov.* 134. *c.* 5. Hodie vix remiſſionibus utimur (niſi inter vicinos ita fuerit conventum) ratio eſt, quia non uni Principi, ut Iuſtiniani temporibus, totum Romanum Imperium abſolutè paret, nec par in parem habet imperium, ut comprehenſum tranſmittere cogatur, l. 4. ff. *de recept. arbit.* proinde ſontes ibi ut plurimùm ordinariæ pœnæ ſubduntur, ubi comprehenduntur, l. 1. *1. C. ubi de crim. Dn. Carpzov. crim.* 3. *q.* 110.

TH. 4. Quæritur, ſi Magiſtratus criminis reum in ſuo territorio perſequi cœperit, hicque in aliud territorium transfugerit, utrùm transfugientem alibi non intermiſſa perſecutione comprehendere, & ſecum reducere queat? Reſp. neg. cum hoc in alterius territorij domini præiudicium vergeret. Excipe, niſi ita inter vicinos ad tollenda eiuſmodi mala, & Reip. peſtem ſit conventum.

TH. 5. Quæritur, ſi in carcerem coniectus effracto carcere vel alio modo aufugiat, quam pœnam cuſtodes carceris, ſive commentarienſes ſubire debeant? Reſp. diſting. vel dolo, vel culpa cuſtodum, vel caſu fortuito elapſus eſt; ſi dolo, eadem pœna qua reus elapſus, puniendi ſunt, l. 4. *de cuſt. reor.* ſi culpa extra ordinem pœna arbitraria puniuntur. *Conſt. crimin. art.* 180. ſi caſu, cuſtodes carceris impunes dimittuntur. *Carpz.* 3. 9. 111.

TH. 6. Nemini privatorum conceſſum eſt, privatos habere carceres, unde ſi privatus aliquem in carcerem conijciat, crimen læſæ Majeſtatis commiſiſſe cenſetur, *l. un. C. de privat. carcer.* ab hac regula excipiuntur, [1] dominus ſervos carceri includens, l. 6. §. 3. ff. *ad SCt. Silan. l.* 2. *C. de ſerv. fug. t. t. C. de emendat. ſerv.* [2] Pater filios contumaces carceribus & vinculis coërcens, *arg. l. un. C. de emendat. propinq.*

TH. 7. In vincula conijci non poſſunt, qui incarcerari ſpecialiter vetantur; inter has prohibitas perſonas ſunt, [1] Nobiles, *arg.* l. 1. h. t. [2] Profeſſores & Doctores, (a) [3] fœminæ (b) [4] ampliſſimas facultates poſſidentes, l. 1. h. t. [5] ſalvumconductum habentes, (c) & quos vitæ innocentia immunes facit, *d.* l. 1. ff. h. t.

(a) *l.* 16. *C. de dignitat. arg. l.* 6. *C. de Profeſſor. & Medic.* Quod in praxi non

attenditur, *vide Carpzov. d. q.* 111. quoties tamen eiuſmodi perſonæ carceri includuntur, non debet eſſe locus ſubterraneus, ſed camera & locus editior.

(b) Quæ iuxta ius Iuſtinianeum carcere non onerantur, ſed in crimine leui fidejuſſoribus, ijs autem deficientibus iuratoriæ cautioni ſunt committendæ: aſt in atroci crimine in Monaſterium mittendæ, *Novel. 134. c. 9.* Hodie verò fœminas in carcerem conijci, experientia eſt teſtis.

(c) Quibus ſecuritas publica contra carcerem fide publica fuit promiſſa, quam ſervare oportet, quidvis enim potius admittendum, quàm contra jus gentium tali in caſu fidem datam turpiter frangere.

TITVLVS IV.

Ad Legem Iuliam Majeſtatis.

Iung. tit. 8. lib. 9. C.

TH. I. INTER publica delicta recenſetur primo loco crimen læſæ Majeſtatis, quod eſt crimen publicum, facto vel conſilio quid contra Reip. ſtatum, aut eius, penes quem eſt ſummum imperium, ſecuritatem aut dignitatem commiſſum, §. 2. *Inſt. h. t. l.* 1. §. 1. *ff. eod. l.* 1. *ff. de public. iudic.*

TH. 2. Crimen læſæ Majeſtatis (a) committitur vel contra Majeſtatem humanam, (a) vel contra Majeſtatem Diuinam. (c)

(a) Quæ eſt ſumma & abſoluta poteſtas.

(b) Quæ propriè huc pertinet, & ſpecialiter in iure ita appellatur.

(c) Quale crimen committitur hereſi, turbatione Sacrorum, ſacrilegio, blaſphemia, periurio. *Conſtit. crimin. art.* 106. *& ſeq.* Paganiſmo, Iudaïſmo, Apoſtaſia, *t. t. C. de Pag. & t. C. de Iudæ.*

TH. 3. Hoc crimen læſæ Majeſtatis dicitur ſacrilegio proximum, quia ad ſummam Reipublicæ ſpectat, cius proxima poſt Religionem habetur ratio, l. 1. ff. h. t.

TH. 4. Crimen læſæ Majeſtatis ſpecialiter ſic dictum eſt, vel ſimplex, (a) vel perduellio. (b)

(a) Illud eſt, quo quis dignitatem & exiſtimationem eius, qui Majeſtatem habet, debilitare machinatur, l. 1. §. 1. ff. h. t. e. g. ſtatuas eius violando, monetam cudendo, radendo, adulterando, l. 1. & 2. C. *de falſ. monet.* vectigalia nova ſine Principis permiſſu imponendo, privati carceris uſus, item purpuræ uſus, l. 4. *de veſtib. holober. & aurat.*

(b) Hæc eſt, cùm quis animo planè hoſtili affectus aliquid facto vel conſilio ad Rempublicam evertendam, vel Principis ſalutem machinatur, l. *ult.* *C.* h. t. eiuſmodi crimen committitur, (1) ſi quis exercitum prodat, (2) urbes, vel caſtra hoſtibus dolo dedat, cum defendi potuerunt, l. 3. ff. h. t. (3) coniurationem fraudulenter concitet, (4) ſi Magiſtratus maiores, aut Conſiliarios ad Principis latus ſedentes necet, l. 5. *C.* h. t. (5) ſi conſilia Principis vel Reip. hoſtibus aperiat, l. 1. §. 1. ff h. t. (6) ſi perduellem in vincula conjectum liberet, (7) ſi Rempubl. vel Principem prodat, l. 19. §. 4. ff. *de captiv.*

TH. 5. Crimen læſæ Majeſtatis committitur in ſtatu Monarchico adverſus Principem, in Ariſtocratico, adverſus Optimates, in Democratico adverſus populum, penes quem florente hoc ſtatu Majeſtas & abſoluta poteſtas erat.

TH. 6. Hoc crimen à nemine, niſi ſubdito Majeſtatis perpretrari poteſt. E. non à vaſallo, qui feloniam tantùm committit. *Clement. Paſtoralis* §. *rurſus de ſentent. & re iudic.*.

TH. 7. Quoniam tam atrox & ſceleratum crimen detegi publicè intereſt, idcirco ius accuſandi reos criminis Majeſtatis, & illis conceditur, qui aliàs non admittuntur, e. g. famoſi, ſervi, mulieres, milites, l. 7. & 8. ff. h. t.

TH. 8. Accuſantur non modo ſuperſtites, verùm etiam defuncti, quamvis aliàs reatus mortalitate extinguatur, l. *ult.* ff. h. t.

TH. 9. In ſimplici crimine læſæ Majeſtatis pœna eſt capitalis, l. 5. *C.* h. t. in perduellione præter pœnam capitalem, (1) memoria delinquentis damnatur, ne vel commemoratio tam pernitioſi ſceleris ſuperſit, l. *pen.* *C.* h. t. (2) bona eius publicantur, l. 9. *& fin.* ff. h. t. ſalvâ tamen vxoris dote & uſusfructus donationis propter nuptias, quoad vivit, quæ poſtea fiſco cedit, ratio eſt, quod innocenti uxori non debeat obeſſe mariti delictum, (3) filij, (a) ex patris delicto fiunt infames, factione teſtamenti carentes, (b) quod ideo fit, ut charitas liberorum parentes Reipubl. amiciores reddat, l. 5. §. *filij verò* *C.* h. t. ſcientes ſcelus ſuum redundaturum in liberorum caput.

(a) Non verò nepotes, quia lex eorum non facit mentionem, ſed filiorum, quorum nomine non veniunt nepotes, niſi ſubſit favor, l. 84. ff. h. t.

(b) vnde filij ab hereditate tam paterna, quam materna excluſi, nihil quidquam ex teſtamentis aliorum extraneorum capere poſſunt; filiabus tamen falcidia in bonis maternis conceditur, l. 5. §. *filias* *C.* h. t. ratio in eo conſiſtit, quia fragilitas ſexus in filiabus minus metuere efficit, in filijs autem hereditarij criminis exempla metuuntur.

TH. 10. Quæritur, an in Electores & ſtatus Imperij crimen læſæ Ma-

jeſtatis committatur? Reſp. diſting. ſi eorum læſio tendat in perniciem Imperij, affirmatur; ſin vero læſio, ſaltem vergat in eorum proprium damnum, quatenus ſuis Ducatibus præſunt, nullo damno Imperio illato, illud crimen læſæ Majeſtatis non niſi anologicè in eos committitur. *Aur. bull. tit.* 24. E. multo minus in Principes inferiores committitur.

TITVLVS V.

Ad L. Iuliam de adulterijs coërcendis.

Iung. tit. 9. libr. 9. C. d. t.

TH. I. OB criminis enormitatem & fœditatem ſecundo loco proponitur adulterium, (a) quo quidem non ipſa Reſpublica vel Majeſtas directò læditur, læduntur tamen ipſius membra, qualia ſunt perſonæ, ut conjuges.

(a) Cui annumerantur ſtuprum, ſcortatio, inceſtus, bigamia, raptus, ſacrilegium & ſodomia.

TH. 2. Adulterium (a) eſt crimen publicum, quo per illicitum concubitum doloſè (b) alterius thorus, vel eius ſpes (c) violatur.

(a) Vox adulterij dupliciter uſurpatur, (1) impropriè quod committitur circa ſolutam, l. 101. ff *de V. S.* (2) propriè denotat violationem thori alieni, l, 6. §. *ult. ff. eod.* Hinc obſerva, quod jure civili adulterium ſaltem committatur à conjugata, ſive illa rem habuerit cum conjugato, ſive ſoluto, perinde habetur, quod fit ob ſeminis & ſanguinis confuſionem, & incertitudinem prolium per id cauſatam, quare etiam major in uxore quàm in viro jure civili requiritur caſtitas.

(b) Adulterium enim ſine dolo malo non committitur, l. 12 & l. *pen.* ff. h. t. E. Si quis rem cum alia habeat, putans uxorem ſuam eſſe, adulter non cenſetur.

(c) Vnde adulterium cum alterius ſponſa de futuro committitur, cum nec ſpem matrimonij violare liceat, l. 13. §. 3. ff. h. t. attamen violatores ſponſaliorum mitius puniuntur. *Carpz.* 2. *q.* 56.

TH. 3. Hæc lex, qua adulterium vindicatur, eſt publica, à D. Auguſto, qui & Iulius appellatur, ita dicta, l. 1. ff. h. t.

TH. 4. Ratione adulterij commiſſi, actio civilis (a) & criminalis competit.

(a) Illam tam uxor, quam maritus intentare poteſt coram Iudice Eccleſiaſtico, etſi eam maritus contra vxorem inſtituat, tendit ea ad vinculi

culi matrimonialis ſeparationem (licet Canoniſtæ non vinculi, ſed thori ſeparationem admittant) & amiſſionem dotis, & donationis propter nuptias. l. 38. *&* 47. ff. *ſolut. matr. c. dixit Deus*, 21. *q.* 1. contra, ſi ab uxore adverſus maritum delinquentem intentetur, tendit etiam ad vinculi coniugalis diſſolutionem, recuperationem dotis, & lucrum donationis propter nuptias. d. l. 38. *&* l. 47. l. 8. §. 4. *& ſeq. C. de repud.* diſſoluto per hanc actionem civilem matrimonio, conceditur parti innocenti juxta Proteſtantium, non verò Canoniſtarum mentem, ad ſecunda vota tranſire; pars verò nocens ab omni matrimonio abſolutè removetur. *Carpz.* 2. *q.* 63. Operæpretium eſt monere, quod tutius ſit, ex adulterio agere civiliter quàm criminaliter, quoniam in iudicio civili leviores probationes ſufficiunt; aſt in criminali exactiſſimæ requiruntur.

(b) Hanc maritus inſtituit coram judice ſeculari, non verò vxor, ob reverentiam & obſequium marito debitum. l. 14. §. 1. ff. *ſolut. matr.* l. 48 ff. *de oper. libert.* cum ſit in eius poteſtate, hicque eius caput, & genitalis thori dominus, quem corrigere non eſt mulieris, hæc actio, ſive accuſatio ad pœnam adultero & adulteræ infligendam principaliter tendit, per conſequentiam autem dotis & donationis propter nuptias priuatio. Iure tamen Carolino conceditur & uxori actio criminalis, qua virum adulterij accuſare poteſt. *Conſtit. crimin. art.* 120.

TH. 5. Si maritus uxorem accuſare ceſſet, vel nolit, mulieris pater admittitur. l. 30. C. h. t. admittuntur etiam cognati & agnati; minores tamen viginti quinque annis ab hac accuſatione excluduntur; Excipe, niſi ſui matrimonij iniuriam perſequantur. l. 15. §. 6. ff. h. t. Extranei etiam excluduntur, quod fit ob favorem matrimonij & liberorum, ut reſtringatur potius adulterij accuſatio, ne inveniantur, qui protervè & doloſè in contumeliam coniugum & cognatorum accuſent.

TH. 6. Adulterum & adulteram ſimul accuſare, jure non conceditur. l. 8. C. h. t. d. l. 15. §. *fin.*

TH. 7. Omnes, qualiſcumque etiam dignitatis & conditionis fuerint, adulterij incuſari licitè poſſunt. l. 38. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 8. Non modo veri adulteri, ſed & quaſi adulteri accuſari poſſunt, ut ſunt, (1) domum, balneum, vineam ad adulterium perpetrandum ſcienter præbentes. l. 8. 9. *&* 10. §. 1. l. 29. §. 2. ff. h. t. (2) illicitas nuptias contrahentes. l. 7. ff. h. t. l. 34. C. h. t. (3) de adulterio tranſigentes. l. 6. §. 3. ff. *de his qui not. infam.* d. l. 29. §. 2. *& ſeqq.* ff. h. t. l. 18. C. *de tranſact.*

TH. 9. Olim adulterij pœna non fuit capitalis, ſed delinquens relegabatur, vel deportabatur. l. 5. ff. *de quæſtion.* l. 11. ff. h. t. Poſtea inducta fuit gladij pœna; quia in l. 30. C. h. t. dicitur, ſacrilegos nuptiarum gladio puniri oportere. *vid. l.* 18. C. *de tranſact.* §. 4. *Inſt. de publ.*

iudic. Hæc capitalis pœna mulieribus poſtea fuit remiſſa. *Novel.* 134. *c.* 10. *Auth. ſed hodie*, C. h. t. ubi iubentur in Monaſterium detrudi ad agendam pœnitentiam, conceſſa marito licentia uxorem intra biennij metas repetendi; quæ pœna nec hodie conſtitutionibus criminalibus videtur mutata. *art. 120.*

TH. 10. Si pars læſa, adulterio commiſſo, pro delinquente intercedat, ut maritus pro uxore, remittens uxori ſuæ commiſſum, & promittat denuò cohabitationem; vel contra ubi uxor pro marito intercedit, pœna extraordinaria & arbitraria, e.g. pecuniaria locum habet.

TH. 11. Adulterij accuſatio quinquennio præſcribitur. l. 29. §. 5. *& ſeq.* l. 31. ff. h. t. l. 5. *&* 28. C. *eod.*

TH. 12. Poteſt quis in hoc iudicio publico condemnari ex præſumptionibus, ſi nimirum ſint iuris & de iure. l. 34. C. h. t. non verò quibuſvis, etiam levioribus. Vnde etiam ſtatuitur ſi indicia & præſumptiones ad torturam ſint ſatis vehementes, ſive ſufficientes, reus torturæ ſubjicitur, ſin minus, reus iuramento purgationis præſtito abſolvitur. In reliquis delictis excepto adulterio, præſumptiones non ſufficiunt ad condemnationem, quia probationes in ijs debent eſſe luce meridiana clariores, ne innocentes damnentur.

TH. 13. Speciale eſt, quod ſervi & ancillæ poſſint in caput domini, vel dominæ torqueri. l. 3. *&* 6. C. h. t.

TH. 14. Patri permittitur poteſtas filiam cum adultero in adulterio deprehenſam impunè occidere. l. 20. l. 22. §. 2. ff. h. t. quod marito denegatur: quod ſi tamen hic adulterum occidat, mitius punitur. l. 4. C. h. t. cum ſit difficillimum, iuſtum dolorem temperare. l. 38. §. 8. ff. h. t.

TH. 15. Adulterium iure canonico conſideratur tripliciter, (1) latè, (2) ſtrictè, & (3) ſtrictiſſimè; illo modo ſignificat quamvis illicitum coïtum, ut ſcortationem, ſtuprum, bigamiam, ſacrilegium luxurioſum, &c. *can. 4. cauſ.* 32. *qu.* 4. iſto modo denotat coïtum, quo quis præter ſuam ad aliam ſolutam accedit. *c.* 15. *cauſ.* 32. *qu.* 5. quo ſenſu & ſtuprum complectitur. *can.* 24. *cauſ.* 32. *qu.* 4. *Conſtit. crimin. art.* 120. hoc modo ſumitur pro thori alieni violatione. *c.* 2. *cauſ.* 36. *q.* 1. *& in rubr. Extr. de adult. & ſtupr.*

TH. 16. Ratione juris canonici adulterium eſt ſimplex, vel duplicatum. Simplex eſt, cum uterque non eſt conjugatus; Ergo eiuſmodi committitur adulterium, (1) ſi coniugatus cum ſoluta rem habuerit, (2) ſi ſolutus cum coniugata veneri illicitæ det operam. Duplicatum eſt, cum utrimque ſunt conjugati, (Germanicè *oberhurerey.*)

TH. 17. Fornicatio, ſive ſcortatio eſt illicitus coïtus ſoluti cum ſoluta, quæ ſe publicè proſtituit. Ex hoc coïtu procreati vocantur ſpurij. l. 23. ff. *de ſtat. hom.* §. 12. *Inſtit. de nupt.* huius pœna hodie eſt arbitraria. *Carpzov. 2. qu.* 70. aliàs iure civili meretricia conſuetudo non punitur. l. 13. §. 1. ff. h. t. l. 29. C. *eod.* ſicut nec concubinatus, ob rationem politicam; ut adulteria & ſtupra honeſtiſſimarum fœminarum evitarentur.

TH. 18. Stuprum (a) eſt concubitus illicitus, cum vidua, vel virgine, (b) honeſtè vivente, (c) vel puero (d) factus, l. 6. §. 1. ff. h. t. l. 34. §. 1. ff. h. t. l. 22. *&* 29. C. h. t.

(a) Vox ſtupri dupliciter ſumitur, (1) generaliter denotat omnem illicitum coïtum, ſive cum ſoluta, ſive coniugata contigerit, quo ſenſu, & adulterium complectitur. (2) ſpecialiter ab adulterio differt, denotans coïtum illicitum ſupra deſcriptum.

(b) Talis coïtus dicitur virginum illicita defloratio. *c. lex illa. 26. qu.* 1.

(c) Ergo ſi quis cum meretrice rem habuerit, ſtuprum non committit. l. 22. C. h. t.

(d) Eiuſmodi coïtus eſt nefanda libido, & contra naturam, quæ nequidem ab ipſis beſtijs committitur. l. 31. C. h. t. hoc coïtu venus mutatur in aliam formam.

TH. 19. Stuprum eſt duplex, voluntarium & violentum.

TH. 20. Stuprum voluntarium eſt, quod ſine vi committitur; cuius pœna in ſtupratore honeſto eſt publicatio dimidiæ partis bonorum, in humili coërcitio corporis cum relegatione. §. 4. *Inſt. de public. iudic.* iure divino & canonico præcipitur, ut corrupta virgo dotetur, aut ducatur; non verò, ut neceſſariò eam ducat in uxorem, quia accidere poteſt, eum plures ſtupraſſe, aut eum eſſe coniugatum, vel ſtupratæ cognatum: quare copulativa in alternativam eſt mutanda. e. g. ut dotet & ducat, hoc eſt, ut eam dotet, aut ducat. *Deuter.* 23. *c.* 1. *&* 2. *Extrav.* h. t.

TH. 21. Stuprum violentum eſt, quod per vim (a) committitur, ubi quis virginem, vel viduam honeſtam violenter comprimit. Huius pœna eſt, quàm lex Iulia de vi publica dictitat, capitalis. l. 3. §. 4. ff. *ad L. Iul. de vi publ.*

(a) Vt (1) ſi quis virginem manibus pedibuſque renitentem & clamantem comprimat, vel (2) atrociſſimis minis ad id compellat, vel (3) nondum viripotentem ad hoc adigat. *Carpz.* 2. *q.* 75. *Conſtit. crimin. art.* 119.

TH. 22. Quæritur, ſi iuvenis ſub promiſſione coniugij puellam ſtu-

pret, utrum eam ducere cogatur? Reſp. affirm. quia hæc promiſſio eſt facta per modum contractus, hic ex parte puellæ eſt perfectus & impletus, implendus etiam eſt ex parte ſtupratoris, quamvis fictè & doloſè promiſerit matrimonium, ne dolus ſuus ei proſit, virginique noceat.

TH. 23. Quæritur, utrum deſponſati ſtuprum committant, ſi inter ſe coëant ante nuptias celebratas? Reſp. negando, quia ſtuprum extra coniugium committitur, deſponſati autem pro coniugibus habentur, *arg.* l. 30. ff. *de reg. iur.* hinc puniri non debent pœna ordinaria, cum peccent ſaltem contra Eccleſiæ conſtitutionem, & ritus exteriores; ſi quæ tamen pœna ſit irroganda, erit mitis.

TH. 24. Inceſtus, (Germanicè *eine blutſchande*) eſt concubitus, ſive coïtus illicitus inter conſanguineos, vel affines (a) coniungi prohibitos, doloſè (b) commiſſus.

(a) Qui quo proximiores, eo gravius cenſetur delictum, ut inter parentes & liberos, inter ſocerum & nurum, ſocrum & generum. Horum pœna eſt capitalis; ſi inter collaterales; tunc attendendum, an ſint proximiores, ut frater & ſoror eorumque filius, vel filia, vel patruus & amita, avunculus & matertera, omnes hi delinquentes, fuſtigati relegantur, an remotiores, qui tantum relegantur. *Carpz.* 2. *q.* 73. l. 38. §. 1. ff. h. t.

(b) Ergo concubitum illicitum exercens cum muliere, putando eam ſibi non eſſe ſanguine iunctam, vel affinem, inceſtum non perpetrat. d. l. 38. §. 1. & 2. ff. h. t. ſed ſtuprum, ſi cum honeſta perſona venerem illicitam exerceat; aut ſcortationem, ſi cum inhoneſta, vel meretrice.

TH. 25. Inceſtus eſt duplex, vel iuris gentium, vel iuris civilis; ille eſt inter aſcendentes & deſcendentes, hic inter collaterales.

TH. 26. Inceſtus eſt ſimplex, vel coniunctus cum adulterio, ut ſi pater, vivente ſua uxore, cum filia concumbat.

TH. 27. Sacrilegium (a) luxurioſum eſt coitus illicitus, quem perſona cœlibatum vovens cum alio committit. Pœna huius eſt ultimum ſupplicium, l. 5. C. *de Epiſcop. & Cleric. Novel.* 123. c. 43. c. 27. *cauſ.* 30. *quæſt.* 1.

(a) Ita dicitur ob violatam rem ſacram ratione voti, quo ſe Deo mancipant tales virgines.

TH. 28. Bigamia eſt crimen publicum, quo perſona coniugata; priori coniuge adhuc vivente cum alia inſuper perſona matrimonium init. Huius pœna eſt capitalis, quàm innocentis coniugis interceſſio mitigare nequit. *Carpzov.* 2. p. 66. *conſtit. crimin. art.* 121. quod ſi

mas vel fœmina ſoluta cum perſona conjugata, matrimonium celebret, ignorans perſonam hanc eſſe conjugatam, extra omnem legis pœnam habetur. *Carpz.* d. l.

TH. 29. Raptus eſt crimen publicum, quo perſona honeſta libidinis cauſa de loco in locum per vim abducitur.

(a) Quæ hîc intelligitur adhibita in ipſo actu raptus, & reſpectu conjugis aut parentum, quibus uxor, aut filia invitis, aut neſcientibus rapitur; & licet rapta conſentiat, vis tamen reſpectu parentum videtur commiſſa. Huius pœna eſt ultimum ſupplicium, ſiue concubitus ſequatur, ſive non. l. *un.* C. *de rapt. virgin. Conſtit. crimin. art.* 118.

TH. 30. Quæritur, ſi rapta raptorem in matrimonium petat, an ob id gladij pœna remittatur? Reſp. diſting. inter ius civile & canonicum, quoad illud negatur, d. l. *un. verſ. nec ſit facultas* C. quoad hoc affirmatur, c. *accidens Extr. de raptor.* c. *ſi antea* 36. q. 2. idem in terris Imperij aſſeritur, ob hanc rationem, ne mulieri abſque ſua culpa ſtupratæ medium purgandæ ignominiæ adimatur, nec afflictæ ulterior addatur afflictio; impunis tamen hic raptor non eſt, ſed in perpetuum relegari ſolet.

TH. 31. Sodomia (a) eſt concubitus contra naturam, (b) cuius pœna eſt ignicremium.

(a) Hoc crimen ab urbe Sodoma appellatum.

(b) Vbi beſtialis homo cum brutis tam nefarium & deteſtandum delictum perpetrat, qui cum bruto igne comburitur, & quamvis brutum ob deſtitutam voluntatem & intellectum propriè non delinquat, punitur tamen ob delicti immanitatem, & ad abolendam facti memoriam, *arg. Levitic.* c. 20. c. *mulier* 15. q. 5. *ordin. crim. art.* 116.

TH. 32. Lenocinium (a) eſt duplex, (1) quæſtuoſum & (2) gratuitum.

(a) Quod à mulieribus, quæ lenæ vocantur, derivatur, l. 43. §. 7. ff. *de rit. nupt.*

TH. 33. Lenocinium quæſtuoſum eſt crimen publicum, quo vel maritus uxorem, vel parens liberos, vel dominus ſervos alienæ libidini quæſtus cauſa proſtituit, (a) vel ubi quis domum ſuam ad id ſciens præbet. (b) l. 4. §. 2. ff. *de his qui not. infam.* l. 43. §. 6. *& ſeqq.* ff. *de rit. nupt.*

(a) Eius pœna eſt ultimum ſupplicium. *Nov.* 14. *conſtit. crim. art.* 120.

(b) Vel quorum ope & opera ſtupra & adulteria committuntur, ut lenones

& lenæ, qui pro delicti qualitate pœnâ relegationis, fuſtigationis, affixionis ad palum ignominioſum, abſciſſionis aurium puniuntur. *Conſt.crim. art.*123.

TH. 34. Lenocinium gratuitum committitur, quando quis vxorem in adulterio deprehenſam retinet, & adulterum in ipſo turpitudinis actu deprehenſum ſine pretio dimittit. l. 2 §. 2. l. 29. §. 2. *& ſequ.* ff. h. t. quod eſt extra legis pœnam. l. 2. §. 3. l. 29. §. 2. 3. *&* 4. ff. h. t. l. 6. §. 3. ff. *de his qui not. infam.*

TITVLVS VI.

Ad Legem Iuliam de vi publica.

Iung. tit. 12. lib. 9. C. *De vi publica & privata.*

TH. 1. VIs variè dividitur, [1] ratione cauſæ efficientis, (a), [2] ratione modi, (b), & [3] inſtrumenti. (c)

(a) Eſtque [1] vel divina, vel humana; illa eſt à Deo, quo refertur tempeſtas, vis fluminis, terræmotus, ſterilitas, &c. l. 15. §. 2. l. 25. §. 6. ff. *locat. conduct.* l. 24. §. 9. ff *de damn. infect.* hanc hoſtes, vel cives inferunt, eſt [2] juſta, vel iniuſta, illam ius dictitat, & ſceleratis à Magiſtratu rectè infertur. l. 3. ff. *quod met. cauſ.* hæc eſt ab injuria. d. l. 3.

(b) Hoc reſpectu eſt quintuplex, (1) eſt expulſiva, qua quis alium re ſua immobili dejicit, atque expellit. *t. t. ff. de vi & vi armat.* (2) ablativa, qua quis alteri res mobiles aufert, & eripit. *t. t. ff. de vi bonor. raptor.* (3) compulſiva, qua quis alium quid dare, aut facere compellit. *t. t. ff. quod met. cauſ.* (4) turbativa, qua quis in poſſeſſione ſua turbatur. *t. t. ff. uti poſſidet.* & (5) inquietativa, qua is, qui non poſſidet, alterum in ſuo aliquid facere prohibet.

(c) Eſtque publica, vel privata; de illa hic agitur. *rubr. & t. t. ff. h. t.* §. 8. *Inſtit. de public. iudic.* de hac tit. ſeq. agetur.

TH. 2. Tertium crimen publicum eſt vis publica, quæ fit armis, (a) vel alio atrociori modo. l. 5. 7. 8. *&* 10. ff. h. t.

(a) Sive omni eo, quo alicui noceri poteſt. Vnde per arma intelligimus gladios, fuſtes, lapides. l. 9. l. *pen.* §. 1. ff. h. t. §. 8. *Inſt. de publ. iudic.*

TH. 3. Vis hæc publica varijs modis committitur, [1] qui arma domi ſuæ, vel in villa præter neceſſarium venationis & itineris, vel navigationis uſum cogit, vel habet. l. 1. ff. h. t. Excipe, niſi ea commercij cauſa habeat. l. 2. ff. h. t.

TH. 4. [2] Qui turbæ ſeditioniſve faciendæ cauſa conſilium init, eo-

ve nomine homines liberos & ſervos in armis habet, vim publicam committere intelligitur. l.3. *pr.* ff. h. t.

TH. 5. [3] Si pubes cum telo in publico ambulat; Excipe, niſi tutandæ ſalutis cauſa arma gerat, quo caſu non videtur hominis occidendi gratia arma portare. l. 11. §. 2. ff. h. t.

TH. 6. [4] Qui peſſimo exemplo, convocatâ ſeditione villas, domos, naves oppugnant, effringunt, expugnant, (a) bonaque vi armatâ rapiunt, publicam vim committunt. l. 3. §. 2. ff. h. t.

(a) Hoc delictum non videtur conſummatum, ſi ſaltem oppugnatio, abſque effractione & expugnatione ſit facta. l. 3. *&* l. 11. ff. h. t.

TH. 7. [5] Qui ex incendio quid armati rapiunt, aut incendium faciunt. l. 3. §. 3. l. 5. ff. h. t.

TH. 8. [6] Qui hominibus armatis poſſeſſorem domo, agro, aut navi ſua dejiciunt. l. 3. §. 6. l. 4. ff. h. t.

TH. 9. [7] Qui puerum vel fœminam per vim ſtupraverit. l. 3. §. 4. ff. h. t. quamvis de ſtupro, incendio & cæde delinquens lege Cornelia teneatur, attamen nihil prohibet, quemquam pluribus legibus teneri.

TH. 10. [8] Qui puerum, vel fœminam vi rapuerit. l. 6. ff. h. t. l. 5. §. 2. ff. h. t. *l. un.* C. *de rapt. virg.*

TH. 11. [9] Qui dolo malo facit, quo minus judicia tuto exerceantur. l. 10. ff. h. t.

TH. 12. [10] Qui nova vectigalia abſque Principis conſenſu exercent & extorquent. *l. ult.* ff. h. t.

TH. 13. Pœna vis publicæ, ex L. Iulia regulariter (a) erat aquæ & ignis interdictio, in cuius locum poſtea ſucceſſit deportatio. l. 10. §. 2. ff. h. t. §. 8. *Inſt. de publ. iudic.* l. 3. ff. *ad L. Iul. peculat.* delinquentes notantur quoque infamia, quia omnia iudicia publica infamant. l. 7. ff. *de publ. iudic.* Hodie pœna eſt arbitraria, quæ interdum ratione circumſtantiarum ad mortem extendi poteſt. *Carpzov. 1. qu.* 49.

(a) Hæc pœna exacerbatur, vel major eſt in ſervis, incendiarijs, effractoribus, & expilatoribus villarum, qui capitis pœnâ afficiuntur. l. 4. *&* 11. ff. h. t. l. 8. C. *eod.*

TH. 14. Ex noviſſimo iure Carolino huc quoque referuntur [1] graſſatores, qui ex propoſito cum armis in publicis vijs peregrinantes aggrediuntur, veſtibus, pecunijs, alijſque ſuis rebus ſine homicidio exſpoliant, quorum pœna eſt ultimum ſupplicium. *Conſtit. crim. art.* 126. [2] violatores pacis publicæ, qui contra conſtitutiones de pace publica, vi armata congregatis hominibus aliquem, eiuſve ædes, aut bona dolo malo injuriæ inferendæ cauſa invadunt, qui puniuntur gladio, aut

banno Imperiali. *vide Receſſ. Imper. Zu worms anno* 1521. [3] Percuſſio alicuius in loco privilegiato, ut in caſtro, domo, ſive palatio Principis, curia, &c.

TITVLVS VII.

Ad Legem Iuliam de vi privata.

TH. I. QVARTVM crimen publicum eſt vis privata, quæ ſine armis fit, & privatam ſecuritatem violat. l. 2. *& ſeqq.* ff. h. t. §. 8. *Inſt. de publ. iudic.*

TH. 2. Vis privata varijs modis committitur, (1) ſi qui ex naufragio dolo malo quid rapiunt. l. 1. §. 2. ff. h. t. (2) qui convocatis hominibus aliquem verberant, pulſant, non verò occidunt. l. 2. ff. h. t. (3) qui propria authoritate debitoris bona occupant. *l. pen. & ult.* ff. h. t. (4) qui ſine armis aliquem ex agro, vel poſſeſſione ſua dejiciunt. l. 5. ff. h. t. (5) qui improbè in alienam litem coëunt, ut quicquid ex condemnatione redactum fuerit, inter eos communicetur. l. 6. ff. h. t.

TH. 3. Damnati de vi privata tertiam bonorum partem, ex L. Iulia ratione pœnæ amittunt, & notantur infamia. l. 1. ff. h. t. d. §. 8. *Inſt. de publ. iudic.* Pœna hæc hodie eſt arbitraria. *Carpzov. 1. qu. 40.*

TITVLVS VIII.

Ad Legem Corneliam de ſicarijs & veneficijs.
Iung. tit. 16. lib. 9. C. d. t. & tit. 18. *ibidem, De maleficijs & Mathematicis.*

TH. I. VIs dividitur ratione legum vetantium, ita ut (1) alia ex L. Iulia (*de qua tit. 6. & 7. diximus,*) alia ex L. Cornelia, (a) (*de qua h. t.*) alia ex L. Pompeïa, (*de qua tit. ſeq.*) vindicetur.

(a) Hæc nomen ſortita eſt à L. Cornelio Sylla Dictatore, qui eam tulit. l. 2. §. 32. ff. *de orig. iur.*

TH. 2. Quintum crimen publicum deſcendit ex L. Cornelia, quæ de tribus delictis agit, (1) de homicidio, (2) veneficio, & (3) incendio, eaque punit, ſi nimirum talia delicta doli peragantur.

TH. 3. Ho-

TH. 3. Homicidium committentes, vocantur ſicarij, ita dicti à ſica, quod genus gladij brevioris. §. 5. *Inſt. de publ. iudic.*

TH. 4. Homicidium generaliter & ſpecialiter eſt conſiderandum. Homicidium generaliter acceptum eſt occiſio hominis violenter commiſſa, qua anima eius à corpore ſeparatur; hoc ſenſu, non modò homicidium doloſum, verùm etiam culpâ latâ, levi, & leviſſimâ, imò & caſu commiſſum complecti intelligitur, l. 5. C. h. t. Homicidium ſpecialiter acceptum eſt crimen publicum, quo homo doloſè occiditur, l. 1. ff. h. t. l. 3. C. *eod.* hinc dicitur homicidium propriè dictum duo requirere ſubſtantialia, (1) ipſum factum h. e. delictum & (2) dolum, qui æſtimatur ex voluntate occidendi. Nihil autem intereſt, an voluntas directò & per ſe feratur in homicidium, an verò indirectò & per conſequentiam; voluntatem directò quis habet, qui occidendi animo aliquem aggreditur; voluntatem indirectò & per conſequentiam, qui vulnus infligit, ex quo immediatè ſequitur mors, e.g. qui vulnerare ſaltem voluit, uſus eſt inſtrumento ad homicidium perpetrandum apto: quibus caſibus ordinariæ pœnæ eſt locus, quia vulnerans haud difficulter videt, viam eſſe aptam ad mortem, mortemque re ipſa eo actu infert. non obſtat, quod crediderit, ſe eo actu non perventurũ ad mortem, neque intenderit illam eo actu inferre, *Carpz.* 1. q. 1. quia paria ſunt occidere & cauſam mortis præbere. l. 15. ff. h. t.

TH. 5. Homicidium in generali ſignificatione eſt deſtinatum, vel non deſtinatum. *de quo Theſi* 22.

TH. 6. Homicidium deſtinatum eſt licitum (a) vel illicitum. (b)

(a) Illud fit [1] à carnifice Magiſtratus iuſſu, [2] in latrone, l. 1. C. *quando cuique ſe ſine iudic. vindic.* [3] in ſtupratore violento, l. 1. §. 4. ff. h. t. [4] in transfuga, l. 3. §. *ult.* ff. h. t. [5] aggreſſore, l. 2. *& ſeq.* C. h. t. l. 3. ff. *de juſtit. & iur. conſtit. crimin. art.* 139. *Geneſ.* 14. v. 14. *Exod.* 21. 13. *Deuter.* 29. v. 9. [6] fure nocturno: intellige, ſi rerum dominus, cui furto res auferuntur, ei ſine vitæ periculo parcere nequit, l. 9. ff. h. t. c. 3. *Extr. de homic. Exod.* 22. *verſ.* 2.

(b) Hoc à quolibet, qui doloſo occidendi animo id committit, & vocatur homicidium doloſum, criminoſum, voluntarium.

TH. 7. Cæde inſecuta ſemper & indiſtinctè præſumitur animus occidendi, (a) excipe, niſi aliud ex circumſtantijs probabiliter colligi poſſit, l. 1. C. *unde vi.* ut ex loco vulneris, ex armorum genere, ſic calceo aut loro cædens, non poteſt videri habuiſſe animum occidendi, ſi fortè mors inſecuta fuerit, aut ſi quis data alapa in terram cadens collum frangat.

(a) l. 1. & 5. C. h. t. l. *ſi non convicij* C. *de injur.*

TH. 8. Quivis homicida ſive ſit maſculus, ſive fœmina, ſive laïcus, ſive Clericus L. Cornelia tenetur, intellige de jure civili, & ſi doli ſint capaces (a) *arg.* l. 39. ff. *de pœn.* l. *ult.* ff. h. t.

(a) E. infans, infantiæ proximus & furioſus non tenentur, ſi tale delictum committant, cum alterum innocentia conſilij, alterum fati infelicitas excuſet. l. 12. ff. h. t. l. 14. ff. *de offic. Præſid.* pubertati verò proximi ſemper doli capaces habentur, l. 23. ff. *de furt.* qui tamen ob infirmius iudicium non pœna ordinaria, ſed extra ordinem puniuntur.

TH. 9. Quæritur, an minores hoc delictum incurrentes pœna ordinaria afficiantur? Reſp. affirm. l. 1. C. *ſi adverſ. delict.* l. 9. §. 2. l. 37. §. 1. ff. *de minorib.* licet ob iuſtam cauſam pœna à iudice mitigari queat, d. l. 37. quod tamen non eſt regulare.

TH. 10. Homicidium in homine, cuiuſcunque ſit conditionis, ſtatus, ætatis, aut ſexus commiſſum, eſt puniendum, *arg.* l. 1. § 2. ff. h. t. l. *pen.* C. *eod.* l. 23 ff. *ad L. Aquil. conſtit. crim. art.* 137. *Exod.* 20. v. 20. *Matth.* 20. quia omnes ad imaginem Dei ſunt creati, l. 17. C. *de pœn.* & Decalogus abſque diſcrimine præcipit, non occides, E. ſi quis ſervum ſuum occidit, reus eſt.

TH. 11. Quæritur, utrum fœtum abigens occidat, & L. Cornelia teneatur? Reſp. diſting. inter vitalem & non vitalem, qui vitalem h. e. quadraginta diebus majorem abigit, tenetur, l. 39. ff. *de pœn.* ſi verò infra quadraginta dies fuerit partus, non intelligitur vitalis. E. nec occidi propriè poteſt dici, cum anima adhuc careat, nec homo ſit, l. 38. §. 5. ff. *de pœn.* quo caſu extra ordinem punitur exilio, vel relegatione.

TH. 12. Quæritur, ſi quis percuſſerit mulierem fœtum in utero geſtantem, an ordinaria pœna teneatur? Reſp. diſting. ſi partus fuerit animatus & mulier abortiverit, affirmatur, detque delinquens animam pro anima; ſin inanimatus, mulctetur pecunia. Nota, animæ viventis præcipuum eſt indicium motus.

TH. 13. Quæritur, ſi homicidium à pluribus ſit commiſſum, ubi omnes in necem conſpirarunt, an omnes ordinaria pœna ſint afficiendi? Reſp. affirm. *Conſtit. crim. art.* 148. quòd ſi non in alterius necem conſpiraverint, occidant in rixa exorta, nec explorari poſſit, à quo ſit occiſus, omnes extra ordinem puniuntur, l. 1. §. 3. l. *ult.* ff. h. t. ſin conſtet, à quo necatus ſit, is ſolus huius criminis cenſetur reus, d. l. 1. §. 3. *Carpz.* 1. q. 25.

TH. 14. Qui ſemetipſum interfecit, homicida eſt, l. 3. *pr.* ff. *de bon. eor. qui ante Sent. Conſt. crim. Carol.* 5. *art.* 135. ex hac Theſi ſequens formatur quæſtio.

TH. 15. Vtrum ſemetipſos necantes; adhuc pœnam patiantur in cadaveribus vel bonis? Reſp. diſting. inter αὐτόχειρας in delicto exiſtentes, vel non exiſtentes; illi ſi fuerint accuſati vel in ſcelere deprehenſi, bona ipſorum heredibus adimuntur, fiſcoque cedunt; hi autem non, qui ex melancholia, furore, tædio vitæ, vel alia cauſa ſibi vitam adimunt, l. *ult. pr. & §.3. ff. de bonis eor. qui ante ſent. mort ſibi conſciv.* dicta hæc ratione iuris civilis obtinent, aſt iure noviſſimo, purà conſtitutionibus Carolinis diſtinguendum eſt, utrum reus ſit pœnæ capitalis una cum publicatione bonorum, an capitalis ſaltem abſque bonorum publicatione. Illo modo publicatio bonorum valet; hoc modo non item. Idem quoque hodie aſſeritur de ijs ex melancholia, furore vel deſperatione malæ conſcientiæ ſe interficientibus. *Conſtit. crimin. art.* 113.

TH. 16. Quæritur, an mandans occidi teneatur L. Cornelia? Reſp. affirm. quod enim quis per alium facit, per ſe feciſſe videtur, l. 11. §.3. ff. *de iniur.* l. 15. ff. h. t. cum ſit proxima homicidij cauſa; interim mandatarius æquè tenetur hac lege, quia cædem perfecit.

TH. 17. Is propriè mandat, qui ſine mercede homicidium exſequendum committit, qui verò alium interveniente pecuniâ interfici curat, dicitur aſſaſſinium committere. c. 1. *de homicid. in 6.*

TH. 18. Quæritur, an conſulens homicidium lege Cornelia teneatur? Reſp. illud ſub hac reſtrictione eſſe verum, quatenus is, cui conſilium eſt datum, eo motus ſit ad crimen committendum, quod aliàs non erat commiſſurus: quo caſu conſulens eſt proxima cauſa moralis influens in talem effectum; aliud ſtatuitur, ſi parato ad hoc crimen perpetrandum conſilium dederit, quoniam abſque eius conſilio committeret: punitur tamen pœna arbitraria.

TH. 19. Quæritur, an quis ob neceſſariam ſui defenſionem aggreſſorem occidere poſſit? Reſp. affirmando, ſi nimirum moderamen inculpatæ defenſionis obſervetur, h. e. moderata & iuſta defenſio, l. 3. ff. *de iuſt. & iur.* quod ſibi quiſque ſit proximior, & charitas incipiat à ſe ipſo, l. 2. C. h. t. unde aſſeritur, ſi aggreſſus non potuerit periculum effugere, niſi aggreſſorem repellat, primum ictum expectare non obligatur, quia is poſſit eſſe irreparabilis, quo facto defenſio eſſet nimis ſera, inſuper ipſa natura docet vim repellere licere.

TH. 20. Iuſta & moderata iſta defenſio tria nequirit, cauſam, (a) modum (b) & tempus. (c)

(a) Illa debet eſſe iuſta offenſio *Conſtit. crim. art.* 140. Ergo qui repellit miniſtros iuſtitiæ, ad iuſtitiæ executionem miſſos, eoſque occidit, hac lege Cornelia tenetur.

(b) Iſte proportionem defenſionis contra periculum imminens attendit, *d. l. 3 ff. de inſtit. & jur. l. 45. ff. ad L. Aquil. conſtit. crimin. art* 140. *c.* 35. *extr. de ſentent. excomm.* Ergo ſi quis fugientem invaſorem etiam poſt vulnus grave acceptum ſequatur, & occidat, aut mutilet, excedit iuſtam defenſionem; cum aggreſſoris fuga facit ceſſare invaſi periculum, quibus in caſibus extra ordinem ſaltem punitur ratione exceſſus: pœna autem ordinaria affici nequit propter iuſtam commotionem, cuius moderatio eſt difficillima, l. 1. §. *ult.* ff. h. t.

(c) Hoc imprimis in moderamine inculpatæ defenſionis obſeruatur, defenſio enim non ex intervallo, ſed incontinenti fieri debet.

TH. 21. Quod ſi quis aliquem interficiens dicat, ſe iuſta defenſione fuiſſe uſum, tunc hoc probare tenetur duobus teſtibus, l. 23. ff. *de teſtibus.* quia præſumptio ſe dolo malo alterum necaſſe ſemper eſt contra ipſum, l. 1. & 5. *C.* h. t. Si verò probare nequeat, aſſerendo ſe remotis arbitris ab invaſore occiſo eſſe aggreſſum, tunc torturæ ſubjici poteſt, præſertim ſi ſit perſona vilis, vel omnis probatio deficiat; ſin perſona honeſta & proba, & probatio etiam leviuſcula adſit, iuramento purgationis eſt locus.

TH. 22. Homicidium non deſtinatum eſt culpoſum, vel caſuale.

TH. 23. Homicidium culpoſum (dicitur Germanicè, *eine entelibung die aus vnvorſichtigkeit wieder des thaters willen geſchichte*) ſt ex culpa lata, (a) levi, & leviſſima. (b)

(a) Illius pœna eſt fuſtigatio cum perpetua relegatione, vel relegatio ſola pro diverſitate circumſtantiarum: ex dictis patet culpam latam (multo E. minus levem vel leviſſimam) in lege Cornelia pro dolo non haberi, l. 7. ff. h. t. quare patrator etiamſi non proclamet in dejectione rami, hominemque occidat lege hac non teneri, ſed L. Aquilia d. l. 7. civiliter ad ceſſationis operarum & medicationis ſumptum reſarciendum, *Exod.* 21. 19. criminaliter verò ob culpam latam in metallum damnatur.

(b) Ratione iſtius & huius pœna arbitraria infligitur, quæ eſt vel mulcta pecuniaria vel incarceratio, vel relegatio temporalis: e. g. ſi quis noctû infantem per ſomnum comprimat, *C. conſuluiſti* 12. *q.* 1. qui canem mordacem & infeſtantem ſaxo petens prætereuntem occidat, ceſſante tamen omni dolo.

TH. 24. Culpa eſt prætermiſſio diligentiæ debitæ, hanc dupliciter reus quis committere poteſt, [1] ſi quis det operam rei illicitæ, [2] ſi quis quidem rem licitam agat, ſed non adhibitâ omni diligentiâ, ne homo occideretur, uti theſi præcedenti innuimus, *c. Presbyter 7. c. continebat* 8. *extra de homicid.*

TH. 25. Homicidium caſuale (vocatur Germanicè, *eine ungefahrliche entleibung*) eſt duplex, [1] ſimpliciter tale, vel [2] ſecundum

quid. Homicidium caſuale ſimpliciter tale, committitur caſu fortuito abſque omni cauſa & culpa, eiuſmodi homicidium eſt impune, *conſtit. crimin. art.* 146. Homicidium caſuale ſecundum quid committitur quidem caſu fortuito, caſum tamen culpa præcedit, *arg.* l. 1. §. 3. ff. h. t. eiuſmodi homicidij pœna eſt pecuniaria vel relegatio temporalis.

TH. 26. Quæritur, ſi ebrius aliquem occidat, an lege Cornelia teneatur? Reſp. diſting. vel eſt ſummè ebrius, ut ebrietas mentis exilium inducat, tunc negatur, quia non ex dolo, ſed ex culpa in ebrietate conſiſtente peccat, *arg. l. 11. §. 2. de pœn. l. 6. §. 7. ff. de re milit.* ſin verò modicè ſit ebrius, dolus adeſſe præſumitur; quia talis ebrietas rationem omnino exulare non facit: ob id quoque ordinariæ pœnæ eſt locus. Notandum, ſi iuxta iuſtitiæ rigorem progredi vellemus, duplici ſanè pœnâ afficiendus foret ebrius, cum delictum delicto cumulaverit; quodnam enim vitium majus ebrietate, ex qua omnia reliqua vitia, quotquot etiam fuerint, quaſi ex naturali fonte ſcaturiunt, *c. fin. diſtinct.* 35. Loth, David, &c. homines ad cor Dei placabili hoc ebrietatis veneno enormiter peccarunt, ut ſacra pagina indicat.

TH. 27. Lex Cornelia capitaliter etiam punit veneficium, (a) quia adhuc plus eſt hominem veneno, quam gladio è vivis rapere, l. 1. C. *de malef. & mathem.* cum eiuſmodi inſidioſum & clandeſtinum delictum minus præcaueri & vitari poſſit.

(a) §. *item lex 5 Inſtit. de public. jud. l. 28. §. 9. ff. de pœn.* Vnde veneficus dicitur, qui hominis necandi cauſa venenum dedit, l. 1. §. 1. ff. h. t. vel venenum malum ad interitum hominis fecit, vel vendidit, vel habuit, *d.* l. 1. §. 1. l. 3. *pr.* ff. h. t. datur & venenum bonum, l. 236. *de verb. ſignif.*

TH. 28. Pœna veneficorum hodie eſt rota, *conſtit. crim. Dn. Carpz.* 19. 20.

TH. 29. Sub veneficio complectitur & Magia, ars diabolica, hanc colentes cum diabolo colludunt, cuius ductu per ſuſurros, incantationes, diras, devotiones, ſparſos cineres, &c. inaudita in hominum, eorumque bonorum ruinam moliuntur, dum homines necant, cruciatibus, doloribuſque gravibus miſerrimè affligunt, animalia perdunt, tempeſtatem, ventos, imbrem, ſiccitatem, tonitrua procurant, meſſem deſtruunt, & ſexcenta alia, l. 4. *& ſeqq.* C. *de maleſic. & Mathemat.*

TH. 30. Magia hîc in iure noſtro eſt duplex, (1) illa eſt, quâ Magi expreſſum pactum cum diabolo ineunt, Deum abnegantes diabolo ſe

mancipant; horum pœna eſt ignicremium, etiamſi nemini deteſtanda ſua arte damnum intulerint, *Dn. Carpzov.* 1. q. 49. (2) hæc eſt, qua Magi abſque expreſſo pacto ſ. fœdere diaboli auxilio & conſilio utuntur; quod fit, dum in cryſtallo, ſpeculo, vitro perpolito dæmonem interrogant de rebus furto amiſſis; quorum pœna licet ſuperiori ſit mitior, capitalis tamen cenſetur. *Carpz.* 1. q. 50. *Conſtit. crimin. art.* 109.

TH. 31. Qui ſuperſtitioſis remedijs utuntur, e. g. caracteribus, imaginibus, certis verbis, quibus ſanctiſſimum Dei nomen temerè uſurpant, extra ordinem pœnâ arbitrariâ, putà, relegatione, fuſtigatione, vel carcere puniuntur. *Dn. Carpz.* d. 4. l. 50.

TH. 32. Magorum nomine veniunt quoque Mathematici, (a) aruſpices, (b) augures, (c) vates. (d)

(a) Ars Mathematica, quatenus liberalis eſt, & bona, ut Arithmetica, Geometrica, &c. huc non refertur, cum multos egregios ac præſtantes artifices habeat; ſed quatenus eſt mala; unde de illis Mathematicis hic ſermo eſt, qui arte liberali abutuntur, & prætextu artis magiam, vel alias divinationum præſtigias, quæ cauſam non habent phyſicam, ad injuriam vel hominum interitum exercent.

(b) Qui exta pecudum & fibras inſpicientes futura divinare conantur.

(c) Qui ex avium volatu, & cantu proſpera & adverſa hominibus imminentia ominantur.

(d) Qui ſe Deo plenos ſimulant, & conſulentibus reſponſa dant.

TH. 33. Sciendum quod illi quorum inſtinctu venefici diabolicis ſuis artibus homini nocent, ultimo ſupplicio puniantur. Qui verò de rebus furto amiſſis, vel morbis curandis Magos conſulunt, arbitrio iudicis plectuntur. *Dn. Carpzov.* 1. q. 50.

TH. 33. Terito agit lex Cornelia de incendiarijs, qui dolo malo incendium excitant, (a) quod ſi culpâ hoc committant, ceſſat lex Cornelia, ſive publicum iudicium, & civiliter actione L. Aquiliæ ad dupli præſtationem agitur, l. 44. ff. *de L. Aquil.* l. 2. C. *eod.* ſi verò reus damnum illatum reſarcire non valeat, ob facultatum defectum, levius caſtigatur: qui enim non habet in re, luat in corpore. l. 9. ff. *de incend. ruin.*

(a) Cuius pœna eſt capitalis, l. 10. ff. h. t. iure autem noviſſimo, videlicet Carolino, talis vivus comburitur, etiamſi peſſimum ſuum propoſitum in effectum non deduxerit, ſi materiam ſubſtratam ſaltem accenderit, *Conſtit. crim.* 125. *Carpz.* 1. q. 39. quâ non accensâ, arbitrariam pœnam ſuſtinet.

TITULUS IX.

Ad Legem Pompejam de Parricidiis.

TH. I. SEXTUM crimen publicum vindicatur Lege Pompeja, quam Cn. Pompejus magnus poſt Syllam tulit, undeſic appellatur. l. 2. §. 32. ff. *de origin. jur.*

TH. 2. Parricidium (a) eſt homicidium in parentes, liberos, (b) vel proximos, cognatos, affines (c) & coniugem perpetratum.

(a) Vox parricidij eſt æquivoca, (1) latiſſimè ſumitur pro quovis homicidio, quod à paris hominis occiſione appellatur, l. 2. §. 23. ff. *de orig. iur.* (2) latè pro cæde nefaria in aſcendentes, deſcendentes, tranſverſales, affines & coniuges commiſſa, l. 1. ff. h. t. quo ſenſu hîc accipimus; (3) ſtrictè pro homicidio parentum.

(b) Sub quibus comprehenduntur etiam naturales, ſpurij, ex inceſtuoſo & nefario coïtu procreati.

(c) Vt ſocerum, ſocrum, vitricum, novercam, privignum, privignam, generum, nurum.

TH. 3. Longè gravius eſt parricidij delictum ſimplici homicidio: quapropter eiuſmodi nefaria parentum cædes omnia ſcelera comprehendere videtur, teſte Cicerone.

TH. 4. Pœna parricidij olim erat hæc, ut parricida virgis ſanguineis (h. e. fruticibus ſanguinem facilè elicientibus) cæſus, capite & ore obvoluto, culeo ſ. ſacco coriaceo inſueretur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia; & deinde in proximum flumen aut mare jactaretur, ut omnium alimentorum uſu vivus carere inciperet, & ei cœlum ſuperſtiti, & terra mortuo auferretur. §. *alia deinde 6. Inſt. de publ. iudic.* l. 9. ff. h. t.

TH. 5. Pœna parricidij hodie ratione aſcendentium & deſcendentium commiſſi eſt ſuffocatio ſive pœna culei, ubi verò aqua deficit, eſt rota, d. l. 9. *conſtit. crim. Carol.* 5. *arg.* 131. *Carpz.* 1. q. 8. *& ſeq.*

TH. 6. Pœna parricidij ratione collateralium proximorum (ut fratris, ſororis, patruelis, matruelis, patrui, avunculi, materteræ, amitæ) & affinium, aut conjugum eſt gladius, ita tamen, ut pœna exaſperetur, nimirum ut tales parricidæ forcipibus candentibus adurantur, aut decollati rotæ imponantur. *conſtit. crimin. art.* 137.

TH. 4. Quæritur, utrum ſponſus ſponſam necans L. Pompeïa, vel L. Cornelia teneatur? Reſp. L. Cornelia. Rationem in eo fundo, quoniam crudeliſſima hæc pœna ad caſus non expreſſos eſt extendenda. aliud enim ſunt ſponſalia, aliud matrimonium.

TH. 8. Quæritur, an furioſus parentem, vel proximum cognatum interficiens hac L. Pompeïa teneatur? Reſp. negando, cum in tali exulet dolus, & ſufficiat, eum ipſo furore puniri. l. 9. §. 2. ff. h. t.

TH. 9. Vtrum patrem perduellem necans ex hac lege conveniri poſſit? Reſp. negando, intellige ſi filius ſuis adhortationibus & continuis precibus patrem à peſſimo propoſito dimovere nequeat; quia patriæ ſalus ſaluti parentis eſt præferenda, unde non tantum pater, vel filius perduellis ſine ſcelere, impunis dimittitur, verùm inſuper præmio afficitur. l. 35. ff. *de relig. & ſumptibus.*

TH. 10. Quæritur, an parricidij poſtulatus, ſi metu pœnæ ſibi violentas manus inferat, fiſcum habeat ſucceſſorem? Reſp. affirm. talis namque ante condemnationem pro confeſſo habetur. l. 2. *& 3. in fin. ff. de bon. eor. qui ante ſent. mort. ſib. conſciv.*

TITVLVS X.

Ad L. Corneliam de falſis & SCto Libaniano.

Iung. tit. 22. lib. 9. C. d. t. *tit. 25. ibidem, de mutatione nominis.* & tit. 24. C. *De falſa moneta.*

TH. 1. HACTENVS perſpeximus iudicia publica, quæ ex vi deſcendunt, ſubjiciuntur nunc ea, quæ abſque vi ſunt; quale eſt primò crimen falſi, quod eſt veritatis imitatio, vel doloſa ſuppreſſio in alterius fraudem facta. §. 7. *Inſtit. de publ. iudic.* l. 23. ff. h. t.

TH. 2. Olim crimen hoc falſi in teſtamentis tantum committebatur, quatenus videlicet illud falſo conſcriptum, ſuppreſſum, reſignatum, recitatum. l. 2. ff. h. t. poſtea verò extra teſtamenta ad alia falſitatis genera eſt extenſum. l. 26. ff. h. t.

TH. 3. Hinc ſtatuitur, quod crimen falſi quadrupliciter committatur, [1] in perſona, (a) [2] in re, (b) [3] in nomine, (c) & [4] in oratione.

(a) Cum ſupponitur partus. l. 19. §. 1. l. 30. §. 1. ff. h. t. vel ubi ſubſtituitur una perſona pro alia, e. g. ſi virginem Annam animo, corpore & facie pulchriorem

rem, & amabiliorem ſorore Mariâ B. in uxorem ducturus eſſem, mihique ſubdolè traderetur Maria, eſſet ſubſtitutio perſonæ doloſa.

(b) Vt [1] in pondere, & menſura, vini, frumenti. l. 31. & l. 32. §. 1. ff. h. t. [2] in mercibus adulteratis. *Conſtit. crim. art.* 113. [3] in moneta, quod fit tripliciter, cudendo, adulterando, & radendo, ſeu diminuendo. l. 8. & 9 ff. h. t.

(c) Si quis (1) doloſè, & in aliorum fraudem nomen mutet, falſumque aſſumat, pœna falſi coërcetur. l. 13. ff. h. t. *l. un. C. de mutat. nom.* quod ſi mutet nomen nullo dolo interveniente, pœna ceſſat. l. 1. C. h. t. (2) ſi quis falsò Nobilem, vel Doctorem profitetur, (3) ſi quis potentiorum nomina, aut titulos rebus alienis affixerit, eorumve nomina in litem prætenderit. *l. un. C. de his qui potent. nom. Novel.* 17. *c.* 15. (4) ſi quis illicitis inſignibus uſus fuerit, falſove diplomate vias commeet. l. 27. §. *ult.* ff. h. t. (5) ſi quis ſigna tabulis, aut titulos rebus alienis impreſſerit, impoſuerit, ſuſpenderit, nomenque ſuum ſupra ſcripſerit, l. 1. & 2. C. *ut nemo privat. titulos præd. ſuis vel al. impon. vel vela reg. ſuſp.* Nov. 164.

TH. 4. Oratione iterum committitur crimen falſi dupliciter, (1) in iudicio, vel (2) extra iudicium.

TH. 5. In iudicio à iudice, (a) partibus, (b) teſtibus, (c) vel alijs. (d)

(a) Qui conſtitutiones Principis ſcienter & doloſè neglexit, & ſententiam contra ius publicum pronunciat. l. 1. §. 3. ff. h. t. Ergo ſi per imperitiam iudex malè iudicet, hac lege Cornelia non punitur, cum dolum ſemper requirat. l. 22. *pr.* ff. h. t. *l. ult. ff. de vari. cognit.*

(b) Iudicem per ſe, vel per alios corrumpendo. l. 1. §. 2. ff. h. t. vel delatorem ſubmittendo in cauſa pecuniaria. l. 9. § *fin.* ff. h. t.

(c) Falſum teſtimonium ſcienter dicentibus. l. 16. ff. h. t. quamvis nullam pecuniam pro dicendo falſo & reticendo vero acceperint. *arg.* l. 2. & l. 29. ff. h. t.

(d) Vt ſi qui ob advocationem teſtimoniave inſtruenda, ſive ſubornanda, erudiendaque quid quomodo dicere debeant, pecuniam acceperint, pactique fuerint, ſocietatem coïerint ad obligationem innocentum, hac Lege Cornelia de falſis tenentur. l. 1. § 1. ff. h. t.

TH. 6. Extra iudicium committitur falſum duplici modo, [1] in ultima voluntate. l. 1. §. 5. l. 2. 7. 16. *pr.* h. t. l. 14. C. *eod.* vel [2] actu inter vivos, ut in inſtrumentis & ſigillis. l. 1. §. 4. & 6. l. 9. §. *pen.* l. 16. §. 1. & *ult.* l. 23. 25. 28. ff. h. t. l. 13. 14. & l. 20. C. *eod.* item in contractibus, ut ſi quis quid falſi in ijs admittat. l. 1. §. 9. l. 21. & l. 28. ff. h. t. l. 15. C. *eod.* l. 49. ff. *locat.*

TH. 7. Qui iudicem corrumpit ad tempus relegatur. l. 21. ff. h. t.

TH. 8. Qui falſum teſtimonium dicit, ut innocens damnetur, pœna eſt talionis. l. 1. *pr.* ff. *ad L. Cornel. de fic. conſtit. crimin. art.* 68.

TH. 9. Cum crimen falſæ monetæ cudendæ ſit grave ob maximum Reip. detrimentum; ideo olim liberi ad beſtias dabantur, cum quibus

depugnent, ſervi ultimo ſupplicio afficiebantur. l. 8. ff. h. t. poſtea ignis pœna fuit conſtituta, & domus, in qua adulterina moneta eſt cuſa, publicabatur, & fiſco addicebatur. l. 2. C. *de falſ. monet.* Cæterum moribus receptum eſt, ut aqua cum oleo bulliente, ſive fervente reus ſuffocetur, bonaque eius fiſco tribuantur.

TH. 10. Qui pondere, menſura, vel adulteratis mercibus ſcienter alijs impoſuerunt, extra ordinem puniuntur ratione admiſſi, ut fuſtigatione, relegatione, carcere. l. 13. §. 1. l. 21. l. 32. §. 1. ff. h. t.

TH. 11. Qui falſum inſtrumentum, rationes publicas accepti & expenſi, falſa inventaria, chirographa, ſigilla, &c. doloſè conficiunt pro qualitate delicti hodie puniuntur, ut fuſtigatione, relegatione, membri amputatione, ultimo ſupplicio. *conſtit. crimin. art.* 112. *Carpz. 1. q.* 93.

TH. 12. Mulier falſum partum ſubjiciens ultimo ſupplicio afficitur. l. 1. C. h. t. unde obſtetrix quæ partum alienum attulit, vel ſupponi curavit, eadem legis ſeveritate punitur. *Carpz. prax. crim.* 1. *qu.* 93.

TITVLVS XI.

Ad Legem Iuliam repetundarum.

Iung. tit. 27. libr. 9. C. d. t.

TH. 1. IVDICIVM publicum de falſo excipiunt alia iudicia publica damnum abſque falſo datum vindicantia, de quibus hoc, & ſeqq. titulis tractabitur.

TH. 2. Crimen repetundarum, (ſcilicet pecuniarium) eſt crimen publicum, ab eo commiſſum, qui in Magiſtratu, (a) poteſtate, curatione, (b) legatione, vel alio quodam officio, munere, vel miniſterio publico, (c) pecuniam ſordidè accepit, (d) quo magis, aut quo minus officium faceret. l. 3. l. 3. *& ſeqq. l. fin.* ff. h. t.

(a) Sive is ſit Vrbanus, ſive Provincialis. l. 6. *in fin.* ff. h. t.

(b) Vt curator Reipubl. *l. ult. ff. de offic. Aſſeſſ.* l. 37. ff. *de pact.*

(c) Quare etiam Aſſeſſores, judices pedanei & alij officiales comprehunduntur. l. 5. ff. h. t. l. 3. C. *eod.* l. 3. C. *de Aſſeſſor.*

(d) Vt ſi quis ex officio quid gratis facere deberet, datâ pecuniâ facit. l. 4. ff. h. t. e. g. ob iudicandum, vel non iudicandum. l. 3. h. t. damnandum, vel abſolvendum. Hac lege Iulia quoque vetatur, ne Magiſtratus plus doni, muneriſve in anno accipiat, quàm quod ſit aureorum centum. l. 6. ff. h. t.

TH. 3. Accuſatio huius criminis omnibus ex populo competit. l. 4. & 5. C. h. t.

TH. 4. Ex hac lege Iulia duplex deſcendit actio, civilis & criminalis.

TH. 5. Actio civilis conceditur in quadruplum pecuniæ, quam ſordidè accepit. *l.* 1. *&* *l. fin.* C. h. t. ubi obſervandum, ſi actori pecunia à Magiſtratu eſt extorta, tunc quadrupli dimidium accipit actor, altero dimidio fiſco aſſignato. l. 3. C. *de Aſſeſſor.* ſin verò actor ſponte eam dederit, totum quadruplum ſibi vindicat fiſcus. l. 1. C. h. t. & actor inſuper punitur, quia hac intentione Magiſtratui quicquam dare, turpe eſt. *l. fin.* C. h. t.

TH. 6. Datur hæc actio & contra rei, ſive Magiſtratus heredem intra annum. l. 2. ff. h. t. quia principalis quæſtio ſuper pecunia turpiter quæſita movetur, & turpe lucrum eſt heredi extorquendum; & licet ex delicto naſcatur, ad heredem tamen tranſit hæc actio, cum ſit pecuniaria. l. 5. ff. *de calumniat. l. 9. in fin. ff. de iur. fiſc. l. 9. ff. de condict. furt.*

TH. 7. Actio criminalis ex hac lege Iulia competens conſtituit iudicium publicum, in quo extra ordinem delinquens punitur, pœna videlicet arbitraria, pro qualitate delicti, e. g. exilio, vel interdum durius, membri mutilatione, vel morte.

TH. 8. Movetur hoc crimen demum poſt depoſitam adminiſtrationem. l. 32. ff. *de injur.* l. 4. C. h. t.

TITVLVS XIII.

Ad Legem Iuliam de annona.

TH. 1. LEx Iulia de annona punit crimen fraudatæ annonæ, quod eſt crimen publicum, quo quis doloſè efficit, (a) ut annona (b) carior fiat. §. 11. *Inſtit. de publ. iudic. l.* 2. ff. h. t.

(a) Qui annonam vexare, flagellare & fraudare dicitur. l. 1. ff. h. t.

(b) Per eam intelligimus omnia ad victum humanum neceſſaria; ut frumentum, panem, vinum, oleum, acetum, ſal, lardum, carnes, fœnum, lignum, &c. *l. 1. C. de erogat. milit. ann.*

TH. 2. Crimen hoc perpetratur ſequentibus modis, [1] ſi quis navem, in qua eſt annona, vel nautam retineat, aut doloſè faciat, ut detineatur. l. 2. ff. h. t. [2] ſi nonnulli monopolium abſque Principis permiſſu inſtituant, quod vehementer Reipubl. ſolet eſſe noxium. *l. un.* C. *de monopol.* quoniam monopolæ ſolent conſpirare, déque annonæ vendendæ pretio inter ſe convenire, quo & non minoris vendere velint, [3] à Dardanarijs committitur. l. 6. ff. *de extraord. crim.*

TH. 3. Ab accuſatione huius criminis, ſcil. fraudatæ annonæ nemo excluditur; idcirco admittuntur furioſus, ſervus, mulier, famoſus, & miles. l. 1. & 3. §. *fin.* ff. h. t. l. 12. ff. *de accuſat.*

TH. 4. Statuitur in reum huius criminis pœna tam ordinaria, quàm extraordinaria, illa eſt 20. aureorum. l. 2. §. 2. ff. h. t. Hæc eſt pro delicti qualitate, vel relegatio, vel pœna capitalis, &c. l. 6. ff. *de extraord. crim. Conſtit. crim. art.* 113.

TITVLVS XIII.

Ad L. Iuliam peculatus, & de ſacrilegis, & de reſiduis.

Iung. tit. 28. lib. 9. C. *De crimine peculatus.* & tit. 29. *ibidem. De crimine ſacrilegij.*

TH. 1. RVBRICA hæc tres in ſe continet partes, ideo hæc lex Iulia vindicat tria crimina, [1] eſt peculatus, (a) quod eſt crimen publicum, quo quis pecuniam (b) publicam, (c) fidei ſuæ non commiſſam furatur. l. 4. §. *ult.* ff. h. t.

(a) Vox peculatus à pecore derivatur, & accipitur latè, vel ſtrictè. Illo modo denotat pecuniam publicam, vel ſacram furto ablatam. l. 1. ff. h. t. §. 9. *Inſtit. de publ. iudic.* Hoc modo ſignificat ſaltem pecuniam publicam, quo ſenſu ſacrilegio opponitur. l. 1. ff. h. t. & ita hic ſumitur.

(b) Pecuniæ nomen hic latè accipitur pro rebus mobilibus, non verò pro pecunia tantum numerata. l. 178. *pr.* ff. *de V. S.* l. 2. ff. *de conſtit. pecun.*

(c) Quæ ad Rempubl. Romanam, vel ad Cæſarem ſpectat, hinc ſi quis alij civitati pecuniam olim furto auferebat, furtum quidem faciebat, l. 83, ff. *de furt.* attamen hac lege Iuliâ peculatus non tenebatur; cum civitates loco privatorum ſint. l. 16. ff. *de V. S.* aſt lapſu temporis ratione rerum civitatis crimen peculatus committi, Imperatores Trajanus & Adrianus voluerunt. l. 4. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 2. Qui prædam ab hoſtibus captam ſurripuit, crimen peculatus commiſit. l. 13. ff. h. t.

TH. 3. Pœna peculatus eſt varia, [1] pecuniaria in quadruplum. l. 6. & *l. pen.* ff. h. t. [2] deportatio, ſi nimirum privata perſona hoc crimen perpetraverit. l. 3. l. 6. § *fin* l. 9. ff. h. t. [3] ultimum ſupplicium, ſi publica perſona, e. g. Magiſtratus tempore adminiſtrationis pecuniam publicam ſubtraxerit. §. 9. *Inſtit. de publ. iudic.*

TH. 4. Extinguitur hoc crimen quinquennio. l. 7. ff. h. t. non autem

morte delinquentis,ſicque contra heredem datur,quia in hoc crimine principalis quæſtio pecuniæ movetur. *l. ult.* ff. h. t. quæ conrra moralia principia heredis lucro cedere non debet.

TH. 5. Circa res ſacras & religioſas committitur ſacrilegium, quod ratione iuris civilis Canonici,& Carolini diverſimodè conſideratur.

TH. 6. Ratione iuris civilis ſacrilegium eſt crimen publicum,quo quis rem ſacram,vel religioſam fidei ſuæ non commiſſam furatur. l. 1. l. 4. *pr.* *&* l. 9. §. 1. ff. h. t. §. 9. *Inſt. de publ. iudic.* Perinde autem eſt, an in loco ſacro res ſacra, vel religioſa auferatur; an quis ſciens rem eſſe talem in loco profano ſurripiat. l. 5. l. 9. §. 1. ff. h. t. E. res profana in loco ſacro ablata ratione huius iuris ſacrilegium non efficit. d. l. 5.

TH. 7. Ratione Iuris Canonici, & Carolini tripliciter committitur,[1] ſi res ſacra in loco ſacro auferatur,[2] ſi res ſacra in loco non ſacro ſurripiatur, [3] ſi res non ſacra in loco ſacro auferatur. e. g. ſi tempore belli res privatorum in templo depoſitæ auferantur *; c. quiſquis,* 21. *cauſ.* 17. *qu.* 4. *conſtit. crim. art.* 171.

TH. 8. Crimen ſacrilegij committens ab omnibus tam integræ famæ hominibus, quam ſceleſtis,accuſari poteſt. *l. ſi quis,* 10. C. *de Epiſcop. & Cleric.*

TH. 9. Pœna ſacrilegij eſt extraordinaria, quæ pro conditione rei ablatæ & qualitate perſonæ, ætatis, ſexus, &c. modo mitius,modo ſeverius punitur. l. 4. §. 2. l. 6. *pr.* l. 9. *pr. & ſeqq.* ff. h. t. *conſtit. crimin. art.* 172. *& ſeq.*

TH. 10. In tertia rubricæ parte tractatur de reſiduis. Crimen reſiduorum eſt crimen publicum, quo quis pecuniam publicam fidei ſuæ ad uſum publicum commiſſam retinet, vel in ſuum uſum convertit. l. 2. l. 4. §. 3. *& ſeqq.* l. 9. § 6. ff. h. t. §. 11. *Inſt. de publ. iudic.*

TH. 11. Pœna huius criminis eſt pecuniaria; quia damnatus amplius tertia parte, quàm debet, fiſco inferre cogitur. l. 4. §. 5. ff. h. t. e. g. qui 60. retinuit, hic ultra iſta 60. adhuc 20. ſolvere obligatur, & condemnatum ſequitur infamia. l. 6. ff. *de muner. & honorib.* Hodie huius criminis reus arbitrariam pœnam ſuſtinet. *Carpz.* 2. *qu.* 85.

TITVLVS XIV.

Ad Legem Iuliam de ambitu.
Iung. tit. 26. libr. 9. C. d. t.

TH. I. LEGE Iulia vindicatur crimen ambitus, quod eſt crimen publicum, quo quis illicito modo, (putà pecuniâ datâ, vel promiſſâ) honores, ſive dignitates Magiſtratus, aut ſacerdotij ſibi parat. l. 1. §. 1. ff. h. t. l. *un.* C. h. t. *Novel.* 8. *c.* 1. *&* 7. *Novel.* 161. l. 31. C. *de Epiſcop. & Cler.* Hæc lex ob varias rationes ibi allegatas & Latinæ linguæ elegantiam & ſublimitatem maximoperè eſt notanda.

TH. 2. Ambitus iuſtè prohibetur; cum magna inde oritur Reipublicæ corruptio, dum pretium attendatur, & non perſonæ idoneitas, ſive qualitas; Candidati enim olim ad honores adſpirantes, circumire tribus, & ambire prehenſareque ſingulos ex populo ſolebant; quorum pœna nonnunquam durior, ut deportatio, nonnunquam levior conſtituebatur, ratione delicti admiſſi. *l. un.* C. h. t.

TH. 3. Ambitus dividi poteſt in ambitum in ſpecie ſic dictum & ſimoniam. Ille eſt de honoribus & dignitatibus civilibus. *Novel.* 1. *c.* 1. hæc de Eccleſiaſticis, ubi aliquid pro ſpiritualibus exigitur, aut promittitur, quod crimen jure Canonico cognitum, & deteſtabile habetur, quoniam eo dona Spiritus ſancti vili pretio æſtimantur. l. 32. *Extr. de ſimon. can. quidam,* 39. *cauſ.* 29. *qu.* 3.

TH. 4. Epiſcopus ſacerdotium turpiter ambiens, (a) ſacerdotio privatur, notatur infamia, & pecunia, quam pro ſacerdotio ſibi comparando dedit, Eccleſiæ vindicatur. d. l 31. C. *de Epiſcop. & Cler. Novel.* 123. *c.* 2. §. 1.

(a) Nimirum muneribus, vel vi contra bonos mores ambiens; his vitijs remotis licitè ambire eſt permiſſum.

TH. 5. Si accuſator, vel reus domum iudicis ingrediatur, ut iudicis gratiam impetret, ex hac lege ambitus conveniri poteſt; cuius pœna eſt centum aureorum, quos fiſco ſolvere cogitur. *l. un.* ff. h. t.

TITVLVS XV.

Ad Legem Fabiam de plagiarijs.

Iung. tit. 20. libr. 9. C. d. t.

TH. I. PLAGIVM eſt crimen publicum, quo liber homo, vel ſervus (a) fraudulenter (b) ſupprimitur. l. 1. l. 4. l. 6. *pr. &* §. 2. ff. h. t. §. 10. *Inſtit. de publ. iudic.* l. 1. l. 5. *& ſeqq.* C. *eod.*

(a) Dum eum rapiunt, emunt, vendunt, celant, vinctumque invitum detinent d. l. 1. *&* l. 6. §. 2. ff. h. t.

(b) Ignorantia enim & bona fides excuſant. l. 3. ff. h. t.

TH. 2. Damnatis olim pœna pecuniaria irrogabatur. *l. ult.* ff. h. t. l. 6. C. *eod.* poſtea verò extra ordinem delinquentes puniebantur pro delicti qualitate, vel in metallum dabantur, vel gladio feriebantur, vel beſtijs ſubjiciebantur. *l. ult.* C. h. t.

TITVLVS XVI.

Ad Senatusconſultum Turpillianum, & de abolitionibus criminum.

Iung. tit. 45. libr. 9. C. d. t.

TH. I. HACTENVS accuſationes criminum verorum perſpeximus, progrediendum eſt ad accuſationem criminis falſi, quæ fit calumniando, prævaricando & tergiverſando.

TH. 2. Calumniari eſt falſa crimina doloſè, (a) intendere. l. 1. §. 1. ff. h. t. aut in fraudem alicuius falſum teſtimonium, vel librum conficere, aut falſum iudicium profiteri. l. 6. §. *ult.* ff. h. t.

(a) Non verò omnis, qui non probat, calumniari videtur; præprimis is à ca-

lumnia excuſatur, qui iuſtum errorem, vel aliam cauſam legitimè prætendit. l. 12. ff. *de liberal. cauſ.*

TH. 3. Reo abſoluto accuſatio calumniæ permittitur. l. 1. §. 3. ff. h. t.

TH. 4. Olim qui calumniæ convictus erat, ſubibat pœnam legis Remniæ, qua calumniatoris fronti litera K, inurebatur. l. 13. ff. *de teſtib.* l. 1. §. 2. ff. h. t. hanc pœnam Conſtantinus Imperator ſuſtulit ut periniquam, ne facies hominis ad imaginem Dei formata, macularetur. l. 17. C. *de pœn.* vel (2) iuxta conſtitutiones talionem, ſive ſupplicij ſimilitudinem reus ſuſtinebat. l. 7. *&* *ult.* C. *de calumniat.* cuius cauſa in crimen ſubſcribere accuſatorem oportebat. Hodie verò, cum inſcriptio & talio in deſuetudinem abierunt, conſtituta eſt calumniatoribus pœna arbitraria.

TH. 5. Prævaricari dicitur, qui vera crimina abſcondit, cum reo colludit, obiter munere accuſandi defungitur, proprjas probationes diſſimulando, & falſas rei excuſationes admittendo. l. 1. §. 1. ff. h. t. *vide tit. ff. de prævaricat.*

TH. 6. Tergiverſari dicitur qui in univerſum ab accuſatione incepta deſiſtit, (a) non impetratâ abolitione. l. 1. §. 1. *&* l. 13. ff. h. t.

(a) Ergo qui accuſationem differt, non videtur deſtitiſſe. d. l. 13. ff. h. t. modo non ultra legitimum & præfinitum accuſationis tempus, eam differat.

TH. 7. In tergiverſatorem ab accuſatione citra abolitionem deſiſtentem ſtatuitur pœna infamiæ cum mulcta quinque librarum auri. l. 3. §. *ult. ff. de prævaricat.* quoniam publicè intereſt, accuſationem non intermitti, ſive vera ſit, ut delicta puniantur. l. 52. ff. *ad L. Aquil.* ſive falſa, ne calumniator impunè evadat.

TH. 8. Qui ſemel deſtitit, poſtea ad accuſationem admitti nequit. l. 3. *&* 4. C. h. t.

TH. 9. Dantur caſus, in quibus quis impunè ab accuſatione deſiſtere poteſt, (1) ſi quis abolitionem petierit & impetraverit. l. 1. §. 7. *&* 9. ff. h. t. l. 11. §. 2. ff. *de accuſation.* (2) per tranſactionem de crimine capitali. l. 18. C. *de tranſact.* ſi mulier, vel minor ab accuſatione deſiſtat; parcitur enim hac in parte mulieris fragilitati & minoris ætati ob infirmum conſilium. l. 1. §. 10. ff. h. t. l. 4. C. *eod.*

TH. 10. Ad alteram rubricæ partem videlicet abolitionem jam accedimus. Abolitio eſt, qua quis reorum numero eximitur, & aboletur accuſationis memoria. l. 12. ff. h. t. l. 11. §. *ult. ff. de accuſat.*

TH. 11. Abo-

TH. 11. Abolitio eſt triplex, [1] publica, [2] privata, & [3] legitima.

TH. 12. Abolitio publica eſt, quæ publicè fit ob diem inſignem, (a) gratulationem, vel rem proſperè geſtam. (b) l. 8. & l. 9. ff. h. t. nimirum victoriam.

(a) Vt eſt feſtum Paſchatis, dies natalis Principis.

(b) Quibus caſibus iudicia criminum acquieſcunt, & rei leviorum criminum carcere, ſive vinculis ſolvuntur; non verò criminum graviorum, ut læſæ Majeſtatis, perduellionis, &c. *l. ult. C. de abolit.*

TH. 13. Abolitio privata fit privatim accuſatore, (a) vel reo poſtulante. l. 10. ff. h. t.

(a) Vbi accuſator confitetur, ſe per errorem, vel temeritatem, aut iracundiæ calorem ad accuſandum proſiluiſſe, ut ſuam, ſuorumque iniuriam defenderet. l. 2. C. *de abolit.* ab hac accuſatione iudex ipſum prævià cauſæ cognitione abſolvere poteſt; etiam reo invito; niſi hic vincula, verbera, vel tormenta ſit paſſus, quo caſu rei conſenſus deſideratur. l. 3. C. *de abolit.*

TH. 14. Abolitio legitima eſt, quæ fit per legem, nullius petitione interveniente, & abſque decreto, e. g. reo vel accuſatore mortuo, vel ex iuſta cauſa impedito, quo minus accuſare poſſit. d. l. 10. *pr.* ff. h. t.

TH. 15. Eiuſmodi abolitiones hodie non ſunt in uſu. Abolitioni tamen haud diſſimile eſt indulgentia Principis, ſive ius aggratiandi, (a) quod ſummam in Reſp. poteſtatem habentibus ſaltem competit.

(a) Quo ſummi Principes veniam ſive gratiam pœnæ delinquentibus concedunt.

TITVLVS XVII.

De requirendis vel abſentibus damnandis.

Iung. tit. 40. lib. 9. C.

TH. 1. QVOTIES proceſſus criminalis eſt inſtituendus, omnium primum eſt, ut abſens reus requiratur, & non ſtatim condemnetur, cum nihil iniuſtius eſſe poſſit, quam abſentem reum inauditâ causâ condemnari, l. 1. *pr.* ff. h. t. l. 5. ff. *de pœn.* puta in cauſis gravioribus, in minoribus (ex quibus relegatio, &c.) abſens damnari teſt. d. l. 5.

TH. 2. Requiritur igitur reus, ut vel apprehendatur & exhibeatur, vel ſi apprehendi nequeat, citetur, ut compareat, ſuamque innocentiam doceat. Si reus citatus comparuerit, lege interrogabatur, ſi verò comparere detrectaret, eius bona annotabantur, ut copiam ſui præſtaret. Qui ſi intra anni tempus, ex quo annotatio bonorum facta, comparens ſe purgaret, bona ſua annotata recipiebat. Sin verò intra annum non comparuerit, bona eius fiſco vindicabantur, (a) adeo ut etiam innocentiâ eius poſtmodum probatâ nihil recuperaret, l. 2. C. h. t. quod fit ob contumaciam.

(a) l. *fin.* ff. h. t. Quod hodiè ſecus eſt, ubi reorum bona in uſum liberorum vel heredum conſeruantur; unde annotatio eorum non fit eo fine, ut bona confiſcentur, ſed ut fugitivus victu & amictu deſtitutus cogatur ſe ſiſtere, *Conſtit. crimin. art.* 206. providendum quoque, ne fugitivo quicquam medio tempore à debitoribus ſuis ſolvatur, quo fuga eius inſtruatur. l. *ult.* ff. h. t.

TH. 3. Ne autem abſentis rei bona corrumpantur, vel deteriora fiant, mobilia, ſi ſervari nequeant, diſtrahi debent, pretio eorum in depoſito ſervato, l. *fin.* §. 1. ff. h. t.

TH. 4. Iure Saxonico ſi reus abſens tribus edictis per intervalla 14. dierum publicè citatus non compareat, pro convicto habetur, bannoque Imperiali proſcribitur, hoc eſt, ut in loco illius territorij occidi à quolibet impunè queat; bona tamen eius confiſcationi non ſunt obnoxia. *Carpzov.* 5. q. 111.

TITVLVS XVIII.

De quæſtionibus.

Iung. tit. 41. libr. 9. C.

TH. 1. SI requiſitus reus copiam ſui faciat, nec ſponte crimen confiteatur, (a) nec teſtibus alijſque probationibus luce meridiana clarioribus, l. *ult C. de probat.* convincatur, quæſtionibus, (b) ſive tormentis ad eruendam veritatem ſubjici ſolet.

(a) Quod ſi reus ſponte confiteatur, quæſtione non eſt opus, ſed ex ſua confeſſione condemnatur. l. 5. ff. *de cuſtod. & exhib. reor.*

(b) Quoniam pleraque delicta remotis arbitris ſive teſtibus occultè committuntur, ut copia teſtium ſemper haberi nequeat, ad hoc deplorandum veritatis inquirendæ remedium eſt confugiendum.

TH. 2. Quæſtio eſt interrogatio de crimine (a) commiſſo (b) per corporis tormenta ad eruendam veritatem (c) à iudice inſtituta contra eum, qui multis indicijs (d) eſt oneratus, & fermè argumentis convictus. Vel brevius, eſt inquiſitio veritatis per tormenta. l. 15. §. 41. ff. *de injur.*

(a) Quod debet eſſe capitale vel atrox. l. 8. ff. h. t.

(b) Si enim de corpore delicti ſive cadavere interfecti non ſatis conſtet, an tale delictum ſit perpetratum, nec ne; torqueri accuſatus non poteſt, ne fortè perire volens falſum crimen confiteatur ſe occidiſſe, cùm non occiderit. l. 1. §. 17. ff. *de quæſtion.*

(c) Si ea nullo aliàs modo expiſcari poſſit; l. 8. *&* 9. ff. h. t. l. 32. C. *eod.*

(d) Vnum indicium non ſufficit, niſi admodum prægnans, ut unus teſtis, omni exceptione major, aſſerens, ſe vidiſſe delictum, ab eo commiſſum; obſerva, ad torturam nulla indicia ſufficiunt, niſi ſemiplenam faciant probationem.

TH. 3. Ex præcedentibus liquet, tria ad quæſtionem requiri, (1) cauſæ gravitatem, h. e. crimen commiſſum eſſe grave & atrox, (2) veritatem aliter non poſſe erui, ob probationum defectum, (3) reum multis indicijs eſſe oneratum, & argumentis fermè convictum, l. 1. §. 1. ff. h. t. quod ſi ex indicijs non conſtet, crimen fuiſſe admiſſum, quæſtio ceſſat, l. 1. §. 24. ff. *ad SCtum Syllan.* l. 23. §. *fin. &* l. *ſeqq.* ff. *ad L. Aquil.*

TH. 4. Indicia ſunt duplicia, (1) omnibus delictis communia, & (2)

quibuſdam delictis propria.

TH. 5. Indicia omnibus delictis communia ſunt iterum duplicia, remota, (a) vel propinqua. (b)

(a) Illa non ſunt ad torturam ſufficientia, niſi cum alijs concurrant; eiuſmodi ſunt præprimis octo, (1) vita anteacta mala, ſive fama mala, (2) ſi reus in loco ſuſpecto ſit deprehenſus, (3) ſi in loco perpetrati criminis ante, vel poſt viſus, (4) conſuetudo habita cum hominibus facinoroſis, (5) ſi inimicitiæ capitales vel minæ præceſſerint, (6) ſi læſus in articulo mortis vel ſimpliciter, vel cum iurejurando affirmet, ſe ab hoc vel illo lethaliter eſſe vulneratum, (7) ſi quis poſt crimen commiſſum fugam arripiat, (8) ſi reus litem habeat cum læſo de maiore parte ſuorum bonorum. *Conſtit. crimin. art.* 24. & 25.

(b) Hæc ſunt certa, per ſe ſola ad quæſtionem ſufficientia, qualia ſunt ſequentia, (1) ſi res quædam ipſius accuſati in loco delicti commiſſi ſit inventa. *Conſtit. crimin. art.* 29. (2) ſi unus teſtis omni exceptione maior delictum à reo perpetratum affirmaverit, unde ſemiplena probatio torturæ ſufficiens, *art.* 30. (3) ſi ſocius criminis in quæſtione de ſuo ſocio ſpontè confiteatur, eum eſſe delicti participem, *art.* 31. nam de ſocio ſpecialiter interrogari non debet, l. 1. §. 21. ff. h. t. hic iudici prudenti in tali caſu anxiè inquirere prius convenit, utrum inter ſocium nominantem & nominatum ſint inimicitiæ capitales; & circumſtantias probè examinare, quomodo, quo in loco & quo tempore ſocius nominatus ei auxilium tulerit, quam ſocium nominatum torturæ ſubjiciant, d. *art.* 31. (4) confeſſio ipſius rei extrajudicialis, ſponte nemine cogente, & gloriandi cauſa facta. *art.* 32.

TH. 6. Indicia quibuſdam delictis propria per ſe ſola ad torturam non ſufficiunt, ut ſunt (1) homicidij, vide *Conſtit. crimin. art.* 33. (2) infanticidij, *art.* 35. (3) veneficij, *art.* 37. (4) rapinæ, *art.* 38. (5) incendij, *art.* 41. (6) proditionis, *art.* 42. (7) furti, *art.* 43. (8) incantationis, *art.* 44. Nota; quoties indicia contra reum adſunt, attendendum, utrum ea à reo elidantur, nec ne.

TH. 7. Quæritur, ſi præſente accuſato ex vulnere occiſi ſanguis erumpat, an ſit indicium ad torturam ſufficiens? Reſp. hoc à nonnullis affirmatur, à quibuſdam negatur; affirmantium ratio potiſſima in eo ſe fundat; quod antipathia & veſtigia hoſtilis ac vehementis odij occiſi in occiſorem, hunc ſanguinis fluxum cauſet; item quod Deus ob vindictam de noxio ſumendam, per ſanguinis fluxum facinus perpetratum detegere velit. His ego conſentio, ſi alia adhuc indicia cum ſanguinis fluxu concurrant. Negantium verò ſententia his nititur rationibus, [1] quod ſit indicium lubricum, cum caſu quodam contingere poſſit, ut ſanguis accuſato præſente erumpat, vel per ſympathiam ut præſente dilectiſſimo ſanguis è cadavere fluere incipiat, quod

in ſubverſis prę primis accidere ſolet, teſte *Petro Gregor. Syntagm. libr.* 30. c. 20. [2] quod tortura contineat actum graviſſimi præiudicij, ad quem non facile deſcendere licet, quoniam ſatius eſt nocentem dimittere, quàm innocentem damnare.

TH. 8. Omnes torqueri poſſunt, niſi perſonæ, de quibus quæſtio eſt habenda, munitæ ſint aliquo privilegio aut qualitate, ob quam torturæ ſubjici nequeunt: ſic torqueri vetantur quidam ob dignitatem, (a) quidam ob defectum intellectus, (b) & quidam ob corporis debilitatem. (c)

(a) e. g. Principes, Comites, Barones, l. 11. C. h. t. l. 10. C. *de dignitat.* Nobiles, Milites, *arg.* d. l. 10 C. *& arg.* l. 8. C h. t. Doctores & Licentiati, *arg. l.* 2. §. *ult.* l. 4. *ff. de excuſat. milit.* l. 8. C. h. t. Senatores, Decuriones, l. 8. 11. & 16. C. h. t. item Clerici. Hodie contrarium obtinet, cum hi omnes in delictis gravioribus torturæ ſubijci queant, reatus enim omnem dignitatem excludit, l. 1. C. *ubi ſenat. vel clariß.*

(b) Vt [1] furioſi, l. 3. §. 11. ff. *de SCt. Syllan.* [2] impuberes, l. 10. *pr.* ff. h. t. [3] muti & ſurdi, naturâ tales.

(c) Vt [1] ſenes, hi enim ob corporis fragilitatem tormentis ferendis impares, quælibet fateri cogerentur, l. 3. §. 7. ff. *ad SCt. Syllan.* [2] morbo aliquo laborantes, *arg.* l. 7. ff. h. t. [3] fœmina prægnans, quandiù prægnans eſt, l. 3. *in fin. ff. de pœn.* moribus receptum eſt, ut mulier poſt editum partum intra quadraginta dies torturam non ſubeat, quod fit ob recuperandas prius vires priſtinas, & nutriendum infantem, ne hic lacte materno ſtatim ſubſtracto fame pereat.

TH. 9. In aliena cauſa nemo liber (a) quæſtioni eſt ſubijciendus, l. 12. ff. h. t. excipe cauſam læſæ Maieſtatis, in qua & accuſator & teſtes ob delicti atrocitatem torqueri licitè poſſunt, l. 3, C. *ad L. Iul. Maieſtatis.*

(a) Contra ſervi olim torquebantur, quibus ſine quæſtione nihil credebatur, l. 1. §. 13. ff. h. t. Attamen ſervi in dominum, eiuſque liberos torqueri prohibentur; l. 1. C. h. t. quoniam indignum cenſetur, audiri ſervos contra dominos, imo & periculoſum, tot enim intelliguntur hoſtes, quot ſervi. Excipiuntur caſus, [1] ſi dominus perduellionis poſtuletur reus, quo caſu ſervus contra dominum interrogari poteſt, ob Reipubl. ſalutem, l. 1. C. h. t. (1) ob adulterij crimen, ubi ſervos adulteri contra adulterum, & ſervos dominæ, adverſus eam torquere permittitur, l. 3. & l. 32. C. *ad L. Iul. adult.*

TH. 10. Quæritur, utrum accuſatus ſemel quæſtioni ſubiectus, ſi nihil confiteatur, iterum torqueri debeat? Reſp. negando, niſi nova indicia poſtea ſupervenerint, l. 18. §. 1. ff. h. t. quia indicia priora tormentis ſunt purgata.

TH. 11. Quæritur; an Iudex reum ex confeſſione propriâ per torturam expreſſâ condemnare jure queat? Reſp. affirm. ea tamen limitatione, ſi extra tormentorum conſpectum poſitus intra 24. horas confeſſionem non revocet, ſed poſtea confeſſionem repetat & confirmet, quo caſu vis per quæſtionem facta, poſtea accedente liberâ confeſſione & confirmatione purgatur. *Conſtit. crimin. art.* 56. *Carpz.* 3. *q.* 115. l. 11 §. 23. ff. h. t.

TH. 12. Quod ſi confeſſionem quæſtione extortam poſtea revocet, accuſatus iterum quæſtioni eſt ſubijciendus, quia prior eius confeſſio ſemiplenam facit contra ipſum probationem. Cæterum ſi quæſtio bis de reo fuerit habita, tertio iterari haud poteſt, cum in actu tam odioſo & præjudiciali actuum infinitas ſit vitanda, ne accuſatus non conſcientia, ſed doloris impatientia crimen à ſe commiſſum falſo affirmare cogatur.

TH. 13. Quæritur, an Iudex tormentis ad veritatem indagandam rectè uti poſſit? Reſp. affirm. ſi eam moderatè & legitimè adhibeat, quod fit ob neceſſitatem ſocietatis humanæ, ut delicta deprehendantur & puniantur, *teste Augustino l.* 19. *c.* 6. *de civit. Dei.* Nec obſtat interdum fieri, ut innocens torqueatur, quia in rebus humanis ob corruptum noſtrum ſtatum omnia incommoda vitari haud poſſunt; & licet nonnunquam præter Iudicis intentionem accidat, innocentem damnari, non ideo omne iudicium ceu illicitum è medio tollendum eſt.

TH. 14. Tres dantur hodie torturæ gradus, (1) eſt levis, qui fit à carnifice manibus reorum retrò funibus arctiſſimè conſtrictis, vel etiam adhibitis pedicis, maniciſque ferreis per intervalla excavatis, quæ digitis, tibijs vel cruribus ſic compreſſis intolerabilem dolorem excitant: (2) eſt gravis, ubi præter tormenta priora rei, ſive accuſati ſcalæ ſubijciuntur, & violenta quadam extenſione omnium membrorum articuli dilacerantur, (3) eſt, qui præter dictam expanſionem admittit aduſtionem rei, vel candentibus luminibus, vel ſulphure & igne corpori injecto, &c. Horum graduum primus & ſecundus, ut plurimum in tortura obſervatur, tertius ſaltem in peſſimis & nefandis criminibus eſt notus.

TITVLVS XIX.

De pœnis.

Iung. tit. 42. lib. 9. C.

TH. I. MAGISTRATVS ideo inquirit in facinoroſos, ut ſi de veritate criminis conſtet, rei pœna condigna afficiantur, l. 18. C. h. t. ſi verò innocentes inveniantur, abſolvantur.

TH. 2. Pœna eſt delicti ſive criminis coërcitio: vel eſt noxæ, (id eſt, criminis) vindicta, l. 131. ff. *de verb. ſignif.*

TH. 3. Pœna pro varietate delictorum ſtatuitur varia. Hinc alia pœna eſt capitalis, alia non capitalis, *arg. l. 2. ff. de public. iudic. l. 2.* & l. 28. ff. h. t.

TH. 4. Pœna capitalis (a) eſt, quæ vitam naturalem, vel civilem ut libertatem, aut civitatem adimit, l. 2. ff. h. t. l. 8. §. 1. l. 11. §. *fin.* ff. h. t.

(a) Quæ tripliciter ſumitur, (1) latè, quâ læditur exiſtimatio, l. 103. ff. *de V. S.* (2) ſtrictè, ut eam definivimus, (3) ſtrictiſſimè accipitur ſaltem pro pœna vitam naturalem adimente, l. 4. ff. h. t.

TH. 5. Pœna non capitalis eſt, quæ neque vitam naturalem, vel civilem adimit, ſed vel [1] relegationem in perpetuum aut ad tempus continet, vel (2) coërcitionem corporis afflictivam, ut fuſtigationem & flagellationem, manus vel pedis aut auris abſciſſionem; quia per hoc pœnæ genus caput è civitate non tollitur, *vide in fin. de public. iudic.* vel (3) pœnam pecuniariam, aut (4) infamiam complectitur, *vide* §. 2. *Inſtit. de publ. iudic.*

TH. 6. Pœna alia eſt ordinaria, alia extraordinaria.

TH. 7. Pœna ordinaria eſt, quam lex aut Princeps, aut conſuetudo induxit, & dicitur legalis.

TH. 8. Pœna extraordinaria eſt, quæ nulla lege, aut ſtatuto, inducta extra ordinem pro Iudicis arbitrio eſt definienda; quæ ratione circumſtantiarum modò gravior, modò leuior.

TH. 9. Quæritur, an pœna arbitraria, ſive extraordinaria ad mortem extendi iure poſſit? Reſp. affirmando, præprimis ſi delicti atrocitas mortis pœnam poſtulet; quin aliàs delinquenti à Iudice pœna non infligeretur delicto conveniens; ſicque læderetur bonum publi-

cum, anxiè deſiderans crimina in aliorum exemplum condignè puniri.

TH. 10. Pœnarum tres ſunt gradus, (1) eſt ſummus, (2) medius, & (3) infimus.

TH. 11. Summus pœnarum gradus adimit vitam naturalem, hæc vitæ naturalis ademptio eſt varia, ut (1) diſtractio condemnati per quadrigas in diverſum actas, quâ perduelles puniuntur, (2) diſſectio rei viuentis in quatuor partes abſque equis; interdum tamen ex clementia caput prius amputatur, & deinde in quatuor partes diſſecatur, (3) ignicremium hac pœna ſagæ afficiuntur, (4) confractio membrorum per rotas quâ in latrones & graſſatores viarum animadvertitur, (5) pœna defoſſionis, ſtipitiſque per corpus transfixionis, (6) pœna ſubmerſionis, quâ mulieres puniuntur, (7) pœna laquei, quâ fures, (8) pœna gladij, quâ homicidæ coërcentur.

TH. 12. Medius pœnarum gradus adimit ſaltem vitam civilem, h. e. maximam & mediam capitis diminutionem, putà libertatem & civitatem, qualis eſt deportatio, aquæ & ignis interdictio, in metallum vel opus publicum damnatio.

TH. 13. Infimus pœnarum gradus, ſalva vita naturali & civili, affligit corpus, vel exiſtimationem lædit, vel bona minuit. *vide theſim 5. præcedentem.*

TH. 14. Non omnes Magiſtratus poteſtatem animadvertendi habent, ſed illi duntaxat penes quos ius gladij & merum imperium, ut Præfectus urbi, l. 2. §. 1. ff. h. t. *arg.* l. 3. ff. *de Iuriſdict.*

TH. 15. Illi ſaltem puniendi ſunt, qui deliquerunt, cum pœnæ debeant tenere ſuos tantùm authores, l. 20. *&* 26. ff. h. t. l. 22. C. *eod.* ergo nemo alieno crimine eſt prægravandus, ut filius delicto patris, vel pater delicto filij, ſicut enim filius debitum patris ſolvere non obligatur, *t. C. ne filius pro patr.* ita nec eius crimen eum tenet.

TH. 26. Prudentis Iudicis eſt proſpicere, ne quid durius vel remiſſius, quàm perpetrati delicti qualitas expoſcit, in delinquentes ſtatuat. In levioribus cauſis (a) pronior ſit ad lenitatem, l. 11. ff. h. t. Contra, in gravioribus (b) ſeveritatem legum cum aliquo benignitatis temperamento ſequatur, *d.* l. 11.

(a) Quando (1) delictum non dolo, ſed culpâ admiſſum; pœna delinquentis ſit levior, l. 5. §. *ult.* l. 16. §. *fin.* l. 28. §. 12. ff. h. t. l. 3. ff. *de his qui not. infam.* l. 7. ff. *ad L. Cornel. de ſic.* (2) cum quis impetu deliquit, præſertim ſi iuſtus dolor vel probabilis cauſa ſubſit, l. 1. § *fin.* ff *ad L. Cornel. de ſic.* l. 11. *pr.* ff. h. t. l. 7. § *fin.* ff. *ad L. Iul. repetund.* l. 38. §. 8. ff. *ad L. Iul. de*

adulter.

adulter. *(3)* ſi quis mandato eius, cui parere cogitur, delictum perpetraverit, illi in levioribus ignoſcitur, l. 157. l. 167. §. 1. l. 169. ff. *de R. I.* l. 11. §. *fin.* ff. *de his qui not. infam.* in gravioribus pœna mitigatur, l. 20. ff. *de obl. & act. l. 2 C. de ſepulchr. violat. l. ſervos* 8. C. *ad L. Iul. de vi*, *(4)* ſi quis crimen modò inchoavit, & nondum conſummavit, l *vulgaris* 21. §. *qui furti* 7. *ff. de furt.* l. 1. *pr. & §. fin. de extraord. crim.* Hîc excipiuntur atrociſſima ſcelera, ut crimen læſæ Maieſtatis, vel qui emit venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulaverit, &c. In eiuſmodi delictis malum propoſitum & ſceleris initium pro ipſo ſcelere ſumitur, l. 1. *in fin. ff. ad L. Pomp. de parric. l. 1. & 7. ff. ad L. Cornel. de ſic. l.* 5. *C. ad L. Iul. Majeſt.*

(b) Delicta intelliguntur atrociora, quando dolo & propoſito committuntur.

TH. 17. In omnibus delictis ſequentia à Iudice ſunt obſervanda, (1) cauſa, ex qua delictum eſt ortum, (a), [2] perſona (b), [3] locus (c) & tempus, (d) quo delictum eſt perpetratum, (4) qualitas (e), ſecundum quam factum eſt, (5) delicti quantitas, (f) (6) eventus qui eſt ſubſecutus, l. 16. §. 1. *& ſeqq.* l. *pen.* ff. h. t.

(a) (1) An illa fuerit iuſta vel iniuſta; iuſta eſt, ſi quis verberibus excipiatur à parentibus vel Magiſtratu emendationis gratia; iniuſta, ſi ab extraneo, tunc iniuria infertur, *d.* l. 16. §. 1. (2) an quis conſulto, an verò impetu & iuſto dolore, quem temperare eſt difficillimum, an caſu deliquerit, l. 5. §. *ult.* l. 11. §. *pen.* ff. h. t.

(b) Quæ hîc dupliciter conſideratur, (1) quæ delictum perpetravit, & (2) quæ delictum eſt paſſa; hic ratione criminis commiſſi aliter puniuntur (1) ſervi, quàm liberi, l. 10. *&* l. 16. §. 3. ff. h. t. quia ſervi corporis cruciatu pœnas æſtimant, æſtimationem & famam flocci pendentes; contra ingenui dolore animi, non corporis pœnarum modum æſtimant; *(2)* aliter famoſi, quam integræ famæ homines, l. 28. §. *ult.* ff. h. t. *(3)* aliter qui quid in dominum & parentem auſus eſt, quàm in extraneum; *(4)* qui quid in Magiſtratum, quàm in privatum, vbi ætatis quoque ratio habetur, an adultus, minor vel impubes ſit, d. l. 16. §. 3. ff. h. t.

(c) Qui efficit, ut idem delictum, vel furtum, vel ſacrilegium ſit, & capite luendum, vel minori ſupplicio, l. 16. §. 4. iniuria quoque loco augetur, e. g. ſi inferatur in æde ſacra, foro, vel curia, §. 9. *Inſtit. de iniur.*

(d) Hoc diſtinguit furem diurnum à nocturno, emanſorem à fugitivo, d. l. 16. §. 5.

(e) Illa æſtimatur delictum vel atrocius, vel levius, e. g. furtum manifeſtum eſt atrocius non manifeſto, violentia eſt gravior petulantiâ, expilatio furto, d. l. 16. §. 6.

(f) Hæc diſcernit furem ab abigeo; nam qui unum ſuem ſurripit, ut fur coërcebitur, qui gregem, ut abigeus, d. l. 16. §. 7.

TH. 18. Quæritur, an impuberes, ſi delinquant, puniri poſſint? Reſp. diſting. inter eos, vel ſunt pubertati proximi, vel non, de illis affirmatur, cum doli capaces cenſeantur, de his non item, §. *pen. Inſt. de obligat. quæ ex delict. naſc.*

TH. 19. Nec furioſus de crimine in furore perpetrato ob mentis, ſive intellectus defectum puniri poteſt, etiamſi ſit graviſſimum, l. 12. ff. h. t. Quod ſi crimen ante furorem commiſerit, & poſtea furioſus factus, nec ſic quidem puniri poteſt, quia hic ſuo furore ſatis punitur, l. 14. ff. *de offic. Præſid.*

TH. 20. Quæritur, an prodigus delinquens pœna ordinaria affici poſſit? Reſp. affirm. quia is eſt doli capax; nec furioſo aut infanti comparatur, niſi quoad bonorum adminiſtrationem; in reliquis enim habetur integri ſenſus homo.

TH. 21. Quæritur, an bruta, ſi quid committant, rectè puniantur? Reſp. negando, quia affectu delinquendi & dolo carent; animadvertitur tamen interdum in ea, aſt non ut puniantur, ſed ut exemplo alij deterreantur, atque memoria criminis penitus deleatur; (idem de cadaveribus delinquentium) ſic etiam Lex Divina bovem cornu petentem, ſi hominem occidat, lapidibus obrui mandat, carnem comedi prohibet, & propter beſtialem concubitum beſtias etiam voluit ſuſpendi, *Exod.* 21. *Levit.* 20.

TH. 22. Ratione delicti perpetrati mitius agitur cum muliere, quàm cum mare, l. 38. §. 1. *& ſeq.* l. 39. §. 4. ff. *ad L. Iul. de adult. l.* 5. §. 3. *C. ad L. Iul. Maieſt. l.* 6. ff. *ad L. Iul. pecul.* rationem in eo fundatam ſcias, quod mulieres viris ſint fragiliores, corpore, animo, & conſilio.

TH. 23. Minores commiſeratione ætatis nonnunquam lenius puniuntur, l. 37. §. 1. ff. *de minorib.* l. 1. §. 32. ff. *ad SCt. Syllan.* l. 38. §. 4. ff. *ad L. Iul. de adult.* l. 108. ff. *de R. I.*

TH. 24. Qui diutino tempore in reatu fuerunt, eorum ſupplicium leniri ſolet, e.g. qui diu in carcere, ſive vinculis detenti fuerunt, cum eorum accuſatio ob difficultatem probationis, vel cauſæ gravitatem, &c. diù pependit, l. 25. ff. h. t. l. 23. C. *eod. Nov.* 5. *c.* 2.

TH. 25. Quod palàm cum audacia & ſcandalo committitur, gravius puniendum eſt, quàm quod clam committitur; contra, quod difficilius cavetur, & lenius coërcitum, Remp. multitudine peccantium oppreſſurum eſt, ſi clam committatur, gravius iudicandum eſt, l. *ult. ff. de rit. nupt. l.* 1. *C. de malefic. & Math.*

TH. 26. Qui diu & ſæpius eadem, vel diverſis ſcelerum vijs graſſa-

ti ſunt, ſeverius ſunt puniendi, cum creſcentibus delictis creſcunt & pœnæ. Ex oppoſito, qui ſemel tantum deliquerunt, lenius puniuntur, l. 18. §. 3. ff. h. t.

TH. 27. Si crimen à pluribus pro indiviſo ſit admiſſum, ſingulos in ſolidum obligat, l. 15. §. 2. ff. *quod vi aut clam*, *l. 51. ff. ad L. Aquil. l. 7. §. fin. ff. de Iuriſdict. l. 34. ff. de iniur. l. 21. §. pen. ff de furt.*

TH. 28. Si delinquentium numerus ſit magnus, & crudele videatur omnes ob unum delictum puniri, conſultius eſt, duces & capita factionis, ſeu anteſignanos punire, ut pœna ad paucos, metus verò ad omnes perveniat. Idem aſſeritur de civitate vel univerſitate delictum perpetrante, quoniam multitudo ſine authoribus rarò delinquere ſolet.

TH. 29. Iudex pœnam pecuniariam in corporis coërcitionem ob inopiam, (a) vel ſervilem (b) conditionem commutare poteſt.

(a) Qui enim non habet in ære, luat in corpore; intellige, hoc in delictis, non verò in contractibus procedit, l. 1. §. *ult.* ff. h. t. l. *ult. de in ius vocand.* l. 9. ff. *de incend. ruin. nauf.* l. 7. §. 3. ff. *de Iuriſdict. l. ult. C. de ſepulch. viol.* l. 35. ff. *de iniur.*

(b) Quia ſervi proprium nihil habentes pœnam pecuniariam ſuſtinere nequeunt; proinde extra ordinem durius puniuntur, l. 7. §. 3. ff. *de Iuriſdict.* l. 13. ff. *de manumiſſ.* l. 12. §. *ult.* ff. *de accuſat.* l. 3. §. 1 *de term. mot.*

TH. 30. Quæritur, an fur ſuſpenſus, rupto laqueo, à pœna liberetur? Reſp. negando, quia pœna inchoata eſt perficienda; unde etiam ſententiæ furis inſeri ſolet, ut furi laqueo vita adimatur.

TH. 31. Pœnæ regulariter 20. annis poſt delictum admiſſum præſcribuntur, (a) & ſic officium iudicis, atque accuſationes excludũtur, l. *querela* 12. C. *de falſis.* Sicut enim in civilibus cauſis præſcriptio neceſſaria eſt viſa, ut litium aliquis ſit finis, nec ſemper incerti cives de dominio rerum ſuarum; ita eadem neceſſaria viſa eſt in cauſis criminalibus, ut accuſationum aliquis finis eſſet, nec ſemper incerta ſpe atque expectatione penderent, quicunque criminis alicuius inſimulantur.

(a) Excipiuntur quædam delicta, quæ breviori tempore præſcribuntur, ut (1) adulterium quinquennio, (2) actio iniuriarum præſcribitur anno, l. 5. *C. de iniur.*

TH. 32. Extinguitur crimen & pœna ex eo deſcendens morte delinquentis, l. 2. & 3. *C. ſi reus vel accuſ. mort.*

TH. 33. Cauſa efficiens pœnæ eſt lex, quæ delinquentibus pro ſingulorum qualitatibus iuſtas pœnas irrogat; legis autem executor eſt

Magiſtratus, qui legem aut conſuetudinem ſequi, nec durior, vel clementior ea eſſe debet. l. 8. C. *ad L. Iul. de vi publ.*

TH. 34. Materia, in qua pœnæ exercentur ſunt, delinquentes, non verò bruta affectu delinquendi & dolo deſtituta. *t.t ff. ſi quadrup. paup. fecíſ. dicat.* Formam ex theſi 10. & 11. addiſces.

TH. 35. Finis pœnæ duplex eſt, (1) ut emendentur delinquentes, (2) ut emendentur alij formidine pœnæ, qui virtutis amore à ſcelere abduci nequeunt. l. 20. ff. h. t.

TH. 36. Effectus pœnæ eſt, quod pœna omnem reatum tollat; quoniam omnis lex aut ad obedientiam, aut ad pœnam obligat; eo fit, ut qui perſolvit pœnam, pro ſoluto habeatur.

TITVLVS XX.

De bonis damnatorum.

Iung. tit. 39. libr. 9. C. *De bonis præſcriptorum & damnatorum.*

TH. 1. INTER graviores pœnas numeratur & bonorum publicatio, qua delinquens ad incitas redigitur. Quoties enim quis olim ob delicta damnabatur, eius bona fiſco cedebant, l. 1. §. 2. & *ſeqq.* l. 2. ff. h. t. quod iure noviſſimo correctum, ubi damnatorum bona in fiſcum non rediguntur, ſed deſcendentibus & aſcendentibus uſque ad tertium gradum ſervantur, *Nov.* 134. c. *ult.* Hodie & collaterales in infinitum admittuntur, *Conſtit. crimin. art.* 218. Excepto (1) crimine læſæ Majeſtatis, quo omnia damnati bona ſibi vindicat fiſcus, *Nov.* 134. c. *ult. auth. bona damnatorum* C. h. t. (2) crimine hæreſeos. *auth. Gazaros* C. *de hæretic.*

TH. 2. Tunc demum Magiſtratus ſummæ poteſtatis publicabat, ſive redigebat damnati bona in fiſcum; cum delinquenti aut vita adimebatur, aut libertas, aut civitas, l. 3. *in fin.* ff. *de interdict. & relegat.* ut deportatis accidebat, l. 1. *pr.* ff. h. t. qui verò civitatem non amittebant, ut relegati, bona retinebant. l. 7. §. 4. ff. *de interdict. & relegat.*

TH. 3. Feuda non veniunt in confiſcationem bonorum, ſed pro qualitate eorum ad dominos, vel agnatos revertuntur. *Ordin. Camer.* p. 2. t. 9. §. 2.

TITVLVS XXI.

De bonis eorum, qui ante ſententiam vel mortem ſibi conſciverunt, vel accuſatorem corruperunt.

Iung. tit. 50. lib. 9. C.

TH. I. QVI accuſatione intentata ante ſententiam ob conſcientiæ metum (a) ſibi mortem conſciverunt, vel accuſatorem corruperunt, (b) eorum bona publicantur. (c) l. 3. *pr.* & §. 3. ff. h. t.

(a) Contrarium ſtatuitur, ſi quis tædio vitæ, furore, vel doloris impatientia mortem ſibi conſcivit, cuius bona heredibus deferuntur. l. 6. §. 7. ff. *de iniuſt. rupt. irrit. teſtam.* l. 1. & 2. C. h. t.

(b) In crimine tamen capitali paciſci & tranſigere licet, cum ſanguinem ſuum quolibet modo redimere concedatur, l. 17. C. *de tranſact.* Contra, ſi ſuper crimine non capitali paciſcatur, crimen fateri præſumitur, l. 5. ff. *de his, qui not. infam.*

(c) Si nimirum crimen commiſſum prius probetur, d. l. 3. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 2. Quæritur, utrum violentas manus ſibi inferens, non conſummato ſcelere, h. e. vitâ ſibi non ademptâ, puniendus ſit? Reſp. ſi conſcientiæ metu hoc fecerit, maximè puniendus eſt; qui enim ſibi non pepercit, multo minus alijs parcet. d. l. 3. §. 6. ff. h. t.

TH. 3. Iuſtinianus noluit bonorum publicationem in damnatis admittere, extantibus deſcendentibus vel aſcendentibus. Ergo multò minus velle præſumitur, bona vitam ſibi ob delictum eripentium fiſco cedi. *auth. bona damnatorum* C. *de bon. præſcript. vel damnat. conſtit. crim. art.* 135.

TITVLVS XXII.

De interdictis, & relegatis, & deportatis.

TH. 1. HVIVS rubricæ tria ſunt membra, de quibus ſingulatim breviter nunc exponetur; [1] eſt de interdictis, quibus non modo interdictus eſt certus locus, certaque provincia, ſed & religionis uſus, honor, ordo, negotiatio, advocatio. l. 7. §. 10. *& ſeqq.* l. 9. ff. h. t. l. 8. ff. *de poſtulan.*

TH. 2. [2] Eſt de relegatis, qui ſunt duplicis generis, vel illis certa inſula aſſignatur, vel provincijs tantum interdicitur, non aſſignata certa inſula. l. 7. *pr.* ff. h. t. unde patet interdictorum nomen latius ſumi, quam relegatorum.

TH. 3. Relegari quis poterat vel ad tempus, vel in perpetuum; illo caſu neque bona, neque civitas (a) adimi poteſt, hoc caſu bonorum pars adimi poteſt. l. 4. ff. h. t.

(a) Vnde omnia civitatis iura retinet integra, e. g. patriam poteſtatem, teſtamenti factionem. l. 4. ff. h. t.

TH. 4. [3] De deportatis, quibus certus locus aſſignatur, quem egredi non permittitur; his & civitas & bona adimuntur, l. 17. ff. *de pœn.* l. 8. C. *eod.* l. 39. ff. *de iur. fiſc.* l. 14. §. 1. l. 15. *pr.* ff. h. t. Salvo tamen iure gentium quod deportatis conſervatur, hinc emere, vendere, locare, conducere, permutare, fœnus exercere, ſervos, aliaſque res ſibi comparare poſſunt, donec vivunt; aſt morientes fiſcum relinquunt heredem. l. 15. ff. h. t.

TH. 5. Deportatio cenſetur ſupplicium capitale, quod morti comparatur. l. 1. §. 8. ff. *de bonor. poſſeſſ. contra tabb.*

TH. 6. Deportatio propriè denotat exilium, impropriè verò & relegatio nomine exilij venit. l. 5. ff. h. t.

TITVLVS XXIII.

De ſententiam paſſis & reſtitutis.

Iung. tit. 51. libr. 9. C. d. t.

TH. I. DAMNATI ſive ſententiam paſſi ſæpenumero reſtituuntur vel per iuſtitiam, (a) vel ex gratia. (b)

(a) Per quam oſtenditur damnati innocentia, cui proinde omnia alienata quovis modo reſtituenda cum fructibus.

(b) Putà à lege, vel à Principe; à lege, quando lex aliquem pro præmio reſtituit, l. *un.* §. 2. ff *ad L. Iul. de ambit.* à Principe, talis reſtitutio eſt communis, ſeu generalis, vel ſpecialis; generalis eſt, quando Princeps univerſis exulibus reditum concedit; quo caſu pœna ſaltem remittitur, non autem reſtituuntur bona & exiſtimatio, l. 7. C. h. t. Specialis non modò pœnam remittit, ſed & famam, bona, honores, atque poteſtatem patriam reddit. §. 1. *Inſt. quib. mod. ius patr. pot. ſol.* l. *ult.* C. h. t.

TH. 2. Princeps ex gratiâ reſtituere non debet, niſi ex magna cauſa; & quidem ob hanc rationem, quia remiſſiones pœnarum moralem cauſam multiplicationis criminum ponunt: vel ut ait Licurgus, quia nocentium remiſſione improborum ſtudia ad peccandum excitantur.

TH. 3. Quæritur, utrum Princeps in præiudicium privati, reſtituere damnatos queat? Reſp. negand. ſi privatus iuſtè ſuum intereſſe proſequatur, aut damnum ex homicidio, vel alio crimine illatum reſarcire poſtulet. Ergo quoties reſtituit, videtur in præjudicium fiſci ſui, non privati alicuius reſtituere; cum Princeps non cenſeatur reſcripto ſuo velle adimere ius alteri quæſitum, l. 2. §. 10. & 16. ff. *ne quid in loc. publ. vel privat. ſi.*

TH. 4. Hæc reſtitutio, quam Princeps ex gratia concedit, provenit ex iure aggratiandi, hoc eſt ius veniam pœnæ concedendi. Eiuſmodi iure hodie gaudent Imperator, ſtatus Imperij in delictis lege humana, & non divina prohibitis; nam crimina lege divina prohibita ab ipſis validè remitti haud poſſunt, e. g. ſacrilegium, ſodomia - blaſphemia, adulterium, bygamia.

TITULUS XXIV.

De Cadaveribus punitorum.

TH. I. CADAVERA punitorum, factâ executione capitali, regulariter (a) ſepeliri debent; ideo cognatis non ſunt deneganda.

(a) Ab hac regula excipitur; ſi crimen commiſſum fuerit atrox, ut læſæ Majeſtatis, ſacrilegium, ſodomia, latrocinium, tunc non ſepeliuntur, quia exemplo & memoria punitionis eſt opus. l. 1. ff. h. t. l. 28. §. *pen.* ff. *de pœn.* Sic etiam hodie cadavera ſuſpenſorum non ſepeliuntur, ſed ad exemplum in furca h. e. patibulo reliquuntur. *Conſtit. crimin. art.* 159. *&* 162. *Carpz.* 1. q. 137.

TH. 2. Quod ſi crimina atrocia, committentes ipſi confiteantur, vel de ijs convincantur, & ante condemnationem è vivis excedant, tunc eorum cadavera per carnificem ſub furcam, aut loco iuſtitiæ ſepeliuntur. Contra, ſi de delicto commiſſo, cuius accuſantur, non certo conſtet, tunc in eorum cadavera, non animadvertitur, ſed honeſta illis ſæpe ſepultura denegatur. *arg.* 1. *Reg.* 15. *Verſ.* 38. 2. *Reg.* 9. *Verſ.* 34.

TH. 3. Cadavera punitorum aliquando medicis ad anatomen conceduntur, quamvis hoc vergat in contumeliam propinquorum, conceditur tamen à Principe ob Reipubl. utilitatem, quæ hîc prævalet. Si tamen punitus ſit alicuius dignitatis, aut egregiæ familiæ, eius cadaver haud facile ad id offertur, ne in maximum totius familiæ contemptum vergat.

LIBER QVADRAGESIMVS NONVS.

TITVLVS PRIMVS.

De appellationibus & relationibus.

Iung. tit. 62. lib. 7. C. *De appellationibus & conſultationibus*, & tit. 61. ibid. *De relationibus.*

TH. 1. HVc uſque omnia iudicia civilia & criminalia primæ inſtantiæ ſuis locis vidimus: videamus & iudicia ſecundæ inſtantiæ, quæ vocantur appellationes, de quibus hic titulo 1. in genere agitur, deinde in ſequentibus titulis quædam ſpecialiter exponuntur.

TH. 2. Appellatio (a) eſt ab inferiori iudice ad ſuperiorem gradatim (b) facta provocatio, ut iniquitatem ſibi ab inferiori iudice factam corrigat ſuperior. l. 1. ff. h. t.

(a) Vox hæc eſt ambigua, denotans (1) latè querelam iniquitatis ſententiæ, l. 17. ff. *de minorib.* (2) propriè, uti definivimus, (3) accipitur pro debitoris interpellatione, qui de ſolutione interpellatur, l. *fideiuſſor.* 16. §. *ult.* ff. *de fideiuſſor.* ſic virginem appellare dicimus, cuius pudicitia attentatur. l. 15. §. 15. ff. *de iniur.*

(b) Excipiuntur ſeqq. caſus, (1) ſi proximè ſuperior eſt inhabilis, vel (2) ſuſpectus, vel (3) is conſentit, vel (4) iuſtitiam denegat, vel (5) appellatus ordinem ſervandum eſſe, non oppoſuit, *Gail.* 1. *obſ.* 119. *& Myn-ſing.* 1. *obſ.* 67. Iure Canonico, omiſſo medio iudice, ad Pontificem appellare licet. c. 7. *Extr.* h. t.

TH. 3. Appellationi in omnibus cauſis tam civilibus, l. 20. C. h. t. quam criminalibus regulariter eſt locus, l. 8. ff. h. t. l. 12. *&* 14. C. *eod.* Excipiuntur autem cauſæ ſequentes, [1] in quibus ſententia victo non admodum eſt præiudicialis, quales ſunt cauſæ teſtamenti aperiendi. l. *ult.* ff. *de appellat. recip.* l. 6. C. *quor. appellat.* (2) appellatio non con-

ceditur à ſententia lata in poſſeſſorio momentaneo, ſive ſummarijſſimo, e. g. de ſpolio, quia ſpoliatus ante omnia eſt reſtituendus, *t.* C. *unde vi*, & l. 1. C. *ubi de poſſeſſ. agi oport.* l. *un.* C. *ſi de moment. poſſeſſ. fuer. appell. Mynſing.* 6. *obſ.* 13. *Gail.* 1. *obſ.* 7. (3) nec ab executione appellare licet, l. 4. *pr.* ff. h. t. niſi executores modum excedant, l. 43. ff. h. t. (4) cauſæ dilationem ſ. moram non ferentes appellationem rejiciunt, e. g. alimentorum, refectionis ædificiorum, l. *ult.* ff. *de appell. recip. vel non.* l. 4. & l. *ult.* C. *quorum appellat.* (5) in una eademque cauſa à tertia ſententia lata appellare non licet, l. 1. C. *ne liceat in eademque cauſ. tertio prov.* quod in Camera Imperiali ob vitandas fraudes non attenditur. *Mynſing.* 1. *obſ.* 15.

TH. 4. Appellare omnes poſſunt, qui in iudicio ſunt condemnati, vel gravati, ſive unus, ſive plures fuerint, *t. t.* C. *ſi unius ex plurib.* ſive actor, ſive reus ſit; interdum & actor & reus ſimul appellant, quando nimirum ſunt plura ſententiæ capita.

TH. 5. Appellare poteſt & is, cuius intereſt, ita iudicatum non fuiſſe, (a) imò & procurator, qui ad totam cauſam eſt datus. l. 4. §. *fin.* ff. h. t. l. 17. C. *de procurat.*

(a) Sic emptore ſuper proprietate victo, appellare poteſt venditor, quia eius cauſa agitur, cum emptori detur regreſſus contra venditorem, l. 4. §. 2. & *ſeqq.* ff. h. t. ita etiam rectè appellant ratione intereſſe, (1) Legatarius victo herede inſtituto, d. l. 6. §. 1. ff. h. t.. (2) fideiuſſor pro eo, pro quo interceſſit, (3) coheres, victo coherede. d. l. 5.

TH. 6. Servis appellare non licet. l. 15. ff. h. t.

TH. 7. Appellatio dupliciter fieri poteſt, [1] ſtatim viva voce poſt latam ſententiam, iudice adhuc pro tribunali ſedente, dicendo, appello, l. 2. ff. h. t. l. 14. C. *eod.* vel [2] ſi non ſtatim appellet, poteſt intra decendium, quod tempus appellationi eſt præſtitutum, appellare in ſcriptis (non verò viva voce) quod fit per libellum, qui contineat à quo appelletur, adverſus quem, à qua ſententia. l. 1. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 8. Cauſa efficiens appellationis eſt magis uſus, quam lex.

TH. 9. Materia appellationis ex qua, vel à qua appellationes procedunt, ſunt [1] ſententiæ definitivæ, l. 1. ff. h. t. [2] interdum quoque interlocutoriæ, ſi vim definitivæ, aut gravamen irreparabile contineant, aliàs regulariter ab interlocutoria ſententia non appellatur. l. 2. ff. *de appell. recipiend.* (3) à quolibet gravamine appellari permittitur. c. 1. c. *cum Romana* 3. *de appellat. in* 6.

TH. 10. Forma appellationis ut ab inferiori ad proximè ſuperiorem appelletur, & vel illico, vel poſtea ex intervallo, &c. de quibus ſuprà. c. *anteriorem cauſ.* 11. q. 5.

TH. 11. Finis appellationis eſt, ut per eam ſententia in inferiori iudicio lata, vel confirmetur, vel infirmetur & reſcindatur. l. 32. §. 3. C. h. t.

TH. 12. Effectus, per appellationem ſuſpenditur ſententia, ita ut non poſſit mandari executioni, l. 6. §. 1. ff. *de his qui notant. infam.* aut quicquam novari pendente appellatione, *t.* ff. *nihil innov. appell. interpoſ.* quod ſi fiat, confeſtim reſcinditur.

TH. 13. Altera rubricæ pars tractat de relationibus. Eſt autem relatio nihil aliud, quam iudicis inferioris ad ſuperiorem facta conſultatio, (a) cauſam dubiam referendo.

(a) Quoniam inferior conſulit ſuperiorem, quomodo iudicare debeat, l. 1. §. 1. ff. h. t. l. *un.* C. *de relation.*

TH. 14. Eiuſmodi relationes iure novellarum non admittuntur, *Novel.* 125. c. 1. Contrà, iure Canonico & hodie vigent. c. 8. *Extr.* h. t.

TITVLVS II.

A quibus appellare non licet.

Iung. tit. 42. libr. 7. C. *De ſententijs Præfectorum Prætorio.*

TH. 1. AB omnibus, ſuperiorem recognoſcentibus (a) regulariter appellare permittitur. Ergo non à Principe, cum ſit caput Reipubl. nec major eo in terris inveniri poſſit, ad quem eatur. l. 1. §. 1. ff. h. t.

(a) Excipiuntur (1) Præfectus Prætorio, à quo ſupplicare ſaltem licet; *t. C. de ſentent. Præfect. Prætor.* (2) iudex datus à Principe, ſicut enim ab ipſo Principe non appellatur, ita nec à judice dato à Principe, cum vicem eius ſuſtineat. l. 1. §. 4. ff. h. t. (3) arbiter, ſi ſententiam dicat, l. 2. C. *de recept. arbitr.* quia arbiter non eſt iudex, nec iuriſdictionem habet. l. 1. C. *eod.* (4) iudex, à cuius ſententia rei caverunt, ſe non provocaturos. l. 1. §. 3. ff. h. t.

TH. 2. Ratione Aureæ Bullæ t. 11. ex ſingulari privilegio omnibus Electoribus eſt indultum ab eorum ſententijs ad Cameram Imperialem non appellari, quod privilegium lapſu temporis Electores fermè amiſerunt. Exceptis Electore Saxonico & Brandeburgenſi, qui adhuc hodiè idem privilegium acriter obſervant, & tuentur. Reliquis Im-

perij ſtatibus & Principibus eatenus conceditur, quatenus cauſæ ſunt minoris momenti, ne certam & præſcriptam ſummam excedunt. *Heig.* 1. q. 4.

TH. 3. Eodem privilegio gaudet Potentiſſimus Rex Sueciæ, Dominus meus clementiſſimus, ratione Ducatuum Pomeraniæ, Bremenſis, Verdenſis, Rugiæ, & ſummi Tribunalis VViſmarienſis. *Vide Pacificat. Oſnabrug. art. 11. Zum virten verſ. und ubergeben.*

TITVLVS III.

Quis & à quo appelletur.

TH. 1. AB inferiori iudice regulariter appellatur ad proximè ſuperiorem (a) eiuſdem ordinis; quapropter Laïcus non rectè appellat ad iudicem Eccleſiaſticum, cum hic ei non ſit proximè ſuperior.

(a) Sic non rectè appellatur ad Imperatorem omiſſo intermedio, l. 21. ff. *de appellat.*

TH. 2. Ad eum, qui iuriſdictionem alteri mandat, ut ſuo nomine, & loco eam exerceat, non poteſt appellari, l. 1. §. 1. ff. h. t. ſed ad majorem judicem, (a) cum per ſe facere videatur, quod per eiuſmodi vicarium facit. c. *qui facit de R. I. in 6.*

(a) Hinc appellari non poteſt à pari ad parem, multo minus à ſuperiori ad inferiorem.

TITVLVS IV.

Quando appellandum ſit, & intra quæ tempora.

Iung. tit. 63. libr. 7. C. *De temporibus & reparationibus appellationum.*

TH. 1. ANTE ſententiam appellare non licet, ſed demum poſt latam ſententiam. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 2. Tempora appellationum quatuor accuratè ſunt diſtinguenda, [1] eſt tempus interponendæ appellationis, *de quo* h. t. [2] eſt tempus petendi Apoſtolos, *de hoc tit. 6 ſeq.* [3] eſt tempus præſentandi ſe coram iudice, quod eſt arbitrarium, [4] eſt tempus appellationis proſequendæ, quod eſt annus, & ex iuſta cauſa biennium. *Auth. ei qui* C. *de temp. appellat.*

TH. 3. Olim in propria cauſa biduum ad appellandum concedebatur, l. 1. §. 11. ff. h. t. in aliena triduum. d. l. 1. §. 12. Hodie indiſtinctè tempus appellandi eſt decendium, quo effluxo expirat appellatio, & ſententia ab inferiori lata in rem iudicatam tranſit, *Auth. hodie* C. *de appellat. Nov.* 23. c. 1. hoc decendium de momento in momentum currit à tempore ſententiæ latæ. Quod ſi quis non fuit præſens, & ſententiam non audivit, tunc hoc fatale ſaltem currit à die ſcientiæ, l. 9. C. h. t. modo quis iuſtam abſentiæ cauſam prætendere queat, & non per contumaciam abſit. *arg.* l. 1. §. 10. ff. h. t.

TITVLVS V.

De appellationibus recipiendis vel non.

Iung. tit. 65. libr. 7. C. *Quorum appellationes non recipiantur.*

TH. 1. APPELLATIO recipienda eſt, [1] ſi is, adverſus quem ſententia eſt lata, vel [2] alius, cuius intereſt, appellet, vel [3] is cui mandatum eſt negotium. l. 1. ff. h. t.

TH. 2. Quorundam appellationes non recipiuntur, [1] ſi appellan

propter contumaciam ſit condemnatus, l. 1. *&* 4. *C*. h. t. quia non habet, quod conqueratur, cum ſuo vitio in iudicio eſt ſuperatus, [2] ſi appellans malè geſſerit officium publicum, l. 3. C. *eod.* [3] ob delictum confeſſum, quod propter atrocitatem ſtatim puniri, publicè interſit, ut ſunt inſignes latrones, vel ſeditionum concitatores, vel duces factionum, l. 16. ff. *de appellat. & relat.* ut & veneficium vel adulterium vel raptum committentes, &c. l. 2. C. h. t. (4) ſi quis antea ſuo iuri renunciavit per conventionem, de non appellando, l. 1. §. 3. ff. *à quib. appell. non lic.* (5) ſi bis ſit appellatum de uno eodemque capitulo, & una, eademque parte litigante, t. t. C. *ne liceat in una ead. cauſ.* ſi verò quis gravetur in diverſis capitulis, appellatio eſt licita.

TH. 3. Camera Imperialis hodie non obſervat, utrum in inferioribus iudicijs bis, vel ter, aut amplius ſit appellatum. *Mynſing.* 1. *obſ.* 15.

TITVLVS VI.

De libellis dimiſſorijs, qui Apoſtoli dicuntur.

TH. 1. VT appellationi ſit locus, Apoſtolos (a) petere debet appellans, ratione videlicet Iuris civilis, non autem ratione Iuris cameralis, ubi impunè omittuntur, *ordin. camer.* p. 2. *tit.* 30. *Gail.* 1. *obſ.* 139. *Mynſing.* 4. *obſ.* 36.

(a) Qui à verbo græco ἀπῶ τȣ̃ ἀποϛέλλειν derivantur, quod mittere denotat.

TH. 2. Apoſtoli petendi (a) & dandi ſunt à Iudice, à quo appellatum eſt, ad eum, qui de appellatione cogniturus eſt, l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) Et quidem intra triginta dies, quibus effluxis appellationi renunciaſſe videtur.

TH. 3. Iudex à quo appellatur, dat Apoſtolos dimiſſorios, (a) vel refutatorios. (b)

(a) Illis, ſi defert appellationi, cauſam ad ſuperiorem dimittit, l. *un.* ff. h. t.

(b) Ex his liquet, Iudicem à quo appellatum, appellationi non deferre, h. e. appellationem non admittere, l. *ult. C. de appellat.*

TH. 4. Si Iudex Apoſtolos dimiſſorios dare noluerit, appellanti non præiudicat, l. 1. §. 7. ff. *quando appell.* dummodo intra 30. dies de ſua diligentia fuerit proteſtatus, l. *un. in fin.* ff. h. t. unde appellans adverſarium intra annum convenire poteſt, l. 31. C. *de appellat.*. & Iudex inſuper mulctandus eſt, l. 24. C. *eod.* niſi libellis refutatorijs iuſtam cauſam oſtenderit Iudex, quare libellos dimiſſorios appellanti dare recuſarit, l. *pen. & ult. ff. de appellat. recipi.* Hodie in iudicijs inferioribus, ut plurimum ſufficit, appellationem fuiſſe interpoſitam coram Notario & teſtibus, quo facto cauſa ſtatim devolvitur ad ſuperiorem.

TH. 5. Quoties appellatio eſt facta, & Apoſtoli dimiſſorij petiti & dati, ijsque ſuperiori Iudici exhibiti; tunc appellatio intra annum à die appellationis interpoſitæ computandum eſt proſequenda, l. *ult.* §. 4. C. *de temp. appellat.*

TH. 6. Quæritur, utrum procuratoris, cui proſecutio appellationis commiſſa, negligentia domino noceat? Reſp. diſting. inter procuratorem ſolvendo exiſtentem, vel non, hoc caſu dominus in integrum reſtitui debet, l. 7. §. 9. ff. *de dolo*, ne dolus alterius alicui cum damno tertij lucrum adijciat, illo caſu procuratoris factum domino nocet, ut nequidem propterea reſtitutio detur, d. l. 7. §. 9. datur tamen adverſus procuratorem ad intereſſe, l. 20. C. *de procurat.*

TITVLVS VII.

Nihil novari appellatione interpoſita.

TH. I. PRINCIPALEM appellationis effectum in rubricæ verbis eſſe poſitum, inde conſtat; quod appellatione interveniente, ſive ea ſit recepta, ſive non; (a) inferioris Iudicis Iuriſdictio, & per conſequens ſententia ab eo lata ſuſpendatur, ut executioni mandari nequeat, l. *un.* ff. h. t. ob id tamen non planè ſtatim extinguitur eius ſententia. l. 32. §. 3. C. h. t.

(a) Ne præiudicium fiat, dum deliberetur, utrum appellatio recipi debeat, nec ne.

TH. 2. A tempore appellationis uſque ad ſententiam in ſecunda inſtantia pronunciatam nihil innovandum eſt; (a) ſed omnia in priſtino ſtatu ſunt relinquenda, l. *un.* ff. h. t. hinc relegatus ſi appellaverit, Italiâ, neque Provinciâ, in quam relegatus, arcebitur, l. *un.* §. 2. ff. h. t.

TH. 3. Quod ſi quid attentatum fuerit, tunc ſuper attentatis, imploratur Iudex ad quem, ut illa in priſtinum ſtatum reſtituantur, *cap. non ſolum de appellat. in 6.*

(a) Excipe, niſi (1) appellatio ſit frivola, vel cauſa notoria iniquæ appellationis, (2) ſi appellans de fugâ ſit ſuſpectus, vel (3) timeatur dilapidatio fructuum, vel rerum diſtractio.

TH. 4. Si appellans quid attentet, quod appellationi ſimpliciter eſt contrarium, (a) appellationi renunciaſſe intelligitur, & ſententia à quâ tranſit in rem iudicatam, c. 42. *Extr. de appel. Mynſing.* 2. *obſ.* 50. *Gail.* 1. *obſ.* 146.

(a) e. g. Si appellans pendente appellatione adverſarium ſuum poſſeſſione, de qua illis controverſia ſpoliaverit, quo caſu appellatione ſe reddit indignum.

TH. 5. Si verò appellantis attentata non ſint appellationi ſimpliciter contraria; aut appellatus, vel Iudex à quo, quid attentent, tunc revocatio per libellum peti & obtineri poteſt, refuſis expenſis, *Gail. d. l. Mynſing.* 3. *obſ.* 22.

TH. 6. Ne quid à quopiam tam appellante, quam appellato, ut & Iudice à quo attentetur, tutius eſt, ut inhibitio (a) à Iudice ad quem decernatur; quamvis inhibitio ob effectum devolutiuum, (b) quem habet appellatio, non videatur neceſſaria.

(a) Per eam intelligimus literas compulſoriales, quibus Iudex ad quem admiſſa appellatione mandat Iudici à quo, ut ad acta cauſæ tranſmittat, prohibetque, ne in eadem quidpiam deinceps moliatur, c. *Roman.* 3. §. *ſi verò de appellat. in 6.*

(b) Quo cauſa devolvitur ad ſuperioris Iudicis Iuriſdictionem.

TIT. 8.

TITVLVS VIII.

Quæ ſententiæ ſine appellatione reſcindantur.
Iung. tit. 14. lib. 7. C. *Quando provocare non eſt neceſſe.*

TH. I. QVOTIES ſententiæ ipſo iure ſunt nullæ, (a) appellationem reſcindi non opus eſt, quod enim nullum eſt, reſciſſionem non requirit. l. 5. ff. *de iniuſt. rupt. irrit. teſtam.*

(a) Eiuſmodi ſunt, (1) ſi ſententia contra ius ſit lata, e. g. ſi tres tutelas habens ad quartam ſuſcipiendam condemnetur, l. 2. & l. 5. C. h. t. (2) ſi iudex ſit incompetens, *Gail. 1. obſ. 33. Carpz. 3. reſponſ* 98. (3) ſi ſententia ex falſis inſtrumentis lata. l. 3. C. *ſi ex falſ. inſtrum.* (4) ſi præceptum iudicis ſit impoſſibile natura, vel lege, l. *ult.* ff. h. t. (5) ſi iudex contra ſententiam quæ in rem iudicatam tranſijt, ſententiam tulerit. l. 1. C. h. t. (6) ſi calculi error in ſententia committatur. l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 2. Nullitas ſententiæ vel agendo, vel excipiendo proponitur: agendo ad inſtar aliarum actionum perſonalium intra 30. annos; ubi quis remedium nullitatis per modum actionis intentat. *Gail.* 1. *obſ.* 122. excipiendo contra eum, qui ſententiæ executionem urget; quod remedium eſt perpetuum; idcirco dicitur, quod quæ temporalia ſint ad agendum, perpetua habeantur ad excipiendum. l. 4. C. *de exception.*

TITVLVS IX.

An per alium cauſæ appellationum reddi poſſunt.

TH. I. CAVSÆ appellationum in rebus pecuniarijs per procuratorem ſpeciale, vel generale mandatum habentem reddi poſſunt; contrarium obtinet in cauſis criminalibus, ſive pœna earum ſit capitalis, ſive ad relegationem (a) uſque ſe extendat. l. 1. ff. h. t.

(a) Ergo ubi relegatio aut levior pœna, e. g. infamiæ nota inuritur, tum cauſa conſimilis eſt pecuniariæ. l. 1. *verſ. plane*, ff. h. t.

TH. 2. Hic ſequens notanda eſt regula, quæ cauſa per alium agi non poteſt, ea nec in appellatione agi per alium poteſt. Proinde ſicut in cauſa capitali non admittitur procurator in prima inſtantia, l. *pen.* §. 1. ff. *de publ. jud.* ita nec in ſecunda. l. 1. *in fin.* ff. h. t.

TITVLVS X.

Si tutor vel curator, vel Magiſtratus creatus appellaverit.

TH. I. QVI ad munera publica ut tutores, curatores & Magiſtratus nominati & electi ſunt, ſi à ſententia, qua eorum excuſationes rejiciuntur, appellarint, nec cauſas iuſtas excuſandi & per conſequens appellationem iuſtam probaverint; omne damnum, quod interea per moram appellationis pupillo vel Reipubl. accidit, cuius ſunt cauſa, reſarcient provocantes. l. 1. ff. h. t.

TH. 2. Si ante finitam appellationem tutores vel curatores è vivis decedant, eorum heredes appellationis cauſas reddere obligantur. l. 2. ff. h. t.

TITVLVS XI.

Eum, qui appellaverit, in provincia defendi.

TH. I. QVI appellationis cauſa peregrinatur, vel Romam profectus eſt, hic, ſi domi in ſua provincia & patria ratione aliarum cauſarum conveniatur, ſe ut præſentem defendere debet, l. 1. & 2. ff. h. t. quod ſi ſe defendere nolit, immiſſionem & bonorum venditionem ob contumaciam patiatur. l. 13. ff. *ex quib. cauſ. in poſſ. eat.* Secus ſe res habet, ſi quis ibi conveniatur, ubi appellationis cauſa extra provinciam ſuam degit, tunc conceditur ei ius revocandi domum. l. 2. §. 3. ff. *de iudic.*

TH. 2. Porrò ſi quis Reipubl. cauſa abſit, hoc privilegio gaudet, ut ex eo tempore, quo Reipubl. cauſa ab eſt, ſe defendere non habeat neceſſe, ſi contra eum quæſtio quædam intentetur. Et quidem

hanc ob rationem, ne legationi impedimentum inde creetur l. 3. ff. h. t.

TITVLVS XII.

Apud eum, à quo appellatur, aliam cauſam agere compellendum

TH. I. NON eſt idonea cauſa iudicem ut ſuſpectum (a) in alijs cauſis recuſandi, quod quis à iudice in alia cauſa provocaverit, l. *un.* ff. h. t. quia iudex provocationem ad ſui iniuriam non trahit. l. 20. C. *de appellat.*

(a) Eſt enim hæc ſuſpicionis cauſa haud ſufficiens, d. l. 20. & poſito, attamen non conceſſo, iudicem in vindictam antea provocanti abjudicaturum cauſam, ob id cauſa nondum cecidit, cum ab eius ſententia iterum appellare liceat. l. *un.* ff. h. t.

TITVLVS XIII.

Si pendente appellatione mors intervenerit.

Iung. tit. 66. libr. 7. C.

TH. I. QVANDO appellator ſine heredibus moritur, appellatio expirat, ſive ſit de cauſa civili, ſive criminali. l. *un.* ff. h. t. Aſt ſi appellatori heredes exſtiterint, & nullius alterius intereſt, cauſas appellationis reddi, illi ad appellationem peragendam cogi nequeunt (a) iuxta regulam; neminem invitum agere cogi, *t. t.* C. *ut nemo invitus.* quod ſi fiſci, vel alterius contra quem appellatum interſit, heredes cauſas appellationis reddere tenentur, l. 1. *pr.* ff. h. t.

(a) Contra, ſi hereredum interſit, appellationis cauſam perſequi, litem reaſſumere debent.

TH. 2. Affinitatem quandam cum appellatione habent tria ſequentia, [1] ſupplicatio, quæ eſt querela de aliquo gravamine, oblata iu-

dici ſive Magiſtratui à quo appellare non conceditur. l. 5. C. *de pre-cib. Imp. offer.* l. un. C. *de ſentent. Præfect. Præt.*

TH. 3. [2] Reviſio, qua ſententia iudicis, à quo appellari nequit, repetitâ diligenti actorum inſpectione & conſideratione in melius reformari petitur. Hanc reviſionem in Camera eſſe receptam, teſtatur famigeratiſſimus *Dn. Carpzov. proceſſ. p. 3. tit.* 53.

TH. [3] Reſtitutio in integrum, qua contra latam ſententiam reſtituitur minor, interdum & maior ex iuſta cauſa. *Dn. Carpzov. proceſſ. tit.* 19.

TITVLVS XIV.

De iure fiſci.

Iung. tit. 1. libr. 10. C.

TH. 1. PERSPECTIS iudicijs civilibus & criminalibus primæ & ſecundæ inſtantiæ, Extraordinaria nonnulla ſuperſunt, quæ ad publicum ſtatum referuntur, de quibus extraordinem iure quodam ſingulari ius dicitur, & ſummariè expediuntur cognitione vel reſcripto Principis, à quo non eſt provocatio.

TH. 2. Ad ſtatum publicum conſervandum imprimis ſpectat fiſcus, (a) qui eſt Principis ærarium & Reipubl. patrimonium.

(a) Qui olim ab ærario diſtinguebatur; ita ut ad fiſcum pertinerent reditus publici, qui Principis, qua tales erant, ad dignitatem conſervandam, uſumque publicum adhibendi; ad ærarium verò ſpectabant illi reditus publici, quos populus retinuit. l. 2. §. 4. ff. *ne quid in loc. publ.* Sed poſtquam omnia à populo in Principem ſunt tranſlata, tunc & fiſcus & ærarium unius Principis ſunt facta; ideo ſæpè promiſcuè uſurpantur. l. 1. §. 7. ff. *ad L. Corn. de falſ.* l. 1. & 2. C. *de quadrien. præſcript.*

TH. 3. In hoc titulo duo præſertim tractantur, [1] quæ ſint fiſci privilegia, & [2] quibus ex cauſis fiſco ſingulariter quæratur.

TH. 4. Privilegia fiſci ſunt, [1] quod ius pignoris ſemper habeat in bonis privatorum nomine tributorum & contractuum, l. 46. §. 3. ff. h. t. l. 2. C. *in quib. cauſ. pig. tacit.* [2] habet ius prælationis, [3] in contractibus fiſcus ultra ſimplum de evictione non tenetur, quamvis duplum ſit promiſſum, l. 5. *pr.* ff. h. t. &c. [4] fiſcus non ſe-

quitur forum rei, ſed agit coram ſuo iudice, qui de cauſa controverſa cognoſcit. l. 1. & 2. C. *ubi cauſ. fiſc. vel div. dom. obſ.*

TH. 5. Fiſco ſingulariter acquiritur, [1] ſi bona ſint vacantia, *t. t. de bon. vacantib.* qualia ſunt eorum, qui nullo herede ex teſtamento, vel ab inteſtato relicto decedunt, vel quorum heres hereditatem omittit.

TH. 6. [2] Si hereditas indigno relicta. l. *fin.* ff. *de his qui indign. aufer. &c.*

TH. 7. Quando quis theſaurum in loco fiſcali, vel publico invenit caſu quodam fortuito, dimidium inventi ad fiſcum ſpectat. Contra ſi datâ operâ invenerit, totum ſibi vendicat fiſcus. l. 1. l. 3. §. 10. ff. h. t. §. 39. *Inſt. de rer. diviſ.* l. *un.* C. *de theſaur.* 2. *feud.* 56. *in fin.*

TH. 8. Eius, qui mortem ſibi ob admiſſum aliquod delictum & pœnæ metum commiſit, bona in fiſcum rediguntur. l. 1. & l. 45. §. 2. ff. h. t.

TH. 9. Qui ab accuſatione recedit, confiſcatio in eius bonis habet locum. l. 1. *in fin. pr.* ff. h. t.

TH. 10. Qui rem litigioſam vendit, pretium rei venditæ fiſco exſolvere cogitur. d. l. 1. *in fin. pr.* l. *ult.* C. *de litigioſ.*

TH. 11. Bona contrahentium inceſtas nuptias fiſco acquiruntur. *auth. inceſtas* C. *de inceſt. nupt.*

TH. 12. Domus, in qua falſa moneta cuditur, confiſcatur. l. 1. C. *de falſ. monet.*

TH. 13. Captivorum & obſidum bona confiſcantur. l. 31. & *ſeq.* ff. h. t.

TH. 14. Fiſci utilitas requirit delatorem, qui rem ad fiſcum ſpectantem ei ultro præmij cauſa denunciat: hic, ſi vera deferat, præmia accipit, l. 13. l. 15. §. 3. l. 49. ff. h. t. ſi falſa, pœnæ ſingulares in temerè & falsò deferentem ſunt conſtitutæ. l. 2. 15. & 24. §. *fin.* ff. h. t.

TH. 15. Delator nemo eſſe cogitur regulariter, l. 22. §. 3. ff. h. t. *arg. t. t. C. ut nemo. invit. ag. cog.* Excipe crimen læſæ Majeſtatis divinæ. l. *ex Manichæo* 16. C. *de hæretic. & Manich.* l. 5. C. *ad L. Iul. Majeſt.*

TH. 17. Sicut renunciare cauſam nemo cogitur, ita liberum arbitrium deſiſtendi ei, qui detulit, non datur. l. 22. §. 3. ff. h. t.

TH. 17. Res delata fiſco eſt incorporanda, h. e. in fiſcum redigenda. l. 3. C. *de bon. vacant.*

TITVLVS XV.

De captivis, & de poſtliminio, & de redemptis ab hoſtibus.

Iung. tit. 51. libr. 8. C. *De poſtliminio reverſis, &c.*

TH. I. MILITIA non minus (a) quam fiſcus, (*de quo theſi 2. tit. ſuperiori diximus*) ad ſtatum publicum conſervandum ſpectat. Agitur verò hîc de iure militari, quod in captivis, militantibus, ac veteranis cernitur.

(a) Imò multò magis; quid enim, quæſo, Regnum magis confirmare, fortius ac florentius efficere poteſt militia? vivum habemus in florentiſſimo & potentiſſimo Sueciæ Regno exemplum quod egregiâ bellandi arte & indefatigatâ Heroum fortitudine ita crevit, ut per multa tempora toti Imperio Romano, Germanico, Poloniæ, & Daniæ Regnis tremor & terror fuerit.

TH. 2. Quemadmodum ea, quæ cœlo, terrâ, marique capiuntur, cedunt occupanti, l. 1. *& ſeqq.* ff. *de acquir. rer. dom.* ita capti ab hoſtibus in eorum rediguntur poteſtatem; omnia iura civitatis cum libertate amittunt, l. 1. *&* 12. §. 1. ff. h. t.

TH. 3. Hoſtes ſunt, quibus bellum populus Romanus decrevit, vel ipſi populo Romano, l. 24. ff. h. t. unde colligi poteſt, eos non fieri ſervos, qui à latronibus vel confœderatis, vel in diſſenſione civili capiuntur, l. 7. l. 21. l. 24. §. *ult.* ff. h. t.

TH. 4. Captivitas, ſive occupatio bellica tam ad perſonas, quàm ad res hoſtium refertur; quæ utræque ab hoſtibus liberantur, (1) redemptione, l. 20. ff. h. t. (2) ſpontaneâ dimiſſione, l. 26. ff. h. t. (3) ſi captivi, vel fallaciâ poteſtatem hoſtium evadant, vel res tali modo recuperentur, d. l. 26. l. 21. §. 1. ff. h. t. (4) permutatione.

TH. 5. Captis ab hoſtibus duo ſubminiſtrantur remedia, ne plus nimio affligantur, (1) eſt, quod, ſi contingat, captos apud hoſtes mori, per fictionem legis Corneliæ habeantur mortui ipſo momento captivitatis, quo caſu finguntur adhuc cives, & non ſervi, ne teſtamenta eorum pereant, bonaque eorum ex teſtamentis ad ſcriptos heredes perveniant, aut ſi teſtamentum non fecerint, bona eorum ab inteſtato ad proximos devolvantur.

TH. 6. (2) Si captivi ab hoſtibus liberentur, datur ipſis ius poſtliminj, (a) quod eſt ius amiſſæ rei recuperandæ ab extraneo, & in priſtinum ſtatum reſtituendæ, inter nos ac liberos populos, Regeſque moribus ac legibus conſtitutum, l. 19. ff. h. t. ſive eſt ius, quod naſcitur ex reditu ad limen, h. e. fines publicos.

(a) Quod derivatur à limine & poſt. Nam limina ſicut in domo finem quemdam faciunt, ſic & Imperij finem eſſe limen voluêre veteres, hinc & limen dictum eſt quaſi finis quidam & terminus, & ingreſſus atque exitus Imperij; ab eo poſtliminium dictum, quia ad idem limen revertebatur, quod amiſerat.

TH. 7. Poſtliminij duæ ſunt ſpecies, ut aut nos revertamur ex captivitate, aut recuperemus res noſtras ab hoſtibus occupatas, l. 14. *pr.* ff. h. t.

TH. 8. Ius poſtliminij fingebat captum ab hoſtibus reverſum, quaſi nunquam captum ſemper in civitate manſiſſe, ut omnia iura ei ſalva eſſent, patria poteſtas redintegraretur, quæ non tam ſublata, quàm ſuſpenſa, ut interea quæſita à liberis & ſervis eidem cederent, l. 12. §. 6. ff. h. t. teſtamentum integrum eſſet.

TH. 9. Ius poſtliminij hodie inter Chriſtianos non obtinet; nam ſi Chriſtiani à Chriſtianis in iuſto bello capiuntur, non fiunt hoſtium ſervi, ſed tandiù detinentur & cuſtodiuntur, donec pretium ſive λύτρον pro redemptione ſua hoſtibus perſolvant. Si verò Chriſtianis, cum Turcis & barbaris gentibus ſit bellum, tunc iure poſtliminij utuntur; quoniam victi talium gentium fiunt ſervi.

TH. 10. Cauſa efficiens poſtliminij eſt lex, ducta partim ex naturali æquitate, partim ex iure gentium, l. 19. ff. h. t.

TH. 11. Materia ſunt perſonæ & res. Forma & finis eſt, quod ſtatim ac captivus fines ſuos attingit, recuperat omnia iura priſtina, l. 2. §. 1. ff. h. t. & fingitur ſemper in civitate fuiſſe.

TITVLVS X.

De re militari.

TH. I. RES militaris dicitur, quæ ad diſciplinam & exercitium militiæ pertinet.

TH. 2. Miles eſt, qui in militari matricula authoritate Principis ſcriptus, & publico ſigno vocatus, armiſque cinctus, à ſignis non recedere iuravit, l. 42. ff. *de teſtam. milit.* l. 13 §. 3. ff. h. t.

TH. 3. Milites diſtinguuntur, [1] in Tyrones, (a) veteres, (b) & veteranos. (c)

(a) Qui prima militiæ rudimenta ponunt; hi tamen nondum in ordinem erant relati, ſed publicis ſtipendijs ad militiam inſtituebantur, l. 3. §. 9. ff. h. t.

(b) Iſti ſunt, qui aliquoties bello interfuerunt.

(c) Hi ſunt qui honeſtam miſſionem legitimis ſtipendijs impletis conſecuti ſunt, t. t. *priuileg. veteran.*

TH. 4. Milites diſtinguuntur, [1] in equites & pedites, illis aſſignantur campi, his verò colles, urbes, plana & abrupta cuſtodienda committuntur.

TH. 5. Quęritur, an equites vel pedites Reipublicæ ſint utiliores? Reſp. pedites magis eſſe utiles & neceſſarios, rationem in ijs fundatam habeo, [1] quia pedites, non modo in campis, verum & in montibus & abruptis prodeſſe poſſunt, [2] quia hi minoribus ſumptibus comparantur & aluntur.

TH. 6. Omnes omnino Cives Romani olim ad militiam cogi regulariter poterant. (a) Excipiuntur, qui militare non poterant, ut ſervi, facinoroſi, transfugæ, proditores, infames. (b) Item qui à militia ætate, vel nimis tenerâ, vel nimis provectâ, aut ſimili privilegio excuſantur, ſic & olim apud Romanos, & hodie ſacerdotes à belli oneribus ſunt immunes, quibus non gladius, aut arma ferrea, ſed dolor, fletus, & orationes ardentes adverſus hoſtes ſint arma.

(a) Adeo ut qui militiam detrectaret, ut proditor patriæ in ſervitutem redigi poterat, l. 4. §. 10. ff. h. t. & qui filium ſubtraxiſſet militiæ, mulctaretur exilio, ac parte bonorum, d. l. 4. §. 10.

(b) l. 4. l. 7. l. 8. & 11. ff. h. t. & t. t. C. *qui milit. non poß.*

(c) l. 4.

(c) *t. C. qui ætate vel prof. ſe excuſant. t. C. de vacat. publ. mun.*

TH. 7. In militiam admittebantur idonei & pugnaces, ijque conſtringebantur ſacramento militari, (a) & militari cingulo, appenſo enſe, cingebantur (b) & in numerum, h. e. in certam totius exercitus partem referebantur.

(a) *arg.* l. 13. §. 3. *in fin.* ff. h. t. l. 11. *pr.* ff. *de teſtam. militar.* l. 2. ff. *de veteran. privileg.*
(b) l. *Titius* 25. l. *quod dicitur* 38. *miles* 1. l. 43. ff. *de teſtam. milit.*

TH. 8. Militibus, propter militiæ onera cum perpetuo in patriæ tutelam vigilare cogantur, varia conceſſa ſunt privilegia, [1] ob æs alienum non poſſunt in carcerem detrudi, [2] habent beneficium competentiæ, ut non in amplius, quam facere poſſint, conveniantur, l. 6. ff. *de re iudic.* [3] quod in teſtamentis condendis ad ſolennitates iure civili præſcriptas obſervandas non teneantur, *t.* ff. *de teſtam. milit.* [4] iuris ignorantia ipſis non nocet, quod arma magis, quàm leges ſcire præſumantur, l. 4. § 1. ff. *de iur. & fact. ignor.* unde temerè aditâ hereditate, non tenentur ultra, quam in bonis eſt. l. *ult. in fin. pr. C. de iur. deliber.* [5] excuſantur à tutela. *t. Inſt. de excuſat. tutor.*

TH. 9. Militum delicta ſunt duplicia, [1] communia & [2] propria, ſive militaria.

TH. 10. Delicta militum communia ſunt, quæ & in paganos, h. e. non militantes & reliquos homines cadunt, & communibus rerum criminalium iudicijs coërcentur, qualia ſunt homicidium, adulterium, ſtuprum, furtum, in his delictis milites eodem modo forum ſortiuntur, quo togati, proinde, vel in loco delicti, vel ubi aliàs reperiuntur, puniri poſſunt, nec ad Magiſtratus militares ſunt remittendi, l. 1. & 2. C. *ubi de crim.* l. 4. §. 1. & 7. ff. h. t.

TH. 11. Delicta militum propria ſunt, quæ milites ut milites committunt, l. 2. ff. h. t. & non contra aliud, quàm militare ius admittunt, l. 6. ff. h. t. e. g. fuga in acie, contumacia adverſus ducem, eiqne non parere, emanſio, l. 3. & l. 6. ff. h. t. deſerere militiam, vel ſtationem, prodere exercitum, enunciare hoſtibus conſilia, d. l. 6. §. 4. ff. h. t. arma amittere, transfugere ad hoſtem. l. 3. §. 10. ff. h. t.

TH. 12. Milites ratione delicti militaris commiſſi ad Magiſtros militum remittendi ſunt, ſub quibus militarunt, ut illi de delicto perpetrato cognoſcant, pœnamque pro delicti qualitate delinquenti di-

ctitent,(a) hinc pœna delinquentium,eſt vel capitalis, vel corporis afflictiva ut verbera, fuſtigatio, munerum indictio, gradus dejectio, militiæ mutatio, ignominioſa miſſio, (b) vel pœna pecuniaria, &c. *vide* l. 3. *& ſeqq.* ff. h. t.

(a) l. 1. C. *de exhibend. vel tranſmitt. reis*, l. 9. ff. *de cuſtod. reor.*

(b) Qua miles ob delictum ſolvitur ſacramento, fitque infamis, l. 13. §. 3. ff. h. t. contra honeſta miſſio eſt; cum quis vel emeritis ſtipendijs tempore militiæ impleto, vel ob ſenectutem, aut adverſam valetudinem honeſtè dimittitur.

TITVLVS XVII.

De Caſtrenſi peculio.

TH. 1. RESPECTV peculij caſtrenſis filiusfam. habetur pro patrefamiliæ ob privilegium ſingulare militibus conceſſum, unde de tali peculio liberè diſponere poteſt, l. 4. § 1. ff. h. t. vel [1] inter vivos abſque patris conſenſu illud donare vel alienare poteſt, l. 7. §. 6. ff. *de donation.* vel [2] mortis cauſa de eo teſtari licet, habetque ex teſtamento facto inſtitutum heredem. Aſt ſi inteſtatus decedat, patri bona filij deferuntur, non tanquam hereditas, ſed ut peculium. l. 2. *&* 9. ff. h. t. *pr. Inſtit. quib. mod. non eſt permiſſ. fac. teſtam.*

TH. 2. Peculium verò caſtrenſe eſt, quod filiusfam. miles ratione militiæ acquiſivit. l. 11. ff. h. t.

TITVLVS XVIII.

De Veteranorum privilegijs.

TH. 1. VETERANI ſunt, qui emeritis ſtipendijs, ſive exacto militiæ tempore honeſtam miſſionem impetrarunt; h. e. qui legitima 20. annorum ſtipendia confecerunt, l. *fin.* C. *de his qui non implet. ſtip. ſacro ſoluti ſunt.* l. 8. §. 2. ff. *de procurat.*

TH. 2. Veteranis conceditur immunitas munerum perſonalium ob præſtitam Reipubl. operam, patriæque defenſionem, l. 2. *&* l. 5. ff.

h. t. à vectigali, quod eſt onus patrimonij, non liberantur, ut nec à contributionibus vel onere hoſpitationis, quæ itidem ſunt onera patrimonialia. l. 4. *pr.* ff. h. t. l. 11. ff. *de vacat. & excuſat. muner.*

DIGESTORVM

LIBER QVINQVAGESIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

Ad municipalem legem & de incolis.

Iung. tit. 38. lib. 10. C. *De municipijs & originarijs.* tit. 39. C. *De incolis & ubi quis domicil. hab.*

TH. 1. EXPOSITIS iuribus fiſcalibus & militaribus, iura municipalia iuxta Digeſtorum methodum explicanda reſtant.

TH. 2. Ius municipale eſt, quo municipia ſive civitates à populo Romano in ſocietatem ſuorum munerum, ac honorum receptæ, ſuo interim iure utentes reguntur. l. 228. ff. *de V. S.*

TH. 3. Municipes ſunt cives, qui extrinſecus ex municipijs in civitatem Romanam aſſumpti ſuo iure & legibus ſuis utentes, muneris tantum cum populo Romano ſunt participes; (a) hinc etiam nomen ſunt ſortiti, l. 1. §. 1. ff. h. t. Iam abuſivè dicuntur municipes cuiuſque civitatis cives.

(a) Quibus ius civitatis Romanæ in alia civitate inferiori ſive municipio viventibus populus Romanus conceſſit.

TH. 4. Conſequitur quis ius municipij, ſive fit municeps quatuor modis; [1] origine, (a) [2] manumiſſione ſervi, (b) [3] adoptione (c) & [4] allectione ſive aſſumptione. (d)

(a) Quæ ab ortu differt, quoniam ortus ex proprio ſaltem cuiuſque nativitatis loco æſtimatur; origo verò à patre. Vnde filius patris originem ſequens ibi intelligitur municeps, ubi pater eſt. l. 1. §. 2. l. 6. §. 1. ff. h. t. l. 7. C. *de incol.* Hoc ius civitatis originarium jure Romano eſt immutabile, l. 4. C. *de municip.* l. 6 *pr.* ff. h. t. adeo ut renunciatio domicilij nihil operetur, intellige quoad onera & honores. *Gail. 2. obſ. 36.* Ex dictis conſtat, ſi quis ex patre Aurelianenſi hic Pariſijs ſit natus, cum mater forte fortuna hic Pariſijs commoraretur; nativitate quidem & ortu eſt Pariſienſis, non verò origine, quoad onera & commoda talis eſt.

(b) l. 7. C. *de incol.* quoniam liberti originem vel domicilium patroni ſequuntur. l. 6. §. 3. l. 22. *pr.* ff. h. t.

(c) Quæ originem naturalem imitatur, cum adoptatus eiuſdem civitatis cenſeatur municeps, cuius eſt pater eius adoptivus, l. 1 *pr.* ff. h. t. l. 228. ff. *de V. S.*

(d) Quando alicui ius civitatis (*Germanicè das burgerrecht*) conceditur. l. 7. C. *de incol.*

TH. 5. Hodiè quando Conſules vel Camerarij civitatis quoſdam in cives aſſumere volunt, ſequentia obſervari ſolent, [1] examen aſſumendi, (a) [2] ſolutio pecuniæ, quam civitati pro receptione ſolvit (*Germanicè das burgergeld.*) [2] iuramentum civitati præſtandum (b) & [4] receptio in matriculam; qua non minus civis eſt, ac originarius. d. l. 7. C. *de incol.*

(a) Quo inquiritur, utrum aſſumendus ſit idoneus, & an civitati per eum noceri queat: quapropter inquirere ſolent in eius originem, (quam ex literis natalitijs &c. cognoſcunt) vitam, mores, fortunam & media ſe ſuſtentandi, *Nov.* 80. c. 1. & 5. Hinc excluduntur (1) Banniti. *receſſ. Imper. anno* 1521. §. *ob aber.* (2) Iudæi, *ordin. Polit. anno* 1548. §. *item nachdem* (3) hæretici, l. 2. & 4. C. *de hæretic.* (4) otioſi, lenones, uſurarij, circulatores, infames, decoctores, item aliorum Principum vel Magiſtratuum cives vel ſubditi; niſi documenta attulerint à ſuo Magiſtratu, ſub quo antea vixerunt, ſe benè vixiſſe, &c.

(b) Quo obſequium Magiſtratui & ſalutis publicæ obſervatio promittitur, tale iuramentum eſt ſpecies fidelitatis. *vide Magnif. Dn. Mævium ad ius Lubec. lib.* 1. *art.* 2. n. 31.

TH. 6. Quamvis filius patris originem ſequatur, domicilium tamen pro arbitrio ſibi conſtituere poteſt, l. 3. & 4. ff. h. t.

TH. 7. Municipes coguntur ad munera tam perſonalia, quàm realia (a) eo loco, unde originem ducunt, (b) licet alibi habeant domicilium, l. 22. § 2. ff. h. t. tam filij, quam patres, l. 21. ff. *eod.* quia in publicis patriæ poteſtatis non habetur ratio. l. 14. ff. *ad Sct. Trebell.*

(a) Quæ ſi detrectent ſubire, damnum Reip. præſtabunt.

(b) Aliter ſe habet hodie in Germania; ubi cives renunciantes civitati, & domicilium alió transferentes cives eſſe deſinunt, non ſolum quoad munera, verumetiam quoad juriſdictionem, & eo ipſo, quo mutat domicilium, perdit iura & privilegia civitatis.

TH. 8. Sicut municipes ferunt onera, ita etiam commodis, privilegijs & honoribus ſui municipij potiuntur. *vid. t. ff. de decurion.*

TH. 9. A Municipibus differunt incolæ, qui non ſunt cives, attamen in aliqua civitate domicilium (a) conſtituunt. l. 239. ff. *de V. S.*

(a) Ad domicilij conſtitutionem duo requiruntur, (1) animus habitandi, l. 7. C. h. t. qui apparet ex habitantis expreſsâ declaratione, vel ex tacita, dum urgentes coniecturæ adſint, (2) ipſum factum l. 17. §. 13. ff. h. t. Ergo ubi quis rerum, ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, inde non diſceſſurus, niſi quod avocet, ibi eius intelligitur domicilium.

TH. 10. Incolæ fuerunt etiam participes munerum civilium. l. 6. & *ſeq. C. de incol.*

TH. 11. Incola & his Magiſtratibus parere debet, apud quos eſt incola, & illis apud quos eſt civis; nec tantum municipali juriſdictioni in utroque municipio eſt ſubjectus, verumetiam omnibus publicis muneribus fungi tenetur.

TH. 12. Incola jam publicis muneribus deſtinatus, niſi perfecto munere, incolatui renunciare nequit. l. 34. ff. h. t.

TH. 13. Qui in agro permanet, incola eſſe non exiſtimatur, dum illius civitatis præcipuis non utitur. l. 35. ff. h. t.

TH. 14. Sunt in civitate nonnuuquam peregrini, exules, advenæ vel hoſpites; quorum quidam negotiorum cauſa in civitate aliquandiù commorantur, alij peſtis, belli, hoſtiumque metu ad evitanda damna quandoque cum familia & ſuppellectile in urbes confugiunt. Hi quamdiù durat neceſſitas ad ius civitatis recipiendi non adiguntur. *Magnif. Dn. Mævius ad Ius Lubec. art.* 2. neque collectis, neque contributionibus, aut ulli gravamini ob pietatem, & commiſerationem ſubiacent; *Gail.* 2. *obſ.* 52. nec pro rebus ſuis convaſatis ſolvunt vecti-

gal. Qui talibus in caſibus ſedem movent, domicilium non cenſentur amiſiſſe, cum ea intentione alibi non vivunt, ut ibi domicilium ſibi conſtituant.

TH. 15. Vagabundi nullibi domicilium habent, cum animus domicilium conſtituendi illis deſit. Nec ſtudioſus domicilium habere intelligitur in loco, ubi ſtudiorum cauſa degit.

TH. 16. Miles ibi domicilium habere videtur, ubi meret, l. 23. §. 1. ff. h. t.

TITVLVS II.

De Decurionibus & de filijs eorum.

Iung. tit. 31. libr. 10. C.

TH. 1. IN municipijs Decuriones erant præcipui, qui Reipubl. municipali, ut Senatores præerant, l 2. ff. h. t. & Duumviri tanquam Conſules ex Decurionibus electi, *l. 1. de albo ſcrib.* unde hodie Decurionibus comparari ſolent Magiſtratus civitatum Provincialium, non verò Senatores Romani.

TH. 2. Decuriones ex numero ita dicti, quod initio, cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducebantur, publici conſilij gratia conſcribi ſolita ſit, l. 239 §. 5. ff. *de V. S.*

TH. 3. Per Decuriones omnia civitatum munera expediebantur, ij que omnia illa, quæ adminiſtrationem civitatis reſpicerent, imponebantur, e. g. pecuniam publicam habebant, accipiebant, tractabant, annonæ providebant, tributa & cenſus exigebant, l. 8. *ad municip.* l. 2. §. 1. ff. *eod.*

TH. 4. Omnes eligi poſſunt Decuriones, niſi prohibeantur, l. 9. ff. h. t.

TH. 5. Prohibentur (1) qui teneræ ætatis, ſenioque confecti, l. 11. ff. h. t. (2) criminum capitalium rei, l. 15. l. 17. §. 12. ff. *eod.*

TH. 6. Vbi aliorum copia eſt, potiores ſunt eligendi, & ditiores, l. 6. 7. & 11. ff. h. t. ergo non plebeij, non viles, vel ſpurij, l. 7. §. 2. l. 12. ff. h. t.

TH. 7. Aſt in penuria aliorum nullo conpetitore honeſtiori

exiſtente, etiam ſpurij eligi in Decuriones poterant. l.3.§.2.l.6.*pr.* ff. h. t. non enim impedienda eſt dignitas eius, qui nihil admiſit, d.l.6.

TH. 8. Pro varijs iſtis oneribus, quæ ſuſtinuerunt Decuriones, ſequentia habebant privilegia, (1) torqueri non poterant, (2) neque damnari in metallum, l.*ult.* ff. h. t. quæ tamen hodie non obſervantur, cum dignitas delictum non excuſet, l.1. C. *ubi Senat. vel clariſſ.* ſed potius aggravet, l.54. C. *de Epiſcop. & Cleric.* (3) Decurionibus, ſi facultatibus labantur, alimenta decernuntur, l. 8. ff. h. t. (4) iura eorum ad liberos tranſmittuntur, l. 2. §. 5. ff. h. t. (5) erant quoque immunes ab extraordinarijs muneribus, l. 21. C. h. t.

TITVLVS III.

De albo ſcribendo.

TH. 1. DECVRIONVM nomina in albo, ſive tabula publica ex ordine ſcribi ſolent, ſicut lege municipali præcipitur, quâ ceſſante, dignitates eorum ſpectantur, ut eo ordine quis ſcribatur, quo maioribus honoribus in municipio functus eſt, l. 1. & 2. ff. h. t.

TH. 2. Sic duumviratum gerentes habebantur primi, & inter Duumvirales antiquiſſimus quiſque prior, & ſic deinceps; hunc ordinem in ſententijs dicendis obſervabant, l. 1. §. 1. ff. h. t.

TH. 3. Senatores hodierni quoque differunt vel ratione ſenij, vel ratione officij certi, quod ſubeunt in Reip. utilitatem.

TH. 4. Totum hodie regimen Senatorium dividitur in Conſules & Senatores ſpecialiter dictos. Conſulum numerus pro urbium magnitudine variat; in maioribus civitatibus quatuor, vel tres, in minoribus duo creantur; his competit ius convocandi Senatum, dirigendi conſilium publicum, inſpectio ſuprema in cæterorum officialium, & miniſtrorum functiones, decretorum executio, &c. ipſi tamen in præiudicium totius Senatus ſibi nihil poteſtatis arrogare debent, ſed convocato Senatu ea, quæ iuriſdictionem, regimen & adminiſtrationem concernunt, proponere, Senatuſque conſenſum prius impetrare. Ex his Conſulibus ſolet ſingulis annis unus per cer-

tum tempus regimini præeſſe, qui dicitur Conſul regens, vel verbi potens; cui cives gravamina ſua & cauſas deferunt, qui etiam conſultanda proponit, vota deliberantium colligit, decreta publicat, iudicia decernit & iuſſibus ſuis regit.

TITVLVS IV.

De Muneribus & honoribus.

Iung. tit. 40. libr. 10. C. d. t.

TH. I. IVs municipale conſiſtit quoque in obeundis muneribus.

TH. 2. Munus tribus modis dicitur, [1] denotat donum, unde munera dicuntur dari, mittive, [2] onus, quod neceſſario ſubimus, lege, more, imperiove eius, qui iubendi habet poteſtatem, l. 214. ff. *de V. S.* & imponitur tum rebus, tum perſonis, l. 1. *pr. &* §. 1. *&* 2. ff. h. t. quo ſenſu hic accipitur. Quando hoc munus ſive onus remittitur, vacationem militiæ muneriſque præſtat, inde appellatur immunitas, (3) ſignificat officium, unde munera militaria, & quidam milites munifici appellantur; municipes autem ideo dicuntur, quod munera civilia capiant. l. 18. ff. *de V. S.*

TH. 3. Munus (ſive onus) eſt triplex, perſonale, patrimoniale, & mixtum. l. 1. *pr.* l. 18. *pr.* ff. h. t.

TH. 4. Munus perſonale eſt, quod animi prouiſione & corporis labore, ſine aliquo gerentis detrimento perpetratur ſive expeditur, l. 1. §. 3. l. 18 §. 1. ff. h. t. qualia ſunt, tutela, cura, l. 1. §. *fin.* d. l. 18. §. 1. ff. h. t. item excubias agere.

TH. 5. Munus patrimoniale eſt, quod ſumptibus patrimonij & damno adminiſtrantis expeditur, l. 18. §. 18. ff. h. t. hæc patrimonalia munera præſtantur duplici modo, (1) imponuntur rebus & bonis poſſidentium, ita ut certa pecunia, vel certa portio fructuum ratione illorum certis temporibus ſolvatur, ut ſunt contributiones, l. 4. §. 2. ff. *de cenſ.* t. t. C. *de annon. & tribut.* (2) *imponuntur* ita, ut uſus rei noſtræ ſit ad Reipubl. commodum concedendus, l. 18. §. 21. ff. h. t. ut viarum munitiones.

TH. 6. Munus mixtum eſt, quod partim animi proviſionem, &

& corporis laborem, partim ſumptus exigit. l. 18. §. 26. *& ſequ.* ff. h. t.

TH. 7. Munera patrimonialia ſolent à Majeſtate imponi. *l. un. C. de ſuperindict.* Hodie in Imperio Romano Germanico illa imponuntur ab Imperatore cùm ſtatuum conſenſu. *Receſſ. Imper. Anno* 1512. §. *und damit die meſſigung. Anno* 1629. §. *Zum andern.* Item ſtatus Imperij munera patrimonialia indicere poſſunt ex iure ſuperioritatis, tanquam poteſtate proximè ad Majeſtatem accedente, cum conſenſu tamen ſtatuum Provincialium. *Receſſ. Imper. Ann.* 1544. §. *es ſollen auch alle. Anno* 1551. §. *ſolche der ſtande.*

TH. 8. Munus perſonale eſt publicum, vel privatum. l. 14. §. 1. ff. h. t.

TH. 9. Munus perſonale publicum eſt, vel ſine honore, (a) vel cum honore (b) conjunctum. (c)

(a) Illud eſt, quod in adminiſtranda Rep. cum ſumptu ſine titulo dignitatis ſubimus.

(b) Iſtud eſt, quod in adminiſtranda Rep. cum ſumptu & dignitatis gradu contingit. l. 14. *pr.* ff. h. t.

(c) Hoc eſt, Conſulem, Senatorem, Iudicem, Syndicum agere.

TH. 10. Munus perſonale privatum eſt, quod ad privatos pertinet, ut tutela & cura. l. 14. §. 1. ff. h. t.

TITVLVS V.

De vacatione & excuſatione munerum.

Iung. tit. 47. libr. 10. C. *De excuſat. muner.*

TH. 1. MVNICIPES ad munera delata, ſi ea ſubire recuſent, cogi poſſunt, ut tutores. l. 9. ff. h. t. captis pignoribus. §. *pen. Inſtit. de ſatisdat.* Excipe, niſi vacationem, (a) vel excuſationem (b) habeant.

(a) Illa eſt, quam ad certum tempus habet is, qui urbis honoribus, aut muneribus municipalibus præfuit, aut Reipub. cauſa abfuit, quæ quidem ideo conceditur, ut pauliſper quieſcere & res ſuas curare poſſit. *t. C. de vacat. publ. mun.*

(b) Quæ eſt iuſtæ cauſæ allegatio, ob quam ad munus ſuſcipiendum quis non cogitur. Hæc ab initio eſt proponenda, ſimulatque munus injungitur, alioquin poſtmodum fruſtra opponetur. *l. pen.* §. *pen.* ff. h t.

TH. 2. Immunitatem quis habet, vel à patrimonialibus, (a) vel perſonalibus. (b)

(a) Illa raró conceditur, quia fit contra ærarium Reipubl. augendum. Excuſantur tamen à patrimonialibus, ex ſingulari Principis indulgentia. [1] pater duodecim liberorum. l. 5. §. 2. ff. *de iure immun.* l. 24. C. *de Decurion.* [2] pauperes. l. 4. §. 1. *&* 2. l. 6. *pr.* ff. *de muner. & honor.* [3] prædia Principis, quæ munera realia non ſuſtinent. l. *fin. C. de privil. dom. Auguſt.* [4] omnes, qui Principis indulgentia ab ijs excuſantur. l. 11. ff. h. t.

(b) Hæc frequentius conceditur, eamque plures habent, [1] impuberes & minores viginti quinque annis. l. 8. ff. *de muner. & honor.* [2] majores ſeptuaginta annis. l. 3. *&* l. 5. ff. *de iur. immunit.* [3] morbo laborantes, ita ut proprijs rebus ſupereſſe nequeant. l. 3. C. *qui morb. ſe excuſ.* [4] fœminæ. l. 3. §. 3. ff. *de muner. & honor.* [5] parentes quinque liberorum incolumium *l. un. C. de ſumpt. recuper.* [6] Profeſſores. *l. 6. C. de Profeſſor. & Medic.* [7] milites. l. 10. §. 2. ff. h. t.

TITVLVS VI.

De iure immunitatis.

TH. I. IN antecedenti titulo immunitatem aliquatenus quoad eius cauſas iam explicavimus, addamus & reliqua, quæ de ijs ſuperſunt, ratione ſcilicet iuris & formæ.

TH. 2. Immunitatem quis impetrat, vel à lege, vel à Principe, eam ſpecialiter per privilegium concedente. *l. un. C. de his qui à princip. vacat. accep.*

TH. 3. Immunitates conceduntur, vel ſingulis perſonis, (a) vel familiæ, (b) vel collegio (c)

(a) Si perſonæ concedantur, ea mortua exſpirat, nec ad heredes, vel liberos tranſit. l. 5. §. 4. ff. h. t. l. 3 §. 6. ff. *de muner. & honor.*

(b) Huic conceſſæ liberis & poſteris quoque datæ intelliguntur. l. 4. ff. h. t.

(c) Immunitates collegio tributæ perpetuæ ſunt. l. *pen.* ff. h. t. quia collegia haud facilè extinguuntur. l. 7 §. *fin.* *ff. quod cuique univerſit.*

TH. 4. Modi, quibus immunitas acquiritur, ſunt, [1] privilegium ſpeciale, (a) [2] pactum, [3] conſuetudo, & [4] præſcriptio immemorialis. *l. 6.* C. *de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor. Receſſ. Imper. Ann.* 1548. §. 59.

(a) Quod à principe conceditur etiam ſine cauſa.

TITVLVS VII.

De Legationibus.

Iung. tit. 68. libr. 10. C. d. t.

TH. 1. VACATIONEM quoque impetrant à muneribus perſonalibus legati, in ipſa legatione & biennio poſt legationem finitam. l. 7. *&* 8. § 2. ff. h. t.

TH. 2. Legati ſunt qui publicè ad expedienda Reip. negotia mittuntur. l. 14. ff. h. t.

TH. 3. Legati habentur ſancti; ideoque ſi quis legatum hoſtium pulſet, contra ius gentium feciſſe exiſtimatur. *l. fin.* ff. h. t. & ſi quid illis à prædonibus auferatur, vel caſu fortuito pereat, damnum hoc Legatis eſt reſarciendum.

TH. 4. Porrò quidquid Legati in legationem impendunt, ſive ad neceſſitatem victus, ſive itineris, ſive ad honorem ſpectet, id illis ex publico reſtituendum eſt. l. 2. §. *fin.* l. 10. §. 1. ff. h. t. *l. ult.* §. 1. ff. *de muner.*

TH. 5. Illi verè & propriè Legatos mittere poſſunt, qui ſuperiorem non agnoſcunt, ut Imperator Reges, Reſpubl. liberæ & ſummi Principes. Hodie & liberę civitates Imperij Romano-Germanici jus mittendi legatos habent. Inferiores verò civitates ius mittendi legatos non habent, qui deputatos mittunt. *vide wurmſer. exercit. acced. ex jur. pub.* 4. *qu.* 4. *& ſeqq.*

TITVLVS VIII.

De adminiſtratione rerum ad civitatem pertinentium.

TH. I. CONSISTIT & jus municipale ex parte in rebus & pecunijs ad municipium pertinentibus, quarum adminiſtratio quibuſdam injungi ſolet.

TH. 2. Quemadmodum legatio eſt munus perſonale, quod à municipibus pro patria recuſari nequit, ita & adminiſtratio rerum municipalium eſt tale munus, quod detrectari haud poteſt. l. *9.* *&* 18. §. 5. *& ſeqq.* ff. *de muner. & honor.*

TH. 3. Adminiſtratio civitatis debet eſſe diligens & fidelis: unde adminiſtratores non modo dolum, ſed & latam atque levem culpam præſtare tenentur. l. 6. ff. h. t. non autem caſum fortuitum, vel leviſſimam culpam.

TH. 4. Adminiſtratoribus (a) ratio eſt reddenda coram ijs, qui gubernatores Reip. ſunt. l. 2. ff. h. t.

(a) Quales ſunt Ædiles, Curatores, Quæſtores, Præfecti Ærario.

TH. 5. Plures ſi conſtituti fuerint adminiſtratores ſinguli inſolidum obligantur. l. 3 ff. h. t. prius tamen excutiendus eſt is, qui perperam geſſit, hic ſi non fuerit ſolvendo, collegæ conveniuntur. l. 1. C. *quo quiſque ord.*

TH. 6. Adminiſtratores ſi culpam commiſerint, in ſimplum tenentur; ſi verò dolum, in duplum; pœna tamen ad hæredes non tranſit. *l. fin.* §. 4. ff. h. t.

TITVLVS IX.

De Decretis ab ordine faciendis.

Iung. tit. 46. libr. 10. C.

TH. I. DECVRIONES faciebant decreta de rebus quibuſdam ad municipij ſalutem pertinentibus, e.g. de Medicis con-

ſtituendis. l. 1. ff. h. t. mulcta irroganda. l. *fin.* ff. h. t. ſalario conſtituendo, Magiſtratu creando. l. 4. §. 1. ff. h. t.

TH. 2. Hæc decreta à Decurionibus, ſive ordine Senatus municipalis ita fiebant, ut omnibus Decurionibus convocatis, à toto eorum ordine, vel majori eius parte fierent. l. 2. ff. h. t. l. 15. C. *de Decurion.* quod enim à majore curiæ parte decretum, pro eo habetur, ac ſi omnes decreviſſent. l. 19. ff. *ad municipal.*

TH. 3. Eiuſmodi decreta non temerè, ſed ſaltem ex Reipubl. utilitate reſcindenda ſunt. l. 5. ff. h. t.

TH. 4. His decretis quadantenus ſimilia ſunt ſtatuta civitatum Provincialium.

TITVLVS X.

De operibus publicis.

Iung. tit. 12. lib. 8. C. d. t.

TH. 1. IVs municipij refertur quoque ad opera publica.

TH. 2. Opus publicum eſt, quod ad municipij utilitatem fit, ut portæ, muri, turres, valla, ædificia publica, balnea, theatra, aquæductus.

TH. 3. Opus publicum eſt duplex, novum, & vetus.

TH. 4. Opus publicum novum ſuo ſumptu ſine authoritate Principis ad Reipubl. utilitatem (a) cuilibet extruere licet. l. 3. ff. h. t.

(a) Secus eſt, ſi extruatur ad alterius civitatis æmulationem, vel materiam ſeditioni præbeat. d. l. 3.

TH. 5. Opus publicum novum ſumptu publico ſine Principis authoritate nemo exſtruere poteſt. l. 5. C. h. t.

TH. 6. Opus publicum vetus reficere cuilibet eſt permiſſum. l. 5. l. 13. l. 16. C. h. t. imò omnes cives & incolæ ad huiuſmodi refectionem obligantur. l. 12. C. h. t. Hinc ad refectionem portarum, murorum, pontium, &c. omnes indifferenter pecuniam conferre coguntur. l. 7. C. h. t.

TITVLVS XI.

De Nundinis.

Iung. tit. 60. libr. 4. C.

TH. 1. NVNDINÆ quoque ad municipij utilitatem ſpectant, dum his omnium rerum abundantia civitati proſpicitur.

TH. 2. Nundinæ (a) ſunt, quæ à Principe civitati mercatuum exercendorum cauſa conceduntur.

(a) Quaſi novendinæ à nono quoque die, quem feriatum voluit antiquitas, dictæ ſunt, quo ruſtici mercandi, vendendique cauſa in urbem confluebant.

TH. 3. Nundinæ ſunt ſolennes, vel vulgares.

TH. 4. Nundinæ ſolennes iterum diſtinguuntur in nundinas ſolenniores, ſive privilegiatas, (a) & minus ſolennes. (b)

(a) Quæ vocantur Germanicè *Meſſen*, & à nemine niſi Imperatore concedi ſolent. l 1. ff. h. t. *l. un.* C. h. t. quales ſunt nundinæ Francofurtenſes, Lipſienſes.

(b) Quas inſtituunt Principes Imperij in ſuis ditionibus. Germanicè *iahrmarckt*.

TH. 5. Nundinæ vulgares etiam ſine Principis authoritate in civitate, vel vico ab eo, qui merum & mixtum imperium habet, inſtitui queunt, quales ſunt Germanicè *wochentliche marckt*.

TH. 6. Ne nundinarum uſus aliquo modo impediatur, inductum eſt, ut in nundinis nemo conveniri (a) ſub prætextu privati (b) debiti queat, multo minus arreſtari. *l. un.* C. h. t.

(a) Excipe [1] delicta, ratione horum quis in ijs conveniri poteſt. *Novel.* 18. *c.* 5. *Carpzov.* 1. *c.* 30. *d. ult.* [2] ſi mercator de fuga ſit ſuſpectus. *arg.* l. 10. §. 16. ff. *quæ in fraud. credit.* [3] contractus in ipſis nundinis initos, reſpectu horum ſortitur quis forum, ubi contraxit. l. 19. §. 2. ff. *de iudic.*

(b) In publicis debitis hæc ſecuritas mercatoribus non permittitur. l. 3. §. *ult.* ff. *de ferijs.*

TH. 7. Qui in publicis nundinis rem à non domino emit, nihilominus eam vindicanti reſtituere tenetur. l. 2. C. *de furt.* quamvis nundinæ mercatoribus tutum præſidium præſtent, ubi liberè in ijs negotiari liceat, in eo tamen non ſunt privilegiatæ, ut mercator non debeat cautè mercari.

TH. 8. Ius nundinarum non utendo per decennij lapſum amittitur. l. 1. ff. h. t.

TITVLVS XII.

De Pollicitationibus.

TH. I. POLLICITATIONES ad iura & privilegia municipiorum referuntur, quatenus nimirum oblatio nuda Reipubl. vel municipio eſt facta.

TH. 2. Pollicitatio eſt ſpontaneum & nudum ſolius offerentis promiſſum. l. 3. *pr.* ff. h. t.

TH. 3. Pollicitatio fit dupliciter, [1] Deo, (a) ſive Eccleſiæ, & [2] Reip. l. 1. *pr.* & §. 1. l. 4. & 6. *pr.* ff. h. t.

(a) Quæ Deo fit, dicitur votum. l. 2. ff. h. t.

TH. 4. Obligatur quis (a) ex pollicitatione, ſi ex iuſta cauſa, (b) ſit facta. l. 1. §. 1. l. 4. ff. h. t. unde differt à pacto nudo, ratione cuius nemo obligatur, (2) in pollicitatione quis ultrò promittit; contra in pacto nudo interrogatio, (quamvis ea non ſit ſolennis) præcedit, eſt enim duorum conventio, in idem placitum non unius. l. 1. ff. *de pact.*

(a) Sive ſit maſculus, ſive fœmina ob honorem, vel incendium quod Reſpub. paſſa eſt, vel opus faciendum quid promittat. l. 6. §. 2. ff. h. t.

(b) Ex oppoſito, ſine iuſta cauſa nemo ex pollicitatione tenetur, niſi opus promiſſum ſit iam inchoatum; quoniam inchoatio denotat promiſſionem fuiſſe ſeriam. l. 1. §. 2. ff. h. t.

TH. 4. Ex pollicitatione competit Eccleſiæ, vel Reipublicæ actio perſonalis adverſus pollicitatorem, eiuſque hæredem. l. 2. *pr.* & §. 2. l. 9. ff. h. t.

TITULUS XIII.

De varijs & extraordinarijs cognitionibus, & ſi iudex litem ſuam feciſſe dicatur.

TH. 1. IUDICIUM eſt ordinarium, vel extraordinarium.

TH. 2. Iudicium ordinarium eſt, in quo non ipſe Prætor, vel Præſes iudicare ſolebat, ſed iubebat, iudices pedaneos iudicare, datâ ordinariâ formulâ.

TH. 3. Iudicium extraordinarium (a) eſt, in quo ipſe Prætor, vel Præſes extra ordinem in quibuſdam cauſis (b) jus ex nobili officio dicebat, ſine certa, ordinaria & ſolenni formula, ubi ſummariè proceditur.

(a) Ita dicitur [1] ratione Magiſtratus: quia alias regulariter & ordinariè in cauſis ius dicebat iudex pedaneus; [2] ratione defectus formulæ certæ, [3] ratione ordinis qui hic eſt ſimplex, ſummarius, plenus, abſque ſtrepitu & figura iudicij, [4] ratione iuris, quod ordinariam cognitionem non operatur.

(b) e. g. de mercedibus, ſalarijs, & honorarijs Præceptorum, Profeſſorum, Medicorum, Advocatorum. *l. 1. pr. 1. & ſeqq.* ff. h. t.

TH. 5. Iudicium extraordinarium verſatur circa perſonas, vel res præſtantiores, ut Profeſſores, Iuriſconſultos, Medicos, Philoſophos, Advocatos, Librarios. d. l. 1. §. 1 *& ſeqq.* ff. h. t.

TH. 6. Quoties judex datus per imperitiam, (a) vel dolum, (b) malè iudicat, litem ſuam facit.

(a) Cum non Magiſtratus, ſed ſuam voluntatem ſequatur, indéque ex quaſi delicto tenetur actione in factum, & arbitrariâ pœnâ afficitur. l. *ult.* ff. h. t.

(b) Quo caſu veram litis æſtimationem præſtare obligatur, notatur quoque inſuper infamiâ. l. 15. §. 1. ff. *de iudic.* l. 2. C. *de pœn. iudic. qui mal. iudic.*

TIT. XIV.

TITVLVS XIV.

De Proxeneticis.

TH. I. EXTRAORDINARIIS quoque cognitionibus annumerantur proxenetica, quæ ſunt remunerationes, ſive præmia ijs facta, qui præſtant operam in negotijs contrahendis.

TH. 2. Proxeneta (a) (Germanicè *ein Meckler*) eſt, qui in contractibus, nuptijs, vel amicitijs ineundis, & faciendis aliorum voluntates inquirit, operamque ſuam accommodat, quo nomine tacitè quid exigit.

(a) Dicitur ἀπὸ τοῦ προξενεῖν, quod conciliare denotat: talis conciliatio ſolet fieri inter hoſpites & peregrinos, diverſæque linguæ homines, quibus potiſſimum hoc genus hominum inſervit.

TH. 3. Quamvis proxenetica habeantur ſordida, dum pro levidenſi opercula ratione contractuum, vel amicitiæ initæ, &c. quid præmij expetant, eorum tamen uſus in magnis emporijs eſt perquam neceſſarius, unde licito jure proxenetica extra ordinem petuntur. l. 1. 2. *&* 3. ff. h. t.

TH. 4. Proxeneta neque ex mandato, (a) neque ex locato, (b) conveniri poteſt, ſed ex dolo ſaltem, & latâ culpâ. l. 2. ff. h. t. ſicut menſores agrorum. *t. t.* ff. *ſi menſ. falſ. mod. dixer.*

(a) Quia proxenetæ, nihil ab alijs expreſsè eſt mandatum, quod gratis præſtare debet.

(b) Quoniam ſub certa mercede cum eo ad aliquid præſtandum non eſt actum.

TITVLVS XV.

De Cenſibus.

TH. I. VOx cenſus (a) bifariam habet ſignificationem, [1] propriè denotat tributum, penſitationem, ſeu præſtationem, quæ fiſco Imperatoris debetur in tuitionem Reipubl. *t. t.* C. *ſi propt. publ. penſit.* minus propriè ſignificat patrimonium, ſive facultates.

(a) Hinc cenſitores, ſive cenſores appellantur Magiſtratus, qui cenſibus & tributis exigendis præſunt. l. 4. ff. h. t.

TH. 2. Cenſitores olim cogebant cives Romanos patrimonij quantitatem ad cenſum indicare, & profiteri, quam illi accuratè annotabant, (a) ut ſcire poſſent, quantum quilibet eorum pro modo facultatum tempore neceſſitatis iuxta proportionem Geometricam conferre poſſet, ac deberet. l. 1. C. *de munerib. patrim.*

(a) Hæc bonorum annotatio fiebat quinto quoque anno, quia tanto temporis intervallo civium bona, vel decreſcere, vel accreſcere ſolent. Hinc diminuto patrimonio tributum quoque diminuebatur; contra eo aucto, augebantur & tributa. l. 2. C. *de alluvion. & palud.*

TH. 3. Cenſus olim erat duplex, [1] eſt cenſus capitis, (a) & [2] bonorum. *l. ult.* ff. h. t.

(a) Ille ratione perſonarum per ſingula capita præſtabatur. l. 3. ff. h. t.

TH. 4. Cenſus Principi ab omnibus, qui ſub eo bona mobilia, (a) vel immobilia (b) habent, ſolvi debent. l. 4. §. 8. ff. h. t.

(a) Ad illa refertur pecunia, qua quis lucratur, non verò otioſa, nec ornamenta, vel catenæ. *Receſſ. Imp. Ann.* 1542. §. *doch ſollen.*

(b) Quibus annumerantur quoque negotiationes, quas mercatores, vel artifices exercent, quibus ratione emolumenti, & quæſtus tributum imponitur de ſterilibus bonis cenſus non ſolvitur.

TH. 5. Colonus nomine tributorum conveniri haud poteſt, ſed prædij dominus. l. 4. & 15. C. *de agricol. & cenſit.*

TITVLVS XVI.

De verborum ſignificatione.

TH. I. COROLLARII quaſi loco placuit iuris compilatoribus digeſtis ſubnectere duos utiliſſimos, multumque difficultatis ſpirantes titulos, [1] de verborum ſignificatione, & [2] de regulis iuris.

TH. 2. Titulus iſte de verborum ſignificatione eo fine ab Interpretibus eſt conſcriptus, ut dicentis mentem, ſive ſententiam declaret, atque ambiguitates in legibus occurrentes tollat.

TH. 3. Cum verborum proprietas non tantum ad nomen, verumetiam ad vim ſignificandi ſit referenda; ideo appellatio per metaphoram, vel aliam figuram ſumpta habetur propria, dummodo nihil ſignificantius dici poſſit; ſemper enim voluntas potius, quam verba, eſt ſpectanda. l. 219. ff. h. t. nec quicquam aliter loqui præſumitur, quam ſentiat. l. 7. §. 2. ff. *de ſupellect. legat.*

TH. 4. Non abs re foret, & hunc titulum non minus, ac reliquos ratione inſtituti explicare; aſt ne nimium excreſcat hoc opus, Lectorem remittere volui ad Dominum VViſſembachium, qui congruè & aptè præſtitit, quod aliàs à me præſtandum, aut ſi quis latius in hac materia vagari velit, legat Dominum Gæddæum; *t.* ff. *de V. S.*

TITVLVS XVII.

De regulis iuris.

TH. I. VLTIMVS hic titulus non minus utilis & arduus, quam præcedens agit de regulis iuris, quæ nihil aliud ſunt quam generales & breves propoſitiones multarum deciſionum, cauſas, & principia continentes; ſive ſunt norma & principia ſecundùm quæ reliqua omnia in iure occurrentia dirigere & decidere debemus. Titulum hunc omnium optimè exponunt Dn. VViſſembach. Neuhuſius, & Bronchorſt.

FINIS.

Soli Deo ſit honor, laus, & gloria.

RVBRICÆ DIGESTORVM.

LIBER PRIMVS.

Tit. 1. DE Iuſt. & Iur. *pag.* 8
2. De Orig. Iur. 30
3. De Legibus & Sconſult. 41
4. Conſtit. Princ. 54
5. Stat. hom. 63
6. His qui ſui, vel alieni Iur. 73
7. Adopt. & Emancipat. 84
8. Rer. diviſ. 89
9. Senatoribus. 111
10. Offic. Conſul. 113
11. Offic. Præf. Prætor. 114
12. Offic. Præf. Vrb. 115
13. Offic. Quæſtor. 116
14. Offic. Prætor. 117
15. Offic. Præfect. Vigil. 119
16. Offic. Proconſ. 120
17. Offic. Præfect. auguſt. 121
18. Offic. Præſid. 122
19. Offic. Procurat. Cæſ. 123
20. Offic. Iur. Alexand. *ibid.*
21. Offic. eius cui mand. Iuriſd. 124
22. Offic. Aſſeſſor. 126

LIBER II.

Tit. 1. De Iuriſdictione. 127
2. Quod quiſque iur. in alt. ſtat. 135
3. Si quis ius dicenti non obtemp. 137
4. De in ius vocando. 138
5. Si quis in jus vocatus non ierit. 143
6. In Ius vocati ut eant. 144
7. Ne quis eum qui in jus vocab. *ibid.*
8. Qui ſatisdare cogantur. 145
9. Si ex noxal. cauſa agatur. 148
10. De eo per quem fact. erit. *ibid.*
11. Si quis caution. 150
12. De ferijs & dilat. 152
13. De Edendo. 156
14. De Pactis. 159
15. De Tranſactionibus. 173

LIBER III.

Tit. 1. De Poſtulando. 180
2. De ijs qui not. infamia. 183
3. De Procurat. 186
4. Quod cuiuſque Vniverſit. 192
5. De negot. geſt. 194
6. De calumniatoribus. 197

LIBER IV.

Tit. 1. De in integr. reſt. 199
2. De eo quod met. cauſa. 201
3. De dol. mal. 204
4. De minor 25. annis. 207
5. De Capit. deminut. 210
6. Ex quibus cauſis major. 212
7. De Alienat. iudic. 214
8. De Recept. arbit. 216
9. Nautæ caup. ſtabul. 219

LIBER V.

Tit. 1. De Iudicijs. 221
2. De Inoff. teſtam. 238
3. De petit. hered. 242
4. Si pars hered. petat. 247
5. De poſſeſſor. hered. petit. *ibid.*
6. De fideicommiſſ. hered. per. 248

LIBER VI.

Tit. 1. De Rei vindic. 249
2. De Publ. in rem action. 255

6. Si ager vectigal. petatur. 256
LIBER VII.
Tit. 1. De Vſufruct. 261
2. De Vſufruct. accreſc. 266
3. Quando dies Vſusfruct. 268
4. Quibus mod. Vſusfruct. amitt. 269
5. De Vſufr. ear. rer. quæ. 271
6. Si Vſufr. petat. 272
7. De operis ſervor. 274
8. De Vſu & habitat. 275
9. Vſufr. quomodo cavet. 276
LIBER VIII.
Tit. 1 De ſervitut. 278
2. De ſerv. Vrb. præd. 282
3. De ſerv. Ruſt. præd. 285
4. Commun. præd. 289
5. Si ſervitus vind. 291
6. Quemadm ſerv. amitt. 292
LIBER IX.
Tit. 1. Si quadrup. pauper. 294
2. Ad L. Aquil. 298
3. De his qui effud. 301
4. De noxal. action. 304
LIBER X.
Tit. 1. Finium regund. 306
2. Famil. erciſcund. 309
3. Commun. dividund. 312
4. Ad Exhibend. 314
LIBER XI.
Tit. 1. De Interr. in jur. fac. 317
2. De quib. reb. adeund. Iud. 319
3. De ſervo corrupto. 320
4. De Fugitiv. 322
5. De Aleatorib. *ibid.*
6. Si menſ. falſ. mod. dix. 325
7. De relig. & ſumpt. fun. 327
8. De mort. inferendo. 332
LIBER XII.
Tit. 1. De reb. credit. 333
2. De Iurejurand. 345
3. De in litem Iurand. 351
4. De Condict. cauſa data. 353
5. De Condict. ob turp. cauſ. 356
6. De Condict. indeb. 359
7. De Condict. ſine cauſ. 362
LIBER XIII.
Tit. 1. De Condict. furtiv. 363
2. De Condict. ex Lege. 365
3. De Condict. triticaria. 366
4. De eo quod cert. loc. 368
5. De conſtit. pecun. 371
6. Commodati. 374
7. De pignor. act. 380
LIBER XIV.
Tit. 1. De exercit. action. 384
2. Ad L Rod. de Iactu. 388
3. De Inſtit. action. 390
4. De tribut. action. 392
5. Quod cum eo qui in alien. 394
6. Ad Senat. Conſult. Maced. 395
LIBER XV.
Tit. 1. De pecul. 397
2. Quando action. de pecul. eſt an. 399
3. De in rem verſo. *ibid.*
4. Quod Iuſſu. 401
LIBER XVI.
Tit. 1. Ad Senat. Conſ. Vellej. 402
2. De compenſat. 405
3. Depoſiti. 408
LIBER XVII.
Tit. 1. Mandati. 413
2. Pro ſocio. 419
LIBER XVIII.
Tit. 1. De Contrah. Empt. 425
2. De in diem Addict. 434
3. De Lege commiſſoria. 437
4. De heredit. vel act. vend. 442
5. De reſcind. vend. 444
6. De peric. & commod. rei vend. 447
7. De ſervis Export. 450
LIBER XIX.
Tit. 1. De Action. Empt. & vend. 451
2. De Locat. & Cond. 454
3. De Æſtimator. action. 461
4. De rer. Permut. 463
5. De Præſcript. verb. 467
LIBER XX.
Tit. 1. De Pignorib. 472

2. In quibus cauſis pign. 478
3. Quæ res pign. obl. non poſſ. 481
4. Qui potiores in pignore. 482
5. De diſtract. pignor. 486
6. Quibus mod. pign. ſolvit. 489
LIBER XXI.
Tit. 1. De Ædilit. Edicto. 491
2. De Evictionibus. 495
3. De Except. rei vendit. 500
LIBER XXII.
Tit. 1. De Vſur. & fructib. 501
2. De Nautico fœnore. 508
3. De Probation. 509
4. De fide inſtrument. 516
5. De teſtibus. 520
6. De iuris & fact. ignor. 523
LIBER XXIII.
Tit. 1. De Sponſ. 526
2. De rit. nupt. 531
3. De iur. dot. 541
4. De pact. dot. 545
5. De fundo dotali. 546
LIBER XXIV.
Tit. 1. De don. int. Vir. & Vxor. 547
2. De divort. & repud. 549
3. Soluto matrim. quemadm. dos. 550
LIBER XXV.
Tit. 1. De impenſ. in res dot. fact. 554
2. De act. rer. amotarum. 556
3. De liberis agnoſcend. 557
4. De Vent. Inſpic. 559
5. Si vent. nom. mul. 560
6. Si mul. vent. nom. 561
7. De concubin. 562
LIBER XXVI.
Tit. 1. De Tutelis. 563
2. De Teſtam. tutel. 568
3. De confirm. tutor. 570
4. De legit. tutor. *ibid.*
5. De tutor. vel curat. dati. 572
6. Qui petant tutores. 573
7. De Adminiſt. tutor. 574
8. De Autor. tutor. 577
9. Quand. ex facto tut. conv. 579
10. De ſuſpect. tutor. 580
LIBER XXVII.
Tit. 1. De excuſ. tut. 582
2. Vbi papil. educari debeat. 585
3. De tutel. & rat. diſtrah. 586
4. De contrar. & util. act. tutel. 588
5. De eo qui pro tut. vel Cur. neg. 589
6. Quod falſo tutore, auth. geſt. 590
7. De fidejuſſoribus & nomin. 591
8. De Magiſtrat. conveniend. 592
9. De reb. eorum qui ſub tut. 593
10. De Curat. furioſ. & alijs. 596
LIBER XXVIII.
Tit. 1. Qui teſt. facere poſſunt, &c. 598
2. De Liberis & poſthumis. 605
3. De injuſt. rupt. irrit. teſtam. 607
4. De his quæ in teſt. delentur. 609
5. De hered. inſtituendis. 610
6. De vulg. & pupill. ſubſtit. 615
7. De conditionibus inſtitut. 619
8. De jure deliberandi. 621
LIBER XXIX.
Tit. 1. De teſtam. militis. 625
2. De acquir. vel omitt. hered. 627
3. Quemadm. teſtam. aperiantur. 631
4. Si quis omiſſa cauſſa teſt. 632
5. De Senat. Conſ. Syllan. 634
6. Si quis aliquem teſt. prohib. 635
7. De iure Codicillorum. 636
LIBER XXX.
Tit. 1. De Legat. 1.
LIBER XXXI.
Tit. 1. De Legat. 2.
LIBER XXXII.
Tit. 1. De Legat. 3. 639
LIBER XXXIII.
Tit. 1. De annuis legat. 649
2. De Vſu & Vſufr. & habit. 651
3. De ſervitute legata. 652
4. De dote prælegata. 653
5. De Optione legata. 654
6. De trit. Vin. & Oleo leg. 655
7. De Inſtruct. vel Inſtr. leg. 656
8. De pecul. legat. 657

9. De penu legata. 658
10. De ſupellectile legata. 659

LIBER XXXIV.

Tit. 1. De aliment. vel cib. leg. 660
2. De auro argento mundo. 661
3. De legatis præſtand. 662
4. De adim. & transf. legat. 664
5. De rebus dubijs. 665
6. De his quæ pœnæ cauſa rel. 667
7. De Regula Catoniana. *ibid.*
8. De ijs quæ pro non ſcript. 668
9. De his quæ ut indignis. *ibid.*

LIBER XXXV.

Tit. 1. De condit. & demonſtr. 670
2. Ad L. Falcidiam. 675
3. Si cui plus quam per L. Falcid. 679

LIBER XXXVI.

Tit. 1. Ad Senatuſconſ. Trebell. 680
2. Quando dies Legat. 684
3. Vt legator ſeu fideicomm. 685
4. Vt in poſſeſſionem Legat. 686

LIBER XXXVII.

Tit. 1. De Bonorum poſſeſſion. 687
2. Si tabulæ extabunt. 690
3. De bonor. poſſeſſ. furioſ. 991
4. De bonor. poſſeſſ. contr. tab. 692
5. De legatis præſtand. 693
6. De Collatione bonorum. *eodem.*
7. De Collatione dotis. 697
8. De Conjung. cum Emancip. 698
9. De Vent. in poſſ. mit. 699
10. De Carboniano Edicto. 700
11. De bon. poſſ. ſecund. tab. 701
12. Si quis à parente manum. 702
13. De bon. poſſ. ex teſtam. mil. 703
14. De jure patronatus. *ibid.*
15. De obſequijs parent. 704

LIBER XXXVIII.

Tit. 1. De operis libertorum. 706
2. De bonis libertorum. 707
3. De liberis univerſitat. 708
4. De aſſignand. libertis. *ibid.*
5. Si quid in fraud. patron. 709
6. Si tabul. Teſtam. & unde liberi. *ibid.*
7. Vnde Legitim. 710
8. Vnde Cognat. 711
9. De ſucceſſorio edicto. 712
10. De Gradibus affinitat. 713
11. Vnde Vir. & Vxor. 717
12. De veteran. militum ſucceſſ. 718
13. Quibus non competit. bon. 719
14. Vt ex LL. & S.C. bonorum. *ibid.*
15. Quis ordo in bon. poſſ. ſerv. 720
16. De ſuis & legitim. hered. 721
17. Ad Sctm Tertullian. 722

LIBER XXXIX.

Tit. 1. De operis novi nunt. 724
2. De damno infecto. 727
3. De aqua pluv. arcend. 731
4. De publicanis. 735
5. De donationibus. 736
6. De mortis cauſa donat. 741

LIBER XL.

Tit. 1. De manumiſſion. 745
2. De manumiſſ. vindict. 747
3. De manumiſſ. quæ ſervis. 748
4. De manumiſſ. Teſtam. *ibid.*
5. De Fideicom. libert. 749
6. De Adempt. libert. *ibid.*
7. De Statu liberis. *ibid.*
8. Qui ſine manumiſſ. 750
9. Qui & à quibus manumiſſ. *ibid.*
10. De Iure Aureor. Annul. 751
11. De natalib. reſtit. 752
12. De liberali cauſa. *ibid.*
13. Quibus ad libert. proclam. 753
14. Si ingen. eſſe dicatur. *ibid.*
15. Ne de ſtat. defunctor. 754
16. De colluſione detegenda. 755

LIBER XLI.

Tit. 1. De acquir. rer. domin. 756
2. De acquir. vel amitt. poſſ. 768
3. De Vſucap. & Vſurp. / Pro Soluto. 773
4. Pro Emptore. 780
5. Pro herede. 781
6. Pro donato. 782
7. Pro derelicto. *ibid.*

8. Pro

8. Pro Legato. 783
9. Pro dote. ibid.
10. Pro ſuo. ibid.

LIBER XLII.

Tit. 1. De re iudicata. 784
2. De Confeſſis. 791
3. De Ceſſione bonorum. 795
4. Quibus ex cauſis in poſſ. 796
5. De rebus authorit. Iud. poſſ. / De Privilegijs creditor. 798
6. De ſeparat. 804
7. De curat. bonis dando. 806
8. Quæ in fraud. credit. 807

LIBER XLIII.

Tit. 1. De Interdictis. 809
2. Quod Legator. 814
4. Ne vis fiat ei qui in poſſeſſ. 815
5. De tabulis exhibendis. 817
6. Ne quid in loco ſacro. 818
7. De locis & itin. publ. 819
8. Ne quid in loco publ. ibid.
9. De loco publ. fruendo. 820
10. De via publ. & ſi quid in ea. 821
11. De via publ. & itin. publ. 822
12. De fluminibus. ibid.
13. Ne quid in flum. publ. 823
14. Vt in flum. publ. nav. liceat. 824
15. De Ripa munienda. 825
16. De vi & vi armata. ibid.
17. Vti poſſidetis. 827
18. De ſuperficiebus. 829
19. De Itinere actuque priv. 830
20. De aqua quotidiana. 831
21. De Rivis. 832
22. De fonte. 833
23. De Cloacis. ibid.
24. Quod vi aut clàm. 834
25. De remiſſionibus. 835
26. De precario. ibid.
27. De arbor. cædend. 837
28. De glande legenda. ibid.
29. De libero hom. Exhib. 838
30. De liberis exhibend. ibid.
31. Vtrubi. 839
32. De Migrando. 840
33. De Salviano Interdict. ibid.

LIBER XLIV.

Tit. 1. De Except. & Præſcript. 842
2. De except. rei iudicatæ. 846
3. De diverſis temporal. 848
4. De dol. mal. & metus Except. 850
5. Quarum rer. act. non dat. 852
6. De Litigioſis. 854
7. De Obligat. & Act. ibid.

LIBER XLV.

Tit. 1. De verb. Obligat. 861
2. De duobus Reis conſtit. 867
3. De ſtipulat. ſervor. 688

LIBER XLVI.

Tit. 1. De fidejuſſ. & mandat. 869
2. De Novation. & delegat. 873
3. De ſolution. & liberat. 876
4. De Acceptilation. 879
5. De ſtipulat. Prætor. 881
6. Rem pupilli, vel Adoleſcentis. 883
7. Iudicatum ſolvi. 884
8. Rem rat. haberi. 885

LIBER XLVII.

Tit. 1. De privatis delict. 886
2. De furtis. 891
3. De tigno Iunct. 896
4. Si is qui teſtam. liber. 897
5. Furti adverſus nautas. 898
6. Si famil. furt. feciſſe. 899
7. Arborum furtim Cæſar. 900
8. Vi bonor. raptor. 901
9. De incend. ruin. nauf. 902
10. De injur. & famoſ. libell. 903
11. De extraordinarijs criminibus. 907
12. De ſepulchro violato. 909
13. De Concuſſionibus. 910
14. De Abigeis. 911
15. De Prævaricat. ibid.
16. De receptatoribus. 912
17. De furibus balnearijs. 913
18. De Effractoribus. 914
19. Expilatæ heredit. ibid.
20. De Stellionatus. 915

21. De termino moto. 916
22. De collegijs & corp. *ibid.*
23. De popularibus Act. 917

LIBER XLVIII.

Tit. 1. De publicis Iudic. 919
2. De accuſat. & inſcript. 921
3. De cuſt. & Exhib. reor. 924
4. Ad L. Iul. Majeſt. 926
5. Ad L. Iul. de adult. 928
6. Ad L. Iul. de vi publ. 934
7. Ad L. Iul. de vi privat. 936
8. Ad L. Corn. de Sicar. *ibid.*
9. Ad L. Pompei de parric. 943
10. Ad L. Cornel. de falſis. 944
11. Ad L. Iul. repetund. 946
12. Ad L. Iul. Annon. 947
13. Ad L. Iul. peculatus. 948
14. Ad L. Iul. de ambitu. 950
15. Ad L. Flaviam de plagi. 951
16. Ad SCtum Turpillian. *ibid.*
17. De requirend. vel abſent. 954
18. De Quæſtionibus. 955
19. De Pœnis. 959
20. De Bonis damnatorum. 964
21. De bonis eorum qui ante. 965
22. De Interdict. & relegat. 966
23. De ſentent. paſſ. & reſtit. 967
24. De Cadaveribus punitorum. 968

LIBER XLIX.

Tit. 1. De Appellationibus. 969
2. A quibus appellari non licet. 971
3. Quis & à quo Appellatur. 972
4. Quando appellandum. 973
5. De Appellat. recipiend. *ibid.*
6. De Libellis dimiſſorijs. 974
7. Nihil innovari. 975
8. Quæ ſentent. ſine appellat. 977
9. An per alium cauſæ Ap. *ibid.*
10. Si tut. vel Curat. 978
11. Eum qui appellaverit. *ibid.*
12. Apud eum à quo appellatur. 979
13. Si pendente appellat. *ibid.*
14. De Iure fiſci. 980
15. De captiv. & poſtlim. 982
16. De re militari. 984
17. De Caſtrenſi peculio. 986
18. De Veteranis. *ibid.*

LIBER L.

Tit. 1. Ad Municipalem. 987
2. De Decurionibus. 990
3. De Albo ſcribendo. 991
4. De muneribus & honor. 992
5. De Vacat. & Excuſat. 993
6. De Iure immunit. 994
7. De Legationibus. 995
8. De Administrat. rer. 996
9. De decretis ab ord. fac. *ibid.*
10. De Operibus publ. 997
11. De Nundinis. 998
12. De Pollicitationibus. 999
13. De Extraord. Cognit. 1000
14. De Proxeneticis. 1001
15. De Cenſibus. 1002
16. De Verbor. Signif. 1003
17. De Regulis Iuris. 1004

FINIS.

A MONSIEVR

MONSIEVR BECKMAN,

DOCTEVR EN DROICT, SVR SON TRAITE' DV DROICT CIVIL.

Ogni pittore pinge ſe ſteſſo.

SI chacun , comme dit le mot Italien ,
Par des traits naturels s'exprime en ſon Ouvrage ,
Lecteur , prend ce travail , & l'examine bien ,
Tu diras que BECKMAN, a ce rare avantage :
Sa main d'vn habile Pinceau ,
Nous a fait icy le Tableau
De mille qualitez qui le rendent inſigne ;
Son Langage à l'oreille y paroiſt tout charmant ,
Son Erudition s'y voit en chaque ligne ,
Et par tout à l'Eſprit eſt joint le Iugement.

Apres avoir paſſé tant de jours & de nuicts
A cultiver du Droict la profonde ſcience ,
Voicy qu'il nous en ſert les plus ſolides fruicts ,
Qu'il en a recueillis par ſon experience.
Accourez, Eſprits curieux ,
De qui les mets delicieux
Sont des anciennes Loix la plus pure ſubſtance ;
Mais pour toy , des Heros jalouſe paſſion ,
Envie , éloigne-toy ſans faire reſiſtance ,
Cét OEuvre ne craint point ta Juriſdiction.

IEAN DE LAVNAY,
Licentié és Droicts.

Abbreviationes quaſdam ſæpè in hoc meo Opere occurrentes in juris Tyronum favorem ob faciliorem intellectum apponere volui.

Inſt. hoc eſt, Inſtitutiones.
ff. Digeſta.
C. Codex.
§. paragraphus.
l. lex. Nota, quoties lex citatur, non adjecto, ff. vel C. ex digeſtis deſumpta intelligitur.
ll. leges.
S.P.V. hoc eſt, ſervitutes prædiorum Vrbanorum.
S.P.R. ſervitutes prædiorum ruſticorum.
V.S. verborum ſignificationes.
R.I. regulæ juris.
O.& A. obligationes & actiones.
V.O. verborum obligationes.
O.I. origo iuris.
P.V. Præſcriptis verbis.
R.C. rebus creditis.
Scta Senatuſconſulta.
L.12.Tabb. Lex duodecim Tabularum.
Ictus Iuriſconſultus
Scti Senatuſconſulti.
d.l. dicta lege.
t.t. toto titulo.
n. enim.
v. verò.
a. autem.
E. Ergo.
b.f. poſſeſſor. bonæ fidei poſſeſſor.
m.f. poſſeſſor. malæ fidei poſſeſſor.
q. quæſtio.
can. canon.
cauſ. cauſa.
Auth. Authentica.

MEDVLLA

10

Vault